BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XLVII
C
NAPOLI

Digitized by Google

XLVII
C
25

Digitized by Google

Digitized by Google

IOANN. FRANCISCI BVDDEI

THEOL. D. ET P. P. O.

HISTORIA ECCLE-
SIASTICA
VETERIS TESTAMENTI

AB ORBE CONDITO VSQVE AD CHRISTVM NATVM

VARIIS OBSERVATIONIBVS ILLVSTRATA.



HALAE MAGDEBVRGICAE.

IMPENSIS ORPHANOTROPHEI.

MDCCXXXXIV.

Digitized by Google

SERENISSIMO PRINCIPI
AC DOMINO

DOMINO

GVILIELMO ERNESTO,

SAXONIAE, IVLIAE, CLIVIAE ET
MONTIVM, ANGARIAE QVOQVE
AC WESTPHALIAE DVCI,

LANDGRAVIO THVRINGIAE,
MARCHIONI MISNIAE,

PRINCIPI COMITI HENNEBERGENSI,
COMITI MARCAE, ET RAVENS-
BERGAE,

DYNASTAE RAVENSTEINII,

PRINCIPI AC DOMINO MEO
LONGE CLEMENTISSIMO.

Digitized by Google



SERENISSIME PRINCEPS,
DOMINE CLEMENTISSIME.

Inter maxima, quae mortalibus a benigniſſimo Numine obtingunt, munera, haud vltimum eſt, ſi ſub imperio eiusmodi viuant principum, qui, niſi ad imperandum per generis conditionem nati eſſent, omnium tamen iudicio digni, qui imperarent, haberentur. Quemadmodum enim non temere triſtior aut foedior eſt rerum humanarum conditio, quam cum ſummam rerum tenent, qui cupiditatibus ſuis dediti, nec ratio-
nis

Digitized by Google

nis ſcita audiunt, nec iuſtitiae aut aequitatis leges obſeruant, ciuium autem ſalutem prorſus in minimis ponunt; ita contra feliciſſimi merito cenſentur, quos imperantium probitas, & ciuium vnice intenta commodis cura, contra quosuis aduerſariorum inſultus tutos, ſaluosque adeo & incolumes praeſtat, ſecurosque et omnis metus expertes eſſe iubet. De imperantibus vtique experientia docet, quod de quolibet homine dici ſolet, vt mala, ita & bona maxima ab iis in alios redundare poſſe, nec quicquam in hocce rerum vniuerſo reperiri, quod aut commodum maius, aut maiorem adferat perniciem. Licet vero & incommoda & mala quaeuis, quae negle&i ab iis officii ratio procreat, aequo animo omnes merito feramus, cum & haec interuentu meliorum penſentur: diuini tamen Numinis grata mente agnoſcimus benignitatem, cum eos vicibus illius in hac terra fungi videmus, qui non qua poteſtatem tantum & auctoritatem, ſed qua virtutes etiam, quamdam eius circumferunt imaginem. Hi benefici inſtar ſideris omnibus exoriuntur, recreant omnes ſua gratia, reficiuntque, proſtratos erigunt, oppresſos onere leuant, triſtes exhilarant, miſerosque ſpem animumque reſumere iubent. Tales, ſi quis dubitaret, an noſtra quoque aetas oſtendere principes poſſet, eum in TE, DOMINE CLEMENTISSIME, oculos animumque conuertere iuberem. TVO enim hactenus comprobaſti exemplo, non eſſe tam ſterilem bonarum mentium noſtram aetatem, vt non principes virtute & ſapientia heroibus, quibus antiquitas ſuperbit, ſi non praeferendos, certe comparandos, proferat. Nondum

profecto ita elanguit, vetuſtiſſima licet gens Saxonica, vt non ſubinde velut reiuueneſcat, nouisque virtutum, heroes decentium, exemplis, ſui ſplendoris radios latius diffundat. Teſtantur hoc non illi modo, qui TVO, SERENISSIME PRINCEPS, imperio ſubiecti, pietatis & ſapientiae TVAE fructus ſentiunt, ſed & omnes, ad quos virtutis TVAE, longe lateque exſplendeſcentis, fama peruenit. Teſtatur cumprimis noſtra academia, ſub TVIS pariter ac reliquorum Sereniſſimorum Nutritorum mitiſſimo regimine laetius ſubinde eſſloreſcens, nouaque, ringente licet & indignante inuidia, capiens incrementa. Nec enim in ea quisquam temere eſt, cui non pietas TVA & ſapientia non vno documento perſpecta ſit, & explorata. Hinc &, qui ex longinquis ad nos regionibus ad haurienda diuinae humanaeque ſapientiae praecepta veniunt, cum circumiacentes vrbes aulasque curioſius, vt fieri ſolet, perluſtrant, id omnes vno ore, ſi modo animum rite aduerterint, fateri neceſſe habent, cum multa hinc inde ſe offerant ſplendida atque magnifica, TVAE tamen virtutis, omnium animos ad ſe conuertentis, ſplendore, reliqua omnia quam longiſſime vinci. Quis enim magni principis non miretur aulam, in qua luxuriae, intemperantiae, leuitatis, ne minima quidem deprehenduntur veſtigia; ad modeſtiam contra, ſobrietatem, ſanctimoniam compoſita ſunt omnia; in qua tanto quis ab omnibus vitiis, quibus aulica vita infamatur, eſt alienior, quanto propius ad principis exemplum accedit. Quis vmquam Vinariae fuit, vt non omnes vno ore fatentes audiuerit, nihil TIBI, SERENISSIME

PRIN-

PRINCEPS, prius, nihil antiquius eſſe, quam omnes animi in id intendere neruos, vt religioni ſuum conſtet decus, & cum iuſtitia pari paſſu ambulet pietas. Si homines hac de re ſilerent, conſecratae Numinis cultui aedes, & a TE reſtauratae exornataeque, hoc loquerentur. Cumque haud ignores, ad conſeruandam propagandamque cum doctrina pura veram minimeque fucatam pietatem, ſimulque ad ciuium commoda vndiquaque promouenda, nihil vtilius, accommodatius nihil eſſe, quam ſcholas & domicilia bonarum mentium rite conſtitutas habere, iis vt praeficiantur viri ſapientia & litterarum laude praeſtantes, haud infimam curarum TVARVM exiſtimas eſſe partem. Quod vt TVI ſimul erga litteras bonasque artes fauoris ſummi documentum certiſſimum praebet, ita eumdem bibliotheca ampliſſima ſelectiſſimaque, & tanto principe digna, demonſtrat. Haec enim vt optimis praeſtantiſſimisque libris abundat, breuique temporis ſpatio ita aucta eſt & amplificata, vt ſuo merito celebrioribus totius Germaniae bibliothecis adnumeretur; ita perenne poſteris TVAS concelebrandi laudes argumentum praebebit. Haec itaque aliaque, quae vel modeſtia TVA commemorare prohibet, cum in TE omnes admirentur, omniumque amorem TIBI concilient, meum quidem itidem non potuerunt non ita perſtringere animum, vt eumdem ad tantas virtutes ſubmiſſa veneratione proſequendas adducerent. Idque profecto eo magis, quo intimius mihi eas introſpicere licuit, ob ſingularia illa TVAE gratiae clementiaeque, quae erga me exſtare voluiſti, documenta. Etenim, vt reliqua taceam, cum per decem

iſtos

Digitized by Google

iſtos annos, quibus in hac academia ad diuinam ſapientiam iuuenes erudiui, ſubinde cum aduerſariis quibusdam, vt fieri ſolet, mihi conflictandum fuerit, ne inſultibus eorum ſuccumberem, TVA cumprimis, DOMINE CLEMENTISSIME, effeciſti gratia, TVOQVE fauore. Sub iſto clypeo latitare tuto innocentiae licet, vanosque liuoris contemnere auſus. Hinc & iſto praeſidio freto, emetiri feliciter, quae mihi decurrenda fuere, ſtadia licuit, & proſpero laborum curſu in pulcherrimo bonarum artium campo, non ſine inſigni plurimorum, vt credo, emolumento, progredi. Quare &, quod TVAE imputent gratiae, habent, qui ex mea inſtitutione prodeunt, eccleſiae verae, quacumque patet, commoda promoturi, ſed TVAS ſimul laudes longe lateque ad ipſos etiam poſteros propagaturi. Iam pridem itaque & publico quodam monumento meum erga TE, SERENISSIME PRINCEPS, declarare animum, TIBI plane deuotum, & ad quaeuis obſequia pronum, volui, idque nunc demum, cum opportuna haec ſe offerat occaſio, facio: non equidem, ac ſi credam, me TVAE quidquam hac ratione addere gloriae poſſe, ſed quod indignum exiſtimem, ſi alii ignorent, quanta veneratione virtutes tanti principis proſequar. Quodſi etiam argumentum operis ſpectem, non temere quemquam, cui rectius, quam TIBI, DOMINE CLEMENTISSIME, id conueniret, inuenire potui. De verae enim eccleſiae conſeruatione, quam praecipue eccleſiaſtica hiſtoria tradit, quam ſis ſollicitus, nemo ignorat: cumque & illorum principum, quorum opera Deus in eccleſia defendenda, & propaganda, aut etiam

reſtau-

reſtauranda, vſus eſt, laudes eccleſiaſtica hiſtoria vel maxime celebret, in hiſce TVARVM virtutum imaginem luculentiſſime conſpicere licet. Facies itaque, DOMINE CLEMENTISSIME, quod TVA clementia, TVAQVE benignitate dignum eſt, ſi ita, vt omnes ad TE confugientes ſoles, & huncce librum acceperis, credideris que, nihil aliud me egiſſe, quam quod officii mei poſtulare rationem putaui. Quo ipſo vt nouo eoque maximo me obſtringes beneficio, ita Deum precor, ſemperque precabor, vt TE, SERENISSIME PRINCEPS, verae, quacumque patet, eccleſiae, orbique litterato, academiae ciuibus, bonis omnibus, quam diutiſſime ſaluum incolumemque conſeruet, ne praeſidium atque columen illis, qui TVO auxilio indigent, neue imperantium ordini decus & ornamentum, neue exemplum omnibus, deſit, quod imitentur, & ad quod vitam moresque componant.

SERENISSIMO NOMINI TVO
DOMINE CLEMENTISSIME

ſubiectiſſimus, deuotiſſimusque

IOAN. FRANCISCVS BVDDEVS.

b LE-

Digitized by Google

LECTORI BENEVOLO

S.

INſignem prorſus ad omnes, praeſertim eos, qui theologiae operam nauant, ex hiſtoria eccleſiaſtica redundare vtilitatem, nemo, niſi qui hoſpitem plane ex his litteris retulit animum, inficiatus fuerit. Vt enim ſummam Numinis in regno gratiae ſapientiam manifeſtat, ita verae ſimul falſaeque de Deo rebusque diuinis doctrinae, cultus porro ſinceri Deoque placentis, pariter ac peruerſi, in impietate aut ſuperſtitione, turpiſſimaque hypocriſi, conſpicui, regni denique lucis pariter ac tenebrarum, originem, progreſſus, fata, certamina, viciſſitudines, & reliqua tradit; quae neminem, niſi cui aut nulla, aut exigua, vel religionis, vel ſalutis ſuae cura, prorſus neſcire decet; certe eos, a quibus adcuratior rerum diuinarum notitia requiritur, ignorare nefas eſt.

Veteris

Digitized by Google

Veteris autem teſtamenti hiſtoria eccleſiaſtica, quam exhibere animus eſt, non tantum haec et reliqua commoda omnia, quae ex hocce ſtudiorum genere exſpectari posſunt, praeſtat, ſed id inſuper peculiare habet, quod, ſi recte tractetur, ſacro codici lucem egregiam adfundat. Hiſtoriam ſane, quae & antiquitatum ambitu ſuo complectitur notitiam, poſt linguarum, quibus ſacri ſcriptores vſi ſunt, cognitionem, in ſcripturae ſacrae veteris praeſertim teſtamenti, interpretatione, vtramque facere paginam, exemplis quamplurimis, ſi quis ea de re dubitaret, condoceri poſſet. Quod licet de eccleſiaſtica non tantum, quae verae falſaeque religionis, & quae eo ſpectant, fata exponit, ſed & de profana, quam vocant, intelligendum ſit; hic tamen, quae vtraque praebet commoda, merito in cenſum veniunt, cum vtramque quodammodo coniungere ſoleant, qui eccleſiaſticam hiſtoriam tradunt, quorum exemplo inducti, a noſtri id minime alienum eſſe inſtituti ratione, arbitrati ſumus. Nec enim de Ebraeorum tantum, quos penes praecipua verae eccleſiae ſedes fuit, rebus, tum ſacris, tum ciuilibus diximus, ſed earum quoque gentium, quibuscum Ebraeis varia belli paciſque negotia interceſſerunt, aut quarum ceteroquin ſubinde in ſcriptura ſacra mentio iniicitur, Aegyptiorum, Phoenicum, Syrorum, Idumaeorum, Arabum, Chaldaeorum, Perſarum, immo Graecorum etiam & Romanorum origenes, fata, res geſtas, inſtituta, ſacra & reliqua, quae ſubinde locis ſcripturae ſacrae obſcurioribus lucem adfundere poſſunt, attigimus.

Ampliſſimus praeterea hic ſe aperit campus, atheorum aliorumque impiorum hominum ſophismata explodendi,

 di,

di, diſpellendique argutias, qui in veteris cumprimis teſtamenti hiſtoria plurima ſibi inueniſſe viſi ſunt, quibus ſcripturae ſacrae labefactarent veritatem, veramque adeo religionem tantum non penitus euerterent, omniumque exponerent ludibrio. Qui quidem homines quo maiori interdum ſpecie incautis imponunt, magnaque ingenii & acuminis oſtentatione alios fallunt, eo diligentiorem adcuratioremque promerentur refutationem. Fuitque, ſi dicendum, quod res eſt, haec non vltima vtique ratio, quae me, vt huncce laborem ſuſciperem, induxit, vt hiſtoricam veteris teſtamenti veritatem a petulantia & cauillationibus iſtorum hominum data occaſione vindicarem. Hoc noſtri quoque temporis requirere videbatur conditio, quo impietas tanta incrementa cepit, vt nudo paſſim incedat capite, plurimorumque occupauerit animos. Cui veneno, latius in dies ſerpenti, vt medela, quacumque tandem ratione poteſt, adferatur, illis omnibus quouis modo annitendum puto, quibus vlla veritatis cura, vllusque religionis ſupereſt ſenſus.

Manifeſtiſſimum itaque eſſe exiſtimo, operae pretium omnes eos facere, qui ad hiſtoriam eccleſiaſticam, veteris cumprimis teſtamenti, animum adiungunt, nec me, idem quod fecerim, culpari poſſe. Hoc ſolum ab inſtituto forte quorumdam opinione deterrere me debuiſſet, quod plurimi iam, iique praeſtantiſſimi viri, in hocce genere ingenii periclitati ſint vires, ſuaeque induſtriae monumenta, cineres profecto haud quaerentia, reliquerint. Librorum, fortaſſe dicent, adeo nulla in hoc genere eſt inopia, vt illorum potius copia laboremus. Siue annales, ampliſſimaque volumina,

lumina, ſiue ſynopſes atque compendia deſideres, tanta horum omnium eſt multitudo, vt vix numerus eorum iniri queat; ſelectum vero inſtituere, oppido ſit difficile. Haecce aliaue eiusdem generis illis, ni fallor, obiici poſſunt, qui viam tot praeſtantium doctorumque virorum ſignatam veſtigiis ingredi, in animum inducunt.

Quae quamuis non contemnenda ſint, illisque merito proponantur, qui nimio ſcribendi pruritu laborant; nondum tamen ita comparata ſunt, vt euincant, oleum prorſus operamque, quod aiunt, illos perdere, qui eumdem, quem alii ingreſſi ſint, & ipſi ingrediuntur campum. Quantumuis enim egregia ſint, quae viri doctiſſimi hoc in genere elaborarunt; falletur tamen maximopere, qui exiſtimauerit, ad iſtud iam faſtigium hiſtoriam eccleſiaſticam, etiam veteris teſtamenti, perductam eſſe, vt nihil amplius addi queat. Exſtant hinc inde nouae virorum doctorum obſeruationes, ad illuſtrandam hancce hiſtoriae partem mirifice facientes, quae ſi in vnum corpus coire iubeantur, perfectius quid atque praeſtantius inde effloreſcere, neceſſe eſt. Sed & mihi ipſi in hocce campo progredienti, varia ſe obtulerunt, quae aliis, quod mihi quidem conſtet, non fuere obſeruata. Et, licet in ſingulis, qui ingenii ſui monumenta, huc ſpectantia, ediderunt, aliquid, quod laudandum ſit, occurrat; in omnibus tamen aliquid adhuc, quod iure deſiderari queat, ſupereſt. Nec vero is ego ſum, qui me omne tuliſſe punctum credam, aut eiusmodi quid perfeciſſe, cui nihil addi, aut in quo nihil emendari queat. Ineptiſſimus eſſem mortalium, ſi ita exiſtimarem. Immo plurima adhuc aliis, qui poſt me in hocce ſe daturi ſunt ſtudiorum

rum genus, relicta credo, quibus maiorem lucem adfundere queant. Interim non errauerim forte, aut plus, quam decet, mihi arrogauerim, ſi dixerim, ita hocce a me concinnatum opus, vt maius ad lectores, cumprimis iuuenes, qui litterarum ſacrarum ſtudio dediti ſunt, commodum, quam ex reliquis eiusdem generis, qui hactenus prodierunt, libris, redundare poſſit. Vt enim veritas vbique ſuprema mihi lex fuit, eamque vt adſequerer, nihil intermiſi; ita id ſimul operam dedi, ne aut nimio breuitatis ſtudio multa ſcitu lectuque digna praetermitterem, aut prolixitate nimia & inutilium tractatione lectoribus crearem faſtidium, vel incommodum aliquod adferrem. Hoc an vbique adſequutus ſim, lectorum erit, iudicare; conſtitutum id mihi fuiſſe, certo adſeuerare poſſum.

Ad ipſam pertractationem quod attinet, id mihi cumprimis datum credidi, vt ipſos fontes conſulerem, & ex iis cuncta depromerem. Sacrum itaque codicem ſecundum textum originalem ſemper ſequutus ſum, adhibitis quandoque in conſilium interpretibus praeſtantiſſimis, chaldaeo cumprimis & graecis, quos a numero vulgo LXX vocant, itemque vulgato. Ex commentatoribus paucos, ſed praeſtantiſſimos tamen, euolui. FLAVII quoque IOSEPHI me ſubinde habuiſſe rationem, ſed ita, vt errores atque figmenta paſſim caſtigarem, ſingulae fere quemlibet docebunt paginae. Sed in reliquis quoque auctores antiquos ipſos me conſuluiſſe, res ipſa facile demonſtrabit. Subinde tamen & recentiores, non oſtentationis cauſſa, ſed quod res ipſa poſtulare videretur, laudaui, ſiue obſeruationem quamdam ſingularem mihi ſuppeditauerint, ſiue etiam aliquid

Digitized by Google

quid attulerint, quod refutatione dignum crediderim, ſiue denique argumentum aliquod, quod paucis delibandum fuit, copioſius pertractauerint. Etſi enim illos non laudem, qui ex recentioribus ſaltem ſapiunt, aut ſine neceſſitate nomina auctorum ad oſtentationem mere puerilem cumulant; non tamen illorum probare ſupercilium poſſum, quibus recentiores ſcriptores ita ſordent, vt neſcio quam labem illorum nominibus ſcriptis ſuis adſpergi, inepte prorſus ſibi perſuadeant.

Saepius animaduerti, plurimis mortalium, etiam viris quandoque praeſtantiſſimis, contingere, vt de rebus antiquiſſimis ſecundum ſui temporis conditionem notiones animo forment. Quo ipſo non tantum in errores grauiſſimos prolabuntur, ſed figmentis quamplurimis, ſaepius ineptiſſimis, campum latiſſimum aperiunt. Exemplis quamplurimis hoc docere poſſem, niſi in ipſo opere ea occurrerent, adeoque hoc ſuperuacaneum exiſtimarem. Non tantum veterum quorumdam, vt IOSEPHI aliorumque ex eadem gente, ſed recentiorum quoque hic naeuus eſt, quorum ſcripta hiſtorica commentis plurimis, ex hoc maxime fonte deriuandis, abundant. Hunc vero vt euitarem ſcopulum, omnem nauaui operam. Quare & ordinem non coactum nimis, ſed rebus ipſis conuenientem ſequutus ſum, id plane perſpectum habens, non res ordini aut methodo adcommodandas eſſe, ſed methodum rebus. Qui enim, vt vel vnico exemplo hoc declarem ſecundum rationem hiſtoriae eccleſiaſticae noui teſtamenti, etiam in veteri, haereticos, concilia ſeu ſynodos, ſymbola, & ſimilia ſe inuenire putat, in errorem antea notatum incidit, vt res veteris


ris teſtamenti ad conceptus rerum recentiorum adcommodando, ſi non figmenta lectoribus propinet, ſaltem occaſionem, erroneos de rebus plurimis conceptus ſibi formandi, iis ſuppeditet.

Monere hic iterum iuuabit, etſi ex hactenus dictis fere hoc intelligatur, conſtitutum mihi ſolum eſſe, hiſtoriam eccleſiaſticam veteris teſtamenti ſcribere. Ad noui teſtamenti hiſtoriam eccleſiaſticam progredi animus non eſt, idque tum ob alias cauſſas, tum maxime, quod noui teſtamenti hiſtoria eccleſiaſtica longe pluribus, & maiori quoque ſtudio pertractata ſit, quam veteris; etſi non diffitear, eam quoque in plurimis adhuc perfici poſſe. Monendum autem hoc ideo fuit, ne quis, ſolam hiſtoriam eccleſiaſticam veteris teſtamenti videns, opus forte abruptum, aut ad finem non perductum exiſtimet. Perfectum enim prorſus cenſeri debet, cum hancce laboris mei metam mihimet ipſe conſtituerim. Atque haec ſunt, quae monere viſum fuit. Scribebam Ienae, die XIV. Februarii M DCC XV.

Digitized by Google

HISTORIAE ECCLESIASTICAE
VETERIS TESTAMENTI
PERIODVS PRIMA
AB ADAMO VSQVE AD MOSEN.

Digitized by Google



Q. D. B. V.

PROLEGOMENA

IN

HISTORIAM ECCLESIASTICAM
VETERIS TESTAMENTI.

Σύνοψις.

Vtrumque Dei regnum, tum naturae, tum gratiae, diligenti conſideratione dignum eſt; §. I.

Circa regnum naturae quae verſatur hiſtoria, ciuilis dicitur, circa regnum gratiae, eccleſiaſtica; §. II.

Eccleſiaſtica hiſtoria cum omnes federis gratiae oeconomias complectatur, nunc tamen ea, quae veteris teſtamenti eſt, tantum in cenſum venit; §. III.

Summa eorum, quae in ea traduntur; §. IV.

Neceſſitas atque vtilitas eius hinc colligitur, quae & aliis rationibus confirmatur; §. V.

De fine, qui omnibus in eius tractatione conſtitutus eſſe debet; §. VI.

Ordinis cauſſa, in certas periodos hiſtoria eccleſiaſtica veteris teſtamnnti, recte diſpeſcitur; §. VII.

Inter fontes primum locum ſcriptura ſacra veteris teſtamenti tenet, de cuius veritate non eſt dubitandum; §. VIII.

Eam excipit Flauius Ioſephus, cuius non prorſus reiicienda fides eſt; §. IX.

Quo loco habenda, quae ſub Hegeſippi, itemque Ioſephi Gorionidis nomine, exſtant; §. X.

De aliis quibusdam Iudaeis, qui hiſtoriam ſuae gentis, aut chronica, edide-

runt,

runt, itemque de ſcriptoribus nonnullis arabicis; §. XI.

Graeci latinique ſcriptores veteres, qui de rebus Iudaeorum ſcripſerunt, aut eas attigerunt, quid huc conferant? §. XII.

itemque, qui gentium, quibuscum olim Iudaeis varia negotia interceſſerunt, hiſtoriam condiderunt; §. XIII.

Cumprimis huc ſpectare, qui ex veteribus hiſtoriam eccleſiaſticam veteris teſtamenti ſcripſerunt, quorſum praeter quosdam chronographos, Sulpitius Seuerus referendus; §. XIV.

De medii aeui ſcriptoribus graecis & latinis, qui chronica ſua a mundi origine exorſi ſunt; §. XV.

Ex recentioribus huc ſpectare, qui libros ſacros veteris teſtamenti commentariis illuſtrarunt, aut ſacros annales condiderunt; §. XVI.

item, qui hiſtoriam eccleſiaſticam veteris teſtamenti ex inſtituto, aut amplioribus voluminibus, aut compendiis, complexi ſunt; §. XVII.

Faciunt huc quoque, qui de ritibus, & antiquitatibus, itemque republica Ebraeorum commentati ſunt, non minus, ac qui veri falſique cultus, dogmatumque verorum ac falſorum, hiſtoriam ſcripſerunt; §. XVIII.

item, qui virorum illuſtrium in veteri teſtamento vitas deſcripſerunt; §. XIX.

Inter adminicula hiſtoriae eccleſiaſticae veteris teſtamenti referenda chronologia, & geographia. Vtramque viri docti variis ſcriptis illuſtrarunt; §. XX.

Huc & compendia hiſtoriae ciuilis ſpectant; §. XXI.

Sed illi quoque, qui hiſtoriam litterariam, aut philoſophicam, commentationibus ſuis illuſtrarunt; §. XXII.

§. I.

CVm duplici ratione, in regno videlicet naturae, & in regno gratiae, Deus & potentiam, & ſapientiam, & benignitatem ſuam manifeſtet, vtriusque regni originem, indolem, fata, cognita atque perſpecta habere, omnium mortalium, maxime illorum, qui ad diuinam ſapientiam animum erudire cupiunt, plurimum refert.

§. II.

Vt vero, quae in regno naturae, * imperiorumque & rerum publicarum conuerſionibus, reuolutionibusque, obſeruatu digna occurrunt, *hiſtoria ciuilis* exponit; ita, quae Deus in regno gratiae ad hominum ſalutem a prima mundi origine ad noſtra vsque tempora geſſit, ediſſerere ac explicare, *hiſtoriae eccleſiaſticae* eſt proprium.

* Conſideramus nunc regnum Dei, prout inter homines in rerum humanarum directione conſpicitur, & id quidem, prout generatim ſecundum diuinae

diuinae prouidentiae omnia gubernantis rationes ſpectatur, *regnum naturae* vocamus. Tradi ceteroquin & aliae hiſtoriae partitiones paſſim ſolent, quae tamen huius loci non ſunt.

§. III.

Non vna autem ratione Deus regnum illud gratiae pro ſua ſapientia adminiſtrari voluit. Ne quid enim de ſtatu hominum ante lapſum, federeque operum, quod in eo locum habuit, dicam, federis gratiae ſub patriarchis ante legem a Moſe latam aliam, aliam poſt legem a Moſe latam ad Chriſti vsque aduentum, & ab hoc tempore iterum aliam fuiſſe oeconomiam, conſtat. Soletque illud tempus, quod priores duas oeconomias complectitur, non excluſis iis, quae de ſtatu hominum ante lapſum nobis innotuerunt, interdum generatim *veteris teſtamenti* nomine venire, cum hiſtoria eius eccleſiaſtica exponitur. Et haec quidem eſt, quam nunc tradere eſt animus.

§. IV.

Conſpicere itaque in hacce eccleſiaſticae hiſtoriae parte licet primas rerum omnium, ipſius maxime eccleſiae, origines, huiusque per prima federis gratiae interualla, fata, ſtatumque internum & externum, viciſſitudines, dum mox preſſa & obſcurata, mox reſtituta iterum caput ſuſtulit, conſeruationem inter tot calamitates mirabilem, inſultus hoſtium initio formidandos, tandem irritos, ſapientiamque Numinis ſemper ſibi conſtantem, qua ſub cruce eccleſiam ab ipſo orbis initio efflorescere quam maxime voluit.

§. V.

Et hinc ſumma hiſtoriae eccleſiaſticae veteris teſtamenti neceſſitas, vtilitas, iucunditas intelligitur; quae inde etiam adparet, quod ipſi ſcripturae ſacrae lux ampliſſima per eam adfundatur, deque populorum antiquiſſimorum origine, fatis, ſtudiis, ratione colendi Deum, ſimulque de idololatriae ortu, indole, progreſſu, generibus, aliisque memorabilibus, erudiamur, quae cognoſcere atque perſpecta habere, neminem poenitere poteſt.

§. VI.

In hisce euoluendis, atque perſcrutandis, ita verſandum, vt vtilitatis potius, quam delectationis, habeamus rationem, nec tam, quae curioſa ſint, conſectemur, aut iis vltra, quam par eſt, inhaereamus, ſed potius ea proſequamur, quae proſunt, quaeue ad naturam & indolem regni diuini intimius & adcuratius pernoſcendam, hinc vero & ad veram ſapientiam ac prudentiam, in rebus ad noſtram

 alio-

Digitized by Google

aliorumque hominum ſalutem ſpectantibus, comparandam, conducunt. Diſcernenda itaque & hic neceſſaria a non neceſſariis, & his tantum tribuendum, vt finis praecipui atque primarii vbique habeatur ratio.

§. VII.

Iuuabit etiam, vt cuncta ordine pertractentur, hancce eccleſiaſticae hiſtoriae partem in certas periodos diſpeſcere. Cumque varia hoc fieri ratione queat,* cuique etiam fas fuerit, partitionem, quae prae reliquis placuerit, ſequi, haud contemnendum tamen illorum inſtitutum, qui, oeconomiae federis gratiae rationem habentes, veteris teſtamenti hiſtoriam eccleſiaſticam in duo interualla maiora diſpeſcunt, quorum prius a mundi & eccleſiae origine ad Moſen, poſterius a Moſe ad Chriſtum progreditur. Vtriusque autem, periodi minores, iuxta praecipuas, quas eccleſia ſubiit, mutationes, conſtitui poſſunt.

* Sunt, qui hiſtoriam eccleſiaſticam veteris teſtamenti in duas periodos diſpeſcunt; ſunt vero etiam, qui tres, ſex, ſeptem, immo octo, nouem & decem, conſtituunt. Nonnulli, qui ex IO. COCCEII ſchola prodierunt, eccleſiae militantis tres aetates ſeu periodos principes conſtituunt; primam, promiſſionis, ab Adamo vsque ad Moſen; alteram, veteris teſtamenti, a Moſe vsque ad mortem Ieſu Chriſti; tertiam denique, noui teſtamenti, a morte Chriſti vsque ad finem mundi. In qualibet aetate iterum ſeptem alias periodos, ſeu articulos obſeruant, magna non tantum in numero ſeptenario myſteria quaerentes, ſed iſtas periodos ita inter ſe comparantes, vt, quae in prioribus occurrunt, velut typum ac imaginem eorum, quae in poſterioribus, praeſertim vltima euenerunt, aut euentura ſint, exhibeant. conf. NICOLAVS GVRTLERVS, in *theol. prophet. p. 50. 88. & 417.* item HENRICVS HVLSIVS, in *figuris temporum, ſeu ſchemate triplici prophetiae hiſtoricae*, eiusdem libro de *vallibus prophetarum ſacris*, adiecto. Verum, ſi ordinis cauſſa, tempora eccleſiae ita diſponerentur, vnicuique ſua merito relinqueretur ſententia. Quod autem iſta interualla diuinitus ita conſtituta, ad res ſublimes ſignificandas autumant, id eiusmodi eſt, vt dubitem, an temere cuiquam perſuaderi queat. Septenarius numerus ceteroquin myſterio in ſcriptura ſacra non caret. Sed quod ſeptem cuiusque aetatis periodi in ea ita fundatae ſint, vt nec plures, nec pauciores conſtituere liceat, id fruſtra ſupponitur. Nec fundamento certo innituntur, quae de vnius periodi ad alteram relatione dicunt. Ex qualicumque enim euentuum, quae diuerſo tempore contigerunt, conuenientia aut analogia, nondum colligere licet, vnum alterius fuiſſe typum. CAMPEGIVS VITRINGA, vir clariſſimus, tempora ita diſtribuit,

buit, vt ſeptem totius veteris teſtamenti conſtituat periodos; primam, mundi conditi, vsque ad diluuium; ſecundam, mundi diluuio perditi, vsque ad vocatum Abrahamum; tertiam, Abrahami a Deo vocati ex Vre Chaldaeorum ad occupandam Palaeſtinam, vsque ad exodum Iſraëlitarum ex Aegypto; quartam, ab Iſraëlitarum ex Aegypto exodo, vsque ad iacta fundamenta templi Salomonici; quintam, a templo illo exſtructo, vsque ad eius per Babylonios deſtructionem; ſextam, inde vsque ad principatum Haſſamonaeorum; ſeptimam denique a principatu Haſſamonaeorum, vsque ad natum Chriſtum; in *hypotypoſi hiſtoriae & chronologiae ſacrae, p. 9. 10.* Sequitur hacce in partitione, vt ipſemet profitetur, TORNIELLVM, PETAVIVM, VSSERIVM, ſed ita, vt, cum illi totum hocce tempus ad ſex periodos illuſtriores reuocauerint, ipſe ſextam, quam a captiuitate Babylonica ad Chriſtum ducunt, in duas diſtinxerit. Alibi tamen vir ille doctus in temporum rationibus diſponendis, propius ad hypotheſin Cocceianam accedit; in *typo* ſcilicet *doctrinae propheticae, cap. II. p. 65.* item *cap. VII. p. 165. ſeqq.* Mihi optimo fundamento niti videntur, qui militantis eccleſiae tres periodos illuſtriores ſtatuunt, pro triplici federis gratiae oeconomia, quarum duae priores ad teſtamentum vetus, ſumta voce in latiori ſignificatione, vltima ad nouum pertinet. Inſignem enim admodum mutationem hiſce temporibus eccleſiam ſubiiſſe, res ipſa docet. Quae vero in hiſce periodis contigerunt, iuxta euentus maxime memorabiles diſponere in certum ordinem, conuenientiſſimum fuerit. Quod qua ratione a nobis factum ſit, ipſa noſtra oſtendet tractatio.

§. VIII.

Inter fontes, ex quibus hiſtoria eccleſiaſtica veteris teſtamenti haurienda, primum praecipuumque locum tenet ſcriptura ſacra veteris teſtamenti, inque ea libri canonici, maxime hiſtorici, ſed apocryphi quoque, qui hiſtorica continent. De veritate autem narrationis in libris canonicis eo minus dubitandum, quod a diuino ſpiritu eos inſpiratos eſſe conſtat. Quanquam aliis quoque argumentis comprobari poſſit, longe certiora & adcuratiora eſſe, quae ſcriptura ſacra de rebus hiſtoricis tradit, quam quae profani ſcriptores in ſuis monumentis conſignata reliquerunt. *

* In ſcriptura ſacra, ſpeciatim libris canonicis, quidquam etiam in rebus hiſtoricis, occurrere, quod veritati non ſit conſentaneum, nullo hactenus exemplo comprobari potuit. Fidem itaque ſummam, & quae nullam dubitationem admittat, promerentur, quae in ea narrantur. Idque cum aliunde ſatis conſtet, tum ex ipſa ſcripturae cum hiſtoricis profanis collatione, luculen-

Digitized by Google

culenter demonſtrari poteſt. Aut enim, quae profani ſcriptores tradunt, cum ſcriptura ſacra conſentiunt, aut non conſentiunt. Si conſentiunt, mirifice inde hiſtoriae ſacrae veritas confirmatur, id quod luculenter oſtendit PETRVS DANIEL HVETIVS, in *demonſtratione* ſua *euangelica*. Si non conſentiunt, profanae hiſtoriae tam incerta eſt, tamque lubrica fides, tanta auctorum, qui eam litteris conſignarunt, a ſe inuicem diſcrepantia, vt ineptus plane ſit ac ratione deſtitutus, qui eam hiſtoriae ſacrae praeferre velit. Nemo hac de re dubitabit, qui legerit ac expenderit *origines ſacras* EDVARDI STILLINGFLEETI, praeſertim, quae *cap. II. & ſeqq.* de incerta fide hiſtoriarum apud ethnicos antiquiſſimarum, erudite diſputat. Miranda itaque eſt temeritas, an impietas, IO. TOLANDI, qui aut STRABONEM, aut alium quemcunque ſcriptorem ethnicum praeferre Moſi non dubitat, *in originibus iudaicis*, eius *adeiſidaemoni* additis, qua de re in ipſa tractatione erit dicendi locus.

§. IX.

Poſt ſcripturam ſacram commemorandus nobis merito eſt FL. IOSEPHVS, Matathiae ſacerdotis filius, gente & religione Iudaeus, qui ſeculo poſt Chriſtum natum primo vixit, ſcriptisque & eruditione ſua magnam exiſtimationem conſequutus eſt. Is vero ſuae gentis a prima origine, ad ſua vsque fere tempora, pertexendo hiſtoriam, & ſubinde quae ſuccincte in ſcriptura ſacra dicta erant, amplificando & illuſtrando, non potuit non praecipua, de quibus in hiſtoria eccleſiaſtica agitur, capita attingere. * Qua in re licet non ſemper tanta, qua decebat, fide & induſtria, iudicioque exacto verſatus ſit, non tamen prorſus eius ſpernenda eſt auctoritas.

* Praeter libros ſeptem enim de *bello iudaico*, reliquit *ἀρχαιολογίας*, hoc eſt, *antiquitatum*, vel, vt alii loqui amant, *originum iudaicarum*, libros viginti, in quibus iudaicae gentis hiſtoriam ita perſequitur, vt ab ipſa mundi creatione exorſus, ad duodecimum vsque Neronis annum progrediatur. De fide autem ac integritate eius, non vna eademque virorum doctorum eſt ſententia. Ne quid enim de Iudaeis dicam, qui varias ob cauſſas in eum longe ſunt iniquiſſimi, quod ſcilicet nonnulla ſcripſerit, quae ab homine iudaeo ſcripta nollent, fuerunt etiam inter chriſtianos, qui parum honorifice de eo ſentirent. CAESAR BARONIVS nullam in *annalibus* ſuis *eccleſiaſticis* occaſionem reprehendendi Ioſephum praetermittit, quod & in annalibus veteris teſtamenti facit IACOBVS SALIANVS. Nec mitior in eum eſt LEO ALLATIVS, quippe qui, cum IOSEPHI SCALIGERI elogium, quo Ioſephum ornat, quodue deinceps adferemus, ſpeciatim verba haecce: *audacter dicimus, non ſo-*

ſolum in rebus iudaicis, ſed etiam in externis, tutius illi credi, quam omnibus Graecis & Latinis, recenſuiſſet, veriſſime quidem id a SCALIGERO dictum, iudicat, ſed eo tantum reſpectu, prout id *audacter* ſe dicere pronuntiet, cum extremae audaciae ſit, hominem denſiſſimis errorum tenebris inuolutum, omnibus graecis & latinis ſcriptoribus anteferre, *not. ad Euſtath. p. 11.* Id quod & THOMAE ITTIGIO, *loco deinceps citando*, obſeruatum. 10. HARDVINI proluſionem de *nummis Herodiadum* eo vnice ſpectare, vt Ioſephi fidem eleuaret, docet vir clariſſimus LA CROZE, in *defenſione veterum ſcriptorum contra Io. Harduinum, pag. 35.* Immo eo vsque audaciae progreſſus eſt, vt Ioſephi opera, quae hodie exſtant, plane ſuppoſititia, & a neſcio quibus impoſtoribus ſaeculo decimo tertio conficta, contenderet. Addi his & alii poſſent, qui paſſim acerbe ſatis eum perſtrinxerunt. *Quidam enim*, inquit doctiſſimus Ioſephi vindex, CAROLVS DAVBVZ, *in Ioſepho culpant ſummam & intolerabilem mentiendi libidinem, quidam negligentiam, alii fraudem & adulationem, nec minima eſt eorum querela, qui acriter in eum inſurgunt, quod antiqua Moſis & aliorum miracula eleuare videatur*; in *libris duobus pro teſtimonio Fl. Ioſephi de Chriſto, p. 68.* Et negari vtique nequit, quaedam a Ioſepho perperam dicta occurrere, quorum praecipua in vnum collecta exhibet THOMAS ITTIGIVS, in *prolegomenis* eruditiſſimis, editioni operum Ioſephi, quae anno M DC XCI Lipſiae prodiit, praemiſſis; & poſt ITTIGIVM, PETRVS BRINCH, in *examine chronologiae & hiſtoriae Flau. Ioſephi*, quod Hafniae anno M DCC I lucem adſpexit. Et BRINCHIVS quidem in prima examinis ſui parte, quantopere chronologia Ioſephi a chronologia ſcripturae ſacrae diſcrepet, oſtendit, idque eo potiſſimum conſilio, vt palam faciat, ISAACVM VOSSIVM emendatiorem temporum veteris teſtamenti computationem, & veram aetatem mundi, fruſtra ſibi, aliisue, a Ioſepho promiſiſſe. In altera autem parte errores Ioſephi reliquos ſummatim complectitur; quae ſcilicet de hominum primorum conditione, lapſu, ſacrificiis Caini & Abelis, nec non de filiis Dei, *Gen. VI. 2. 4.* perperam dixit. Notat porro quaedam de Nimrodo, de Thara, Abrahamo, Moſi non memorata, nec non de Canaane aliquid minus verum: itemque de cauſſa profectionis Abrahami in Aegyptum, deque mora eius & doctrina ibidem; de Agare, Sarae ancilla, de Sichemitis a Simeone & Leui occiſis, de nomine filii poſterioris Rachelis, de officio Potipharis & eius vxore. Pari ratione non pauca notat Ioſepho de Moſe memorata, quae nec a Moſe tradita ſunt, nec iis, quae Moſes de ſe ſcribit, conſentanea. Hinc tepidum eius de miraculis quibusdam diuinis iudicium, nugas quoque de aquis amaris, & de manna, ſilentium de Ebraeorum idololatria in deſerto, in recenſu praeceptorum Dei errorem & ſuperſtitionem, profanum de tabernaculo ſacro,

Digitized by Google

& rebus eo pertinentibus, iudicium, ambitioſam φιλαυτίαν Moſi adſcriptam, vocabulorum quorumdam ebraicorum ineptam interpretationem, mendacium in honorem idolorum & Romanorum gratiam, aliquid Sauli & Dauidi perperam adſcriptum, perſtringit. Nec dimittit adſertionem, parum firmam, de nomine Pharaonis apud Aegyptios, dubitationem, quam vocat impiam, de miraculo Ionae, fabuloſa quaedam de rege Vſia, erratumque chronologicum in referenda Danielis hiſtoria, & quae reliqua ſunt eiusdem generis. Similia obſeruauit ANTONIVS VAN DALE, in *diſſert. ſuper Ariſtea de ſeptuaginta interpretibus, cap. X. & XI. p. 88. ſeqq.*

Sunt tamen quaedam inter haec, quae, ni fallor, aut excuſare, aut in mitiorem interpretari licet partem. Vnde, & his non obſtantibus, fuere viri doctiſſimi, qui praeſtantiſſimis fideque digniſſimis hiſtoricis eum adnumerandum cenſuerunt. Hos inter primum principemque facile locum tenet IOSEPHVS SCALIGER, in *prolegom. in libros de emendat. temp.* qui Ioſephum diligentiſſimum & φιλαληθέστατον omnium ſcriptorum vocat, *de quo nos*, inquit porro, *haec audacter dicimus, non ſolum in rebus iudaicis, ſed etiam in externis, tutius illi credi, quam omnibus Graecis & Latinis.* Quod SCALIGERI iudicium, etſi tum aliis, tum maxime LEONI ALLATIO diſpliceat, probatum tamen fuit ab aliis. Certe haud obſcure in eo adquieſcit GERHARDVS IOANNES VOSSIVS, de *hiſtoricis graecis, lib. II. cap. VIII. p. m. 116.* ISAACVS quoque CASAVBONVS, dum eum contra BARONIVM defendit, *hiſtoricum nobiliſſimum* vocat, *quidquid ingrati Ioſephomaſtiges muginentur*, & ita de eo pronuntiat: *Si omnes Ioſephi errores, hallucinationes & ablepſiae, (de iis non loquor, in quibus diſcedit Ioſephus a bibliis, in quo excuſari non poteſt) in vnam ſummam contrahantur, vix centeſima pars ea fuerit culparum ab vno Euſebio admiſſarum, ſiue in chronico, ſiue in aliis ſcriptis. Cur igitur tanta cura & tanta cum iniquitate Ioſepho inſultabimus? cuius libros niſi prouidentia Dei ſingularis ad noſtra ſeruaſſet tempora, in quantis rerum iudaicarum tenebris hodie verſaremur? quot fabulas, quot mendacia iubar hiſtoriae Ioſephi diſcutit?* Interim aliquando errare Ioſephum, non diffitetur CASAVBONVS. *At errat*, inquit, *Ioſephus interdum manifeſto. Sane: homo enim erat. Potuitne Baronius obliuiſci, omnes homines errare, omnes venia opus habere?* in *exercitationibus contra Baronium, exercit. XII. p. 207.* Longe modeſtius quoque de Ioſepho cenſet ANTONIVS PAGI, quam BARONIVS, immo contra eum defendit, &, in iis, quae narrat, magnam fidem & eruditionem eluceſcere, pronuntiat; in *critica anti-Baroniana*, in *adparatu, n. CXXXIV. & CXXXV.* item ad *annum Chriſti XIV. n. III.* PETRO CVNAEO Ioſephus *auctor omni laude dignus* audit, & cui poſt ſacrorum voluminum ſcriptores prima eſſe

eſſe debet fides: non tamen diffitetur, eum haud vbique a deliramentis popularium ſuorum abhorrere; de *republ. Ebraeor. lib. III. cap. I.* Recte denique THOMAS ITTIGIVS, cum dixiſſet, nos periocha, in qua teſtimonium de Chriſto continetur, carere poſſe, addit: *At Ioſepho non aeque carere poſſumus. Nam non ſolum libros veteris teſtamenti hiſtoricos egregie illuſtrat, ſed etiam hiſtoriam eccleſiaſticam veteris teſtamenti, quae in ſacro codice integra non exſtat, continuat, quo nomine quantum Ioſepho debeamus, res ipſa clamat, cum e ſolo pene Ioſepho hiſtoriam eccleſiaſticam veteris teſtamenti, quoad vltimas eius periodos, haurire liceat;* in *prolegomenis* Ioſepho praemiſſis. Iungendus hiſce CAROLVS DAVBVZ, in opere ſupra iam citato, praeſertim *p. 68.* itemque IO. ALBERTVS FABRICIVS, *bibliothec. graec. lib. IV. cap. VI. §. IV. p. 234. ſeqq.*

Et horum quidem auctorum ſententiae haud difficulter ſubſcribo, ob quaedam ſcilicet errata, non ſtatim reliquis ab eo memoratis, fidem denegandam eſſe. Videor etiam mihi cauſſam deprehendiſſe, quae effecerit, vt Ioſephus aliquando data opera a veritate deflexiſſe videatur; ſtudium ſcilicet nimium, hiſtoriam ita concinnandi, ne ipſi ethnici in ea veritatem requirere, aut iure aliquid in dubium vocare poſſent. Quod licet per ſe vituperandum non ſit, eo tamen quandoque ſe abripi paſſus eſt, vt vltra, quam decebat, gentilium captui a ſe dicta attemperaret. Et hinc omnino factum puto, vt interdum miracula quaedam extenuauerit, vel ea ratione narrauerit, vt haud difficulter admitti ab ethnicis poſſent. Et illud ipſum ſtudium, ex gloriae forte cupiditate profectum, veracitatis & integritatis laudem apud ethnicos etiam captandi, me inducit, vt eo minus dubitem, teſtimonium illud de Chriſto, de quo tantopere inter viros doctos diſceptatum fuit, Ioſephum omnino auctorem agnoſcere. Qua de re ſuo loco ex inſtituto. Acceſſit & aliud quid in Ioſepho, etſi cum aliis ei commune, neſcio tamen, an vmquam vlli obſeruatum, quod errores varios committendi occaſionem ei praebuit. Solemne namque admodum eſt hiſtoricis, vt de rebus antiquiſſimis, & a ſua aetate multum remotis, ſcribentes, notiones ſecundum ſui aeui ſtatum animo de iis concipiant, adeoque multa de illis inſcii velut & inuiti referant, quae & erronea ſunt, &, ſi rem recte aeſtimes, abſona. Id Ioſepho quoque contigiſſe, nullum mihi videtur dubium. Vel vnico hoc declarare liceat exemplo. Litterarum atque ſapientiae ſtudia aliam tempore Ioſephi, praeſertim inter Graecos, quorum diſciplinam ſequebatur, habuiſſe faciem, quam olim tempore Abrahami, Iſaaci, Iacobi atque Ioſephi, praeſertim inter gentes orientales, nemo temere dubitauerit. Ioſephus tamen, itemque PHILO, in libris de *vita Moſis*, alibique, & alii, de ſapientia atque ſtudiis horum patriarcharum ſubinde ita loquuntur, vt eam,

Digitized by Google

quae graecanicarum diſciplinarum numero circuloque abſoluebatur, eruditionem illis tribuant. Hinc vero & alii, praeſertim ex recentioribus, in errorem inducti ſunt, earum diſciplinarum, quae apud Graecos in vſu fuerunt, & a Graecis ad nos transmiſſae, aut originem aut exemplum apud patriarchas illos ſe inueniſſe, exiſtimantes. Quae tamen maximam ſaepius partem, ſi non falſa, ſaltem dubia ſunt atque incerta. Exempla huius rei apud PETRVM LAMBECIVM, in *prodromo hiſtoriae litterariae*, aliosque, occurrunt. Caute itaque tum Ioſephus, tum alii, de rebus ſua aetate longe vetuſtioribus, legendi ſunt. De variis Ioſephi editionibus, itemque verſionibus, ex inſtituto agit THOMAS ITTIGIVS, in *prolegomenis* iam laudatis, quae editioni Lipſienſi anno M DC XCI praemiſit; itemque IO. ALBERTVS FABRICIVS, *l. c. p. 242. ſeqq.* Poſt Lipſienſem lucem tandem adſpexit pars operum Ioſephi, ex editione Oxonienſi, tamdiu ab orbe erudito exſpectata. In ea quid contineatur, titulus docet: *Fl. Ioſephi antiquitatum iudaicarum libri quatuor priores, & pars magna quinti, graece & latine, cum exemplaribus manuſcriptis collati, & illuſtrati notis ampliſſimis D. Eduardi Bernhardi, S. T. P. item, hiſtoriarum de bello iudaico liber primus, & pars ſecundi, graece & latine, ad codices manuſcriptos itidem recogniti & emendati*, Oxoniae M DCC fol. Fuerunt etiam, qui ſupplere, quae in Ioſepho, qua integram hiſtoriae ſeriem, deſunt, aut eum etiam continuare adgreſſi ſunt, quod cumprimis BASNAGIVS praeſtitit, dans *l' hiſtoire & la religion des Iuifs, depuis Ieſus-Chriſt iusqu' a praeſent, pour ſervir de ſupplement & de continuation a l' hiſtoire de Ioſeph*, Roterodami M DCC VII. De quo tamen opere non praeclare admodum ſentit DN. LA CROZE, dans ſes *Entretiens ſur divers ſujets d' hiſtoire, de litterature, de religion, & de critique, pag. 131. ſeqq.*

§. X.

Quae ſub HEGESIPPI nomine exſtant, in quibus Iudaeorum hiſtoria a tempore Maccabaeorum vsque ad euerſam vrbem Hieroſolymam enarratur, ex IOSEPHO maximam partem depromta ſunt, immo a quibusdam pro laxiori IOSEPHI verſione habentur. * Sed ex eodem quoque auctore corraſa ſunt, quae IOSEPHI GORIONIDIS nomen praeferunt, ** adeoque ipſi FL. IOSEPHO perperam tribuuntur.

* Auctor ille, quisquis ſit, hiſtoriam Iudaeorum a tempore Maccabaeorum vsque ad Chriſti natalem & Herodis mortem, libro primo; inde vsque ad Veſpaſiani expeditionem in Iudaeam, annumque adeo Chriſti LXIX, libro ſecudo;n

cundo; reliquis vero, tertio ſcilicet, quarto, & quinto, vsque ad Iudaeam & Hieroſolymam penitus euerſam, exhibet. Vixit equidem HEGESIPPVS aliquis, ex Iudaeo chriſtianus, ſaeculo poſt Chriſtum natum ſecundo, circa annum CLXX, IVSTINO martyri & ATHENAGORAE aequalis, cuius frequens mentio apud EVSEBIVM atque HIERONYMVM. Nec defuerunt, qui, eum libri huius auctorem eſſe, contenderent. Qua in ſententia praeter alios verſatur CASPAR BARTHIVS, *aduerſar. lib. XLVI. cap. IV.* quamuis non ſatis ſibi conſtet, vt patet ex iis, quae alibi hac de re differit, *aduerſar.* ſcilicet *lib. XXXIV. cap. XI.* GERHARDVS IOANNES VOSSIVS, dum BARTHIVM refellit, in alterum fere extremum prolabitur, & auctorem huius operis inter infimae vetuſtatis ſcriptores refert, de *hiſtor. graec. lib. II. c. XIV. & de latinis, lib. III. p. 707.* Media via incedunt alii, & auctorem ſub Theodoſio vixiſſe autumant, quiue adeo perperam pro HEGESIPPO illo habeatur, quem ſaeculo ſecundo vixiſſe diximus. vid. IACOBVS GRONOVIVS, *obſeruat. in ſcriptor. eccleſ. cap. I. & XXI.* Immo ipſum AMBROSIVM non tam auctorem, quam interpretem, fuiſſe, nonnullis admodum veroſimile videtur, qui, quae ſub HEGESIPPI nomine leguntur, ex Ioſepho in linguam latinam ita transtulerit, vt nonnulla paſſim de ſuo admiſcuerit. Idque ſtili puritatem, easdem phraſes, ab AMBROSIO & operis huius auctore adhibitas, argutias quoque, quae vtrique in deliciis ſint, arguere. Ita GVIL. CAVE, in *hiſtor. litterar. ſcriptor. eccleſiaſticor. p. 151.* Idque aliis adhuc rationibus, quae dubitandi locum non relinquunt, euincit THOMAS ITTIGIS, in *prolegom.* Ioſepho praemiſſis. Facile autem fieri potuit, vt ex *Ioſepho* fieret *Ioſeppus*, vel *Ioſippus*, vnde tandem *Egeſippi*, vel *Hegeſippi* nomen enatum. Nec contemnenda illorum ſententia, qui, auctorem data opera Hegeſippi nomen, ſiue ad auctoritatem antiquitatisque opinionem illi conciliandam, ſiue ob aliam quamcumque cauſſam, operi huic impoſuiſſe, exiſtimant. Diiudicare ex dictis licet, quae in laudem ſubpoſititii huius HEGESIPPI contra IO. BODINVM differit DEGOREVS WHEAR, in *relectionib. hyemalib. de ratione & methodo legendi hiſtor. ſect. XXXII. p. 121.*

** Ioſephum Gorionidem eumdem eſſe cum Fl. Ioſepho, virorum equidem quorumdam doctorum eſt ſententia. In ea multi quoque ex doctoribus ebraeis verſantur, ſaltem non deſunt, qui honorificam Ioſephi Gorionidis mentionem faciunt, quos inter eminent R. ABRAHAM LEVITES, BEN DAVID, R. SAL. IARCHI, R. ABEN EZRA, R. ABRAHAM CONAT, aliique, laudati SEBASTIANO MVNSTERO, in *praefatione*, latinae eius Gorionidis verſioni, quae Baſileae anno M D XLI prodiit, praemiſſa. Eodem pertinet, quod Gorionides in *Tzemach Dauid, ad annum D CCC XXIX. n. IV.* laudetur, vt vir ſapientiſſimus, prudentiſſimusque, immo vt vir iuſtus & rectus, qui, cum ſapien-

ſapientes Gemarae aliquot annis praeceſſerit, pro hiſtorico fide digno habendus ſit. Haec ſimiliaque elogia, qualia & apud R. ISAACVM ABARBANELEM, aliosque, occurrunt, non tantum demonſtrant, quanta Gorionidis apud Ebraeos ſit auctoritas, ſed haud obſcure etiam, ſi quibusdam credimus, innuere videntur, non alium per Gorionidem eos intelligere, quam Fl. noſtrum Ioſephum, idque eo magis, quod R. MENASSEH BEN ISRAEL, in epiſtola ad CHRISTOPHORVM ARNOLDVM, aperte profiteatur, nullam hac de re inter Iudaeos eſſe controuerſiam, ſed omnes vnanimi conſenſu credere, Flauium Ioſephum eſſe illorum, quae in Gorionide habentur, auctorem. Legenda hae de re epiſtola duodecima, quae CHRISTOPHORI ARNOLDI libro, cui titulus: *teſtimonium Flauianum de Ieſu Chriſto*, inſerta eſt. Dubium tamen hic inde ſuboriri poſſet, quod, cum Iudaei ceteroquin Flau. Ioſepho non multum tribuant, qui fieri poſſit, vt Gorionidem tot laudibus in coelum euehant, ſiquidem cenſeant, Gorionidem vnum eumdemque eſſe cum Fl. Ioſepho? Quidquid huius ſit, ex chriſtianis in hanc ſententiam ingreſſus eſt, eamque ſtrenue defendere ſuſcepit SEBASTIANVS MVNSTERVS, in *praefatione* antea laudata: cuius hac in re veſtigia preſſit vir doctiſſimus, deque re ebraica praeclare meritus, IO. FRIDERICVS BREITHAVPTVS, conſiliarius quondam Saxonicus, in *praefatione* erudita, quam Ioſepho Gorionidi, ebraice & latine anno MDCCVII a ſe edito, praemiſit. Nimirum ſupponunt illi, qui ita ſentiunt, Flauium Ioſephum ebraice non minus, quam graece, ſcripſiſſe, eo, quod ipſemet, in *prologo librorum de bello iudaico*, teſtetur, ſe, antequam graece ſcriberet, hiſtoriam belli iudaici lingua ebraea edidiſſe. Et id quidem de hiſtoria belli iudaici negari nequit; quod vero libros antiquitatum etiam primum ebraice exarauerit, quae quorumdam eſt ſententia, inde euinci non poteſt. Cumque nec alibi eius rei meminerit Ioſephus, & nulla idonea ratione hoc comprobari poſſit, merito hoc ab aliis reiicitur. Cum vero etiam ebraica illa librorum de bello iudaico editio iniuria temporum iam pridem interciderit, nullum inde pro Gorionide argumentum duci poteſt. Nec reliqua, quae pro eadem ſententia adferuntur, adeo magni momenti eſſe videntur. Hinc alii, iique eruditiſſimi viri, in longe aliam iuere ſententiam, Gorionidemque a Flauio Ioſepho diuerſum, & longe recentiorem eſſe, ſtatuerunt. Idque ideo, quod Fl. Ioſephus, vbi parentis ſui meminit, nusquam ſe Gorionis, ſed ſemper Matathiae filium vocitet, immo in *hiſtoria belli iudaici, lib. II. cap. XLII.* ſe a Ioſepho Gorionis filio aperte diſtinguat. Auctorem vero ebraicae iſtius hiſtoriae, qui ſe Gorionidem adpellitat, & a Flauio, & antiquo illo Ioſepho Gorionide diſtinctum eſſe, vel inde conſtare videtur, quod multa gentium, vrbium, fluminum, nomina vſurpat, quae aliquot poſt Flauium Ioſephum ſaeculis demum orta ſunt.

Acce-

Accedit, quod fabulae longe ineptiſſimae in recentiori hocce Gorionide occurrant, quae indignae ſunt grauitate Flauii Ioſephi. Hisce, aliisque argumentis, Gorionidem iſtum recentiorem perperam pro Flauio Ioſepho venditari, euincunt IOSEPHVS SCALIGER, in *elencho tribaereſ. contra Nicolaum Serarium, cap. IV.* IO. DRVSIVS, *lib. I. de tribus ſectis Iudaeorum, cap. VIII.* GERHARDVS IOANNES VOSSIVS, de *hiſtoricis graecis, lib. II. cap. VIII.* aliique, ipſi laudati IO. FRID. BREITHAVPTO, in antea citata *praefatione.* ISAACO CASAVBONO Gorionides iſte *impoſtor inſignis* audit, *qui opus ſuum concinnauerit, vt vellet videri, a vero Ioſepho illud fuiſſe ſcriptum; exercit. XVI. contra Baron. ad ann. XXXIV. n. CCXXI.* IOSEPHVS SCALIGER *l. c.* exiſtimat, Gorionidem hunc opus ſuum ex verſione Ioſephi latina, quam RVFINVS concinnauit, hauſiſſe, quod Antiochum non graece εὐσεβῆ, ſed latine *pium* nominet, & pro Μαριάμ *Mariamne* dicat, cuiusmodi & alia paſſim occurrunt. Haec tamen omnia, vt & reliqua, quae adferri ſolent, nondum inducere Gorionidis defenſores potuerunt, vt ſententiam mutarent. Nec deſunt illis, quae ad obiecta reſpondeant. Flauium ſcilicet Ioſephum, cum eſſet ex gente Hasmonaeorum, in gratiam exterarum gentium graece ſcribentem, ſe vocaſſe filium Matathiae, cuius nomen apud illas fuerit celebre: ſed ebraice in gratiam ſuae gentis ſcribentem, ſe filium propinquioris patris, ſcilicet Gorionis dixiſſe. Nomina gentium, vrbium & fluminum recentiora, ab interpolatore quodam eſſe profecta: & quae reliqua ſunt eiusdem generis, poſt SEBASTIANVM MVNSTERVM *loco citato*, prolixe expoſita a doctiſſimo BREITHAVPTO, in laudata *praefatione.* Quae an ſufficiant ad Gorionidis iſtius antiquitatem adſerendam, valde dubito, certe IO. GAGNIERIO nondum ſatisfecerunt, quippe qui, in *animaduerſionibus in nouam Ioſephi Gorionidis editionem ebraeo-latinam, a viro cl. Io. Friderico Breitbaupto, conſiliario Saxonico, publicatam, &c. bibliothecae ſelectae* IO. CLERICI *tom. XXV. part. I. pag. 42. ſeqq.* inſertis, ex inſtituto contra Gorionidem diſputat, & ad rationes omnes, quae pro eo adferri ſolent, operoſe reſpondet. Idem GAGNIERIVS Gorionidem ex ebraeo, in latinum ſermonem translatum edidit Oxoniae, anno MDCCIV. quam editionem, vti & eam, quam vir doctiſſimus BREITHAVPTVS adornauit, IO. CLERICVS recenſet, *biblioth. ſel. tom. XXIII. part. I. pag. 169. ſeqq.* An adeo magnus auctoris huius in hiſtoria eccleſiaſtica veteris teſtamenti vſus ſit, dubito, cum, ſi ab iis, quae ex ſcriptura ſacra atque Flauio Ioſepho etiam hauriri poſſunt, diſceſſeris, reliqua aut commentitia ſint, aut incerta. De variis Gorionidis huius editionibus, praeter eas, quas iam indicauimus, legi merentur, quae habet THOMAS ITTIGIVS, in *prolegomenis* Ioſepho praemiſſis;

Digitized by Google

miſſis; conferendus & IO. ALBERTVS FABRICIVS, *bibliothec. graec. libr. IV. cap. VI. §. XV. p. 240. ſeqq.*

§. XI.

Fuerunt deinceps & alii ex Iudaeis, qui lingua ebraea ſuae gentis hiſtoriam condendo, * aut etiam aliud velut agendo, ** lucem quamdam rebus illis, de quibus nobis dicendum eſt, accendere videntur. Sed vt ἀκρίβειαν in hiſtoricis fruſtra ab illis exſpectes, ita more ſuae gentis fabulis & commentis indulgent, & falſa miſcendo veris, incertum ſaepe dubiumque lectorem dimittunt, quid amplecti, quid repudiare debeat. Id quod multo magis de ſcriptoribus quibusdam arabicis *** dicendum.

* Iuuabit praecipuos quosdam ex hisce indicare. Pertinet namque huc liber יוחסין ſeu *proſapiarum*, quo chronologia & hiſtoria iudaica a mundi exordio, vsque ad annum Chriſti MD continetur. Auctor eſt R. ABRAHAM, BEN R. SAMVELIS ZACVTI Hiſpani, ex illorum numero, qui iuſſu Ferdinandi & Iſabellae, circa finem ſaeculi decimi quinti, in exſilium migrare coacti ſunt. Eum, patria Salmantinum, Caeſaraugustae aſtronomiam docuiſſe, deinde apud Emanuelem, Luſitaniae regem, aſtronomi & chronographi munere functum, docet IVLIVS BARTOLOCCIVS, in *bibliotheca rabbinica magna, tom. I. p. 54.* vbi copioſius & de ipſo hocce opere, & de eius editionibus agit. add. NICOLAVS ANTONIVS, *bibliothec. hiſp. tom. II. p. 313. 314.* Non minus celebris eſt liber, cui titulus: שלשלת הקבלה *catena cabbalae*, in quo itidem hiſtoria a prima rerum origine, ad auctoris vsque tempora deducitur. Eſt vero auctor R. GEDALIA, BEN R. IOSEPH IACHIA, qui ex Luſitania oriundus Imolae in Italia circa annum Chriſti MD natus eſt, & plurimis ſcriptis editis, quae ipſemet in *Schalſchelet haccab. p. 66.* enumerat, inclaruit. IVLIVS BARTOLOCCIVS, qui fuſe & vitam & ſcripta auctoris enarrat, de hocce eius opere ita pronuntiat: *Quamuis hic auctor multa fabuloſa & inueriſimilia ex aliis auctoribus ſine vllo rerum ac temporum examine exſcripſerit, potiſſimum, quando ad ſuae familiae gloriam promouendam conducere ſibi videbatur: nihilominus, quoad chronologiam non inutilis eſt liber, immo ſane dignus, vt ſermone latino illius copia fieret viris eruditis & rerum iudaicarum curioſis: eoque ipſemet ſaepiſſime, ſcriptores & ſcripta rabbinica deſcribendo, in hac noſtra bibliotheca rabbinica ſum vſus. Quia, quamuis ipſe Gedaliah auctor, ſuam hanc cabbalae catenam ex libro Iuchaſin compilauerat, attamen multa in ea ſunt, quae neque in Iuchaſin, neque in aliis libris de facili inueniri poſſunt;* in *bibliotheca rabbin. magna, tom. I. p. 722.*

Iun-

Iungendus hiſce R. ABRAHAM BEN DAVID HALLEVI, quem alii BEN DIOR vocant, ſcriptor itidem inter Ebraeos haud ignotus, qui praeter alia ספר הקבלה *librum traditionis* reliquit, Moſaicae ſcilicet doctrinae, a Moſe ad poſteros transmiſſae. Chronologiam & hiſtoriam is liber continet, a mundi initio vsque ad annum Chriſti MCLXI, quo auctor eum abſoluit. Occaſionem ſcribendi haereſin Sadducaeorum, quae eo tempore caput inter Iudaeos in Hiſpania erexerit, ei praebuiſſe, nonnulli obſeruant. Hi namque ritus, caerimonias & traditiones Iudaeorum, ceu vanas ac inutiles, reiiciebant, quibus in hocce opere obuiam iuit ABRAHAM BEN DAVID, traditionumque iudaicarum antiquitatem, eundo a primo rerum exordio ad ſua vsque tempora, comprobare voluit. Magnae ceteroquin auctoritatis hic liber apud Iudaeos eſt, de quo, vti & eius editionibus, itidem legendus IVLIVS BARTOLOCCIVS, in *bibliotheca rabbinica magna*, *p. 19. 20.* Multo his omnibus antiquius eſt chronicon mundi maius, cui titulus: סדר עולם רבא *ordo mundi maior*. Exhibetur in eo hiſtoria orbis a primo rerum initio, vsque ad tempora Adriani, qui bello ſubegit Coſibam pſeudo-Meſſiam, quod annis LII poſt templi excidium accidit. Auctor libri fertur R. IOSE BEN CHILPETA, qui circa annum Chriſti CXXX vixit, atque praeceptor fuit R Iehudae, ſancti, quem Miſchnaioth compilaſſe, conſtat. Editum hocce chronicon primum fuit cum latina verſione a SEBASTIANO MVNSTERO, Baſileae anno MDXXIV, aliquoties deinceps recuſum. vid. IO. BVXTORFIVS, *bibliothec. rabbin. p. 386.* & IVL. BARTOLOCCIVS, *bibliothec. rabb. magn. tom. III. p. 759.* Diuerſum a chronico illo maiori. & recentius quoque eſt סדר עולם זוטא *chronicon mundi minus;* de quo itidem vid. IO. BVXTORFIVS, in *bibliotheca rabbinica, p. 387.* Ex hisce omnibus, ſcilicet *ſeder olam rabba & ſuta*, *iuchaſin*, *ſchalſchelet hakkabbala*, & *kabbala* R. ABRAHAM BEN DAVID, itemque ex *meor enaim* ſua compilauit R. DAVID GANZ, non infimae claſſis inter Iudaeos chronographus. Libri, quem edidit, titulus eſt: צמח דוד *germen Dauidis;* in quo ſacram & profanam temporum, auctorum, dictorum & factorum, rationem, a mundo condito ad annum eius quinquies milleſimum, trecenteſimum vigeſimum quintum, hoc eſt, Chriſti MDXCII, annorum diligenter ſeruata ſerie, complectitur. IVLIVS BARTOLOCCIVS de eo ita cenſet, etſi de calculis idoneus haberi poſſit iudex, non admodum tamen diligentem fuiſſe; ſaepius etiam eum erraſſe, tam in nominibus auctorum, quam in chronologia, vt & hiſtoricis, praeſertim exoticis. GVILIELMVS HENRICVS VORSTIVS hocce chronicon in linguam latinam tranſtulit, & obſeruationibus quoque ſuis illuſtratum, ſubinde & emendatum, edidit, Lugduni Batauorum anno MDCXLIV. Hancce vero VORSTII verſionem plurimis ſcatere erroribus, vt ad ipſum textum ebraeum ei recur-

rendum ſit, qui decipi nolit, pronuntiat RICHARDVS SIMON, in *hiſtor. critic. veter. teſtam. p.538.*

** Vt ſcriptores talmudici, aut qui ſuae gentis ritus, caerimonias, leges expoſuerunt, & talia attigerunt, quae ad populi ebraici hiſtoriam atque fata ſpectant.

*** Hos inter eminet GEORGIVS ELMACINVS, ABNOL-AMDI & IBNOLAMIDA dictus, genere Arabs, qui circa annum Chriſti M CC XXXVIII claruit. Chriſtianum eum fuiſſe, documentis, quae dubitationem non admittunt, probari poteſt. Interim cum Muhammedanis principibus a litteris fuerit ſecretioribus, mirum non eſt, quod Muhammedis & religionis Muhammedanae honorificam mentionem fecerit. Scripſit *hiſtoriam ſaracenicam*, & quidem a prima rerum origine, vt teſtatur IO. HENRICVS HOTTINGERVS, *biblioth. orient. cap. II. p. 75.* Sed litteris tantum impreſſa eſt, quae *a primo Muhammedis ortu ad initium imperii Atabacaei per XLIX imperatorum ſucceſſionem* procedit, cui res chriſtianorum in eccleſia orientis paſſim inſertae leguntur. Prodiit ex ea verſione THOMAE ERPENII, latine pariter ac arabice, Lugduni Batauorum M DC XXV. 4. vid. GVIL. CAVE, *hiſt. litterar. ſcriptor. eccleſiaſt. ſaec. XII. p. 497. 498.* & PETRVS BAELIVS, in *dictionario hiſtorico-critico*, voc. *Elmacinus.* Nec minus celebris eſt BATRICIDES patriarcha Alexandrinus, qui in priori ſaeculi decimi dimidio floruit, obiitque anno D CCCC XL. Annales is ab orbe condito ad ſua vsque tempora deduxit. Quod opus latine & arabice, ſtudio & opera IO. SELDENI & EDVARDI POKOCKII, Londini anno M DC LIII lucem adſpexit. Sed GREGORIVS quoque ABVL-PHARAGIVS, IBN HAKIMA dictus, locum hic ſibi vindicat. Fuit is Aaronis, medici Malatienſis, vulgo IBN KOPH dicti, filius, profeſſione & ipſe medicus, ſecta Iacobita, ſeu Melchita. Ob eruditionem ſingularem, magnam, tum inter chriſtianos, tum inter Muhammedanos, conſequutus eſt exiſtimationem, hinc & ab orientalibus exquiſitis, &, pro more illorum, hyperbolicis elogiis ornatur, quae apud IO. HENRICVM HOTTINGERVM legi poſſunt, *biblioth. orient. cap. II. p. 81.* Scripſit arabice hiſtoriam vniuerſalem a mundi initio ad ſua vsque tempora, per dynaſtias diſtinctam, quam cum verſione latina anno M DC LXIII Oxoniae edidit EDVARDVS POKOCKIVS. Conf. PETRVS BAELIVS, in *diction. hiſtorico-crit.* voc. *Abul-pharagius.* Iungendum hisce chronicon orientale ABRAHAMI ECHELLENSIS, Maronitae, qui ſaeculo decimo ſeptimo variis ſcriptis inclaruit; cuius vitam & fata itidem tum apud PETRVM BAELIVM, tum in *Lexico* noſtro *hiſtorico vniuerſali*, voc. *Echellenſis*, legere licet. Summam vero eorum, quae ad hiſtoriam eccleſiaſticam veteris teſtamenti pertinent, ex hisce aliisque ſcriptoribus orientalibus diligenter collectam, exhibet IO. HENRICVS HOTTINGERVS, in *ſmegmate orientali, cap. VIII.* vbi vſum *linguarum orientalium in theologia hiſtorica*, ediſſerit; quodue rectiſſime *compendium hiſto-*

hiſtoriae eccleſiaſticae veteris teſtamenti, iuxta ſententiam & traditiones orientalium, dixeris. Nec alienus ab hoc inſtituto, immo eo plurimum confert D'HERBELOTIVS, in *bibliotheca orientali*, lingua gallicana ſcripta, & per ordinem alphabeti diſpoſita, editaque Pariſiis anno MDCXCVII. in fol. quippe in qua itidem orientalium de patriarchis, viriſque aliis tempore veteris teſtamenti celebribus, traditiones legere licet.

§. XII.

Quae graeci latinique, iique ethnici ſcriptores* de rebus Iudaeorum aut ex inſtituto tradiderunt, aut libris ſuis inſperſerunt, etſi maximam partem commentis fabuliſque ineptiſſimis ſint commaculata, non tamen contemnenda ſunt; cum ſubinde & obſcurioribus lucem adfundant, & ea, quae a ſcriptoribus ſacris ad nos transmiſſa ſunt, mirifice confirment. Cumque plurima veterum huc ſpectantia ſcripta temporis iniuria perierint, conſulendi, qui fragmenta illorum, ſuis ſcriptis inſerta, nobis conſeruarunt.**

* Nonnulli inter eos ex inſtituto de Iudaeis egerunt, vt ALEXANDER POLYHISTOR, *ἐν τῇ περὶ Ἰουδαίων συντάξει*, in ea, quam *de Iudaeis* texit, *hiſtoria*, memorata EVSEBIO, *lib. IX. praeparat. euangel. cap. XVII.* ANTONIVS IVLIANVS, quem de *Iudaeis* ſcripſiſſe, ex MINVCII FELICIS *Octauio* diſcimus, *cap. XXXVI.* APION PLISTONICES, qui non tantum libro tertio & quarto rerum aegyptiacarum, Iudaeorum gentem perſtrinxit, ſed ſingulari quoque ſcripto Iudaeis inſultauit, vt praeter IVSTINVM martyrem, CLEMENTEM, IVLIVM AFRICANVM, teſtatur HIERONYMVS, de *ſcriptoribus eccleſiaſt. cap. XIII.* refutatus ideo FL. IOSEPHO, *libris II. περὶ ἀρχαιότητος Ἰουδαίων*, de *antiquitate gentis iudaicae*, MANETHONI, APOLLONIO MOLONI, aliisque, maxime autem APIONI huic, oppoſitis. APOLLONIVS MOLO, *ὁ τὴν συσκευὴν τὴν κατὰ Ἰουδαίων γράψας*, qui *aduerſus Iudaeos opus integrum* edidit, iuxta EVSEBIVM, *lib. IX. praeparat. euang. cap. XIX.* apud quem pro Μήλων legendum eſſe Μόλων, recte viri eruditi monent. Refert autem ibi quaedam ex eo de Abrahamo. ARISTAEVS, *ἐν τῷ περὶ Ἰουδαίων*, in ſua *de Iudaeis hiſtoria*, ex qua de Iobo itidem nonnula commemorat EVSEBIVS, *l. c. lib. IX. cap. XXV.* ARTAPANVS, *ἐν τοῖς Ἰουδαικοῖς*, in *rerum iudaicarum hiſtoria*, itidem non ſemel laudatus EVSEBIO, qui ex eo de Abrahamo, de Ioſepho patriarcha, & Moſe, quaedam commemorat, *praeparat. euang. lib. IX. cap. XVIII. XXIII. & XXVII.* CLEODEMVM MALCHVM ad imitationem Moſis legislatoris, Iudaeorum hiſtoriam contexuiſſe, (*ἱστορῶν τὰ περὶ Ἰουδαίων, καθὼς καὶ Μωυσῆς ἱστόρησεν ὁ νομοθέτης αὐτῶν*), ex ALEXANDRO POLYHISTORE refert FL. IOSEPHVS,

PHVS, *antiquit. iudaic. lib. I. cap. XVI. p. 24.* Praeterea huc referendus EVPOLEMVS, ἔν τινι περὶ τῆς Ἠλία προφητείας, in *quodam de Heliae prophetia opere*, ex quo de Dauide, Salomone & Hieroſolymis, nonnulla recenſet EVSEBIVS, *l. c. lib. IX. cap. XXX.* EZECHIEL, ὁ τῶν Ἰουδαϊκῶν τραγῳδιῶν ποιητής, quippe cuius exſtat tragoedia de exodo Iſraëlitarum ex Aegypto, Moſe duce, quam ἐξαγωγὴν inſcripſerat, quaeue intercidit, exceptis fragmentis, quae apud CLEMENTEM Alexandrinum, *lib. I. ſtrom. p. 344.* EVSEBIVM, *lib. IX. praeparat. euangel. c. XXVIII. & XXIX.* exſtant. Videtur autem, vt plerique cum IOSEPHO SCALIGERO, ad *Euſeb. p. 402.* ſentiunt, gente fuiſſe Iudaeus, idque vel nominis poteſt ſuadere ratio. De HECATAEO Abderita, FL. IOSEPHVS teſtatur quod *de Iudaeis librum* ſcripſerit: καὶ βιβλίον ἔγραψε περὶ ἡμῶν, ait, *lib. I. contra Apion. p. 1050.* IVSTVS Tiberienſis, Piſti ex iudaica nobilitate filius, ex Tiberiade Galileae oppido ortum nomenque trahens, qui eadem, qua FL. IOSEPHVS, aetate vixit, ſcripſit περὶ Ἰουδαίων βασιλέων τῶν ἐν τοῖς στέμμασιν, *de regibus Iudaeorum, qui coronati fuerunt*, ſeu chronicon regum Iudaeorum, idque a Moſe auſpicatur, perducitque ad exitum vsque Agrippae. Ab eo diſtinctum, vt viri docti cenſent, fuit opus, *de bello iudaico.* Meminerunt eius IOSEPHVS, in *vita ſua, p. 1000.* alibique; HIERONYMVS, in *catal. ſcriptor. eccleſ. cap. XIV.* & PHOTIVS. *cod. XXXIII. p. 19.* Ex PHILONIS poëtae *libro primo eorum, quibus res ad Hieroſolyma pertinentes complexus eſt*, (ἐν τῷ πρώτῳ περὶ τὰ Ἱεροσόλυμα) de Abrahamo quaedam allegat EVSEBIVS, *l. c. lib. IX. cap. XX.* & de Ioſepho, ex eiusdem libro decimo quarto, *cap. XXIV.* itemque de aquis, quae ſunt Hieroſolymis, ex eiusdem libro primo, *cap. XXXVII.* Denique & THEODOTVS huc pertinet, poëta phoenicius, ἐν τῷ περὶ Ἰουδαίων, in eo, quem *de Iudaeis* ſcripſit, *libro*, laudato itidem EVSEBIO, qui ex eo nonnulla de Iacobo recitat, *lib. IX. cap. XXII.* Et hi quidem fuerunt ex ſcriptoribus graecis & latinis, (quamquam ſolus ANTONIVS IVLIANVS latine ſcripſerit,) qui ex inſtituto de rebus Iudaeorum commentati ſunt. In quibus recenſendis ſequuti ſumus ductum clariſſimi viri, IO. ALBERTI FABRICII, qui eos itidem iuſto ordine diſpoſitos exhibet, *bibliothec. graec. lib. IV. cap. XVI. ſ. XVIII. p. 254.* Nonnullos ex his, ſpeciatim EVPOLEMVM, non ethnicos, ſed Iudaeos fuiſſe, contendit ISAACVS VOSSIVS de *LXX. interpretib. cap. XXVII.* & qui eum ſequitur PAVLVS PEZRONIVS, *l'antiquit. des temps. retabl. cap. V.* refragante prae ceteris HVMFREDO HODYO qui vt euincat, hosce ſcriptores, quae de rebus Iudaeorum habent, ex ſcriptura ſacra non deſumſiſſe, ſimul eos ethnicos fuiſſe, contendit, de *biblior. textib. originalib. &c. lib. II. cap. III. p. 106.* IS. VOSSII ſententiam contra HODYVM defendit auctor de *l'hiſtoire critique de la republique des lettres, tom. I. artic. II. p. 27. ſeqq.* qui & hiſtoriam illam, quae

quae ſub ALEXANDRI POLYHISTORIS nomine allegatur, perperam hoc nomen praeferre, & a iudaico quodam impoſtore confectam, audacter pronuntiat. Vt vero poſterioris adſerti nullas rationes adfert, ita quod ad prius attinet, an IOSEPHI & EVSEBII teſtimonio, EVPOLEMVM ethnicum fuiſſe adſerentium, praeferenda ſit auctoritas CLEMENTIS Alexandrini, eum pro Iudaeo, ſaltem ex mente auctoris, venditantis, merito adhuc dubitari poſſet. Sunt vero & alii, qui non quidem ex inſtituto, ſed oblata occaſione, & velut in tranſitu, Iudaeorum mentionem faciunt, VT STRABO, PLVTARCHVS, TACITVS, IVSTINVS, aliique, de quibus hic dicendi locus non eſt. Plurima huc ſpectantia collegit, & in veris a falſis, quae plerumque apud ſcriptores ethnicos, cum de rebus Iudaeorum loquuntur, commixta ſunt, diſcernendis, operam ſtudiumque collocauit IO. IACOBVS SCHVDT, in *compendio hiſtoriae iudaicae, de origine, incrementis, & rebus geſtis Iudaeorum, ad ductum Iuſtini hiſtor. lib. XXXIV, potiſſimum ex gentilium ſcriptoribus collecto*, quod Francofurti ad Moenum anno MDCC prodiit.

** Quod praeter FL. IOSEPHVM, ſubinde ex aliis, quae ad gentis ſuae hiſtoriam ſpectant, allegantem, omnium diligentiſſime praeſtitit EVSEBIVS, *praeparat. euangel. lib. IX.* per integrum, qui totus adeo huc pertinet, & res Iudaeorum ex ſcriptoribus extraneis mirifice illuſtrat.

§. XIII.

Conſtat etiam, Iudaeis cum vicinis, aliisque orientis gentibus, ſpeciatim Aegyptiis, Phoeniciis, Chaldaeis, Perſis, aliisque, varia interceſſiſſe commercia, aut apud quasdam omnino ad certum tempus fuiſſe commoratos, vel bella etiam cum iis geſſiſſe, vnde iſtarum gentium res geſtae cum rebus Iudaeorum quodammodo permixtae fuere. Iſtarum itaque gentium hiſtoriam ab hiſtoria Iudaeorum, & horum contra ab illarum gentium hiſtoria, lucem capere, manifeſtum eſt. Hinc non praetermittenda, quae cum veteres, tum recentiores, de Aegyptiorum,* Phoenicum,** Chaldaeorum, *** Perſarum, * aliarumque ** orientis gentium rebus, memoriae prodiderunt.

* De rebus Aegyptiorum ex veteribus praeter MERCVRIVM vtrumque, antiquiorem illum, & iuniorem, item que HORVM, quos nonnulli inter Aegyptiorum hiſtoricos referunt, commentatus eſt MANETHOS Sebennita, ſacerdos Heliopolitanus, qui tempore Ptolomaei Philadelphi floruit. Eum omnem hiſtoriam aegyptiacam, cumprimis quae ad theologiam huius gentis pertinent, fuſe in graecam transtuliſſe linguam, tum in *ſacro opere,*

quod ſcripſit, tum in aliis commentariis, refert EVSEBIVS, de *praeparat. euangel. lib. II. cap. I.* Vbi quidem per ἱερὸν βίβλον, *ſacrum opus*, intelligit hiſtoriam, quam iuſſu Ptolomaei Philadelphi, ab antiquiſſimis ac fabuloſis temporibus exorſus, perduxit fere vsque ad tempora Darii Codomanni, quem Alexander M. deuicit. Partitus eam eſt in certas dynaſtias, primoque Deorum regimen deſcribit, quibus ſemidei ſucceſſerint, quos denique homines exceperint. Cum vero iſta, quam MANETHOS texit, dynaſtiarum aegyptiarum chronologia, non tantum diluuium, ſed & ipſam mundi creationem longiſſime excedat, nonnulli quidem hon reges, qui iuſta ſerie ſibi inuicem ſucceſſerint, ſed qui ſimul diuerſis in locis in Aegypto imperitauerint, eum deſcribere autumarunt; alii autem alia ratione cum ſcripturae ſacrae chronologia eum conciliare adgreſſi ſunt; quos tamen omnes oleum operamque perdere contendunt alii, qui potius MANETHONEM data opera fabulis atque commentis indulſiſſe cenſent, vt antiquitatem, quam poſſet, maximam, Aegyptiis tribuendo, vanitati gentis huius conſuleret, ſimulque obſeruant, eum Ebraeorum res & antiquitatem conſulto imminuiſſe & obſcuraſſe. Praeter alios, in ea verſatur opinione vir clariſſimus IACOBVS PERIZONIVS, in *aegyptiar. orig. inueſtigatione, p. 16. 206. 329.* & alibi. Diceturque hac de re a nobis in ipſa tractatione pluribus, cum de Aegyptiorum dynaſtiis erit agendi locus. Ipſum MANETHONIS opus iniuria temporum intercidit; dynaſtias tamen in compendio ex eo nobis conſeruauit IVLIVS AFRICANVS, in cuius excerptis leguntur; ex eo autem non ſine interpolatione quadam easdem repetiit in *chronico* ſuo EVSEBIVS. Luculenta etiam MANETHONIS fragmenta exſtant apud FL. IOSEPHVM, *lib. I. contra Apionem*, qui & *lib. I. antiquitat. cap. IV.* eius meminit, quod & PLVTARCHVS facit, *lib. de Iſide & Oſiride*, THEOPHILVS Antiochenus, *lib. III. ad Autolycum*, aliique. Diſtinguendum etiam ab hocce MANETHONE alium eiusdem nominis, ſacerdotem Mendeſium, iampridem viri docti monuerunt. Chronicon antiquum aegyptiacum, quod GEORGIVS SYNCELLVS nobis conſeruauit, nihil aliud quibusdam videtur, quam compendium hiſtoriae MANETHONIS, tantumque nomina & ſeries regum in dynaſtiis iſtis, cum deſignatione temporum, in eo exhibentur. ERATOSTHENES Cyrenaeus, iuſſu Ptolomaei euergetae, catalogum regum Thebanorum ex ſacris litteris vrbis Dioſpolitanae confecit, & in linguam graecam transtulit; ſed de eo, vt & chronico illo antea memorato, in ipſa dicemus tractatione, ad *period. I. ſect. I. §. X.* HECATAEVM Abderitam, quem de Iudaeis ſcripſiſſe ſupra diximus, etiam hiſtoriam aegyptiacam, tempore Ptolomaei Lagi, quo floruit, condidiſſe, ex DIODORO SICVLO. *lib. I. bibliothec. p. 23.* diſcimus. Ea vero ad noſtram aetatem non peruenit, non magis, quam reliqua eiusdem auctoris ſcri-

ſcripta, quae tamen huius loci non ſunt. Idem fuit fatum PTOLOMAEI Mendeſii, atque CHAEREMONIS. Et PTOLOMAEVM quidem tribus libris integris ea comprehendiſſe, quae a regibus aegyptiis geſta ſunt, ex APIONE Alexandrino docet CLEMENS, *ſtrom. lib. I.* ex quo ea repetit EVSEBIVS, *lib. X. praeparat. euangel. cap. XII.* Mentionem eius iniiciunt TATIANVS, IVSTINVS, TERTVLLIANVS, aliique. CHAEREMON, Aegyptius, qui primo poſt Chriſtum natum ſaeculo vixit, aegyptiacamque hiſtoriam condidit, apud veteres quoque ob inſcitiam & vanitatem male audit, vt ex STRABONE conſtat, *geograph. lib. XVII. p. 806.* Quae de Iudaeis in *aegyptiaca* ſua *hiſtoria* mentitus erat, refert atque refellit IOSEPHVS, *lib. I. contra Apion.* Eiusdem commatis LYSIMACHVS quidam fuit, qui itidem de rebus Aegyptiis ſcripſit, & de Iudaeis verba faciens, mentiendo, vt IOSEPHVS iudicat, CHAEREMONI dubiam facere palmam voluit. Ex reliquis, qui de rebus aegyptiis ex inſtituto egerunt, maxime celebres ſunt ALEXANDER POLYHISTOR, atque APION Alexandrinus. ALEXANDER CORNELIVS, cognomento POLYHISTOR, ſub Ptolomaeo Lathuro vixit, cum bellum in Graecia gereret Lucius Sylla. Captiuus Romam abductus fuit; ingenii ſui vero monumenta reliquit varia, & inter hiſtorias, quas ſcripſit, plurimas, etiam *aegyptiacam* atque *iudaicam.* Eorum, quae de Iudaeis ſcripſit, iam ſupra mentionem fecimus. APION, ex Oaſi, Aegypti ciuitate, oriundus, Alexandrinus vocari voluit, quod Alexandriae ius ciuitatis adquiſiuiſſet, floruitque temporibus Tiberii, & vltra. Nec tantum contra Iudaeos librum ſcripſit, cui FL. IOSEPHVS reſpondiſſe, ſupra iam diximus, ſed *aegytiacorum* quoque *libros quinque*, vt TATIANVS teſtatur, *orat. ad Graecos, p. m. 130.* edit. WILHELMI WORTH, vbi ex quarto nonnulla adducit. Praeter CLEMENTEM Alexandrinum, *lib. I. ſtrom.* eiusdem operis meminit AVL. GELLIVS, *noct. Attic. lib. V. cap. XIV.* cuius & hoc de eo eſt iudicium: *eius libri non incelebres feruntur, quibus omnium fere, quae mirifica in Aegypto viſuntur, audiunturque, hiſtoria comprehenditur; ſed in his, quae audiuiſſe vel legiſſe ſeſe dicit, fortaſſe a vitio ſtudioque oſtentationis, ſit loquacior. Eſt enim ſane quam in praedicandis doctrinis ſuis venditator.* Eidem GELLIO *l. c.* audit *litteris homo multis praeditus, rerumque graecanicarum plurima atque varia ſcientia.* Celeberrimum etiam ſua aetate fuiſſe, vel ex PLINII *praefatione in hiſtoriam naturalem* conſtat, vbi dicit, a Tiberio Caeſare eum *cymbalum mundi* adpellitatum. Reliquos, vt LYCIAM, ASCLEPIADEM, NICOMACHVM, HELLANICVM, ceterosque, qui itidem de rebus aegyptiacis egiſſe dicuntur, vtpote obſcuriores, mitto. Hos vero omnes, quos hactenus commemorauimus, temporum iniuria nobis eripuit, vt praeter fragmenta quaedam, eaque pauca, ceu ſeruatas e naufragio tabulas, eorum nihil ſuperſit. Legendus de iis GERHAR-

Digitized by Google

HARDVS IOANNES VOSSIVS, de *hiſtoricis graecis* paſſim, &c, qui ex VOSSIO multa hauſit, LVDOVICVS ELLIES DV PIN, in *bibliotheca vniuerſali hiſtoricor. lib. I. ſ. IV.* Ex hisce itaque, vel paucis potius eorum fragmentis, cum non multum ad adcuratiorem hiſtoriae aegyptiacae notitiam proficere liceat, iungendi ſunt aliarum gentium hiſtorici veteres, quorum ad nos peruenerunt monumenta, quiue res aegyptiacas attigerunt, quos in ſequentibus indicabimus. Addendi autem cumprimis, qui ex recentioribus, cuncta ex veterum monumentis colligendo, eaque in ordinem redigendo, hiſtoriae aegyptiacae iuſtam ſeriem nobis exhibere conati ſunt; quos inter eminet IO. MARSHAMVS, in *canone chronico, aegyptiaco, ebraico, graeco*, Lipſiae anno M DC LXXVI recuſo. Cuius viri induſtria cum merito laudanda ſit, non tamen vbique eruditorum obtinere calculum potuit, praeſertim, quod fabulis & commentis Aegyptiorum nimis facile fidem adhibens, eam dynaſtiarum, quae apud illos celebrantur, cum ſacri codicis chronologia conciliandi rationem ingreſſus ſit, quae plus ingenii & ſubtilitatis, quam veritatis ac ſoliditatis habeat. Atque hoc cumprimis oſtendere voluit IACOBVS PERIZONIVS, in *aegyptiacarum originum & temporum antiquiſſimorum inueſtigatione, in qua Marshami chronologia funditus euertitur &c.* Prodiit Lugduni Batauorum anno M DCC XI. 8. & rebus Aegyptiorum, ſimulque adeo hiſtoriae eccleſiaſticae veteris teſtamenti, lucem haud contemnendam adfundit. Sed in eo quoque peccauit MARSHAMVS, quod ebraeorum ritus ſacrasque caerimonias, eas etiam, quae Moſe antiquiores ſunt, quas a Deo non ſine typica Chriſti adumbratione inſtitutas eſſe conſtat, ex profanis Aegyptiorum moribus, ſaeculique vſu deriuauit. Qua in re praeter alios ſuffragantem ſibi habuit IOANNEM SPENCERVM, vt in ſequentibus dicetur. Hanc vero ſententiam dum ex inſtituto ſibi discutiendam ſumſit HERMANNVS WITSIVS, enata inde ei eſt occaſio ſcribendi *aegyptiaca*, quae altera vice Amſtelodami anno M DC XCVI prodierunt, & in quibus de Aegyptiorum inſtitutis & doctrina talia adferuntur, quae ignorare illis nefas eſt, qui in hiſtoriae eccleſiaſticae veteris teſtamenti ſtudio rite proficere cupiunt.

** Inter rerum phoeniciarum ſcriptores, antiquiſſimi ſunt SANCHONIATHON atque MOCHVS. Sed de vtroque in ipſa tractatione dicetur. Praeterea DIVS, eiusdem gentis hiſtoricus, celebratur, quem in hiſtoria ſua adcuratiſſimum fuiſſe teſtatur FL. IOSEPHVS, *lib. I. contra Apionem, p. m. 1042.* vbi ex eo fragmentum de Salomone & Hiramo nobis conſeruauit. Eſt is incertae aetatis auctor, quod & de MENANDRO Epheſio dicendum, qui actus regum apud Graecos & Barbaros in litteras retulit, eosque ex prouinciae cuiusuis libris collegit, quo magis hiſtoriae fides conſtaret. Teſtatur id itidem IOSEPHVS *l. c.* vbi egregium eius fra-

fragmentum de Hiramo Phoenicum rege, & Salomone, adducit. Meminit quoque eiusdem TERTVLLIANVS, in *apologetico, cap. XIX.* & THEOPHILVS Antiochenus, *ad Autolycum lib. III.* addatur GERHARDVS IOANNES VOSSIVS, de *hiſtoricis graecis, lib. III. p. m. 180.* Incertae quoque aetatis eſt HISTIAEVS, Mileſius, qui res Phoenicum litteris conſignauit, teſte IOSEPHO, *lib. I. antiquit. iud. cap. IV.* vbi cum MOCHO & HIERONYMO Aegyptio eum coniungit. Namque & HIERONYMVS hicce Aegyptius hisce addendus eſt, Syriae ab Antiocho Aſiae rege praefectus, vnde a quibusdam Phoenix dicitur, quippe qui itidem de rebus phoeniciis commentatus eſt; vt ex IOSEPHO *l. c.* itemque *lib. I. contra Apionem, p. 1050.* conſtat. Meminit eius etiam TERTVLLIANVS, cum MANETHONE atque BEROSO eum coniungens, ſed per errorem Tyri regem vocans, quod haud dubio cum Hiramo eum confuderit. Conf. LVD. ELLIES DV PIN, in *bibliotheca vniuerſali hiſtoricor. lib. I. §. VII.* Hi omnes vero, & ſi qui forte alii de rebus Phoenicum ex veteribus ex inſtituto commentati ſunt, cum iam dudum non amplius exſtent, nihil aliud ſupereſt, quam vt ad eos nos conferamus, qui aut illorum nobis quasdam conſeruarunt reliquias, aut aliud agendo Phoenicum quoque res attigerunt. Ex recentioribus hic lucem maximam dabit SAM. BOCHARTVS, in *geographiae ſacrae* parte poſteriori, cui titulum fecit *Chanaan*, in qua de *coloniis & ſermone Phoenicum* ex inſtituto agit. Nonnulla quoque haud contemnenda ſuppeditat THOMAS REINESIVS, in *ἱστορουμένοις linguae punicae*, in IO. GEORGII GRAEVII *ſyntagmate variarum diſſertationum rariorum* recuſis.

*** De ZOROASTRE, atque HOSTANE, qui pro antiquiſſimis Chaldaeorum hiſtoricis venditari ſolent, in ipſa dicemus tractatione. Hic vero cumprimis commemorandus eſt BEROSVS, quem ſub Ptolomaeo Philadelpho vixiſſe, ſuaque ſeu Antiocho Soteri, ſeu filio eius Antiocho Θεῷ dicaſſe, contendit GERARDVS IOANNES VOSSIVS, de *hiſtoricis graecis, lib. I. cap. XIII.* Sed ſub Alexandro M. eum vixiſſe, euincit IACOBVS PERIZONIVS, in *originib. babylon. p. 14.* Id ſane teſtatur TATIANVS: Βηρωσσὸς ἀνὴρ Βαβυλώνιος, ἱερεὺς τοῦ παρ' αὐτοῖς Βήλου, κατ' Ἀλέξανδρον γεγονώς (vel, vt EVSEBIVS habet: γενόμενος) *Beroſus, vir Babylonius, Beli, qui apud illos colitur, ſacerdos, qui tempore Alexandri exſtitit; orat. ad Graecos, p. m. 126.* VOSSIVS equidem *l. c.* vltima verba vertit: *qui tempore Alexandri natus eſt*, ne ſuae ſententiae, eum ſub Ptolomaeo Philadelpho floruiſſe, obſtarent. Statuit namque, natum BEROSVM paullo ante mortem Alexandri. Sed, falli hic magnum iſtum virum, oſtendere ſatagit PERIZONIVS, *loc. cit.* Quidquid huius ſit, ſcripſiſſe eum *babylonica* ſeu *chaldaica* tribus libris, conſtat. Vtroque enim nomine in opere hocce allegando vtuntur veteres. Βαβυλωνικὰ BEROSI laudat ATHENAEVS, *lib. XIV.* At TATIANVS *l. c.* eum τὴν χαλδαίων ἱστορίαν tribus libris ſcripſiſſe, ait.

ait. Χαλδαϊκὰ quoque BEROSI citat CLEMENS. *ſtrom. lib. I.* aliique. Quamquam non tantum res babylonicas, ſed & medicas iis libris complexus ſit. Fragmenta ex hocce opere, quod & ipſum cum multis aliis periit, nobis conſeruauit FL. IOSEPHVS, *lib. I. contra Apionem*, & *lib. I. antiquit. iudaic. cap. IV.* itemque EVSEBIVS, *lib. IX. praeparat. euangel. cap. XL.* Meminerunt etiam eius TERTVLLIANVS, in *apologet. cap. XIV.* auctor *chronici Alexandrini, p. 48.* aliique. Quae vero ANNIVS ille VITERBIENSIS, impoſtor foediſſimus, ſub BEROSI nomine orbi obtruſit ceu mera commenta, ad fucum aliis faciendum conficta, iamdudum reiecerunt viri docti atque exploſerunt. Poſt BEROSVM ſcripſit ABYDENVS, vel ABYDINVS, quippe qui illum allegat, etſi ceteroquin incertae ſit aetatis. Ex EVSEBIO diſcimus, quod περὶ τῆς τῶν χαλδαίων βασιλείας ſcripſerit, qui & quaedam eius fragmenta conſeruauit, in quorum vno nomina & anni imperiorum, decem priorum regum Chaldaeorum, qui ante diluuium regnaſſe creduntur, continentur; altero autem ea, quae Moſes de turri Babelis & linguarum confuſione memoriae prodidit, confirmantur. Conf. EVSEBIVS, *chron. lib. I.* & *lib. IX. praeparat. euangel. cap. XII. XIV. & XLVI.* Mentionem quoque eius facit CYRILLVS. *lib. I. contra Iulianum, p. 8.* Quod ſi hi, & alii, qui itidem forte ex inſtituto de Chaldaeorum rebus commentati ſunt, integri ad nos perueniſſent, haud dubio rebus obſcurioribus clarior lux adfundi poſſet. Iam cum praeter fragmenta nihil ſuperſit, conſulendi & hic ſunt, qui aut res aliarum gentium, aut generatim hiſtoriam vniuerſalem litteris conſignando, Chaldaeorum quoque res attigerunt, quorumue adhuc hodie monumenta exſtant. Ex recentioribus in hiſtoriam & antiquitates Chaldaeorum quam diligentiſſime inquiſiuit IACOBVS PERIZONIVS, in *originibus babylonicis*, Lugduni Batauorum anno MDCCXI editis.

* Rerum perſicarum non potuit non frequens apud ſcriptores graecos fieri mentio, idque tum alias ob cauſſas, tum maxime ob bella, quae Perſae, cum ſumma rerum in oriente ad illos transiiſſet, cum Graecis geſſerunt. Illi tamen, qui ex inſtituto de rebus perſicis egerunt, eadem fere experti ſunt fata, ac quae chaldaicarum, phoeniciarum, aegyptiarum rerum ſcriptores praecipuos expertos diximus. Non memorabo nunc EMPEDOCLEM Agrigentinum, Pythagorae & Parmenidis diſcipulum, Philoſophum clariſſimum, qui praeter phyſica & alia, περσικὰ ſiue τὴν τοῦ Ξέρξου διάβασιν carmine tractauit; cum enim ea reliquiſſet imperfecta, ſoror aut filia combuſſit, vt in vita eius auctor eſt DIOGENES LAERTIVS. Nec SIMONIDES CEVS, Leoprepis filius, vt nos moretur, neceſſe eſt. Etſi enim Dorica dialecto, verſibusque elegiacis, Cambyſis & Darii imperium, & Xerxis praelium nauale cum Graecis, & pugnam ad Artemiſium, pugnam quoque Salaminiam carmine Lyrico deſcripſerit, nihil tamen horum ad nos peruenit.

Idem

Idem dicendum de HECATAEO Mileſio, CHARONTE Lampſaceno, atque HELLANICO Mitylenaeo; quorum iſte *Cyri atque Cambyſis geſta* ſcripſit, ille *perſica*, hoc eſt, bellum, quod Darius & Xerxes cum Graecis geſſere, duobus libris ſignauit, hic vero praeter librum de antiquiſſimis gentium principibus, primisque vrbium conditoribus, quem κτίσεις ἐθνῶν καὶ πόλεων inſcripſerat, etiam *aegyptiaca*, *perſica*, aliaque reliquit, meminitque eius, praeter alios, FL. IOSEPHVS, *lib. I. contra Apion. p. 1034. & lib. I. antiquit. iudaic. cap. IV.* De DINONE pariter conſtat, eorum, quae de *rebus perſicis* commentatus eſt, nihil ad nos perueniſſe, etſi PLVTARCHO, in *Alexandro*, PLINIO, *hiſt. nat. lib. X. cap. XLIX.* aliisque veterum memoretur, & CORNELIVS NEPOS, in *vita Cononis*, profiteatur, ſe ei de rebus perſicis plurimum credere. Sed miſſis hisce, eos potius commemorabimus, quorum ad nos peruenerunt monumenta, quos inter primum praecipuumque locum tenet HERODOTVS, vel, vt alii ſcribendum contendunt, ERODOTVS, e Cariae, vrbe Halicarnaſſenſis, qui hiſtoriam ſuam, ſeu ἱστοριῶν λόγους θ' *hiſtoriarum libros nouem*, circa Olympiadis LXXXIV annum I. adeoque ante Chriſtum natum CCCC XLVI ſcripſiſſe dicitur. Nos de eo non agemus, cum praeter alios abunde, & more ſuo, hoc eſt, accurate hoc egerit IO. ALBERTVS FABRICIVS, *bibliothec. graec. lib. II. cap. XX. p. 695. ſeqq.* Id ſaltem obſeruamus, etſi illi praecipue conſtitutum fuerit, bella Perſarum contra Graecos deſcribere, a Cyro vsque ad Xerxem, aliarum tamen gentium, vt Aegyptiorum, Lydiorum, Babyloniorum non minus, ac Medorum & Perſarum origines atque fata eum referre. Haec ſeorſim ex HERODOTO excerpta, & in certum ordinem diſpoſita, inſtituto haud contemnendo, exhibet LVD. ELLIES DV PIN, in *bibliotheca vniuerſali hiſtoricorum, lib. I. §. XVI. p. 155. ſeqq.* Ad hiſtoriam quoque perſicam ſpectant, quae XENOPHON habet, tum in hiſtoria expeditionis Cyri, (Ἀνάβασιν Κύρου vocat) tum maxime in Κύρου παιδείᾳ, ſeu de *vita & diſciplina Cyri.* Etſi enim in vltimo hocce opere exemplum potius magni principis proponere atque delineare, quam veram hiſtoriam ſcribere videatur, quaedam tamen de Cyro ita narrat, vt propius ad veritatem accedere videantur, quam quae HERODOTVS, a quo ſubinde diſſentit, memorat. Sed magis ab HERODOTO diſſentit, immo data opera illi velut contradicit CTESIAS. Is Cnidius homo fuit, captus bello, quod Cyrus minor cum fratre Artaxerxe geſſit, & in Perſidem delatus, medicinam ibi per annos ſeptendecim exercuit. Reliquit de *rebus perſicis* libros XXIII, in quorum ſex prioribus τά τε Ἀσσύρια διαλαμβάνει, *res Aſſyriorum pertractauit;* in vltimo catalogum regum a Nino & Semiramide vsque ad Artaxerxem exhibuit, vt auctor eſt PHOTIVS, qui ſex illis prioribus libris, in quibus de Aſſyriorum rebus egit, praetermiſſis, reliquos copioſe excerpſit, *cod. LXXII.* Eorum, quae de rebus aſſyriis dixerat, compen-

Digitized by Google

pendium exſtat apud DIODORVM Siculum, quemadmodum nomina regum, a DIODORO omiſſa, apud EVSEBIVM atque SYNCELLVM legere licet. Male autem iam apud veteres audit CTESIAS. ARISTOTELES ex eius *Indicis* aliquid citans, ſcriptorem negat ἀξιόπιστον, *lib. VIII. hiſt. animal. cap. XXVIII.* Vanitatis eumdem redarguit PLVTARCHVS, in *vita Artaxerxis*, *p.* 1014. qui & *p.* 1017. λαμπρὸν ψεῦσμα, *manifeſtum mendacium*, illi imputat. Sed ANTIGONVS quoque, *hiſt. parad. XVI.* αὐτὸν πολλὰ ψεύδεσθαι, *cum multa mentiri*, diſerte profitetur. Eo magis itaque mirandum, fuiſſe, qui eius auctoritatem ſequerentur, quod DIODORVM Siculum, TROGVM POMPEIVM, VELLEIVM PATERCVLVM, alioſque, feciſſe, conſtat. IVLIVS quoque AFRICANVS, EVSEBIVS atque SYNCELLVS, in chronologia regum Aſſyriorum eius ſententiam amplexi, ſuoque exemplo plurimos, vt itidem facerent, permouerunt; quos inter praeter alios eminet VLRICVS HVBERVS, in *diſſertationibus ſeptem, de genuina aetate Aſſyriorum & regno Medorum*, Franequerae, anno M DC LXIII editis. Sed hosce omnes in errore verſari luculenter demonſtrauit CHRISTOPHORVS CELLARIVS, in *diſſertatione*, qua *Cteſiae Cnidii de principio regnorum & hiſtoriarum hypotheſes ſuſpectas* ſub examen reuocauit. Diceturque etiam a nobis hac de re in ipſa tractatione. Ad res perſicas vt redeamus, ex recentioribus, praeter alios, earum initia illuſtrauit CONRADVS SAMVEL SCHVRTZFLEISCHIVS, in peculiari diſſertatione, quae ſecunda eſt in *operibus* eius *hiſtorico-politicis*. Ritus, antiquitates, regiminiſque, quod apud eos obtinuit, rationem deſcripſit BARNABAS BRISSONIVS, *tribus de regio Perſarum principatu libris*, Pariſiis anno M DC VI editis; religionem vero, placitaque de rebus diuinis, de quibus vel maxime in hiſtoria eccleſiaſtica ſolliciti ſumus, vir doctiſſimus THOMAS HYDE, in *hiſtoria religionis veterum Perſarum, eorumque Magorum, &c.* quae Oxoniae anno M DCC prodiit.

** Cumprimis Graeci adhuc paucis hic commemorandi ſunt. Ex quo enim Alexander magnus perſicum imperium deſtruxit, & poſt eius mortem varia Graecorum regna enata ſunt, aſiaticum ſcilicet, ſyriacum, aegyptiacum, macedonicum, Iudaeis ſubinde cum quibusdam ex eius ſucceſſoribus, praecipue autem Syriae regibus, confligendum fuit Quae ergo tum Iudaei experti ſunt fata, rectius intelligemus, ſi Graecorum quoque res perſpectas habuerimus. Ingens autem eorum eſt numerus, qui ex Graecis de Graecorum rebus ſcripſerunt, quos cum GERHARDVS IOANNES VOSSIVS, LVD. ELLIES DV PIN, IO. ALBERTVS FABRICIVS, aliique, diligenter enarrauerint, nos praecipuos ſaltem indicabimus. THVCYDIDES, qui *belli peloponeſiaci* hiſtoriam deſcripſit, omnibus notus eſt, ſtatumque internum Graeciae quam rectiſſime pandit. Id quod & de XENOPHONTE dicendum, qui in ſuis de *rebus Graecorum libris VII.* THVCYDIDEM velut continuauit. Ad alia etiam ſe diffundit,

dit, adeoque propius ad noſtrum inſtitutum accedit, DIODORVS Siculus, in βιβλιοθήκῃ, quam vocat, ἱστορικῇ. De rebus enim aegyptiis, aſſyriis, medicis, perſicis, graecis, romanis, punicis, aliisque, in ea agit. Conſtabat libris quadraginta, quorum ſummam in praefatione ipſemet recenſet, docetque, ſex priores continere res ante Troianum bellum geſtas, eaque, quae fabulis de ſaeculo iſthoc prodita fuerunt, horumque iterum tres priores antiquitates barbaricas, tres poſteriores fere graecas comprehendere; vndecim vero ſequentibus res vbique locorum geſtas a bello Troiano vsque ad Alexandri magni mortem, deſcribi; denique in tribus & viginti libris ceteras res geſtas referri, vsque ad initium belli aduerſus Gallos excitati, quo Iulius Caeſar Gallorum gentem debellauit. Ex quadraginta vero iſtis libris quindecim tantum ſuperſunt, & pauca quaedam fragmenta apud PHOTIVM, aliosque. Quodſi integrum hocce opus ad nos perueniſſet, magnum hinc inde hiſtoriae veteris teſtamenti, adfundere lucem potuiſſet; quamquam & ea, quae ſuperſunt, vſum haud contemnendum praebent. Alexandri magni vitam, resque ab eo geſtas, a PLVTARCHO, in *vitis parallelis*, itemque ab ARRIANO, & Q. CVRTIO RVFO, deſcriptas, nemo ignorat. Succeſſorum vero Alexandri, aſiaticorumque regum hiſtoriam cumprimis illuſtrat POLYBIVS Megalopolitanus, ſcriptor prudentiſſimus, in *hiſtoriarum, qui ſuperſunt, libris*, itemque in *excerptis legationum*, cui APPIANVS iungendus in *Mithridaticis*, & *ſyriacis*. Nec praetermittendus eſt IVSTINVS, TROGI POMPEII epitomaſtes. Etſi enim, quae nobis reliquit, vniuerſalis hiſtoriae quoddam compendium exhibeant, cumprimis tamen in rebus macedonicis, Alexandri magni praecipue, eiusque patris Philippi, vt & ſucceſſorum, explicandis, diligentem operam poſuit, adeoque & ſub titulo: *hiſtoriarum Philippicarum*, opus ſuum exſtare voluit. Ex recentioribus, hiſtoriae & antiquitatibus Graecorum, variis ſcriptis lucem egregiam adfundit IO. MEVRSIVS. De iis autem, qui ſucceſſorum, praecipue Alexandri, hiſtoriam ex nummis illuſtrarunt., deinceps dicemus.

§. XIV.

Et iſti quidem, vt lucem huic, de qua loquimur, tractationi adfundunt, ita ad rem ipſam ſpectant, qui ex veteribus chriſtianis ex inſtituto hiſtoriam eccleſiaſticam veteris teſtamenti condiderunt. Nec tamen alius, qui hoc fecerit, aut innotuit, aut ad noſtra tempora peruenit, ſi a quibusdam chronographis diſcedas, * quam SVLPITIVS SEVERVS, vt vulgo vocatur, vel, vt alii adpellandum cenſent, SEVERVS SVLPITIVS.** Gentis enim Iſraeliticae, in qua olim vera eccleſia fuit, in *hiſtoria* ſua *ſacra*, fata, ab orbe condito ad Chriſtum natum, & hinc porro res eccleſiae chriſtianae ad annum circiter quadringen-

ceſimum vsque, ſuccincte & eleganter enarrat, in ſynodo Burdegalenſi ſubſiſtens. Occaſio quoque hinc viris doctis, qui commentariis ſuis eum illuſtrarunt, data fuit, hiſtoriae eccleſiaſticae veteris teſtamenti capita praecipua, ſtudioſe ac diligenter explicandi.

* Hos inter primum ſibi vindicat locum IVLIVS AFRICANVS, ſaeculi tertii ſcriptor, qui de *chronographia libros V.* compoſuit. Ab orbe namque condito incepit, & ad Chriſti vsque aduentum chronologiam ſuam perduxit, hinc vero ad Macrini vsque tempora, vel, vt aliis placet, Heliogabali, proceſſit, ſed, vt magis ſuccincte, quae hocce temporis interuallo contigerant, commemoraret. Ex IVLIO AFRICANO ſua fere deſumſit EVSEBIVS, qui itidem hic commemorandus eſt. Inter alia enim *chronicon*, *παντοδαπὴ ἱστορία* dictum, opus bipartitum, reliquit, in cuius parte prima *χρονικοὶ κανόνες παντοδαπῆς ἱστορίας* inſcripta, hodie valde mutila, omnium fere gentium, Chaldaeorum, Aſſyriorum, Medorum, Perſarum, Ebraeorum, Aegyptiorum, aliarumque, origines & res maxime memorabiles, ab orbe condito, proſequutus eſt; idque ea ratione, vt ex IVLII AFRICANI fontibus ſua irrigaret arua. In altera parte, quae *κανὼν χρονικὸς* dicitur, cuncta ſecundum temporum ſeriem diſpoſuit, & ſingularum gentium memorabilia ad ſuum quemque annum reuocauit, initio ab epocha Abrahami facto. Vtramque autem ad annum Chriſti CCCXXV perduxit. Hocce EVSEBII chronicon in linguam latinam tranſtulit HIERONYMVS, vt tamen hinc inde quaedam insereret. Graeca autem cum non minus, ac IVLII AFRICANI chronographia, perierint, hunc defectum vt reſarciret IOSEPHVS SCALIGER, EX GEORGIO SYNCELLO, CEDRENO, chronico Alexandrino, aliisque ea conuectauit, quae in *theſauro temporum* nobis exhibuit, quae tamen, vt viris eruditis pridem obſeruatum, mutila ſunt atque confuſa, cum neque, quae ſint AFRICANI, neque quae EVSEBII, neque denique, quae SYNCELLI, vel diuinando quis adſequi poſſit; qui & porro obſeruant, in ea SYNCELLI editione, quam IACOBVS GOAR adornauit, longe diſtinctius haec discriminari. Conf. GVIL. CAVEVS, *hiſtor. litterar. ſcript. eccleſ. ſaec. III. p. 55. Theſaurus* ille *temporum*, in quo *Euſebii chronicorum canonum omnimodae hiſtoriae libri duo, interprete Hieronymo*, item *auctores omnes, derelicta ab Euſebio & Hieronymo continuantes, eiusdem Euſebii vtriusque partis chronicorum canonum reliquiae graecae, quae colligi potuerunt*, continentur, cum IOSEPHI SCALIGERI *notis & caſtigationibus*, prodiit Lugduni Batauorum, anno MDCVI, recuſus deinceps, notis tertia parte auctioribus, Amſtelodami anno MDCLVIII. Dignum profecto opus, quod vel ob notas illas ac animaduerſiones ſummi viri hic commemoretur, quippe in quibus ſacrae pariter ac profanae hiſtoriae locis obſcurioribus lucem egregiam adſundit. Iungendae CLAVDII SALMASII *variae*

riae lectiones & emendationes in chronicon Hieronymi latinum, itemque *caſtigationes & animaduerſiones in chronicon Euſebii graecum*, *& alterum paſchale*, quas ex beati fratris ſui, CONRADI SAMVELIS, ſchedis auctas & locupletas, ac *notitiae bibliothecae Principalis Vinarienſis* additas, edidit vir doctiſſimus celeberrimusque, HENRICVS LEONHARDVS SCHVRTZFLEISCHIVS, qui & ipſe *p. 48. ſeqq.* de EVSEBIO eiusque chronico erudite & eleganter differit. GEORGIVS vero ille, cuius antea facta mentio, monachus Conſtantinopolitanus, Taraſii patriarchae ſyncellus, ſaeculo octauo floruit, chroniconque reliquit ab orbe condito vsque ad Maximini tempora. Totum illud ex EVSEBII chronico compilauit, ſed ita, vt ſaepe ab eo diſſentiat, cumque vehementer exagitet. Prodiit, vti diximus, ſtudio & opera IACOBI GOARI, qui & notas addidit, Pariſiis, anno MDCLII. Locum praeterea inter antiquiores chronographos ſibi vindicat IOANNES Antiochenus, cognomento MALALA, quippe qui *hiſtoriam chronicam* libris XVIII, ab orbe condito vsque ad Iuſtiniani ſenioris exitum, ſcripſit. De aetate eius viri docti inter ſe non conſentiunt, cum ab aliis ad initium ſaeculi ſeptimi, ab aliis ad ſaeculum nonum referatur. In linguam latinam hancce hiſtoriam chronicam transtulit EDMVNDVS CHILMEADVS, quam luci tandem publicae graece atque latine expoſuit HVMPHREDVS HODIVS, anno MDCXCI. Non vero multum bonae frugis inde capias, cum auctorem iſtum anachronismis & anti-chronismis ſcatere, nugarumque & fabularum plenum eſſe, iam aliis obſeruatum ſit. De locis ex EVSEBII hiſtoria chronica a IO. MALALA laudatis, erudite itidem & adcurate differit HENRICVS LEONHARDVS SCHVRZFLEISCHIVS, in *notitia bibliothecae Principalis Vinarienſis*, *p. 51. ſeqq.* Diuerſus ab eo eſt IOANNES, monachus Antiochenus, qui itidem ſaeculo ſeptimo circa annum DCXX claruit, & *hiſtoriam chronologicam a mundi initio ad ſua vsque tempora* ſcripſit, quae hactenus nondum eſt edita, excerpta tamen eius ampliſſima *collectaneis* ſuis de *virtutibus & vitiis* inſeruit CONSTANTINVS PORPHYROGENETA, quae notis illuſtrata ex codice Peiresciano graece & latine edidit HENRICVS VALESIVS, Pariſiis anno MDCXXXIV. Plura, quae vſui nobis eſſe queant, promittit *chronicon*, vt vulgo vocatur, *Alexandrinum*. Incipit & illud ab orbe condito, & per varia mundi ſaecula decurrrens, ad Heraclii imperatoris tempora perducitur. Alexandrinum vocatur, quod in frontiſpicio manuſcripti codicis PETRVS ALEXANDRINVS, nota adpoſita, illud commendarat. Idem *faſtorum Siculorum* nomine venit, quod ab HIERONYMO SVRITA in vetuſta quadam Siciliae bibliotheca repertum eſt. Cum vero in eodem temporum rationes praecipue iuxta feſta paſchatis in eccleſia tum iudaica, tum chriſtiana, recurrentia, notentur, aliis *chronici paſchalis* nomen illi dare placuit. Integrum primum hocce chronicon edidit MATTHAEVS RADERVS, Monachii anno

MDC

Digitized by Google

M DC XV. Sed longe adcuratior pleniorque eſt editio, quae opera & ſtudio CAROLI DV FRESNE anno M DC LXXXIX Pariſiis prodiit, qui etiam non tantum notas criticas & hiſtoricas addidit, ſed ampliſſimam praefationem praemiſit, in qua inter alia de auctore, & reliquis ad opus hocce ſpectantibus, copioſe diſſerit. De auctore tamen nihil certi adferi poteſt, etſi nonnulli, eum GEORGIVM PISIDEM, qui ſaeculo ſeptimo floruit, eſſe perhibeant.

** Sub finem ſaeculi IV floruit SVLPITIVS SEVERVS, Nitiobrix, Primuliacenſis in Africa presbyter, diuerſus omnino ab eiusdem nominis epiſcopo Bituricenſi, quocum male a CAROLO SIGONIO, aliisque, confunditur, vt recte notatum IOSEPHO SCALIGERO, *proleg. lib. de emendatione temp.* Virum doctrina & ſapientia pollentem vocat AVGVSTINVS, *ep. CCV.* IDACIO autem, *init. chron.* vir ſummus audit. Paſſim etiam ob puritatem & elegantiam ſtili laudatur. *Etſi vero nonnulla adfert,* (ita de eo pronuntiat D. CASP. SAGITTARIVS, *introd. ad hiſt. eccleſ. cap. III. p. 10.) ſcriptor, virgulam cenſoriam commerita, tamen & propter ſtili Salluſtiani, quem imitatur, elegantiam, & quod hiſtorias biblicas, priſcorumque temporum potiora, per compendium non ineleganter perſequitur, dignus lectu ſcriptor eſt.* Conf. & GERHARDVS IOANNES VOSSIVS, de *hiſtor. latin. lib. II. cap. XII.* Sunt, qui, inter ſcriptores eccleſiaſticos eum referendum, negant, cum *hiſtoriam ſacram*, hoc eſt, epitomen hiſtoriarum biblicarum ſcripſerit, & non niſi extrema parte hiſtoriam eccleſiaſticam attingat. Sed cum vera eccleſia olim in gente iſraëlitica fuerit, adeoque gentis huius fata cum fatis eccleſiae fuerint coniunctiſſima, immo SVLPITIVS non tantum ciuilia, ſed & ſacra huius gentis complexus ſit, haud ſine ratione locum hic ſibi vindicat. Saepius opera SVLPITII ſunt edita; commendanda autem merito recentiſſima editio, quae Lipſiae anno M DCC IX prodiit, in qua omnia SVLPITII SEVERI, quae exſtant, opera, in duos tomos diſtributa, exhibentur, quorum prior antehac edita continet, cum notis IO VORSTII, alter autem epiſtolas, antea cum reliquis operibus nondum editas, ex recenſione & cum notis IOAN. CLERICI. Fuerunt etiam, qui notis & commentariis huncce auctorem illuſtrarent, vt praeter IO. VORSTIVM iam laudatum, VICTOR GISELINVS, CAROLVS SIGONIVS, IO. DRVSIVS, GEORGIVS HORNIVS, aliique; cumprimis autem fuſe & operoſe hoc egit CHRISTIANVS SCHOTANVS, cuius *bibliotheca hiſtoriae ſacrae veteris teſtamenti, ſeu exercitationes hiſtoricae in ſacram ſcripturam & Ioſephum, per modum commentarii in hiſtoriam ſacram Sulpitii Seueri,* in duos tomos diſtributa, prodiit Franequerae anno M DC LXII in fol. Magna vtique diligentia auctor collegit, quae non tam ad SVLPITIVM SEVERVM, quam ipſam hiſtoriam eccleſiaſticam veteris teſtamenti illuſtrandam faciunt. Sunt tamen, qui ordinem & ſelectum rerum, iudiciumque hinc inde, in hocce opere deſiderant.

§. XV.

§. XV.

Nec defuerunt, medio poſt Chriſtum natum aeuo, tum inter Graecos, * tum inter Latinos, ** qui aut annales, aut chronica ſua ab ipſa mundi eccleſiaeque origine auſpicarentur. In quibus etſi conatus neutiquam vituperandus ſit, ſaeculi tamen infelicitas, barbariesque, quae orbi incubuit, ſumma, ſubinde & aliae rationes, obſtitere, quo minus, quod calculum ferat, proferre potuerint. Ieiuna itaque hic omnia ſunt, ſterilia, & fabulis quandoque atque commentis infectis foedata.

* Spectat huc GEORGIVS CEDRENVS, monachus graecus, qui ſaeculo vndecimo vixit, & *annales* ſiue *compendium hiſtoriarum*, ab orbe condito vsque ad Iſaaci Comneni tempora, annumque Chriſti MLVII ſcripſit. Conf. LEO ALLATIVS, *diatrib. de Georgiis & eorum ſcriptis*, *p. 334.* IOANNES ZONARAS ſaeculo duodecimo vixit, & *annalium* ſeu *compendii hiſtoriarum* tomos III reliquit, in quorum primo de rebus iudaicis, ab orbe condito vsque ad Hieroſolymorum excidium, agit. Eodem ſaeculo MICHAEL GLYCAS floruit, qui, praeter alia, annales quadripartitos ſcripſit, in quorum parte prima de operibus ſex dierum diſſerit, in ſecunda autem res geſtas ab orbe condito ad Chriſtum natum enarrat. Addi his a quibusdam ſolet THEOPHANES CONFESSOR. Sed hic chronographiam ſuam ab anno imperatoris Diocletiani primo incipit; hinc & a quibusdam pro quodam velut continuatore GEORGII CEDRENI habetur. Vid. MARTINVS HANCKIVS, de *Byzantinarum rerum ſcriptoribus*, *part. I. cap. XI. p. 220.*

** Ex ſeptimo ſaeculo huc referendus eſt ISIDORVS Hiſpalenſis; ex octauo, BEDA, cognomine *venerabilis;* ex nono, FRECVLPHVS, monachus primum Fuldenſis, poſt Lexouienſis epiſcopus, itemque ADO, Viennenſis ad Rhodanum in Allobrogibus archiepiſcopus; ex ſaeculo vndecimo, HERMANNVS contractus, itemque MARIANVS Scotus; ex ſaeculo duodecimo, HVGO Floriacenſis, itemque OTTO Friſingenſis, atque GODOFRIDVS Viterbienſis; ex ſaeculo decimo tertio, CONRADVS A LICHTENAV, Vrſpergenſis monaſterii ad Mindolam in dioeceſi Auguſtana abbas, itemque ALBERTVS, abbas Stadenſis, & denique VINCENTIVS Bellouacenſis. Hi enim omnes ab ipſo mundi initio, excepto HVGONE Floriacenſi, & CONRADO Vrſpergenſi, quorum ille a Nino, hic autem a Belo, primo Aſſyriorum rege, incipit, chronica ſua exordiuntur, adeoque veteris quoque teſtamenti res geſtas complectuntur. Nec defuerunt ſaeculo decimo quarto & decimo quinto, qui chronica eiusmodi vniuerſalia conderent, vt GOBELINVS PERSONA, qui ſaeculo decimo quinto vixit, in *coſmodromio*, quod vocat, quo hiſtorias ab orbe condito ad ſuum vsque aeuum complexus eſt; THEODORICVS ENGELHVSIVS, monachus

nachus Hildeſienſis, in *chronico*, quod res eccleſiae & reipublicae ab orbe condito ad annum Chriſti circiter M CCCC XX continet; de quibus, vt & reliquis, hactenus commemoratis, praeter GERHARDVM IO. VOSSIVM, de *hiſtoricis latinis*, legendus B. CASPAR SAGITTARIVS, *introd. ad hiſtor. eccleſ. cap. IX. & X.* itemque DEGOREVS WHEAR, in *relectionib. hyemalib.* & quae ad eas in *acceſſionibus* ſuis addidit IO. CHRISTIANVS NEV. Iungendi etiam ſunt, qui ſaeculo decimo ſexto floruerunt, chronographi haud pauci, qui a mundo condito itidem ſua exorſi ſunt, ex quibus prae reliquis lectu dignum eſt *chronicon* IO. CARIONIS, quod rectius partim PHILIPPO MELANCHTHONI, partim CASPARI PEVCERO tribuitur, quippe in quo eccleſiae pariter ac imperiorum praecipuorum fata, a condito mundo, ſingulari ſtudio, miraque ſtili elegantia & facilitate, ea quidem ratione exponuntur, vt, quod praecipuum eſt, prouidentia Numinis admiranda in eccleſiae & reipublicae fatis diſpenſandis, diligenter vbique obſeruetur, & lectoribus ante oculos ponatur. Sed de eo quoque, vt & reliquis decimi ſexti, itemque decimi ſeptimi ſaeculi chronographis, conferre poterit, qui plura deſiderat, SAGITTARIVM, *l. c. cap. XI. p. 91. ſeqq.*

§. XVI.

Qui recentiori aetate & poſt litterarum bonarum reſtitutionem, ad hiſtoriam eccleſiaſticam veteris teſtamenti, eiusque illuſtrationem, aliquid contulerunt, non vnius ſunt generis. Ne quid enim de illis dicam, qui ſcripturae ſacrae libros veteris teſtamenti commentariis explicarunt, * fuerunt etiam, qui annales veteris teſtamenti conderent, quos inter eminent IACOBVS SALIANVS, ** AVGVSTINVS TORNIELLVS, *** atque IACOBVS VSSERIVS. *

* Ingens horum, ſiue Iudaeos, ſiue chriſtianos ſpectes, eſt numerus, nec huius aut loci aut inſtituti, aut omnes, aut praecipuos enarrare. Sed nec omnes hiſtoriae eccleſiaſticae ſtudio inſeruiunt, ſed illi tantum, qui in ſenſum litteralem quam diligentiſſime inquirunt, & circumſtantiarum hiſtoricarum habent rationem. Facit id ex recentioribus prae reliquis magno ſtudio IOANNES CLERICVS. in *commentario* ſuo in *pentateuchum*, itemque in *libros hiſtoricos veteris teſtamenti*; qui magnam eccleſiaſticae hiſtoriae veteris teſtamenti partem complectuntur. Et licet non omnes viri iſtius longe doctiſſimi ſententiae adprobandae ſint; lucem tamen ſubinde magnam rebus obſcurioribus adfundit. Sunt etiam in illum iniquiores, qui, ex IO. SPENCERO, & SAM. BOCHARTO ſua eum in commentario in pentateuchum depromſiſſe, contendunt. Etſi enim hosce auctores quandoque ſequatur, non tamen id ſemper facit, aliquando etiam ab iis diſſentit, & plurima ipſemet addidit, cuncta denique ita diſpoſuit atque digeſſit, vt ſine taedio ab omnibus legi & quam facillime diiudicari queant.

** IA-

Digitized by Google

** IACOBVS SALIANVS, presbyter Auenionenſis, ſocietati Ieſu adſcriptus, ſaeculo decimo ſeptimo vixit, obiitque anno MDCXL. *Annales* eius tomis ſex comprehenſi, Pariſiis MDCXXV, & alibi alio tempore, prodierunt.

*** Circa initium itidem ſaeculi decimi ſeptimi vixit AVGVSTINVS TORNIELLVS, Nouarienſis, congregationis S. Pauli clericus regularis, cuius *annales ſacri & profani, ab orbe condito ad eumdem Chriſti paſſione redemtum*, duobus tomis Francofurti MDCXI & XVI prodierunt. Ita vero opus illud auctor concinnauit, vt praeuium atque velut connexum annalibus CAESARIS BARONII cenſeri deberet, quod & in titulo eius indicatur. SALIANI tamen & VSSERII annalibus, eruditorum iudicio, multum poſtponitur.

* Doctiſſimus ille, & ob multa, eaque praeſtantiſſima, ingenii & doctrinae monumenta, celeberrimus archiepiſcopus Armachanus. Licet vero *annalium veteris & noui teſtamenti* titulum opus hocce praeferat, non tamen vlterius, quam ad annum Chriſti LXXIII, ſeu templi ac reipublicae iudaicae excidium, progreditur. Laudatur IO. ANDREAE BOSIO, quod omnia ex fontibus deduxerit; cui etiam *ſcriptor plenus & adcuratus* audit; in *notitia ſcriptorum hiſtoriae vniuerſalis, ſect. poſt. §. XXVIII. p. 201.* Editio Bremenſis, quae anno MDCLXXXVI prodiit, plenior eſt, quam anglicana.

§. XVII.

Iungendi his ſunt, qui ex inſtituto hiſtoriam eccleſiaſticam veteris teſtamenti tradiderunt; ſiue prolixa iuſtaue id fecerint tractatione, vt inter romanenſes, NATALIS ALEXANDER,* inter reformatos, FRIDERICVS SPANHEMIVS,** aliique, *** ſiue per compendium, quod itidem hinc inde viri quidam eruditi praeſtiterunt.*

* *Hiſtoria* eius *eccleſiaſtica veteris teſtamenti*, vna cum *hiſtoria eccleſiaſtica noui teſtamenti*, antea per partes edita, iunctim tandem & in octo diuiſa tomos, prodiit Pariſiis anno MDCXCIX in fol. Licet vero auctor eccleſiae romanae, cui addictus eſt, hypotheſibus ſubinde inſeruiat; ob ordinem tamen methodumque, & luculentam tractandi rationem, minime contemnendus eſt.

** Exſtat *hiſtoria* eius *eccleſiaſtica a condito Adamo ad aeuum chriſtianum;* cui inſeruntur *ſynchroniſmi inſigniores hiſtoriae exoticae*, tomo primo operum eius, Lugduni Batauorum MDCCI editorum. Nihil vero de hocce auctore, quod ad hocce ſtudiorum genus attinet, tam praeclare dici poteſt, quod non multis modis ſuperet.

*** Vt IACOBVS CAPPELLVS, in *hiſtoria ſacra & exotica ab Adamo vsque ad Auguſtum*, Sedani anno MDCXIII. 4. edita. Conf. PAVLVS COLOMESIVS, in *Gallia orient. p. m. 157.*

* Ex iis, qui hiſtoriam eccleſiaſticam veteris teſtamenti, aut ſeorſim, aut iunctim cum hiſtoria eccleſiaſtica noui teſtamenti tractarunt, mihi ſequentes innotuerunt: FRIDERICVS SPAN-

SPANHEMIVS, in *breui introductione ad hiſtoriam ſacram vtriusque teſtamenti;* GEORGIVS HORNIVS, in *hiſtoria eccleſiaſtica*, MELCHIORIS LEIDEKKERI & DANIELIS HARTNACCII *notis & obſeruationibus illuſtrata*, in qua & LVDOVICI CAPPELLI *compendium hiſtoriae iudaicae* exhibetur. Prodiit cum MELCHIORIS LEIDEKKERI & DANIELIS CRAMERI continuatione, Francofurti anno MDCCIV. 8. GOTHOFREDVS ARNOLDVS, cuius itidem exſtat *compendium hiſtoriae eccleſiaſticae veteris ac noui teſtamenti*, germanica lingua conſcriptum, quod Lipſiae anno MDCC. 8 lucem adſpexit. 10. ANDREAE SCHMIDII, theologi Helmſtadienſis clariſſimi, *compendium hiſtoriae eccleſiaſticae veteris teſtamenti*, Helmſtadii prodiit, anno MDCCVIII. 8. Eodem anno publicae luci expoſita eſt CAMPEGII VITRINGAE *hypotypoſis hiſtoriae & chronologiae ſacrae, a mundo condito vsque ad finem ſaeculi primi*, Franequerae in 8. in qua auctor doctiſſimus id praecipue operam dedit, vt chronologicas difficultates breui & perſpicua ratione tolleret. ANTONII LE GRAND *hiſtoria ſacra, mundi exordio ad Conſtantini magni imperium deducta*, Herbornae anno MDCLXXXVI. in 8. recuſa, ob ſtili elegantiam atque nitorem maxime commendanda eſt. Nec praetermittendus LVDOVICVS ELLIES DV PIN, qui praeter alia ingenii monumenta, quibus magnam celebritatem adeptus eſt, etiam *compendium* aliquod *hiſtoriae eccleſiaſticae, veteris ac noui teſtamenti*, per quaeſtiones & interrogationes concinnauit, quod ex lingua gallicana in germanicam translatum, prodiit Ratisbonae, hoc ipſo, quo haec ſcribo, anno MDCCXIII. Praeterea in FRANCISCI BVRMANNI *operibus biblicis*, quae anno MDCCX germanice in fol. edita ſunt, etiam compendium aliquod hiſtoriae eccleſiaſticae veteris teſtamenti vsque ad initium noui teſtamenti continetur. Denique addendum, quod vel primo loco commemorandum erat, *compendium*, quod vocatur, *hiſtoriae eccleſiaſticae Gothanum*, anno MDCLX primum editum, & deinde ſaepius recuſum, cuius ea pars, quae hiſtoriam eccleſiaſticam veteris teſtamenti ſiſtit, auctorem agnoſcit virum ſummum, VITVM LVDOVICVM SECKENDORFIVM, qui in temporum rationibus SETHVM CALVISIVM ſequitur.

§. XVIII.

Cum etiam ritus ac caerimoniae Iudaeorum, totaque & eccleſiae & reipublicae, quae apud eos fuit, ratio, haud exiguam hiſtoriae eccleſiaſticae partem abſoluat, mancaque adeo & mutila futura eſſet tractatio, niſi iſta quoque euoluerentur; nemo non intelligit, ſcriptores, qui de ritibus & antiquitatibus,* cumprimis vero de republica Ebraeorum** egerunt, vtramque hic quoque facere paginam. Id quod non minus de illis cenſendum, qui de origine & progreſſu idolo-

Digitized by Google

idololatriae ſcripſerunt, aut veri falſique Numinis cultus, dogmatumque, quae cum eo coniuncta ſunt, hiſtoriam concinnarunt.***

* Hoc praeter ſcriptores talmudicos, MOSEN etiam MAIMONIDEM, cumprimis in praeclaro opere, cui titulum fecit: יד חזקה *manus fortis*, aliosque Iudaeorum, plurimi etiam praeſtiterunt chriſtianorum, qui in antiquitatibus gentis ebraeae illuſtrandis operam ſtudiumque collocarunt ſuum, idque tum ſeorſim, hoc aut illud caput explicando, vt IO. SELDENVS, IO. LIGHTFOOTVS, IO. HENRICVS HOTTINGERVS, IO. BVXTORFIVS vterque, pater & filius, IO. BENEDICTVS CARPZOVIVS, IO. FRISCHMVTHVS, ſcriptis & diſſertationibus variis, tum cuncta vnico faſce & velut ſyſtemate quodam comprehendendo, idque aut per compendium, vt THOMAS GOODWIN, & HADRIANVS RELANDVS, aut ampliori tractatione. vt IO. LVNDIVS, cuius de *antiquitatibus iudaicis* opus lingua germanica anno MDCCIV in fol. prodiit, aliique. Ingens eiusmodi ſcriptorum eſt numerus, quod adcurate recenſere, huius loci non eſt; eoque facilius hocce labore ſuperſedere poſſumus, cum id iam diligenter, poſt CAROLVM IOSEPHVM IMBONATVM, in *bibliotheca latino-ebraica*, praeſtiterit IO. ALBERTVS FABRICIVS, in *bibliographia antiquaria*, Hamburgi anno MDCCXIII edita. Cumprimis tamen hic commemorandus eſt IOAN. SPENCERVS, cuius libri tres, de *legibus Ebraeorum ritualibus & earum rationibus*, multiplici eruditione referti, tertia vice Lipſiae anno MDCCV prodierunt. Magna quidem is diligentia in argumento tam illuſtri verſatus eſt, ſed quia, quod praecipuum eſſe debebat, fere neglexit, aut vltimo loco conſtituit, ſublimioresque legum Moſaicarum cauſſis naturalibus & politicis poſtpoſuit, haud raro etiam in veris iſtarum legum cauſſis adſignandis aberrauit, non potuit non aliorum reprehenſionem incurrere. Dicetur hac de re in ipſa tractatione ex inſtituto.

** Nota ſatis ſunt, & in omnium verſantur manibus CAROLI SIGONII, PETRI CVNAEI, BONAVENTVRAE CORNELII BERTRAMI, cuius commentationem notis illuſtrauit CONSTANTINVS L'EMPEREVR, IO. STEPHANI MENOCHII, IO. LVDOVICI REIMERI, HERMANNI CONRINGII, aliorumque, de republica Ebraeorum, ſcripta Quorum omnium etſi laudanda ſit induſtria, non tamen omnibus tanta aut linguae, aut rerum ebraicarum fuit notitia, vt ex voto deſtinata exſequi potuerint. Ad hosce vero non ita pridem acceſſit clariſſimus eccleſiae reformatae theologus, MELCHIOR LEIDEKKERVS, in ampliſſimo & admodum luculento opere, cuius pars prior, ſeu tomus primus, ſub titulo: *de republica Ebraeorum libri XII*, lucem adſpexit Amſtelodami anno MDCCIV in fol. pars poſterior autem, ſeu tomus ſecundus, ſub titulo; *de vario reipublicae Ebraeorum ſtatu libri nouem*, ibidem anno MDCCX prodiit. Eo magis autem hocce opus nobis hic commemorandum fuit, quod non tantum reipublicae iudaicae conſtitu-

ſtitutio in eo deſcribatur, ſed ritus quoque & antiquitates eiusdem gentis, immo fata & hiſtoria a prima eius origine ad tempora vsque nati Chriſti, ordine exhibeantur, ediſſeranturue, & alia quoque, de quibus & nobis dicendum erit, capita in eo paſſim attingantur.

*** Quod illi, qui de idololatria gentilium, eiusque origine & progreſſu ſcripſerunt, hic vel maxime in cenſum veniant, nemo non intelligit. Vtramque autem in hoc argumento paginam facit GERHARDVS IOANNES VOSSIVS, in opere de *theologia gentili*, ſeu de *origine & progreſſu idololatriae libris nouem;* quibus etiam additus eſt MOSIS MAIMONIDIS de *idololatria* liber, in linguam latinam translatus, & notis illuſtratus a DIONYSIO VOSSIO. Iungenda porro IO. SELDENI de *diis ſyris ſyntagmata duo*, in quibus etiam priſca aliarum gentium, praecipue orientalium, vt Arabum, Perſarum, Aegyptiorum, theologia illuſtratur. Recuſa ea ſunt cum additamentis ANDREAE BEYERI, Lipſiae anno MDCLXVIII. 8. Nec praetermittendus EDVARDVS baro HERBERTVS DE CHERBVRY, cuius *de religione gentilium, errorumque apud eos cauſſis*, liber, variis, iisque eruditis, obſeruationibus refertus, recuſus eſt Amſtelodami anno MDCC. 8. Sed ANTONII quoque VAN DALE *diſſertationes, de origine & progreſſu idololatriae & ſuperſtitionum, de vera ac falſa prophetia, vti & de diuinationibus idololatricis Iudaeorum*, locum hic ſibi vindicant. Etſi enim auctoris haud ignotus in iis ſcopus ſit, multa tamen lectu & obſeruatu digna in illis continentur. Lucem adſpexerunt Amſtelodami MDCXCVI. 4. Eiusdem auctoris exſtant de *oraculis veterum ethnicorum diſſertationes duae*, editae Amſtelodami anno MDCC, de quibus idem dicendum. Verae falſaeque theologiae fata in veteri teſtamento iunctim exhibet, ſpeciatim tamen de ortu, progreſſu & ratione idololatriae gentilium, diligenter exponit PETRVS IVRIEV, celebris ille reformatae eccleſiae theologus, in *hiſtoria critica dogmatum & cultuum bonorum & malorum, qui in eccleſia ab Adamo vsque ad Chriſtum fuerunt*, gallico idiomate conſcripta, editaque Amſtelodami anno MDCCIV. 4. Eodem etiam IOANNIS OWENI Θεολογόμενα παντόδαπα, *ſiue de natura, ortu, progreſſu & ſtudio verae theologiae libri ſex, quibus etiam origines & proceſſus veri & falſi cultus religioſi, caſus & inſtaurationes eccleſiae illuſtriores, ab ipſis rerum primordiis enarrantur, &c.* collimant. Origo enim & progreſſus tum verae theologiae, per patriarchas conſeruatae & propagatae, tum falſae, ſeu idololatriae gentilium, luculenter in hocce opere ediſſeritur. Ex noſtratibus denique BALTHASAR BEBELIVS, de eccleſiaſticae hiſtoriae ſtudio optime meritus, hic commemorandus eſt. Spectant huc namque *eccleſiae* eius *antediluuianae, vera & falſa, ex antiquitatibus Moſaicis erutae*, editae Argentorati anno MDCCVI, itemque *hiſtoria eccleſiae Noachicae, ex vetuſtiſſimis ſacrarum litterarum antiqui-*

quitatibus eruta, *& ſuffragio eccleſiae chriſtianae illuſtrata*, quae eodem loco eodemque tempore recuſa eſt. Vtriusque nimirum, tum antediluuianae, tum Noachicae eccleſiae ſtatum & fata ita exponit BEDELIVS, vt dogmatum cumprimis verorum atque falſorum habeat rationem.

§. XIX.

Locum denique & iſti hic ſibi vindicant, qui vitas patriarcharum, aliorumque virorum, fide, ſapientia ac pietate, aut dignitate quoque, in veteri teſtamento illuſtrium, deſcripſerunt, ſiue coniunctim id fecerint, ſiue ſeparatim. * Quorſum & lexica hiſtorica referenda ſunt, ** in quibus generatim virorum, ob res praeclare geſtas celebrium, ſpeciatim & eorum, qui in veteri ante Chriſtum natum eccleſia famam ſingularem adepti ſunt, vitae exhiberi ſolent.

* Patriarcharum vitas adcurate & magno eruditionis adparatu deſcripſit IO. HENRICVS HEIDEGGERVS, cuius de *hiſtoria ſacra patriarcharum exercitationes ſelectae*, altera vice excuſae ſunt Amſtelodami anno MDCLXXXVIII. Quo in opere dum nihil, quod memoratu dignum, praetermittit, ſed diligenter in omnia inquirit, non poteſt non praecipuis hiſtoriae eccleſiaſticae veteris teſtamenti capitibus lucem egregiam adfundere. Lingua quoque germanica prodierunt *perſonalia*, vt auctori vocare placuit, ſeu *vitarum deſcriptiones Moſis*, *Ioſuae*, reliquorumque ſcriptorum biblicorum ad Dauidem vsque, Lipſiae anno MDCCVIII, & ſequentibus; ceteraeque adhuc exſpectantur. Auctorem GEORGIVM SERPILIVM, antiſtitem Ratisbonenſem doctiſſimum eſſe, conſtat, qui & magna diligentia, quidquid de hisce auctoribus, ipſisque ſcriptis, inuenire potuit, congeſſit. Inſignem inde noſtram tractationem capere acceſſionem poſſe, res ipſa docet.

** Speciatim huc comparatum eſt SIMONII *dictionarium biblicum magnum*, ſeu *explicatio litteralis & hiſtorica omnium nominum propriorum veteris & noui teſtamenti*, *cum vita & actionibus praecipuarum perſonarum*, *&c.* Conſcriptum eſt gallicano idiomate, lucemque iam anno MDCXCIII adſpexit, ſed auctius deinceps anno MDCCIII Lugduni Gallorum prodiit, exhibenturque in eo vitae patriarcharum, prophetarum, ſummorum ſacerdotum, regum, principumque illuſtrium, quorum in ſcriptura ſacra mentio iniicitur. In lexicis hiſtoricis vniuerſalibus, tum *gallicano* LVDOVICI MORERII, tum *germanico*, quod noſtra opera ſtudioque ante aliquot annos prodiit, talia itidem attinguntur. PETRVS BAELIVS varia quoque huc ſpectantia in *dictionario* ſuo *hiſtorico-critico* exhibet; ſed dum in his, vt alias quoque, ſuo genio ſuisque opinionibus indulget, occaſionem nobis hinc inde, quae perperam ab eo dicta ſunt, refellendi, ſuppeditabit.

§. XX.

Digitized by Google

§. XX.

Fontibus hactenus indicatis, iungenda quoque adminicula atque ſubſidia, quibus via ad intimiorem hiſtoriae eccleſiaſticae veteris teſtamenti notitiam facilior redditur, & obſtacula, quae inoffenſo pede profecturis remoram iniicere poterant, remouentur. Huc chronologia * cumprimis atque geographia, praeſertim antiqua, ** pertinent. Vtramque viri doctiſſimi ſcriptis luculentis illuſtrarunt, quae inſignem in hocce ſtudiorum genere nobis vtilitatem adferunt.

* Cum chronologia vel τεχνικὴ ſit, principia & fundamenta tradens, vel ἱστορικὴ, principia illa adplicans, & temporis rationes in factis illuſtrioribus obſeruans, fuerunt viri doctiſſimi, qui vtramque aut ſeorſim, aut coniunctim, diligentiſſime tractarent, ſuisque commentationibus illuſtrarent. Ne quid enim de IO. FVNCCIO, GERHARDO MERCATORE, MATTHAEO BEROALDO, qui reiectis prorſus profanorum hiſtoricorum monumentis, cuncta tantum ad ſcripturae ſacrae calculos exigere voluit, paſſim ideo aliis vapulans, itemqne de ABRAHAMO BVCHOLZERO, aliisque, dicam, IOSEPHVM IVSTVM SCALIGERVM in hocce ſtudiorum genere adeo enituiſſe, conſtat, vt a quibusdam chronologorum princeps ſalutetur. Opus illud inſigne, quod de *emendatione temporum* ſcripſit, Pariſiis, anno MDLXXXIII lucem adſpexit, auctius deinde multo & emendatius editum Lugduni MDXCVIII. De *theſauro*, quem vocat, *temporum* iam ſupra dictum. His porro addidit *iſagogicorum canonum libros tres*, ne quid, quod ad ornandam perficiendamque chronologiam pertinet, praetermittere videretur. Dubiam autem in hac eruditionis parte SCALIGERO palmam reddere adniſus eſt DIONYSIVS PETAVIVS, Aurelianenſis, Ieſuita doctiſſimus, qui anno MDCXXVII, *libros XIII de doctrina temporum* emiſit. Eos duobus tomis complexus eſt, quorum prior libris octo τὰ τεχνικὰ ſiſtit, poſterior libris quatuor ea, quae in ratione epocharum & interuallorum ſunt obſcura & controuerſa, euoluit; libro autem decimo tertio vſum ſuperiorum librorum oſtendit, & chronicon aliquod vsque ad annum Chriſti DXXXII exhibet. Multa recte & erudite monet PETAVIVS, nec ſine ratione a SCALIGERO quandoque diſſentit. Multa tamen rectius adhuc tradere potuiſſet, niſi hoc illi conſtitutum fuiſſet, quauis data occaſione reprehendere atque caſtigare SCALIGERVM, vnde mirum non eſt, quod ipſe iterum paſſim redarguatur ab aliis. SCALIGERI veſtigia preſſit SETHVS CALVISIVS, qui haud obſcurum inter chronologos nomen adeptus eſt, in *chronologia* ſua, quam anno MDCV publicae luci expoſuit. PETAVIVS autem, quae in opere antea memorato fuſius deduxit, in compendium velut miſit, in *rationario temporum*, aliquoties recuſo, cuius itidem

pars

pars prior τεχνικὴν, poſterior ἱςορικὴν exhibet. Eadem ratione *chronologiam* ſuam *ſacram* pertractauit FRIDERICVS SPANHEMIVS, quae tomo primo operum eius iunctim editorum, exſtat. Sed inter compendia, quibus τὰ τεχνικὰ exhibentur, primus, ni fallor, locus debetur ei, quod AEGIDIVS STRAVCHIVS concinnauit, quodue magno eruditi orbis adplauſu eſt exceptum. Vltima editio, quae & reliquis praeferenda, Lipſiae prodiit anno MDCCVIII. 8. Ex reliquis chronographis, quorum ingens eſt numerus, prae ceteris eminent GILBERTVS GENEBRARDVS, in *chronographiae libris quatuor*, in quibus, vt & reliquis, quae edidit, ſcriptis, re ipſa comprobat, veriſſime de illo pronuntiaſſe THVANVM, quod in ſcriptis ſuis iniquior & acerbior, & vita, quam ſtilo, temperantior creditus fuerit; ad *ann. MDXCVII.* EDVARDVS SIMSONIVS, in *chronico catholico;* ROBERTVS BAILIVS, in *opere hiſtorico & chronologico;* & IO. BAPTISTA RICCIOLVS, in *chronologia reformata.* Cumprimis autem commendandum ABRAHAMI CALOVII *chronicon biblicum,* eiusdem *bibliis illuſtratis* praemiſſum, in quo praecipue controuerſiae chronologicae, ad hiſtoriam ſacram veteris teſtamenti ſpectantes, adcurate & ſolide pertractantur. Ceterum poſtquam ISAACVS VOSSIVS, aliique, auctoritatem LXX interpretum textui ebraeo praeferre coeperunt, diſſenſus inter chronologos maximus exortus eſt, nonnullis calculum LXX interpretum, alii calculum codicis ebraei ſequentibus. Inter eos, qui cum textu ebraeo rationes aſtronomicas conciliare adgreſſi ſunt, fuit MATTHIAS WASMVTHVS, qui operis, quod hac de re moliebatur, ſciagraphiam anno MDCLXXXIV edidit, ipſum vero opus, cum auctor anno MDCLXXXVIII mundo vale dixiſſet, Kilonii anno MDCXCII prodiit; cumque ob praematurum auctoris obitum commentario deſtitueretur, SAMVEL REYHERVS *introductionem in tabulas Chriſtinianas* (ita enim vocantur, quod Chriſtina, Sueciae regina, ſumtus ſuppeditauit) praemiſit, in qua fundamentum huius chronologiae perſpicue exponitur. Conſtitutum autem auctori potiſſimum fuit, auctoritati ſcripturae ſacrae inſiſtere, & ei fundamenta chronologiae ſuperſtruere, qua in re, praeter MATTHAEVM BEROALDVM ante memoratum, praeeuntem ſibi etiam habuit CHRISTIANVM RAVIVM, Berlinatem, ebraeae linguae in academia Vpſalienſi profeſſorem, cuius *vnica, vera & infallibilis chronologia biblica* prodiit Kilonii anno MDCLXX, qui tamen & ipſe varios hac in re aduerſarios expertus eſt, vt alibi ex inſtituto docetur. Nimirum, biblicam chronologiam merito fundamenti loco poni, & pro infallibili agnoſci, fatentur etiam, qui ab his diſſentiunt, ſed ideo exoticos ſcriptores non plane reiiciendos eſſe, immo operam potius nauandam, vt cum ſcriptura ſacra, ſi ab ea diſſentire videantur, concilientur. In contrarium autem currunt, apud quos exoticorum ſcriptorum tanta eſt auctoritas, vt ſcripturam ſacram ad eam exigant, & ad minimum textum

tum ebraeum deſerant, ne iactatam forte ab Aegyptiis aut Chaldaeis antiquitatem reiicere cogantur. Hoc praeter ISAACVM VOSSIVM, antea iam hoc nomine notatum, aliosque, etiam PAVLVS PEZRONIVS fecit, in libro gallicano idiomate ſcripto, cui titulus: *antiquitas temporum reſtituta & defenſa contra Iudaeos & nouos chronologiſtas*, qui Pariſiis anno MDCLXXXVII prodiit. Supponit nimirum, Iudaeos aerae duarum priorum mundi aetatum, quae ab orbe condito vsque ad vocationem Abrahami e patria, pertingunt, quindecim ſuffuratos eſſe ſaecula, eo fine, vt negare liceret, ſextum millenarium iam veniſſe, quo venturum Meſſiam vetuſtiſſima apud illos traditio perhibuerit. Et huic fundamento cetera deinceps ſuperſtruit, ad calculum LXX interpretum cuncta exigens. Quae quam inania ſint, nemo non intelligit, diceturque hac de re in ipſa tractatione. Solent etiam nonnulli (vt hoc vnicum adhuc addam) in dubiis chronologicis & hiſtoricis expediendis, ingens praeſidium in nummis veterum collocare. Nec negandum, poſſe hinc quandoque lucem haud contemnendam etiam iis, quae ad hiſtoriam veteris teſtamenti ſpectant, adfundi. Documento eſſe poteſt *hiſtoria Ptolomaeorum Aegypti regum, ad numiſmatum fidem udcommodata* a IOAN. VAILLANTIO, editaque Amſtelodami MDCCI. fol. Eiusdemque auctoris *Seleucidarum imperium*, ſiue *hiſtoria regum Syriae*, edita Pariſiis anno MDCLXXXI. 4. eademque ratione ex nummis illuſtrata. Iudaeis enim, apud quos veteris eccleſiae ſedes fuit, cum Ptolomaeis, Aegypti, itemque Seleucidis, Syriae regibus, plurimum negotii intercelliſſe, conſtat IOANNES vero HARDVINVS integram omnino *chronologiam veteris teſtamenti, ad vulgatam verſionem exactam, & nummis antiquis ſubinde illuſtratam*, edidit, quae & in *operibus* eius *ſelectis*, Amſtelodami anno MDCCIX iunctim editis, exſtat, *p. 523. ſeqq.* Cui viro illud peculiare eſt, quod non tantum vulgatam verſionem ceu authenticam ſequatur, ſed profanos auctores omnes, praeter HERODOTVM atque PLINIVM, reiiciat. Nummis autem tantum tribuit, vt ceu ſpuria atque ſuſpecta ſtatim reiiciat, quae cum illis non conueniunt. Id quod etiam ex eius *proluſione*, quam vocat, de *nummis Herodiadum*, patet, quae itidem in *operibus* eius *ſelectis*, *p. 328. ſeqq.* exſtat, in qua id illi vnice conſtitutum fuiſſe, vt FL. IOSEPHI fidem eleuaret, iam ſupra obſeruauimus.

** Generatim de geographia antiqua prae multis aliis praeclare meritus eſt B. CHRISTOPHORVS CELLARIVS, in *notitia orbis antiqui*, cuius tomus alter, qui anno MDCCVI prodiit, ſpeciatim ad noſtrum inſtitutum ſpectat, quippe qui, praeter Africam, *Aſiam antiquam* exhibet. Inter ſacrae vero geographiae auctores, ſeu eos, qui locorum in ſcriptura ſacra occurrentium deſcriptionem dederunt, primum locum tenet HIERONYMVS, aut, ſi mauis, EVSEBIVS. Quae enim EVSEBIVS hac de re graece ſcri-

ſcripſerat, latine maximam partem in libro de *locis ebraicis* reddidit HIERONYMVS, ſed ita, vt multa detraxerit, mutarit, addiderit. Exſtat autem non tantum inter HIERONYMI opera, ſed ſeorſim quoque anno MDCCVII Amſtelodami prodiit, ſequenti titulo: *Onomaſticon vrbium & locorum ſacrae ſcripturae, ſeu liber de locis hebraicis, graece primum ab Euſebio Caeſarienſi, deinde latine ſcriptus ab Hieronymo, in commodiorem vero ordinem redactus, variis additamentis auctus, notisque & tabula geographica Iudaeae illuſtratus, opera Iacobi Bonfrerii, S. I.* Recenſuit hanc editionem, & animaduerſionibus ſuis auxit, IO. CLERICVS. Acceſſit etiam eidem BROCARDI monachi, ex ordine Praedicatorum, *deſcriptio terrae ſanctae.* EVSEBIVS equidem & alia ad geographiam ſacram ſpectantia conſcripſerat, quae tamen temporum iniuria ad nos non peruenerunt. Sed in iis quoque, quae peruenerunt, haud pauca viri eruditi deſiderant, praecipue, quod LXX interpretes ſequutus ſit, in quorum verſione iam ab antiquiſſimis temporibus vitioſiſſime ſcripta fuerint a librariis graecis, nomina propria ebraica, quae & ipſe ob linguae ebraeae ignorantiam corrigere non potuerit. HIERONYMVM autem licet emendare, quae perperam ab EVSEBIO dicta erant, adgreſſus ſit, ſubinde tamen & ipſum lapſum eſſe, multa etiam praetermiſiſſe, IACOBI BONFRERII & IO. CLERICI ad *onomaſticum* iam laudatum, animaduerſiones, ſatis ſuperque docent. Fuerunt vero etiam deinceps, qui palaeſtinae, in qua veteris eccleſiae praecipua olim ſedes fuit, tradere notitiam inſtituerunt, praeſertim medio aeuo, cum neſcio quae ſuperſtitio homines ad haecce loca frequentanda impelleret. Sed iis recenſendis nunc non immorabimur, cum praecipuos, tum ex his, tum ex recentioribus, quos idem argumentum occupauit, iam indicauerit IO. CLERICVS, in praefatione, NICOLAI SANSONII *geographiae ſacrae*, praemiſſa. Et ſane haec ipſa *geographia ſacra* NIC. SANSONII, *ex veteri & noui teſtamento deſumta, & in tabulas quatuor concinnata &c.* in qua & praeter alia additae ſunt *animaduerſiones in eas tabulas & deſcriptiones*, idemque *index geographicus*, quaeue cum IO. CLERICI *notis* in *indicem geographicum* & *praefatione*, Amſtelodami anno MDCCIV prodiit, haud vltimum locum inter ſcripta geographica, hiſtoriae eccleſiaſticae veteris teſtamenti illuſtrandae inſeruientia, promeretur. Inter reliquos, qui adhuc ſuperſunt, meritoque hic in cenſum veniunt, commendandi maxime IO. LIGHTFOOTVS, qui in *chorographiis*, quas euangeliſtis praemiſit, aliisque ſcriptis, ex libris talmudicis multa, ceteroquin valde obſcura, feliciter explicuit, tabulasque Iudaeae, & Hieroſolymae, & templi, confecit, & FRIDERICVS SPANHEMIVS, in *geographia ſacra & eccleſiaſtica*, quae operum eius tomo primo exſtat; ne quid nunc de CHRISTIANI ADRICHOMII *theatro terrae ſanctae*, CHRISTOPHORI HEIDMANNI *palaeſtina*, ſimilibusque aliorum ſcri-

Digitized by Google

ptis dicam. SAM. BOCH ARTVS in *geographia ſacra*, cuius pars prior *Phaleg*, poſterior *Canaan* vocatur, id praecipue agit, vt in gentium origines inquirat, alioque adeo in argumento nobis vſui eſſe poteſt.

§. XXI.

Nec hiſtoria ciuilis, ſpeciatim antiqua, negligenda, cum, eccleſiae atque reipublicae fata ſemper inter ſe coniuncta eſſe, conſtet. Quemadmodum vero illos, qui ex veteribus, tum Iudaeorum, tum maxime gentium orientalium, quibuscum Iudaeis olim negotia plurima interceſſerunt, res, litterarum monumentis conſignarunt, iam ſupra indicauimus, ita nec contemnendi ſunt, qui ex recentioribus, compendiis ſuis,* aliisque ſcriptis, ad hiſtoriam ciuilem veterem viam nobis pandunt,

* Plurimi ſunt, qui eiusmodi compendia hiſtorica conciunarunt, quos enarrare huius loci non eſt. Haud ſine ratione IO. CLERICVS, DIONYSII PETAVII *rationarium temporum*, cuius alteram partem chronologiam ἱστορικὴν tradere, iam ſupra obſeruauimus, & CHRISTOPHORI CELLARII *hiſtoriam antiquam*, prae reliquis commendat, nec immerito CELLARIVM praeferendum adhuc PETAVIO cenſet, *art. crit. part. I. cap. I. p. 44.* Addendum tamen *compendium hiſtoriae vniuerſalis, ab initio mundi ad tempora Caroli magni*, ab ipſo IO. CLERICO conſcriptum, & Amſtelodami anno MDCXCVII editum, recuſum etiam Lipſiae anno MDCCVII. Referendae huc etiam NICOLAI GVRTLERI *origines mundi, & in eo regnorum, rerumpublicarum, populorum, horumque duces, migrationes, dii, religio, mores, inſtituta, res geſtae, ciuiles, ſacri, bellicae &c.* Vniuerſalis enim pariter ac eccleſiaſticae hiſtoriae quoddam velut compendium, in quo tamen fata & geſta veterum populorum paullo plenius enarrantur, hocce opus exhibet. Prodiit Amſtelodami anno MDCCVIII. 4.

§. XXII.

Cumprimis vero & illorum, qui hiſtoriam, & litterariam,* & philoſophicam veterum** excoluerunt, habenda eſt ratio. Hinc enim quam maxime veras & genuinas ſententias, tum illorum, qui veritatem propugnarunt, tum qui eam rationibus & argumentis oppugnarunt, vel tenebrarum regnum validiſſime ſtabiliuerunt, quod gentilium maxime praeſtiterunt philoſophi, intelligere licet. Recteque omnino iudicarunt, qui cenſuere, philoſophicam litterariamque hiſtoriam lucem maximam hiſtoriae eccleſiaſticae dare. Idque veriſſimum eſſe, noſtra forte omnes docebit tractatio. Sed ad rem ipſam tandem accedamus.

* Cum

* Cum hiſtoria litteraria vitas, fata, ſcripta virorum doctrina & ſapientia illuſtrium recenſeat, & vero in diſpenſandis eccleſiae fatis horum opera Deus vel maxime vtatur, litterarum praeterea & religionis fata numquam fere non coniuncta ſint, res ipſa docet, hiſtoriam eccleſiaſticam inſignem ab eiusmodi ſcriptoribus capere vtilitatem. Cum vero nobis nunc de hiſtoria eccleſiaſtica veteris teſtamenti ſermo ſit, illi etiam ſaltem ſcriptores in cenſum veniunt, qui iſtius aetatis hiſtoriam litterariam tradere adgreſſi ſunt. Quos inter haud dubio primum praecipuumque locum tenet PETRVS LAMBECIVS, in *prodromo hiſtoriae litterariae*, Hamburgi anno M DC LIX edito, & ibidem cum aliis, tum ipſius, tum aliorum virorum doctorum monumentis, opera & ſtudio IO. ALBERTI FABRICII, anno M DCC X recuſo. *Tentamen* quoque *introductionis ad hiſtoriam litterariam ante-diluuianam* lingua germanica edidit IACOBVS FRIDERICVS REIMMANNVS, Halae Saxonum anno M DCC IX in 8. Si qui alii id ita fecerint, vt noſtro inſtituto inſeruiant, illorum in ipſa tractatione mentio iniicietur. Specialiori quadam ratione hic locum ſibi vindicant, qui ſcriptorum librorumque ſacrorum veteris teſtamenti, praeſertim canonicorum, hiſtoriam litterariam tradiderunt, vt ex veteribus auctor *ſynopſeos ſcripturae*, quae inter ATHANASII opera exſtat, inter recentiores praeter alios SIXTVS Senenſis, in *bibliotheca ſancta*, MICHAEL WALTHERVS, in *officina biblica*, PETRVS DANIEL HVETIVS, in *demonſtratione euangelica*, LVD. ELLIES DV PIN, in *diſſertatione praeliminari*, ſeu *prolegomenis ſuper biblia*, aliique quamplurimi, quos omnes enumerare huius loci non eſt. In ſuppoſititiis autem ſcriptis, quae virorum in veteri teſtamento celebrium nomina praetulerunt, & quorum aut memoria ſaltem ſupereſt, aut fragmenta quaedam, ſi vnum alterumue excipias, ad nos peruenerunt, enarrandis, ſtudium ſingulare poſuerunt IO. ANDREAS SCHMIDIVS, in *pſeudo veteri teſtamento*, Helmſtadii anno M DCC VII edito, SCIPIO SGAMBATVS, in *archiuorum veteris teſtamenti libris tribus*, Neapoli anno M DCC III. in fol. editis, & qui diligentia omnes ſuperat, IO. ALBERTVS FABRICIVS, in *codice pſeudepigrapho veteris teſtamenti*, Hamburgi anno M DCC XIII edito. Hi vero quem nobis praeſtent vſum ſcriptores, ex ipſa itidem conſtabit tractatione.

** Vt hiſtoria litteraria latius patet, quam philoſophica, ita haecce philoſophorum non tantum fata & vitas, & memorabilia, ſed cumprimis dogmata tradit. Et haec cum haud raro veritati a Deo reuelatae repugnent, vt in iis aut atheiſmus, aut ethniciſmus ſubtilis lateat, qua ratione ad regnum tenebrarum, quod regno lucis opponitur, conſeruandum inter gentes, & propagandum, contulerunt plurimum; res ipſa iterum docet, veteris teſtamenti hiſtoriam eccleſiaſticam plene & adcurate tradi non poſſe, niſi philoſophiae, quae inter ethnicos hinc

Digitized by Google

inde floruit, habeatur ratio. Coniungendam cum hiſtoria eccleſiaſtica hiſtoriam philoſophicam eſſe, recte intellexit IOANNES WILHELMVS ZIEROLDVS, qui ideo *introductionem ad ſolidam hiſtoriam eccleſiaſticam cum hiſtoria philoſophica coniunctam*, lingua germanica edidit, Lipſiae anno MDCC. 4. Quod autem ad ſcriptores attinet, qui hiſtoriae philoſophicae inſeruiunt, dolendum vtique, quod de philoſophia gentium orientalium, aliarumque, quae barbarae vocantur, non alia fere monumenta ſuperſint, quam quae hinc inde apud graecanicos ſcriptores reperiuntur, & ab aliis ex iis congeſta ac in certum diſpoſita ſunt ordinem. Graecanicae philoſophiae notitiam hiſtoricam qui traderent, plures fuere, plerique tamen iniuria temporum nobis erepti ſunt, quorum memoriam praeter alios ex recentioribus conſeruare ſtuduit IO. IONSIVS, de *ſcriptoribus hiſtoriae philoſophicae*. Inter eos, quorum opera ad nos integra peruenerunt, eminet, immo ſolus fere eſt, DIOGENES LAERTIVS, in *libris X, de vitis, dogmatibus, & apophthegmatibus clarorum philoſophorum*. Ex recentioribus in hiſtoria philoſophica illuſtranda praeter alios ſtudium operamque collocarunt GERHARDVS IOANNES VOSSIVS, ABRAHAMVS GRAVIVS, GEORGIVS HORNIVS, alii, qui, vt non omnes eadem eruditione inſtructi, aut eodem conſilio ac inſtituto ad hocce negotium acceſſerunt, aut illud perficere potuerunt, ita non deſunt, quae in ſingulis viri docti deſiderant. Barbaricam etiam ſpeciatim philoſophiam OTTO HEVRNIVS. Italicam IO. SCHEFFERVS, Stoicam IVSTVS LIPSIVS, alii aliam ſcriptis ſuis illuſtrarunt; eius vero, quae in gente ebraea floruit, fata, ipſemet expoſui, in *introductione ad hiſtoriam philoſophiae Ebraeorum*. Omnes vero, qui omnium, quae apud veteres fuerunt, ſectarum dogmata, totumque adeo hiſtoriae philoſophicae apud veteres ambitum complecti voluerunt, haud dubio multum ſuperauit THOMAS STANLEIVS, in *hiſtoria philoſophiae, vitas, opiniones, resque geſtas & dicta philoſophorum ſectae cuiusuis complexa*. Hocce opus cum anglicano primum idiomate conſcriptum eſſet, IO. CLERICVS eam partem, quae de *hiſtoria philoſophiae orientalis* agit, in latinum ſermonem transferendo, magnam cupiditatem reliqua quoque legendi, anglicanae linguae ignaris iniecit. Hoc ergo in ſe tandem ſuſcepit GOTTFRIEDVS OLEARIVS, theologus Lipſienſis clariſſimus, qui non tantum illud STANLEII opus ex anglicano ſermone in latinum tranſtulit, ſed emendauit quoque, variisque diſſertationibus atque obſeruationibus paſſim auxit; & vt alias, ita hac quoque in re praeclare de orbe erudito meritus eſt. Prodiit ita adornatum hocce opus Lipſiae, anno MDCCXI. 4. Dabimus vero & nos operam, vt in ipſa tractatione nihil eorum, quae ad noſtrum inſtitutum ſpectant, praetermittatur.

PERIODI PRIMAE
AB ADAMO VSQVE AD MOSEN
SECT. I.
A CONDITO MVNDO VSQVE AD DILVVIVM.

Σύνοψις.

Originem eccleſiae anteceſſit origo mundi, ex ſacrarum litterarum monumentis condiſcenda; §. I.

Primo namque Deus ex nihilo materiam, ornatu, diſpoſitione, & luce deſtitutam, produxit; §. II.

Hinc lucem prodire iuſſit, conſtituto noctis ac diei diſcrimine; §. III.

Tum ſecundo creationis die coelum aëreum exſtare voluit; §. IV.

Tertio die aquas inferiores certis ſedibus incluſit, omnique herbarum & arborum genere tellurem exornauit; §. V.

Lumina porro in coelo ſidereo diſpoſuit, vt temporum menſurae inſeruirent; idque quarti diei opus fuit; §. VI.

Maria piſcibus, aërem volucribus impleuit, die quinto; §. VII.

Animalibus terreſtribus, reptilibusque, immo homini, qui huius vniuerſi dominus eſſet, creando, datus fuit dies ſextus; §. VIII.

Pulchra haec omnia, & ita conſummata fuerunt, vt nullus in illis conſpiceretur defectus; §. IX.

Tempus mundi conditi indagatur; §. X.

Origo eccleſiae; Adami & Euae creatio paullo diſtinctius deſcribitur; §. XI.

Imago Dei, ad quam primi homines conditi fuerunt, in quo conſtiterit? §. XII.

Naturalium non minus, quam diuinarum rerum peritiſſimum fuiſſe Adamum; non tamen eruditionem eius ex notione hodie recepta aeſtimandam; §. XIII.

Eruditionis Adamiticae documentum in lingua primigenia conſpicitur; §. XIV.

Religio Adami federe operum nitebatur; conditiones eius ex parte hominum; §. XV.

ex parte Dei; §. XVI.

Quae ratio fuit arboris ſcientiae boni & mali? itemque arboris vitae? §. XVII.

Sabbathum cur & quando inſtitutum? §. XVIII.

itemque matrimonium? §. XIX.

Ex dictis colligitur, praeter abſolutas, etiam hypotheticas leges in ſtatu integritatis locum habuiſſe; quidue de ſtatibus & inſtitutis poſt lapſum introductis cenſendum, exponitur; §. XX.

Sedes eccleſiae ante lapſum in paradiſo fuit, qui deſcribitur; §. XXI.

Felix ille integritatis ſtatus per lapſum pri-

Digitized by Google

primorum parentum deſiit; quone pacto is contigerit? §. XXII.

Hiſtoriam lapſus a Moſe deſcriptam proprie intelligendam eſſe, probatur; §. XXIII.

Eccleſiae per ſeminis benedicti promiſſionem reſtitutio; §. XXIV.

Federis gratiae, quod federi operum ſucceſſit, adeoque & religionis verae in hocce federe, ſumma; §. XXV.

Sabbathi, matrimonii, ſtatuumque ac inſtitutorum, tum introductorum, quae tunc fuerit ratio; §. XXVI.

Eruditio Adami poſt lapſum; artes ab eo inuentae; poenitentia & ſalus aeterna; §. XXVII.

Sedes eccleſiae poſt lapſum; fata paradiſi; §. XXVIII.

Quae de rerum origine, ſtatu integritatis, lapſuque primorum parentum Moſes memorauit, ſcriptorum gentilium teſtimoniis quodammodo confirmari poſſunt; §. XXIX.

In eccleſiae propagatione mox regnum lucis & tenebrarum ſe oſtendit, hoc in Caino, illud in Abele; ſacrificiorum ſimul origo indicatur; §. XXX.

Cum diuerſa animi diſpoſitione, euentuque diuerſo, vterque ſacrificium offerret, a Caino interficitur Abel; §. XXXI.

Caini poenitentia hypocritica, poenae promeritae deprecatio, vitaeque, quam ſequutus eſt, ratio; §. XXXII.

Cainitae, eorumque mores & ſtudia; §. XXXIII.

Quae Iabal, Iubal & Thubalcain, ad vitam hancce commodiorem iucundioremque reddendam, inuenerint; §. XXXIV.

Lamechi exemplo Cainitarum improbitas probatur; polygamia eius & ſtulta ferocia; §. XXXV.

An etiam doctrina ſacra apud Cainitas fuerit corrupta? an πολυθεότης & *idololatria ab illis introducta?* §. XXXVI.

Vera eccleſia per Sethum, eiusque poſteros, fuit propagata; §. XXXVII.

Inter Sethitas maxime celebres fuere Enoſchus & Henochus; ſub illo diuini cultus reſtauratio facta, hic cum eſſet ſanctiſſimus, ſine morte naturali in coelum translatus eſt; §. XXXVIII.

Noachi fides, ſanctitasque, Numinisque de eo ſeruando, cum reliqui diluuio perdendi eſſent; decretum; §. XXXIX.

Sethitarum religio, vitae, morumque innocentia, ſummatim exhibetur, & de longaeuitate hominum ante-diluuianorum aliquid additur; §. XL.

§. I.

ORiginem eccleſiae anteceſſit origo totius huius vniuerſi, de qua vt incerta ſunt, quae ratio tradit, * ita certiſſima contra & adcurate inter ſe conſentientia, quae diuinus ſcriptor Moſes ** memoriae prodidit.

* Id

* Id quidem ex ratione certiſſimum eſt, & euidenter demonſtrari poteſt, Deum eſſe huius vniuerſi cauſſam, ſeu hocce vniuerſum ab alio, ſcilicet Deo, cuius potentia ſit infinita, dependere. Creationem tamen certo tempore, aut eo, quo facta eſt, tempore, factam, non equidem demonſtratione inuicta, argumentis tamen ſummam probabilitatem progignentibus, euinci poteſt. Cuiusmodi inter reliqua eſt conſenſus vniuerſalis gentium de primis rerum originibus, deque initiis populorum, imperiorum, artium, diſciplinarum, hiſtoriarum, immo ipſarum fabularum, quas de diis deabusque ſuis priſci gentiles commenti ſunt. Id ex ipſis gentilibus, & Epicuri quidem alumnis, recte vrget TITVS LVCRETIVS CARVS:

Praeterea ſi nulla fuit genitalis origo
Terrarum, & coeli, ſemperque aeterna fuere,
Cur ſupera bellum Thebanum & funera Troiae,
Non alias alii quoque res cecinere poëtae?
Quo tot facta virum toties cecidere? neque vsquam
Aeternis famae monumentis inſita florent?
Verum, vt opinor, habet nouitatem ſumma, recensque
Natura eſt mundi, neque pridem exordia cepit.
Quare etiam quaedam nunc artes expoliuntur,
Nunc etiam augeſcunt, nunc addita nauigiis ſunt
Multa, modo organici melicos peperere ſonores.

de rerum natura, lib. V. p. m. 158. ex edit. OBERTI GIFANII. Sed intelligenda haec ſunt ex mente Epicuri, qui mundo huic ortum aliquem equidem tribuit, ſed ſuo ſenſu, vt deinceps dicetur. Fuerunt ceteroquin plurimi ex philoſophis, qui mundum, ea etiam facie, qua nunc conſpicitur, aeternum fuiſſe, ſeu initium nullum habuiſſe, contenderent. Et ex horum etiam ſententia humanum genus ſemper extitit. Quinam in illa verſati ſint opinione, in compendio & ſummatim indicat CENSORINVS, de *die natali, cap. IV. p. m. 25. Sed prior illa*, inquit, *ſententia, qua ſemper humanum genus fuiſſe creditur, auctores habet Pythagoram Samium, & Occlum Lucanum, & Archytam Tarentinum, omnesque adeo Pythagoricos. Sed & Plato Athenienſis, & Xenocrates, & Dicaearchus Meſſenius, itemque antiquae academiae philoſophi non aliud videntur opinati. Ariſtoteles quoque Stagirites, & Theophraſtus, multique praeterea non ignobiles peripatetici idem ſcripſerunt, eiusque rei exempla dicunt, quod negent, omnino poſſe reperiri, auesne ante an oua generata ſint, cum & ouum ſine aue, & auis ſine ouo gigni non poſſit.* Ad quem CENSORINI locum quae notauit HENRICVS LINDENBROGIVS, lectu digna ſunt. Reliqui, quos deinceps idem auctor adducit, philoſophi, licet originem quamdam humani generis, in diuerſas tamen abeuntes ſententias, agnouerint, materiae ſaltem aeternitatem ſtatuentes, aut mundos, continuo ordine ſibi inuicem ſuccedentes, adſe-

ren-

Digitized by Google

rentes, reuera creationem negarunt. Id vel Epicuraeorum ac Stoicorum exemplo patet, licet illi caſui fortuito, hi fato ineuitabili, mundi noui ortum adſignauerint. Sed Ariſtotelis, eiusque diſcipulorum, hic praecipue in cenſum venit ſententia, qui, mundum ea, qua nunc eſt, facie, ſemper exſtitiſſe, adſerebant. Eoque naturalis philoſophiae ſyſtema, quod animo concepit Stagirita, vel maxime comparatum fuit. Hinc inter chriſtianos etiam fuere, qui, veſtigiis Ariſtotelis inſiſtentes, talia docuerunt, quae aperte, eos mundum aeternum crediſſe, produnt. Id cumprimis ANDREAS CAESALPINVS, Aretinus, in *quaeſtionibus peripateticis* egit, quo neminem melius Ariſtotelis mentem percepiſſe, viri docti iam pridem pronuntiarunt. Hunc vero Deum a mundi huius opificio remouiſſe, luculenter demonſtrat SAMVEL PARKERVS, in *diſputationib. de Deo & prouidentia diuina, diſp. I. p. 64.* Nec procul ab eadem impietate abfuiſſe, immo CAESALPINVM ſuperaſſe, CLAVDIVM BERIGARDVM, in *circulo Piſano*, idem PARKERVS pronuntiat, *loc. cit. Atque adeo*, inquit, *vno eodemque opere* (BERIGARDVS) *diuerſas cum Epicureae tum peripateticae impietatis rationes adornauit, quamquam Ariſtotelis diſciplinam fuſius & ardentius excoluit, atque eam potiſſimum, quam libro phyſicorum octauo, librisque de coelo & rerum generatione tradidit, quibus vniuerſam mundi fabricam SINE PROVIDENTIA ARCHITECTRICE exſtruxiſſe ſe putat philoſophus.* Fuerunt autem, qui, licet in ceteris Ariſtotelis placita ſequerentur, hanc tamen de mundi aeternitate ſententiam non admiſerunt, ſed impugnarunt, ſaltem eam reieciſſe videri voluerunt; vt BERNARDINVS TELESIVS, de *rerum natura, lib. I. cap. IX. & X.* NICOLAVS TAVRELLVS, de *rerum aeternitate*, aliique. Et ſane omnium minime ipſi etiam rationi aeternitas mundi eo modo, quo eam adſeruit Ariſtoteles, ſeſe probat. Ex origine enim artium, populorum, hiſtoriarum, vt diximus, huncce mundum initium ſumſiſſe, euidentiſſime conſtat. Idque prolixius & copioſius ediſſeruit IAQVELOTIVS, in *diſſertationibus de exiſtentia Dei*, lingua gallicana ſcriptis. Cum enim de mediis, quibus aetas mundi cognoſci poteſt, ſpeciatim de hiſtoricis, & monumentis, ex quibus hi ſua hauſerunt, verba feciſſet, vt & de hymnis, quibus antiquiſſimis temporibus rerum geſtarum memoria conſeruata fuit, item de vrbibus, templis, aliisque aedificiis, aeternitati conſecratis, itemque de deorum ſimulacris, & conſecratis iis anathematibus, de ſepulchris porro, & tropaeis, & ſtatuis, altaribus, columnis, de monetis, & ſigillis antiquorum, de gentium communicatione & bibliothecis veterum, ex his omnibus concludit, ne minimum in hisce veſtigium occurrere, quo probari poſſet, mundum antiquiorem eſſe, quam cum eſſe Moſes memoriae prodidit, ſimulque ad rationes, quae pro mundi aeternitate adferri poſſunt, reſpondet, *diſſert. I. cap. IV.* ad *XII.* Atque haec vt lon-

longe ſunt efficaciſſima contra mundi aeternitatem argumenta, ita non magni momenti eſt, in quo omne cauſſae praeſidium collocat ISAACVS VOSSIVS, ſi mundus eſſet aeternus, iamdudum perpetuo aquarum & fluminum decurſu & attritu montes defecturos fuiſſe, & planam fore terrae ſuperficiem, in *diſſertat. de aetate mundi, cap. I.* Varia enim a rerum naturalium peritis ad hanc rationem regeri poſſe, palam eſt.

** Mundi namque originem *cap. I. Geneſeos* adcurate & luculenter deſcribit. Hancce vero creationis hiſtoriam, in hocce capite comprehenſam, diuerſimode conſiderarunt viri docti. Nonnulli philologice, ſingula ſacri ſcriptoris verba explicando, vt IO. HENRICVS HOTTINGERVS, in *hiſtoriae creationis examine theologico-philologico;* alii phyſiologice, origines rerum hinc eruentes, quorum nonnulli tamen placitis, quae iam antea ex philoſophis hauſerunt, Moſis aptare verba non dubitant, vt iuxta Ariſtotelis fere mentem narrationem Moſis explicare adniſus eſt IO ZEISOLDVS, de *conſenſu & diſſenſu Ariſtotelis cum ſcriptura ſacra,* a quo inſtituto non procul abeſt EDMVNDVS DICKINSON, in *phyſica veteri & vera;* iuxta Carteſii autem hypotheſes IOAN. AMERPOEL, in *Carteſio Moſaizante*, non procul ab hacce via diſcedente, praeter THOMAM BVRNETIVM, GVIL. WHISTONO, in *noua telluris theoria*, DETHLEVO CLVVERIO, in *geologia ſacra*, aliisque. Varias multorum in hiſtoriam creationis de rebus variis, praeſertim philoſophicis, obſeruationes, per modum *indicis hiſtorico-philoſophici*, congeſſit IO ELOMIVS, in *hexaëmero*, Hamburgi MDCLXIV edito. Alii theologice hiſtoriam creationis conſiderarunt, ea obſeruantes, quae ad confirmandam fidem moresque formandos, pertinent, quod BASILIVS atque AMBROSIVS, vterque in *hexaëmero*, aliique ex veteribus, ex recentioribus autem quam plurimi, fecerunt. Denique nec defuerunt, qui myſtice & kabbaliſtice hiſtoriam creationis exponerent; quod prae reliquis fecit HENRICVS MORVS, cuius *conſideratio hexaëmeri* in *operibus* eius *philoſophicis* exſtat. Sed nos, miſſis hiſce omnibus, intra hiſtoriae nos continebimus limites, quo pacto & aliis iam receptum, in hiſtoria eccleſiaſtica rerum omnium origines ad ductum Moſaicae narrationis tradere; quod & NATALIS ALEXANDER fecit, in *hiſtoria eccleſiaſtica veteris teſtamenti*, qui in patrum circa hexaëmeri expoſitionem ſententiis adferendis diligens eſt. Ex inſtituto eadem ratione haud ita pridem creationis hiſtoriam illuſtrauit GVIL. VAN DER MVELEN, in *diſſertationibus philologicis, de die mundi & rerum omnium natali*, Traiecti ad Rhenum, anno MDCCXIII editis. Ceterum, vt rite in hiſtoria creationis enarranda procedamus, & profanorum hominum, quae hic mouere ſolent, dubiis occurramus, ſequentia obſeruare, haud abs re fuerit: 1.) Scopus praecipuus Moſis eſt, ad verum Deum, rerum omnium conditorem, agnoſcendum homines perducere,

Digitized by Google

cere, in quo adeo haecce Moſaica creationis hiſtoria oppoſita eſt geogoniae gentilium. II.) Licet vniuerſi originem Moſis deſcribat, magis tamen ad noſtram reſpicit tullurem. Idque ſapientiſſime. Illorum enim, quae quam proxime nos attingunt, maxime quoque neceſſaria eſt notitia. Hinc mirum non eſt, quod prolixior ſit Moſes in tellure noſtra deſcribenda, quam in deſcribendis ſtellis, ſole, luna, licet haecce corpora noſtra tellure longe ſint maiora, & non minus, quam tellus, conſideratione digna. III.) Nec tam ſtructuram & compoſitionem corporum, quam eorum originem cauſſamque efficientem, Deum, deſignare voluit diuinus ſcriptor. Vnde, qui aliud quid hic quaerunt, mentem conſiliumque eius non adſequuntur.* IV.) Cogitandum etiam, creationem eſſe myſterium, iuxta adſertum Pauli, *Ebr. XI. 3.* Hinc, quod ratio capere omnia nequeat, mirum non eſt. V.) Denique, vti alias, ita nec in hiſtoria creationis, a ſenſu litterali temere & ſine ſumma neceſſitate eſt diſcedendum. Hancce interpretandi legem vbique, ſed maxime in hiſtorica narratione, ſancte obſeruandam, ratio ipſa dictitat. Ab hac ſi ſemel diſceſſeris, vbi pedem deinceps certo figas, non inuenies. Atque hoc contra nouos theoriae telluris conditores obſeruandum, qui, vt ſuis hypotheſibus Moſen adcommodent, verba eius pro lubitu interpretari non dubitant. Ad ſpecialia hic deſcendere, noſtri inſtituti non patitur ratio. Praeſtiterunt hoc alii, ſpeciatim & IAQVELOTIVS ad dubia quaedam, quae athei contra hiſtoriam creationis mouent, reſpondet, dans *la conformité de la foi avec la raiſon, part. II. cap. I. p. 112. ſeqq.* Id cumprimis obſeruandum, phaenomenis omnibus circa rerum originem, ſpeciatim circa originem & multiplicationem hominum, circa originem mali, & praeſentem humani generis conditionem, diuerſitatem linguarum, & quae reliqua ſunt, explicandis, ſyſtema Moſaicum tam aptum, tamque adcommodatum eſſe, vt nullum aptius etiam ſapientiſſimi mortalium inuenire queant. Si qui ergo hocce ſyſtema Moſaicum reiiciunt, illi faciant periculum, an melius aut concinnius inuenire queant, & videbunt, quam inanis ille futurus ſit conatus. Vnde Moſaicae narrationi ſua conſtabit veritas.

§. II.

Ex eo vero diſcimus, Deum praepotentem initio, cum nulla adhuc res creata eſſet,* ex nihilo coelum atque terram produxiſſe,** cumque terra inanis & vacua eſſet,*** ſex dierum ſpatio* ita eam ornaſſe, vt illam indueret faciem, qua deinceps comparuit. Non tantum vero inanis & vacua erat terra, ſed deficiente lumine, tenebris non minus, quam aquis, cuncta erant circumfuſa, diuino tamen

tamen ſpiritu aquis incubante,** & ad ornatum, qui telluri deſtinabatur, recipiendum, cuncta praeparante.

* Hoc Moſes exprimit voce בראשית *in principio.* Variae equidem ſunt vocis huius explicationes, vt apud THOMAM GATAKERVM legere licet, qui diligenter & erudite de ea differit, in *cinno*, *ſiue aduerſariis miſcellaneis*, *lib. II. cap. I. p. 241. ſeqq.* Sed difficultates hic ſibi faciunt ſine neceſſitate viri docti. Vocem enim ebraeam *principium* ſeu *initium* ſignificare, eſt extra dubium poſitum. Principium autem ſeu initium cum ceteroquin σχέσιν ſeu relationem ad aliud quid connotet, hic non poteſt non intuitu originis rerum omnium, de qua Moſes verba facit, accipi, vt ſenſus ſit: in initio rerum omnium, cum hactenus nihil quidquam a Deo creatum eſſet. Targumiſta Hieroſolymitanus eam vocem vertit: *in ſapientia.* Quod licet ſine vlla ratione factum ſit, nec quidquam excogitari temere queat, quo probetur, vocem ראשית ſignificare *ſapientiam*, auide tamen a nonnullis arreptum eſt, qui, cum porro animaduerterent, per ſapientiam in ſcriptura ſacra *Prou. VIII. 22.* alibique, Chriſtum intelligi, in eam ingreſſi ſunt ſententiam, ſenſum verborum Moſis eſſe: *in principio, hoc eſt, in Chriſto Deus fecit coelum & terram.* Mirifice haec interpretatio placuit antiquis eccleſiae doctoribus, TERTVLLIANO, ORIGENI, BASILIO, AMBROSIO, AVGVSTINO, quam & calculo ſuo adprobat NATALIS ALEXANDER, qui eam cum priori explicatione coniungit; in *hiſt. eccleſ. vet. teſtam. aetat. mundi prim. diſſert. I. p. 29.* Verum, etſi aliunde conſtet, per Chriſtum, ſeu τὸν λόγον, omnia facta eſſe, quae facta ſunt, *Ioan. I. 3.* inde tamen non ſequitur, verba Moſis: *in principio*, de Chriſto quoque interpretanda eſſe. Et qui ita exiſtimant, nullam idoneam ſuae ſententiae, ſi a patrum auctoritate diſceſſeris, adferre rationem poſſunt. NATALIS equidem ALEXANDER illud cumprimis vrget, quod Chriſtus ſeipſum principium vocet, *Ioan. VIII. 25.* τὴν ἀρχὴν ὅ, τι καὶ λαλῶ ὑμῖν. Sed hic itidem fallitur. Vocem enim ἀρχὴν hic idem eſſe, ac *initio*, ſeu, vt alii volunt, *prorſus*, *omnino*, ab aliis iam demonſtratum eſt. Legi de hocce loco meretur erudita diſſertatio BALTHASARIS STOLBERGII, quae exſtat in tractatu eius de *ſolecismis & barbarismis graecae noui foederis dictioni falſo tributis*, *n. IV. p. 250. ſeqq.*

** Quid *Geneſ. I. 1. coeli* & *terrae* nomine ſignificetur, diſputant equidem viri eruditi. Vid. MELCHIORIS LEIDEKKERI *diſſertat. de origine vniuerſi Moſaica*, quae addita eſt operi eius, de *republica Ebraeorum*, *cap. II. §. X. p. 7.* Mihi praeferenda illorum videtur ſententia, qui hiſce verbis complexum totius huius vniuerſi, ſed nondum digeſti atque ornati, ſignificari, contendunt. Terrae nomine itaque noſtram tellurem, quam ornatu ſuo adhuc deſtitu-

Digitized by Google

ſtitutam ſtatim in ſequentibus docet, intelligit, reliqua omnia ſtellis infinitis replenda, coelorum nomine complectitur. Peripateticorum orbes, aut vortices Carteſianorum hic ingerere, nimis temerarium eſt. Dicitur autem Deus coelum atque terram creaſſe, hoc eſt, ex nihilo produxiſſe. Etſi enim vox ברא alias etiam productionem rei ex materia praeexiſtente denotet, principem tamen eius ſignificationem hanc eſſe, qua productionem ex nihilo ſignificet, viri docti pridem obſeruarunt. Accedit, quod materia ipſa, quae producta eſt, & ex qua deinceps omnia corpora formata ſunt, nomine *coeli & terrae* exprimatur, vnde *h. l.* vox ברא non poteſt non productionem ex nihilo ſignificare. Atque id luculenter etiam confirmat Paulus, *Ebr. XI. 3.* vbi per τὰ μὴ φαινόμενα, non exſiſtentia intelliguntur, vt patet ex *Rom. VIII. 24.* Oppoſita itaque haecce doctrina Moſis maximopere eſt doctrinae gentilium philoſophorum, qui rationis ſcito: *ex nihilo nihil fit*, inſiſtentes, creationem, ſeu productionem ex nihilo, capere non poterant. Qua de re mox dicetur. Quod autem ad modum creationis attinet, non deſunt, qui eam per emanationem ex eſſentia diuina explicare conantur, aut mechanicam materiae diſpoſitionem in ſubſidium vocant, rationis hoc ipſo limites vltra, quam par eſt, extendentes, & grauiſſimorum errorum periculo ſe ipſos exponentes. Sed hac de re alibi.

*** Verbis Moſaicis תהו ובהו cum rudis indigeſtaque moles indigitetur, fuerunt, qui, ethnicorum chaos inde fluxiſſe, contenderent. Et fuiſſe ſane velut vniuerſalem quamdam ethnicorum de chao, ſeu rudi & informi maſſa, ex qua mundus hic prodierit, traditionem, ex pluribus antiquitatis monumentis conſtat. Quaenam Phoenicum, quorum veneranda ob antiquitatem philoſophia eſt, hac de re fuerit ſententia, ex SANCHONIATONE (de quo tamen ſuo loco ex inſtituto) docet PHILO BIBLIVS: τὴν τῶν ὅλων ἀρχὴν ὑποτίθεται ἀέρα ζοφώδη καὶ χάος θολερὸν, *principium rerum omnium ponit aërem tenebroſum, atque chaos turbidum.* Eamdem Graecorum fuiſſe ſententiam, ORPHEI, HESIODI, MENANDRI, ARISTOPHANIS, EVRIPIDIS, aliorumque, & Latinorum, ENNII, VARRONIS, OVIDII, LVCRETII, comprobari teſtimoniis poſſet. Sed diligenter haec iam exſequutus eſt THOMAS BVRNETIVS, *archaeolog. philoſoph. lib. II. cap. I.* addatur GVIL. VAN DER MVELEN, in *diſſertationibus philologicis, de die mundi & rerum omnium natali, diſſert. I. p. 48. ſeqq.* vbi & nonnulla de tenebris, quibus vniuerſum hoc inuolutum ac coopertum fuit, rectiſſime monet. Quodſi tamen accuratius cuncta conſideremus, inter doctrinam Moſaicam & philoſophiam ethnicorum, maximum deprehendimus diſcrimen. Moſes namque coelum & terram, adeoque materiam, ex qua cuncta formata ſunt corpora, a deo ex nihilo productam, docuit, cum ethnici contra materiam hanc ſemper exſtitiſſe, ſibi perſuaſ-

Digitized by Google

ſuaderent. Mirifico conſenſu inter ſe de materiae aeternitate conſpirarunt gentilium philoſophi, vt merito hanc hypotheſin inter prima gentilismi fundamenta retuleris, etſi de modo rationeque, qua ex rudi iſta & informi mole mundus hic prodierit, valde inter ſe diſſentirent. Plato namque, eamdem materiae aeternitatem ſupponens, conditum a Deo fuiſſe mundum, exiſtimabat, non ab aeterno, ſed cum ipſi videretur; quoniam vero Deus, qui optimus eſſet, omnique careret inuidia, cuperet opus quoque perfectiſſimum elaborare, beneficio eius non modo pulcherrimum exſtitiſſe mundum, ſed tam firmum quoque, vt corrumpi, niſi a Deo, non poſſet; ceterum, quia tantae formoſitatis opificium deſtruere non ſit eius, qui ſumma bonitate polleret, decreuiſſe Deum, nunquam violentas illi inferre manus, & ita mundum aeternum fore. Ariſtoteles contra cum Lucano Pythagoraeo, ſemper fuiſſe mundum ſub hacce, qua exſtat, forma, ſemperque fore, docuit, vti ſupra iam obſeruauimus. Stoici perpetuas mundi huius viciſſitudines adſeruere, adeo, vt vno pereunte mox alius ex λόγοις σπερματικοῖς, reſurgeret, idque iuxta fati leges ineuitabiles; quemadmodum Epicuri contra ſchola, ex fortuito atomorum concurſu mundos plurimos ortos, adfirmabat, materiam itemtidem aeternam ſupponens. Hinc iuxta Platonem Deus a materia maxime liber, quippe ſecundum cuius placita mundus ex libero Dei cum materia congreſſu exſtitit; cum Ariſtoteles contra & Stoici illum ſiue congreſſum, ſiue nexum, neceſſarium, ipſique Deo ineuitabilem, ſtatuerent. Adcurate & ſummo ſtudio haec omnia ediſſeruit IACOBVS THOMASIVS, de *exuſt. mundi Stoica, diſſert. II. p. 29. ſeqq.* Ex dictis itaque cum pateat, quantopere ethnicorum de chao philoſophia a doctrina Moſis diſſentiat, ſequitur, ſi quis eo ſenſu chaos aliquod adſerat, vt per illud ipſam materiam a Deo creatam, ſed nondum digeſtam, intelligat, neutiquam a vero aberrare. Etſi enim non deſint, qui voces *coelum* & *terram* ita capiunt, vt ſummatim iis exprimantur, quae Moſes deinceps ſigillatim enarrat, prior tamen omnino praeferenda videtur ſententia, quia a Moſe diſerte additur: & terra erat תהו ובהו Vnde & ſequitur, propriam harum vocum ſignificationem hic tantopere vrgeri non poſſe.

* Ita diſerte Moſes, a cuius narratione diſcedere, merito religioni nobis ducimus. Non deſunt equidem, qui, mundum in momento temporis creatum, ſexque dierum commemorationem ad ordinem rerum, non ad temporis interualla diſcernenda, pertinere, contendunt. Ita quidem PHILO iudaeus, *lib. de opificio mundi*, & *lib. I. allegor. p. 39.* Tribuiturque eadem ſententia ORIGENI, ATHANASIO, AVGVSTINO, & ex recentioribus IO. BODINO, aliiſque. Conf. & THOMAS BROWNES, de *religione medici*, *part. I. ſect. XLIV. p. 252.* Alii rurſus vt euincant, tellurem noſtram mechanica

qua-

quadam ratione hancce, quam obtinet, formam induiſſe, per dies a Moſe commemoratos integros annos intelligunt; vt praeter THOMAM BVRNETIVM, aliosque, DETHLEVVS CLVVERIVS, in *geologia, cap. VII. p. 86. ſeqq.* Contra BVRNETIVM, qui reliquis nouae geogoniae conditoribus exemplum praeiuit, ex inſtituto diſputat, & veritatem hiſtoriae creationis, prout a Moſe narratur, tuetur MELCHIOR LEIDEKKERVS, in *archaeologia ſacra*, parti primae operis de *republica Ebraeorum* adiecta, *diſſert. V. cap. IX. p. 78. ſeqq.* Et ſane vtrique, qui aut vnico momento, aut annis pluribus mundi creationem peractam, volunt, in eo conueniunt, vt a ſenſu litterali narrationis Moſaicae diſcedant, quo ipſo eius veritatem prorſus euertunt, aut labefactant, & aliis omnino occaſionem, creationem prorſus negandi, ſuppeditant. Legendus hac de re eſt auctor libri, cui titulus: *Moſes vindicatus, ſiue adſerta hiſtoriae creationis, aliarumque, quales a Moſe narrantur, veritas, aduerſus Thomae Burnetii archaeologias philoſophicas*, qui Amſtelodami anno MDCXCIV prodiit, praeſertim *cap. VI. p. 166. ſeqq.* vbi recte oſtendit, *quam caute inducendae ſint in ſacras litteras allegoriae, quamque immerito in allegoricum ſenſum Geneſeos priora capita torqueantur.* Eadem tamen mens, allegorice hiſtoriam creationis explicandam eſſe, iam fuit THOMAE BROWNES, de *religione medici, part. I. ſect. XXXIII. p. 203. Priora*, inquit, *Geneſeos capita admodum obſcura eſſe, fateor, & quamuis omnia ad litteram interpretari theologi conati ſint, probabiles tamen ſunt allegoricae illae interpretationes, & haud ſcio, an forte myſticae Moſis methodo magis congruae, vt cui in hieroglyphicis Aegyptiorum ſcholis inſtitui contigerat.* Scilicet! inſtitutus eſt Moſes in omni ſapientia Aegyptiorum, *Act. VII. 22.* ergo hiſtoria creationis allegorice eſt exponenda.

** Variae equidem iterum virorum doctorum de *ſpiritu aquis incubante* ſunt ſententiae, quas videre licet apud AVG. PFEIFFERVM, *dub. vex. cent. I. loc. I. p. 1. 2. ſeqq.* Sed duae inter illas ſunt praecipuae, quarum vna illorum eſt, qui ſpiritum naturae, ſeu ſpiritum aliquem creatum, rerum naturalium directorem, intelligunt; de quibus dixi in *introduct. ad hiſtor. philoſ. Ebr. p. 262. ſeqq. & 382.* altera illorum, qui ſpiritum ſanctum, tertiam diuinitatis perſonam, intelligunt, diuina virtute res creatas fouentem & foecundantem. Et haec quidem priori praeferenda videtur ſententia, non tantum, quod incerta adhuc ſint, nec dum euicta, quae de ſpiritu mundi philoſophi quidam ſupponunt, ſed &, quod vox מרחפת proprie eiusmodi motum denotet, quo aues pullos ſuos fouent, & a frigore defendunt, & qui adeo cum virtute foecundandi coniunctus ſit. Vnde vim creatricem, eamque infinitam, adeoque ſoli Deo propriam, ex hacce voce merito colligere licet. Quam vocis iſtius ſignificationem contra IO. MORINVM ex inſtituto

ſtituto defendit IO. HENRICVS HOTTINGERVS, in *hiſtoriae creationis examine theolog. philolog. qu. XXXIII. p. 44. 45.* add. GVIL. VAN DER MVELEN, in *diſſertationibus philolog. de die mundi, & rerum omnium natali, diſſert. I. p. 54. ſeqq.*

§. III.

Vt ergo vſui, quem nunc praeſtat, apta tellus fieret, lucem exſiſtere Deus voluit, quae eo volente ſtatim emicuit, * ſolisque, deinceps demum creandi, vicem ſuſtinuit. Et hinc lucis atque tenebrarum cognitum diſcrimen eſt, itemque noctis atque diei, vnde elapſo temporis, quo dies definiri ſolet, ſpatio, primus dies confectus eſt.

* Per lucem hanc primigeniam angelos intelligit AVGVSTINVS, *lib. I. de geneſi ad litteram, cap. XVII. & lib. XI. de ciuitat. Dei, cap. IX.* alibique. Alii in alias iuere ſententias, quas legere licet apud IO. HENRICVM HOTTINGERVM, *loco* antea *citato, qu. XXXVIII. p. 57.* Simpliciſſimum planiſſimumque eſt, ſi dicamus, Deum, qui intra certum dierum circulum (cuius rei cauſſae nobis ignotae ſunt) mundum creare decreuerat, nec tamen ſolem ante quartum diem terris illucere volebat, lucem, cuius ortus & occaſus triduum emetiretur, eſſe, iuſſiſſe. Conf. IO. CLERICVS ad *h. l.* NATALIS ALEXANDER hic more ſuo ſcepticum agit, aut, quid ſentiat, diſerte profiteri non audet, dum ſuam ita explicat ſententiam: *Lucem prima die mundi a Deo conditam, ſi vel angelicam naturam, vel gratiam, qua illuſtrata & ornata eſt, intellexeris, a fidei regula non aberras. Si corpoream lucem interpreteris, conſonam certae Moſaicae narrationi propugnas ſententiam;* ad *aetat. mundi primam, diſſertat. I. artic. II. prop. II. p. 25.*

§. IV.

Voluit deinde Deus, vt ſpatium aliquod, ſeu expanſum * inter aquas, telluri adhuc incumbentes, atque nubes exſiſteret, quod quidem expanſum, caeli, ſcilicet aërei, nomine venit. Idque ſecundo creationis peractum eſt die.

* Per רקיע, qua voce Moſes vtitur, caelum aëreum intelligendum eſſe, ſolidiſſime demonſtrarunt theologi Ienenſes, *in der ausführlichen Erklaerung, loc. V. p. 180.* Idque inter alia ex ipſa voce רקיע, quae *expanſum* potius, quam *firmamentum,* ſignificet, comprobarunt. Cum tamen LXX interpretes hanc vocem conſtanter per στερέωμα vertant, & ex aliis linguis orientalibus haec vocis ebraeae ſignificatio erui queat, videtur eadem retineri poſſe, vt tamen nihilominus per רקיע nihil aliud, quam caelum aëreum,

reum, intelligatur. Nimirum, ſi ſupponatur, vocem רקע idem eſſe, ac *premere*, *comprimere*, *firmare*, hoc ipſo innuetur, caelorum aëreorum preſſione orbes firmitatem velut ſuam ac conſiſtentiam nanciſci. Conf. IO. CLERICVS ad *h. l.* itemque GVIL. VAN DER MVELEN, in *diſſertationibus de die mundi, & rerum omnium natali*, *diſſert. I. p. 67. ſeqq.* vbi varia obſeruat, quae noſtram ſententiam confirmant. Scholaſticorum itaque, aut, ſi mauis, patrum quorumdam figmento, de aquis ſupracaeleſtibus, hodie in tanta philoſophiae luce vix quiſquam amplius locum relinquet. Deliciis tamen eiusmodi hiſtoriam ſuam eccleſiaſticam inſtruxit NATALIS ALEXANDER, *hiſt. eccleſiaſt. vet. teſtam. aetat. mundi prim. diſſert. I. artic. II. prop. II. p. 29.* De quaeſtione, cur de operibus ſecundi diei non dicatur: *& vidit Deus, id eſſe bonum*, quod de reliquorum dierum operibus ſtudioſe Moſes repetit, vid. GVIL. SALDENVS, *otior. theolog. lib. I. exercit. IV.* quae eſt de *creaturarum bonitate*, *§. II. ſeqq.*

§. V.

Aquas hinc telluris certis ſedibus incluſit, vt a mari ita terra ſicca diſcerneretur. * Neue homini animantibusue deinceps condendis paſtus deeſſet, e terra cum gramine altiores herbas, per ſemina illis indita ſe propagaturas, arbores quoque frugiferas, quarum fructibus itidem ſemen ineſt, prodire iuſſit. ** Quod ſimul ac voluit, ſtatim ita quoque contigit. Et id quidem tertii diei opus fuit.

* Maris itaque, & terrae, huiusque partium, conſtitutio huc pertinet. Fallitur enim omnino THOMAS BVRNETIVS, qui eiusmodi terrae primigeniae faciem ad diluuium vsque animo concepit, in qua nec oceanus, nec montes fuerint; in *theoria telluris ſacra*, *lib. I. cap. VIII. & IX. p. 43. ſeqq.* Sententiam eius in compendio exhibui, in *element. philoſ. theoret. part. III. cap. I. §. V. ſeqq.* vbi &, quousque ea cum ſententia RENATI CARTESII conueniat, aut ab ea diſcrepet, oſtendi. CARTESIVS tamen longe modeſtior fuit BVRNETIO, aliisque recentiorum, dum oſtendere ſaltem voluit, quo pacto per materiae motum fieri potuerit, vt haecce telluris forma, quae hodie conſpicitur, prodiret, non autem, quod hac ratione terra formata ſit, adſeruit. At hi eam ita quoque, prout animo concipiunt, reuera formatam contendunt. Ceterum ſententiae BVRNETII ſcriptura palam contradicit, quae, montes ab initio rerum fuiſſe, non demum poſt diluuium ortos, diſerte teſtatur; vt patet ex *Gen. VII. 20. Prouerb. VIII. 24. 25. 26. Iob. XXXVIII. 4. 5. 6.* add. IANI BIRCHERODI *Anti-Burnetus*, *p. 68. ſeqq.* Quo pacto terrae formatio per motum materiae explicari queat, vt ſtatim ab initio montes ex-

Digitized by Google

exſtiterint, oſtendit EDMVNDVS DICKINSON, in *phyſica veteri & vera, cap. VIII. §. II. p. 91. ſeqq.*

** Praeter herbas, arboresque, & omnia florum genera, quae extrinſecus terram ornant, veriſimile, eodem die Deum metalla, quae in terrae viſceribus latent, produxiſſe. Horum autem quod Moſes nullam faciat mentionem, haec forte eſt ratio, quod ea ſaltem, quae in oculos incurrunt, deſcribere illi conſtitutum fuerit. Vid. GVIL. VAN DER MVELEN, in *diſſertationib. de die mundi, ac rerum omnium natali, diſſert. I. p. 84.*

§. VI.

Vt etiam futuri terrae incolae, iique ratione praediti, ordine cuncta peragere poſſent, laborique atque quieti certum tempus deſtinare, loco lucis, de qua antea diximus, Deus lumina in caelo exſtare voluit,* quae diem & noctem diuiderent, & perennem atque conſtantem temporis menſuram praeberent, cumque in finem, praeter ſtellas numero infinitas, duo, intuitu telluris, maiora ſplendere voluit, quorum alterum, quod maximum, diurnam lucem praeberet, alterum, idque minus, tenuiori luce caliginoſae noctis taedia imminueret, vtrumque autem motu ſuo perenni & conſtanti temporum interuallis, ad varia hominum commoda, dimetiendis inſeruiret. Et ita quartus creationis dies conſumtus eſt.

* Hoc eſt, quarto creationis die creauit, vt diſerte Moſes teſtatur. Vnde errant magnopere recentioris geogoniae conditores, BVRNETIVS, WHISTONVS, CLVVERIVS, aliique, qui ſupponentes, telluris ſaltem noſtrae per certos materiae motus formationem a Moſe deſcribi, adeoque ſolem & lunam, & alias ſtellas iamdudum ante noſtrae telluris formationem fuiſſe, ſenſum verborum Moſis eſſe putant, *adpareant ſtellae*, vt, diſcuſſa nebula craſſiori, quae telluri hactenus incubuerit, ſidera iſta primum terrae adparuiſſe, cenſendum ſit. Verum Moſes non dicit, *adpareant lumina*, ſed, *ſint lumina*, item, *& fecit Deus duo lumina magna*, item, *& poſuit ea in firmamento caeli.* A proprio autem & litterali verborum ſenſu in hiſtoria creationis diſcedendum non eſſe, iam ſupra ad *§. II.* docuimus. Ceterum finem, cur luminaria haecce Deus condiderit, Moſes quoque aperte nos condocet, vt eſſent ſigna & menſurae temporum. Ipſa quidem lux & calor, quem rebus ſublunaribus praebent, neceſſi[illegible] & vtilitatem ſiderum, ſpeciatim ſolis & lunae, ſatis arguunt: quod, cum nemini ignotum ſit, finem, ad quem non omnes aeque attendunt, & qui ſummam non minus conditoris ſapientiam arguit, Moſes commemorare voluit. Vox [ ]מועדים generatim quidem *ſtatutum tempus*, ſaepiſſime tamen *dies feſtos* & *anniuerſaria ſacra* ſigni-

ſignificat. Nec ſpernenda illorum ſententia, qui, Moſen forte more gentis ſuae loquutum, exiſtimant, apud quam per feſtos dies haud leue temporis discrimen conſtituebatur, vt & apud nos. Conf. *eccleſiaſtic. cap. XLIII. 7. 8.* Interim obſeruandum, a Moſe ſiderum creationem haud dubio ideo quoque commemorari, vt Iſraëlitarum animos ab illorum cultu auerteret. Hunc enim inter omnes idololatriae ſpecies & antiquiſſimum, & longe frequentiſſimum fuiſſe, ex dicendis patebit. Vid. *Deut. IV. 19.* Addenda, quae copioſe hanc in rem diſſerit. GVIL. VAN DER MVELEN, in *diſſertationib. philolog. de die mundi, & rerum omnium natali, diſſert. I. p. 92. ſeqq.* Influxus ſiderum Moſes non meminit; nec tamen ille, qua phyſicas quasdam operationes, negandus. Quid autem de aſtrologia, quam vocant, iudiciaria cenſendum ſit, alibi exponitur.

§. VII.

Iam vt ingentia haecce habitacula incolis quoque repleret Deus,* primo quidem in mari piſces omnium generum, maximos, minimos, & in aëre volucrium varios greges exſiſtere voluit;** ſingulisque facultatem per generationem ſe multiplicandi, ſuamque ſpeciem propagandi, indidit. Atque id quidem die quinto factum eſt.

* Sequitur itaque animantium omnis generis creatio, primo aquatilium & volatilium, tum reptilium atque terreſtrium, tandem hominis. Quam admirabilis autem in ſingulis animantibus ſit corporum ſtructura, quam cuncta cuiusuis naturae & conſeruationi adcommodata, quam aperte ſumma Numinis ſapientia hinc eluceſcat, alibi ex inſtituto docetur. Conf. SAM. PARKERVS, in *diſputat. de Deo & prouidentia diuina*, RICHARDI BENTLEII *ſtultitia & irrationabilitas atheiſmi.*

** Verba textus ebraei in hocce verſiculo vulgatus interpres ita transtulit: *Producant aquae reptile animae viuentis, & volatile ſuper terram ſub firmamento caeli.* Vnde plurimi in eam ingreſſi ſunt ſententiam, volatilia, aeque ac aquatilia, ex aqua producta eſſe. Ita ex patribus quoque HIERONYMVS, AVGVSTINVS, CYRILLVS, IO. DAMASCENVS, aliique, quibus in gratiam vulgatae verſionis ſuffragantur plerique romanenſium. Conf. NATALIS ALEXANDER, *hiſtor. eccleſiaſt. veter. teſtament. aetat. I. diſſertat. I. artic. VI. p. 35.* Alii tamen, verba Moſis ita reddenda, obſeruant: *& volitet volatile ſuper terram*, vt adeo creatio volatilium diſcernatur a creatione aquatilium. Valdeque mihi haec ſententia probabilis videtur; cum res ipſa doceat, Moſen diſtincte aquatilium, volatilium, & terreſtrium animalium creationem commemorando, non materiam, ex qua creata ſunt, indicare voluiſſe, ſed locum hiſce animalium generi-

neribus praecipue deſtinatum. Nec commode materia deſignari poteſt, cum in cunctis animalibus multum ſit materiae terreſtris, etſi in quibusdam plus, in aliis minus, ſimul & aqueae, quod liquores teſtantur, pariter ac igneae, aëreaeque. Accedit, quod ad volatilia attinet, quod Deus ex terra omnes beſtias agri, & omnes volucres caeli formaſſe, dicatur, *Gen. II. 19.* Conf. IO. HENRICVS HOTTINGERVS, in *hiſtoriae creationis exam. theolog. philolog. cap. V. quaeſt. LXXIV. p. 210. ſeqq.* add. IO. BLOMIVS, in *hexaëm. p. 209. ſeqq.*

§. VIII.

Tandem & omnis generis animantia terreſtria, reptiliaque, ex terra prodire Deus iuſſit, vt adeo nihil adhuc ſupereſſet, quam vt homo conderetur,* cui dominium in animantia cuncta committeret, quiue in rebus creatis omnibus, ſummam conditoris ſapientiam bonitatemque contemplando, laudes eius celebraret. Eodem itaque die, qui ſextus creationis fuit, quo reliqua animantia terreſtria cum reptilibus producta ſunt, Deus quoque marem & feminam ad ſui imaginem creauit, facultatemque rebus creatis omnibus ad ſui commodum vtendi iis conceſſit, addita diuina benedictione, cuius vi ſe multiplicare, genusque ſuum propagare poſſent.

* Vt rerum omnium, ita ſpeciatim humani generis ortum rationi minime perſpectum eſſe & exploratum, vel philoſophorum, ne quid de poëtis nunc dicam, gentilium paradoxae de eo ſententiae teſtantur. Inter eos, qui, hominum genus ſemper exſtitiſſe, opinati ſunt, primo loco Pythagoraeos CENSORINVS collocat; de *die nat. cap. IV. p. 25.* vti ſupra ad *§. I.* obſeruauimus, quibus Platonicos & peripateticos addit. Conſentientem ſecum, quod ad Pythagoram atque Ariſtotelem attinet, habet VARRONEM, *lib. II. de re ruſtica, cap. I.* De Pythagora equidem nonnulli dubitant, an recte haec ei tribuatur ſententia, putantque, auctores, qui hoc faciunt, ex eo, quod animarum προύπαρξιν ſtatuerit, forte collegiſſe, eum, hominum genus ſemper exſtitiſſe, exiſtimaſſe. De OCELLO tamen LVCANO, qui inter Pythagoricos referri ſolet, certum eſt, eum humani generis adſeruiſſe aeternitatem, cum diſerte hoc profiteatur, & rationibus quoque tueri conetur; de *natura vniuerſi, p. 185.* edit. quae Amſtelodami anno MDCLXI prodiit. Recteque adeo hanc ei ſententiam tribuit SALLVSTIVS, philoſophus, de *diis & mundo, cap. VII.* Immo FRANCISCVS PATRICIVS, Ariſtotelem, vt reliqua omnia, ita & hunc errorem ex LVCANO hauſiſſe, peripateticis exprobrat; in *diſcuſſionib. peripateticis, p. 400.* Sed id quidem forte praeter rationem, ſaltem incerto fundamento; cum de aetate LVCANI adhuc viri docti dubitent, nec de ea

Digitized by Google

ſatis inter ſe conueniant. Ex eo etiam, quod LVCANVS hanc de hominum aeternitate ſententiam defendit, nondum colligere licet, eam Pythagorae quoque, aut reliquis Pythagoricis, tribuendam eſſe, cum propria & peculiaris LVCANO eſſe potuerit. Immo reliquos Pythagoraeos, certe pleroſque, hominum originem agnouiſſe, variis illorum documentis comprobari poſſet, ſi hisce inmorari fas eſſet. Quod ad PLATONEM attinet, etſi cum reliquis philoſophis gentilibus materiae aeternitatem adferat, eum mundo tamen, adeoque & hominum generi, originem dediſſe, iam ſupra ad *§. II.* obſeruauimus. Et licet aliquando mundum aeternum vocet, aut vocare videatur, hoc tamen ita intelligendum, quod in idea fuerit aeternus, ſeu ad aeternum Dei exemplar conditus ſit, autumat SEBASTIANVS FOXIVS MORZILLVS, Hiſpalenſis, de *nat. philoſ. lib. II. p. 99.* niſi potius de materiae aeternitate intelligere velis. Eo minus autem de ſententia PLATONIS dubitari poteſt, quod diſerte in *Menedemo, Politico, Critia*, alibique teſtetur, hominem per benignam prouidamque Numinis curam a terra olim propagatum, cum artificis ſui imagine, ideoque *theoiden* adpellatum. Quod nonnulli ita capiunt, ac ſi terrae olim tanta fuerit foecunditas, vt cum reliquis animantibus homines etiam progignere potuerit. Vid. LVDOVICVS COELIVS RHODIGINVS, *lection. antiquar. lib. IV. p. 180.* Verum, Epicurum quidem ita cenſuiſſe, conſtat; Platonis contra haec fuiſſe ſententia videtur, ab Ebraeis haud dubio in illum propagata, Deum ex terra corpus hominis formaſſe, cui anima ab eodem iuncta ſit. Id profecto in *Protagora*, libriſque *de legibus*, haud obſcure innuit, hominem vocans ludicrum a Deo conditum. Praeeuntem hac in re ſibi habuit praeceptorem ſuum SOCRATEM, qui ex ſtructura humani corporis colligit, hominem a Deo conditum, & hac ratione hominem atheum erroris conuincit, in egregio prorſus colloquio cum Ariſtodemo, apud XENOPHONTEM, in *memorabilib. Socratis, lib. I. cap. XVII.* Sed Ariſtoteles quoque hanc ſententiam, quod originem humano generi dederit, ei diſerte tribuit, *phyſic. lib. VIII. cap. I.* ipſe in alia omnia more ſuo abiens, ſemperque hominum fuiſſe genus, contendens. Hanc enim Ariſtotelis, & quidem forte inter graecanicos philoſophos ſolius, ſi ab OCELLO LVCANO diſceſſeris, fuiſſe ſententiam, iam ſupra obſeruauimus, idque diſerte ipſemet fatetur, reprehenditurque hoc nomine a PLETHONE, in libro, *de iis, quibus Ariſtoteles a Platone diſſidet, cap. I.* BESSARIONE, *contra calumniator. Platonis, lib. II. cap. VI.* aliiſque. Eo facilius autem Stagiritam in hanc ingredi ſententiam potuiſſe, nonnulli exiſtimant, quod eum prodigioſa ſupputandi ratio, qua Chaldaei vtebantur, fefellerit. Horum quippe arcana, Alexandri iuſſu, patebant eruditorum vſibus, ſcriptaque eorum euoluere licebat. Vid. ISAACVS VOSSIVS, de *vete-*

vera mundi aetate, cap. IX. p. 2. Quidquid huius ſit, id manifeſtum, turpiter ſe traduxiſſe, qui, vt Ariſtotelem cum Moſe conciliarent, adſertam ab illo mundi hominumque originem, contenderunt. Quod plurimi ex ſcholaſticorum grege fecerunt, ſequuti THOMAM DE AQVINO. Qui hoc ipſo prodiderunt, mentem Ariſtotelis, cuius ſequi philoſophandi rationem ſibi viſi ſunt, parum ſibi fuiſſe exploratam. Fallitur autem maximopere ratiocinatio, dum, ponentes, mundi hominumque originem ex ratione cognoſci poſſe, concludunt, eam Ariſtoteli adſertam fuiſſe, cum nihil illi ignotum fuerit, quod cognoſci ex ratione poteſt.

Sed, vt reliqua perſequamur, qui ex philoſophis gentilium ſuperſunt, in eo fere conſentiunt, ortum habuiſſe hominum genus, licet de modo & ratione valde inter ſe diſſentiant. Summatim praecipuos complectitur CENSORINVS: *Qui autem homines aliquos primigenios diuinitus, naturaue factos, crederent, multi fuerunt, ſed aliter atque aliter hac in aeſtimatione verſati. Nam, vt omittam, quod fabulares poëtarum hiſtoriae ferunt, homines primos aut Promethei molli luto eſſe formatos, aut Deucalionis Pyrrhaeque duris lapidibus eſſe natos, quidam ex ipſis ſapientiae profeſſoribus, neſcio an magis monſtroſas, certe non minus incredibiles, rationum ſuarum proferunt opiniones. Anaximander Mileſius, videri ſibi ex aqua terraque calefactis exortos eſſe, ſiue piſces, ſiue piſcibus ſimillima animalia; in his homines concreuiſſe, foetusque ad pubertatem intus retentos; tum demum ruptis illis viros mulieresque, qui ſe iam alere poſſent, proceſſiſſe. Empedocles autem egregio ſuo carmine, quod eiusmodi eſſe praedicat Lucretius:*

Vt vix humana videatur ſtirpe creatus,

tale quiddam confirmat. Primo membra ſingula ex terra quaſi praegnante, paſſim edita, deinde coiſſe, & effeciſſe ſolidi hominis materiam, igni ſimul & humori permixtam. Cetera quid neceſſe eſt perſequi? quae non capiunt ſimilitudinem veritatis. Haec eadem opinio etiam in Parmenide vel in Ste (locus hicce corruptus eſt; forte legendum: *Zenone*, iuxta IVSTVM LIPSIVM, *loco* mox *citando*) *fuit, pauculis exceptis, ab Empedocle diſſenſis. Democrito vero Abderitae ex aqua limoque primum viſum eſt homines procreatos, nec longe ſecus Epicurus; is enim credidit, limo calefacto vteros, neſcio quos, radicibus terrae cohaerentes, primum increuiſſe, & infantibus ex ſe editis ingenitum lactis humorem natura miniſtrante praebuiſſe, quos ita educatos & adultos genus hominum propagaſſe. Zenon Citticus, Stoicae ſectae conditor, principium humano generi ex nouo mundo conſtitutum, putauit, primosque homines ex ſolo adminiculo diuini ignis, id eſt, Dei prouidentia, genitos. Denique etiam vulgo creditum eſt, vt plerique genealogiae auctores ſunt, quarumdam gentium, quae ex aduentitia ſtirpe non ſint, principes terrigenas eſſe, vt in Atti-*

Digitized by Google

Attica, *&* *Arcadia*, *Theſſaliaque*, *eoſque αὐτόχθονας vocitari*; de *die natali, cap. IV. p. 26.* Septem hic ſententias habes, obſeruante, qui eumdem quoque locum attulit, IVSTO LIPSIO, in *phyſiolog. Stoic. lib. III. diſſert. IV. p. m. 123.* Prima poëtarum eſt, qui e luto, aut lapidibus, formant homines, idque humana opera. Spectant huc fabulae illorum de Prometheo, itemque de Deucalione & Pyrrha. De priori vid. LACTANTIVS, *inſtitut. diuin. lib. II. cap. XI.* APOLLODORVS, *bibliothec. lib. I. p. 28.* De poſteriori OVIDIVS, *metamorph. lib. I.* SERVIVS, ad *eclogam VI Virgilii.* Alii tamen Vulcano praecipue humani generis originem tribuunt; vt HESIODVS, *op. & dier. v. 60. p. m. 6.* eoque etiam λαμπαδοφορίαν in vulcanalibus apud Athenienſes vſitatam ſpectaſſe, exiſtimant. Conf. LVD. COELIVS RHODIGINVS, *lection. antiquar. lib. VI. cap. XLIX. p. m. 306.* Nec deſunt, qui in hiſce poëtarum fabulis veritatis veſtigia, ſeu rudera narrationis Moſaicae de hominum creatione, ſibi inueniſſe viſi ſunt. Sed hiſce non immorabimur. Altera itaque eſt ſententia Anaximandri, iuxta quem ex aqua & limo orti ſunt homines, ſed vt piſces primum, aut animalia piſcibus ſimilia, formarentur, ex quibus homines deinde prorumperent. Paullo aliter Anaximandri ſententiam exprimit PLVTARCHVS, in humido ſcilicet nata prima animalia, corticibus quibusdam ſpineis circumdata, iiſque ruptis, cum maturum eſſet, prodiiſſe; *lib. V. de placit. philoſ. cap. XIX.* conf. & *ſympoſ. lib. VIII. qu. VIII.* Sequitur Empedocles, qui, & inter poëtas, & inter philoſophos, celebre conſequutus eſt nomen. Singula hic hominum membra ex terra quaſi praegnante edita autumat, deinceps coiuiſſe, & effeciſſe ſolidi hominis materiam, igni ſimul & humori permixtam. Ita non tantum CENSORINVS, ſed & PLVTARCHVS, de *placit. philoſ. lib. V. cap. IX.* VARRO ſententiam Empedoclis ita exprimit: *Empedocles natos homines ex terra ait, vt blitum*, apud NONIVM, voc. *Blitum.* Nihil ineptius de hominum origine dici potuit. Iungit CENSORINVS Empedocli Parmenidem, ceu non multum ab illo diſſentientem. Sed refragatur DIOGENES LAERTIVS, qui auctor eſt, ex Parmenidis ſententia, γένεσιν ἀνθρώπων ἐξ ἡλίου πρῶτον γενέσθαι, *generationem hominum ex ſole primum factam; lib. IX. ſegm. XXI. p. 561.* Quarta ſententia eſt Democriti Abderitae, cui viſum, ex aqua & limo primum homines procreatos. Quod ſi ita intelligendum eſſet, a Deo ex aqua & limo homines primum formatos, omnium proxime ad veritatem acceſſiſſet. Sed aliam fuiſſe Democriti mentem, diſcimus ex LACTANTIO: *errauit*, inquit, *Democritus, qui vermiculorum modo putauit effuſos eſſe* (homines) *de terra, nullo auctore, nullaque ratione; diuin. inſtit. lib. VII. cap. VII.* Non multum itaque hinc diſtat ſententia Epicuri, quae quinta eſt, vt recte iudicat CENSORINVS. Haec vero vt alias ſatis nota eſt, ita fuſius & eleganter exprimitur a TITO LVCRETIO CARO, de *rerum na-*

natura, lib. V. p. m. 173. ſeqq. Sexta Stoicorum eſt, qui, primos homines ex ſolo adminiculo diuini ignis, id eſt, Dei prouidentia, genitos, adſerebant. Quae verba cum & IVSTVS LIPSIVS, magnus Stoicorum admirator, retuliſſet, *pia*, inquit, *& vera ſententia, Deus ſolus auctor humani generis conditorque.* Mox tamen ipſe agnoſcere cogitur, in modo gignendi Stoicorum ſententiam a ſacris abire litteris. Illos namque velle, *perpetuis curſibus, conuerſionibus caeleſtibus exſtitiſſe quamdam maturitatem ſerendi generis humani, quod ſparſum in terras atque ſatum, diuino auctum ſit animorum munere.* In CICERONIS verbis Stoicorum mentem exprimit LIPSIVS, & porro recte monet, curſus illos perpetuos referendos ad periodos exuſtionis & innouationis mundanae; ac tum maturitatem fuiſſe generis humani noui ſerendi; id autem in terra ſparſum ac ſatum, id eſt, in materia prima comprehenſum, eamque iam craſſiori & animatiori parata, animam ab igne adueniſſe & Deo. Quae OVIDII, aliorumque comprobare teſtimoniis adnititur, *phyſiolog. Stoic. lib. III. diſſert. IV. p. 124. ſeqq.* Cum vero alibi iam demonſtratum ſit, apud Stoicos prouidentiae nomine nihil aliud venire, quam fatum aliquod ineluctabile, Deumque Stoicornm eſſe ipſam naturam, ſeu totum hoc vniuerſum, quod ex materia & ſpiritu conſtat, vel alteram eius partem, ſcilicet ſpiritum, ſpiritum autem illis nihil aliud eſſe, quam ignem; ſententia illorum de hominum origine huc redibit: in perpetuis iſtis mundi reuolutionibus, per fatum ineuitabile, ex materia & igne hominem, ceu partem huius vniuerſi, exſtitiſſe. Conf. diſſertatio noſtra tertia, de *errorib. Stoic. in philoſ. moral. §. VIII. ſeqq.* in *analectis hiſtor. philoſ. p. 164. ſeqq.* Vnde profecto patet, Stoicorum de hominum origine ſententiam neutiquam *piam* & *veram*, quod LIPSIVS cenſuit, ſed impiam potius & falſam dicendam eſſe. Quam vltimo loco CENSORINVS commemorat, ne digna quidem eſt, quae hic in cenſum veniat, ſententia; interim conferenda, quae ad *h. l.* notauit LINDENBROGIVS, *p. 33. ſeqq.*

In vnum itaque ſi dicta conferamus, veriſſimum eſſe deprehendemus, quod ſupra pronuntiauimus, rationem de origine hominum nihil certi definire poſſe. Immo, quidquid ethnici, rationis ductum ſequuti, hac de re dixerunt, abſurdum eſt; cum contra, vel rationis ipſius iudicio, longe veroſimiliora ſint, quae hac de re memoriae prodidit Moſes. Quod egregium mea opinione argumentum eſt, ad veritatem narrationis Moſaicae, vel ex ratione ipſa, comprobandam. Eo magis itaque mirum, fuiſſe inter eos quoque, qui chriſtiani dicuntur, quibus commenta & deliria ethnicorum magis adriſerint, quam veritas Moſaica. Hanc namque haud obſcure labefactant, in Democriti aut Epicuri caſtra concedentes, qui, hominem, vt alia minuta animalia, ex putredine naſci poſſe, contenderunt; vt HIERONYMVS

NYMVS CARDANVS, *lib. IX. de ſubtil.* refutatus ideo IVLIO CAESARI SCALIGERO, de *ſubtilit. contra Cardanum, exercit. CXCIII. p. 627.* & ANDREAS CAESALPINVS, *lib. V. quaeſt. peripatet. cap. I.* aliique. Nec procul ab hacce impietate abeſt nouus ille, ſed infelix, praeadamitarum conditor, ISAACVS PEYRERIVS, qui, cum reliquis animantibus homines e terra prorupiſſe, ſibi perſuadet, a quibus gentiles prognati ſint; Adamum autem, quem Deus ſpeciatim creauerit, Iſraëlitarum ſaltem fuiſſe parentem. Cuius ſententiae vt aliquod in ſcriptura inueniat praeſidium, omnia peruertere, omnia detorquere, & quadrata miſcere rotundis, religioni ſibi non duxit. Sed ineptias hominis & inania commenta ſatis ſuperque refutarunt EVSEBIVS ROMANVS, quo nomine tegitur PHILIPPVS LE PRIEVR, in *animaduerſionibus in librum praeadamitarum*, IO. HILPERTVS, in *diſquiſitione de praeadamitis*, ANTONIVS HVLSIVS, in *non-ente praeadamitico*, SAMVEL MARESIVS, in *refutatione fabulae praeadamiticae*, IO. CONRADVS DANHAVERVS, in *praeadamita vtis, ſiue fabula primorum hominum ante Adamum conditorum exploſa*, IO. MICRAELIVS, in *praeadamita*, IO. HENRICVS VRSINVS, in *nouo Prometheo praeadamitarum plaſte ad Caucaſum relegato & religato*, aliique quam plurimi.

§. XI.

Et ita quidem rerum huius vniuerſi peracta creatio. Eranteque omnia fini opificis conuenientiſſima, resque quaelibet perfectionem ſibi debitam ſortita erat, vt nullibi aut defectus, aut malum aliquod deprehenderetur,* ſed in omnibus ac ſingulis ſumma conditoris & ineffabilis bonitas, ſapientia, potentia, apertiſſime eluceſcebat.

* Dubium hic equidem mouent Manichaei, erroris de duplici principio independenti propugnatores, vrgentque, quod multa mala naturalia in mundo conſpiciantur, quae cum a malo morali ſeu peccato hominum non prouenerint, ab ipſa creatione videntur deriuanda. Non tamen ſatis iſti auctores perpendunt, multa nobis, praeſertim poſt lapſum, in rebus creatis mala & imperfecta videri, quae, in ſe ſpectata, nec bona ſunt nec mala. Sed ex inſtituto hocce argumentum tractauit GVIL. KING, de *origine mali.* Iungenda, quae noſtra aetate contra PETRVM BAELIVM, Manichaeiſmi reſtauratorem, diſputata ſunt a viris doctiſſimis, IAQVELOTIO, IO. CLERICO, IAC. BERNHARDO, aliiſque. Cumprimis autem ingenii vires hac in re exercuit vir illuſtris, qui ſub nomine THEODICAEI edidit *Eſſais ſur la bonté de Dieu, la liberté de l'homme, & l'origine du mal.* Sed diſcutere haec accuratius, & quouſque, quae a viris doctis ad difficultates haſce remouendas in medium adlata ſunt, locum inueniant, inquirere, huius loci non eſt.

§. X.

§. X.

Tempus conditi mundi cum a priori definiri nequeat, a poſteriori, ſeu factis illuſtrioribus, quae illud conſequuta ſunt, recte determinatur. Indeque intelligitur, a condito mundo ad diluuium elapſos eſſe annos MDCLVI, adeoque anno milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo ſexto ante diluuium, mundum eſſe conditum. * Colligitur inde porro, rationibusque haud infirmis probari poteſt, contigiſſe idem anno circiter quater milleſimo ante Chriſtum natum. ** Quae huic ſententiae obiici ſolent, ſpeciatim de computo annorum patriarcharum antediluuianorum iuxta LXX interpretes longe maiori, *** itemque de dynaſtiis Aegyptiorum, * aut de Chaldaeorum obſeruationibus caeleſtibus, ** aut denique antiquitatibus Chinenſium, *** aetatem mundi conditi, iuxta noſtram ſupputandi rationem, multum ſuperantibus, vt infirmo nituntur talo, & partim aperte commentitia ſunt, ita merito a viris doctis iam pridem ſunt exploſa.

* Luculenter hoc demonſtrari poteſt ex annis patriarcharum, qui a condito mundo ad diluuium vsque vixerunt. Vid. *Geneſ. V. 3. ſeqq.* De menſe autem, aut die conditi mundi, item num tempore vernali, an autumnali conditus ſit, qua de re multa diſputant chronologi, ſollicitum eſſe, prorſus ſuperuacaneum eſſe, putamus. Non enim video, quem vſum ex eiusmodi minutiis capere liceat. Interim vid. de iis AEGIDIVS STRAVCHIVS, in *breuiario chronolog. part. ſpec. ſiue lib. IV. cap. I. qu. VI. ſeqq. p. 233. ſeqq.* add. GVIL. SALDENVS, *otior. theolog. lib. II. exercit. I.* quae eſt de mundi natali, in qua quaeſtionem, num verno, an autumnali tempore mundus conditus ſit? ex inſtituto expendit.

** Dicetur hac de re ſuo loco, cum annus natiuitatis Chriſti inueſtigabitur.

*** Computus annorum patriarcharum, iuxta verſionem LXX interpretum, ita ſe habet: a condito mundo vsque ad Sethum elapſi ſunt anni CCXXX; a Setho vsque ad Enoſchum CCV; ab Enoſcho vsque ad Kenan CXC; a Kenan vsque ad Mahalaleel CLXX; a Mahalaleel vsque ad Iared CLXV; a Iareth vsque ad Henoch CLXII; ab Henoch vsque ad Methuſalem CLXV; a Methuſalem vsque ad Lamech CLXVII; a Lamech vsque ad Noachum CLXXXVIII; a Noacho vsque ad diluuium DC. Reſultat inde ſumma annorum a condito mundo vsque ad diluuium MMCCXLII; cum iuxta textum ebraeum ſumma ſit MDCLVI. Vnde immanis illa differentia inter codices ebraeos & graecos orta ſit? de eo non omnes idem ſentiunt. Sunt, qui neſcio quae myſteria hic quaerunt; vt IO. MORINVS, in *exercitationib. bibl. lib. I. exercit.*

 VII.

Digitized by Google

VII. p. 34. Alii textum ebraeum corruptum eſſe volunt; vt ISAACVS VOSSIVS, PAVLVS PEZRONIVS, aliique, *locis* deinde *citandis*. Alii verſionem LXX interpretum deprauatam autumant; vt plerique, qui prioribus ſe opponunt. Alii denique, LXX interpretes data opera a textu ebraeo receſſiſſe, arbitrantur, vt Aegyptiorum gloriationi de antiquitate ſuarum dynaſtiarum occurrere poſſent; quae eſt ſententia SAM. PETITI, *lib. I. variar. lect. cap. VI.* Sed vt myſteria hic captare ineptum eſt, ita LXX interpretes data opera a textu ebraeo receſſiſſe, non eſt credibile. Quodſi ergo aut ebraei textus, aut verſionis LXX interpretum admittenda eſt corruptio, cur non huius potius, quam illius? Praeſertim, cum & aliis in locis eam corruptam eſſe, euidenter demonſtrari queat. Nihilo ſecius verſionem LXX interpretum textui ebraeo longiſſime hic praefert, praeter IO. MORINVM, ISAACVS VOSSIVS, in *diſſertat. de vera aetate mundi, qua oſtenditur, natale mundi tempus annis minimum 1440 vulgarem aeram anticipare*, itemque in *caſtigationibus ad ſcriptum Georgii Hornii de aetate mundi*, alibique. VOSSII veſtigiis inſiſtit PAVLVS PEZRONIVS, dans *l' antiquité des tems, retablié & defenduë contra les Iuifs & les nouveaux chronologiſtes &c.* Quaenam vero demum ratio eſt, vt viri iſti docti tam temere textum ebraeum reiiciant? Nimirum, vt Aegyptiorum & Chinenſium, de rerum ſuarum antiquitate, commentis, locus concedatur. Indignum vero chriſtiano homine facinus eſſe, ob gentilium quorumdam fabulas ſacros numeros reiicere, recte pronuntiat AEGIDIVS STRAVCHIVS, in *breuiario chronolog. part. ſpec. ſeu lib. IV. cap. I. qu. V. p. 233.* Sed hac de re nunc vlterius dicendum erit.

* Aegyptios olim ſe pro gente antiquiſſima venditaſſe, immo inſana quadam vanitate rerum ſuarum origines longe ſupra diluuium, immo ipſa mundi initia, extendiſſe, conſtat. Eo cumprimis ſpectant dynaſtiae Aegyptiorum, veteribus paſſim memoratae, quae ſi verae ſint, ex annis regum, ſibi inuicem ſuccedentium, numerus annorum mundi originem multum excedens exſurgit. Memorantur autem iſtae dynaſtiae, ſed diuerſo modo, tum aliis, tum maxime auctori *veteris Aegypti chronici* apud GEORGIVM SYNCELLVM, qui ſaeculo poſt Chriſtum natum octauo vixit, & circa eius finem chronicon ſuum ſcripſit. Sed antiquiſſimus rerum aegyptiacarum ac dynaſtiarum ſcriptor eſt MANETHON Sebennita, ſacerdos Heliopolitanus, qui hiſtoriam ſuam, ab ipſo mundi initio exorſus, ad Darium Codomannum perductam, tribus tomis Ptolomaeo Philadelpho, Aegypti regi, obtulit. Ex hocce MANETHONE dynaſtias illas exhibent IVLIVS SEXTVS AFRICANVS, atque EVSEBIVS, in *chronico*, ſed ita, vt iterum a ſe inuicem diſcrepent. Ipſum vero MANETHONIS opus periit, nec quidquam ſupereſt, praeter fragmenta apud auctores iam allegatos, atque FL. IOSEPHVM, vt iam ſupra in *prolegomenis* ad §. XIII. monuimus. Iungen-

gendus his ERATOSTHENES Cyrenaeus, in *catalogo regum Thebanorum*, quem ἐκ τῶν ἐν Διοσπόλει ἱερογραμματέων, *ex ſacris litteris vrbis Dioſpolitanae* ſumſit, & iuſſu regis Ptolomaei Euergetae ex aegyptia in graecam transtulit linguam; eum autem deinde in chronica ſua retulit APOLLODORVS, vnde accepit SYNCELLVS. Et SYNCELLVS quidem ex MANETHONIS dynaſtiis colligit annos 3555, vsque ad annum decimum quintum ante Alexandri victoriam de Perſis; licet, prout eas ex AFRICANO & EVSEBIO exhibet idem SYNCELLVS, longe maior, immo duobus fere millibus maior emergat annorum ſumma. Longius adhuc progreditur auctor *veteris Aegypti chronici*, quod ante memorauimus, quippe quod regés memorat, Deos, ſemideos, homines, per annos 36525. Vlterius progrediuntur Aegyptii illi apud DIOGENEM LAERTIVM, in *prooemio*, qui, a Vulcano vsque ad Alexandrum magnum annos 48863 effluxiſſe, perhibuerunt, annos forte Vulcani addentes, quos vetus illud chronicon non expreſſit. DIODORVS Siculus auctor eſt, a regno ſolis vsque ad Alexandri expeditionem, iuxta Aegyptiorum ſacerdotum calculum, elapſa eſſe annorum viginti tria millia; *lib. I. p. 15.* Quae deinceps ita auget, vt ab initio vsque ad ſua tempora ſumma inde exſurgat XXXIII millium annorum. Mitto, quae POMPONIVS MELA atque HERODOTVS hac de re habent; quorum calculus, licet a priorum ſupputatione differat, in eo tamen conuenit, quod, ſi admittatur, aegyptiacae gentis antiquitas longe vltra mundi initium ſit proferenda. Atque id cum per ſe pateat, tum luculenter oſtendit vir doctiſſimus IACOBVS PERIZONIVS, in *aegyptiarum originum & temporum antiquiſſimorum inueſtigatione, cap. II. p. 17. 18.* Manifeſta itaque cum ſit inter hosce aegyptiacae antiquitatis adſertores & ſcripturam ſacram pugna, vt hinc ſe expedirent, non vnam viri docti ingreſſi ſunt viam. Scripturae ſacrae auctoritatem Aegyptiorum poſtponere traditionibus, cum haud ſine ratione abſonum nimis multis viſum ſit, nonnulli quidem, vt ſcripturam ſacram cum Aegyptiorum traditione conciliarent, obſeruarunt, annum antiquiſſimis Aegyptiis vnius tantum fuiſſe menſis, at poſtea quatuor, & denique duodecim menſium. Conf. EDVARDVS STILLINGFLEETVS, in *originib. ſacris, lib. I. cap. V. p. m. 138. ſeqq.* Immo iam olim fuiſſe, qui Aegyptiorum iſtum immodicum calculum ad quamdam veroſimilitudinis hac ratione redigere ſpeciem conati ſunt, diſcimus ex DIODORO Siculo, *lib. I. p. 15. 16.* Sed parum hosce ad ſummam rei proficere, & neutiquam difficultates hic occurrentes tollere, luculenter oſtendit, quem iam laudauimus, IACOBVS PERIZONIVS, *l. c. cap. II. p. 18. 19.* Retinet annos receptos, duodecim ſcilicet menſium, IO. MARSHAMVS, in *canone chronico*, ſed, vt hancce Aepyptiorum chronologiam cum ſcriptura ſacra conciliet, dynaſtias illas non ita intelligendas cenſet, ac ſi ordine temporis ſingulae ſe inuicem exceperint, ſed

quod in iis reges, qui diuerſis Aegypti prouinciis vno eodemque tempore praefuerunt, ſimul exhibeantur. Cumque ne ſic quidem plana cuncta & perſpicua ſint, transponendo, mutando, omittendo pro lubitu, dynaſtias, a diuerſis auctoribus deſcriptas, ita disponere adnititur, vt illa, quam animo concepit, chronologiae forma inde redeat. Sequitur MARSHAMVM praeter alios PAVLVS PEZRONIVS, dans *l' antiquité des tems retablié &c.* etſi in quibusdam ab eo diſſentiat. Immo praeeuntem ſibi habuiſſe videtur GERARDVM IOANNEM VOSSIVM, cui iam ſimile quid in mentem venit. Audire hac de re iuuat HERMANNVM CONRINGIVM, qui ſimul falſae huius hypotheſeos fundamenta neruoſe ſubruit, in *aduerſariis chronologicis*, quae in IO. GEORGII GRAEVII *ſyntagmate variarum diſſertation. rariorum* exſtant, *cap. XVII. p. 191. Nec vero iuuat Manethonem,* inquit, *ingenioſa Gerardi Ioannis Voſſii, v. cl. excuſatio, quam refert lib. II. idololatr. cap. XXVIII. annos illos Manethonios eſſe non explicitos, ſed cum aliis concurrentes; vno ſcilicet eodemque tempore pluribus dynaſtiis Aegypto imperantibus. Nihil, inquam, hoc iuuat Manethonem, vt qui vtique cenſuerit, annos illos omnes non collaterales eſſe, ſed ſucceſſorios, immo concurrentium vno eodemque tempore dynaſtiarum vix ſemel meminerit. Certe in commemorandis regibus etiam alios ſacerdotes non cogitaſſe de illis collateralibus dynaſtiis, manifeſtum eſt, etiam ex Herodoto, Diodoro, aliis. Vt taceam, ne quidem in ſacra hiſtoria Ebraeorum eius aliquod reperiri veſtigium.* Atque id quidem eſt, quod & IACOBVS PERIZONIVS, *l. c. cap. V. p. 62.* alibique, ex inſtituto & ſolidiſſime comprobauit. Accedit vero, quod maxima auctorum in enarrandis hisce dynaſtiis ſit discrepantia; cum aliter dynaſtiae iſtae exhibeantur ex veteri chronico apud SYNCELLVM, aliter ab AFRICANO, aliter ab EVSEBIO, licet vterque ſua ex MANETHONE hauſerit, vt idem auctor ad oculum oſtendit. Quae cum ita ſint, operam oleumque perdunt, qui, hisce dynaſtiis certam chronologiam ſe ſuperſtruere, aut eam cum ſcriptura ſacra conciliare poſſe, exiſtimant. Prorſus enim illorum ſubſcribo ſententiae, qui omnia illa, quae Aegyptii de veteribus illis dynaſtiis tradiderunt, in quantum a ſcriptura ſacra, aut aliis ſynchroniſmis certis, & extra dubium poſitis, abeunt, inter fabulas & inania referunt commenta. Ipſos enim Aegyptios rerum ſuarum paullo antiquiorum certam hiſtoriam litteris conſignatam non habuiſſe, luculenter probat HERMANNVS CONRINGIVS, in *aduerſariis chronologicis, cap. XVI. p. 188.* Ad MANETHONEM vero quod attinet, fides eius apud prudentes, rerumque harum peritos, merito vacillat. Ipſe SYNCELLVS eum ait ψευδηγορῆντα καὶ αὐτόν, *falſa tradentem & ipſum*, ſcilicet aeque ac BEROSVM, *chaldaicarum rerum auctorem, p. 18.* immo ſcripta eius eſſe πηγῆς ψεύδους καὶ κατὰ μίμησιν Βηρώσσου πεπλασμένα, *plena mendacii & ad imitationem Beroſi conficta, p. 16.*

Quo

Quo magis mirandum, IOSEPHVM SCALIGERVM tantum tribuere MANETHONI, vt, nullas vetuſtatis reliquias cum iſtis comparandas eſſe, putet, neque felicius nobiscum agi potuiſſe, quam ſi integri tomi MANETHONIS ad nos perueniſſent; in *canonibus iſagogicis, lib. II. cap. I. p. 317.* Nec ſatis perſpicue habuiſſe videtur vir ſummus, quid ſcriberet, quidue adſereret, cum annorum numerus iuxta MANETHONIS dynaſtias ex ipſius computatione ſupra mundi initium plus ſaeculis tredecim adſcendat, vt viris doctis obſeruatum eſt. Atque haec cum ita ſe habeant, cumque nullo fundamento iſta dynaſtiarum chronologia innitatur, palam eſt, iniquiſſime agere, qui commentis potius, quam narrationi Moſaicae, de mundi origine, fidem adhibere volunt. Ceterum, quae MARSHAMVS, praeter iam memorata, pro adſtruenda ſua ſententia, qua dynaſtias illas cum ſcriptura ſacra conciliare adniſus eſt, in medium attulit, ſuppoſuitque, Menem ſcilicet eumdem eſſe, ac Chamum, a DIODORO annos MCCCC inter Menem & Seſoſtrim ſtatui, & quae reliqua ſunt eiusdem generis, adcurate profligauit PERIZONIVS, ſaepius nobis iam laudatus, *cap. IV.* ad *VIII.* qui nec iſtis ſuffragatur, *cap. XI.* qui reiectis MANETHONIS dynaſtiis chronologiam HERODOTI ſequi malunt; in qua ſententia verſantur HERMANNVS CONRINGIVS, EDVARDVS STILLINGFLEETVS, aliique. Quae omnia, vt & reliqua, quae idem vir doctus diſputat, mirifice noſtram confirmant ſententiam, ex incertiſſima illa, immo maximam partem falſiſſima, veterum de dynaſtiis Aegyptiorum traditione, Moſaicae narrationis veritatem neutiquam labefactari poſſe. Iungenda, quae contra fictitias Aegyptiorum dynaſtias ex inſtituto diſputat MELCHIOR LEIDEKKERVS, de *republic. Ebraeor. lib. III. cap. II. p. 115. ſeqq.*

** De temporibus ſuis ipſi olim Babylonii, ſeu Chaldaei, non idem tradiderunt. Iuxta DIODORVM namque Siculum, *Chaldaeorum collegium ad expeditionem Alexandri in Aſiam quadraginta & ſeptnaginta duo millia numerat, ex quo ſidera obſeruari coeptum ſit; lib. II. cap. XXXI.* Pari ratione & CICERO *lib. I. de diuinat. cap. XIX. & lib. II. cap. XLVI.* auctor eſt, *Babylonios iactare, ſe CCCC LXX millia annorum habere monumentis* (ſcil. litterarum) *comprehenſa*, & *illa poſuiſſe in periclitandis experiundisque pueris, quicumque eſſent nati*, ſed ſimul addit, *eos mentiri, recteque condemnari aut ſtultitiae, aut vanitatis, aut impudentiae.* Nec procul hinc diſcedit HIPPARCHVS apud PROCLVM LYCIVM, *lib. I. commentar. in Timaeum Platonis*, obſeruante HERMANNO CONRINGIO, in *aduerſar. chronolog. cap. IX.* in *ſyntagm. variar. diſſertat. rarior.* IO. GEORG. GRAEVII, *p. 166.* ALEXANDER Polyhiſtor, ex Beroſo auctor eſt apud EVSEBIVM, *chron. lib. I. p. 5. 6.* a condito mundo ad Alexandrum M. effluxiſſe plus quam centum quinquaginta annorum millia, & tot annorum hiſtorias habuiſſe Chaldaeos. Longe maior adhuc annorum ſumma exſurgit ex ſolis nouem Baby-

Digitized by Google

Babyloniae regibus, quos ante diluuium BEROSVS ſcripſit rerum potitos per *ſaros* centum viginti. Sarus autem Babyloniis fuit numerus trium millium ſexcentorum, eoque ſari centum viginti annorum quadringentorum triginta duorum millium, ſiquidem ABYDENVS recte ſaros, reliquosque numeros chaldaicos, interpretatus eſt, qua de re nonnulli dubitant. Quam vero haec ab omni veroſimilitudinis ſpecie abhorreant, profanorum etiam auctorum teſtimonio condoceri poteſt, ſpeciatim CALLISTHENIS. Rogarat namque CALLISTHENEM, ARISTOTELES, vt in antiquitates Chaldaeorum inquireret, certioremque ſe faceret. Reſpondit ille, nullas ſe apud Babylonios reperire potuiſſe obſeruationes antiquiores annis mille nongentis & tribus, vsque ad captam ab Alexandro vrbem. Ex PORPHYRIO hoc refert SIMPLICIVS, in *lib. II. Ariſtotelis de caelo.* Diſſentiunt rurſus ab hisce omnibus, quae habet PLINIVS, *hiſtor. nat. lib. VII. cap. LVI. Epigenes*, inquit, *apud Babylonios DCCXX annorum obſeruationes ſiderum coctilibus laterculis inſcriptas docet, grauis auctor in primis; qui minimum, Beroſus & Critodemus, CCCCLXXX annorum.* Haec omnia ſi inter ſe conferamus, vel ipſa ſententiarum diſcrepantia docet, nihil certi ex iſta Chaldaeorum chronologia ſperandum eſſe. Deinde, in quantum annorum numerus mundi originem excedit, eam reiiciendam, prorſusque repudiandam, eſſe, omnes vno ore fatentur, quibus vlla ſcripturae ſacrae eſt veneratio. PLINII calculum viri quidam doctiſſimi, IOSEPHVS SCALIGER, ad *Graeca Euſebii p. 407.* GERARDVS IOANNES VOSSIVS, de *hiſtoricis graecis*, IO. MARSHAMVS, in *canone chronico*, *ſaec. XVII. p. 474.* amplectuntur, quibus & ſuffragatur IO. CLERICVS, in *indice philolog.* ad STANLEII *hiſtor. philoſ. oriental.* voc. *Beroſus.* Sed diuerſo hoc faciunt conſilio; SCALIGER quidem atque VOSSIVS, vt ex eo BEROSI aetatem & editarum ab eo hiſtoriarum annum ipſum eruant, MARSHAMVS autem, vt labefactato CALLISTHENIS teſtimonio, ſuam de recentiore Babylonis origine ſententiam firmet. Sed falli hosce omnes, luculenter oſtendit IACOBVS PERIZONIVS, corruptumque PLINII locum, praeeunte IO. HARDVINO, demonſtrat, ea quidem ratione, vt augendae omnino apud eum ſint Babyloniorum ſummae, ſingulisque adiicienda ſit millenarii nota, quae facile excidiſſe potuit; atque adeo illam Epigenis eſſe 720000 annorum, Beroſi vero & Critodemi 450, vel 490, vt habent codices quidam manuſcripti, vel potius 470 millium annorum; in *originib. babylonicis, cap. I. p. 23.* Ad veritatem itaque proxime accedet CALLISTHENIS illa computatio, ſupra memorata, iuxta quam initium obſeruationum caeleſtium apud Chaldaeos incidit in annum poſt diluuium ſexageſimum primum, iuxta calculum codicis ebraei. Cum vero eo tempore Chaldaei nondum fuerint, nec regem habuerint, nec Babylon exſtiterit, nulla denique cura aſtronomicarum obſeruationum fuerit, ISAACVS qui-

quidem vossivs inde colligit, calculum LXX interpretum praeferendum eſſe calculo textus ebraei, cum hac ratione CALLISTHENIS computatio optime ſcripturae ſacrae reſpondeat. Sed cum nobis ſacroſancta ſit textus ebraei auctoritas, ab eo diſcedere merito nobis religioni ducimus. Praeſtat itaque dicere, nec CALLISTHENIS calculum prorſus adcuratum eſſe, ſed eum adhuc eſſe imminuendum, vt cum ſacro codice conciliari queat chronologia Chaldaeorum. Quidquid vero huius ſit, id certum & exploratum, immanem illam babylonicae chronologiae antiquitatem omni deſtitui fundamento, ideoque ceu fabuloſa & commentitia a viris doctis merito reiicitur. Pluribus haec prae reliquis demonſtrat HERMANNVS CONRINGIVS, in *aduerſariis chronologicis, cap. IX. ſeqq.* qui & ſpeciatim *cap. X.* luculenter oſtendit, BEROSI hiſtoriam chaldaicam non fuiſſe omni ex parte fide dignam.

*** Quae Chinenſium de mundi huius, hominumque, origine, & temporum antiquitate, ſit traditio, hunc in modum exponit PHILIPPVS COVPLET: *Memorant, quod caelum horam noctis vndecimam inter & duodecimam conditum fuerit, terra vero horam noctis primam inter & ſecundam. Quod primus homo conditus ſit inter tertiam & quartam matutinam, femina poſt meridiem tertiam inter & quartam. Item primum illum hominem, (quem* Puon cu *nominant, & ſepultum dicunt in vrbe* Yam cheu *prouinciae* Nan kim, *aut, vt alii, in prouincia* Pe kim *in territorio vrbis* Hokien) *ex ſterili terra prognatum, & admirabili rerum ſcientia fuiſſe inſtructum, dominatumque omnibus, originem tamen illius ignorari. Narrant denique, tres imperatores exſtitiſſe, primum caeli, ſecundum terrae, tertium hominum, & horum quidem fratres alios aliis ſucceſſiſſe per annos amplius 49000. poſt quos aliae rurſum triginta quinque familiae perpetua ſerie per aliquot annorum millia imperarint;* in *tabula chronologica monarchiae ſinicae,* quae addita eſt *Confucio Sinarum philoſopho, ſiue ſcientiae ſinenſi latine expoſitae* ab eodem COVPLETO, itemque PROSPERO INTORCETTA, CHRISTIANO HERDTRICH, & FRANCISCO ROVGEMONT, *praef. p. 4.* Conf. MARTINI MARTINII *decas I. hiſtor. Sin. fol. 14. & 20.* Haec vero tam fabuloſa ſunt & commentitia, vt nec ſapientiores ex ipſis Sinenſibus illis fidem adhibeant. Nihilo ſecius ISAACVS VOSSIVS, vt omnia, quae poteſt, pro ſtabilienda LXX interpretum chronologia conuectet, Serum quoque ſeu Chinenſium huc aduocat origines; in *diſſertat. de aetate mundi, cap. XI. p. 45. ſeqq.* Temporis equidem, ſaltem, quod vocat, hiſtorici, habet rationem, quod ſecundum eius calculum incipit annis ante Chriſtum natum 2847. Verum, cum antiquior illa chronologia ſatis teſtetur, quam incerta apud Sinenſes ſint omnia; nec recentior illa, ſeu temporis hiſtorici, tantam apud nos habebit auctoritatem, vt in eius gratiam, relicta textus ebraei chronologia, ſeptuaginta potius interpretes ſequi debeamus. Sed hoc ὡς ἐν παρόδῳ.

Digitized by Google

§. XI.

Iam vt ad originem eccleſiae accedamus, Deum primo quidem Adamum, corpore eius ex gleba terrae formato, & ſpiraculo vitarum illi inſpirato, * deinde Euam, ex coſta Adami, corpore eius exſtructo, ** condidiſſe, conſtat. Nec dubium, quin maximis praeſtantiſſimisque, qua corpus, *** qua animam dotibus * fuerint inſtructi. In quantum enim reliquis animantibus praeſtare debebat homo, in tantum etiam ſapientia bonitasque diuina in eo luculentius exſplendeſcere debebat.

* Ita emphatice & haud dubio non ſine praegnanti ratione loquitur Moſes: נשמת חיים *Gen. II. 7.* Dum autem plurali numero חיים *vitarum* dixit, indicare voluit, vnam eamdemque in homine eſſe animam, cuius diuerſae ſint facultates & operationes. Vnde refelluntur hoc ipſo, qui plures vna in homine ſtatuunt animas, ſimul & qui animam materialem ſtatuunt; cum aliter Moſes de materialium creaturarum productione loquatur, quam de productione animae humanae. Quo ipſo & ſequitur, de diuinae eſſentiae communicatione hoc intelligi non poſſe; cum id fere aliter fieri nequeat, quam vt, ipſam eſſentiam diuinam materiale quid eſſe, ſupponamus; quod & reuera Stoici, aliique veterum arbitrati ſunt, qui animam humanam diuinae eſſentiae particulam dixerunt. Sed hac de re alibi. Interim conf. SALOMON DEYLINGIVS, *obſeruation. ſacrar. part. II. obſeru. III. p. 23. ſeqq.* vbi prolixe de hocce loco diſſerit.

** Iudaeorum de corpore Adami androgyno fabulae ſatis notae. Mirum, eas MENASSI BEN ISRAEL & MOSI MAIMONIDI, viris alias iudicio pollentibus, placuiſſe; illi quidem *conciliat. in Geneſ. n. VIII.* huic in *more nebochim, part. II. cap. XX.* Conf. IO. HENRICVS HEIDEGGERVS, *hiſtor. patriarch. part. I. exercitat. IV. §. XIX. p. 128.* & GVIL. SALDENVS, *otior. theolog. lib. II. exercit. II. §. VII.* ANTONIETTAE BOVRIGNONIAE, & qui eam ſequitur, PETRI POIRETI, non multum hinc abire ſententiam, conſtat. Sed hac de re alibi.

*** Falluntur citra controuerſiam, qui, corpus Adami ante lapſum διαφανὲς, id eſt, transparens fuiſſe, contendunt. Nec enim ſolidum, quo hanc ſententiam ſuperſtruant, adferre poſſunt argumentum. Fuiſſe tamen illud longe formoſiſſimum, facile conceſſerim. Nec negauerim, poſt lapſum deformatum illud quodammodo fuiſſe, animi ob admiſſum facinus maerere, corporis quoque formam depaſcente, ſimulque animi labefactante vires. Vid. EDMVNDVS DICKINSON, in *phyſica veteri & vera, cap. XI. §. VII. p. 162.*

* Quod in ſequentibus pluribus explicatur.

§. XII.

§. XII.

Conditi autem erant primi homines ad imaginem diuinam, * quo nomine excellentiſſimas virtutes, quibus homo Deo ſimilis redditur, deſignari conſtat. In intellectu itaque hominis cum cognitione rerum omnium exquiſitiſſima, ſumma coniuncta erat ſapientia; & quod ad voluntatem attinet, vti ea cum Deo arctiſſime vnitus erat, amoreque ſincero ei adhaerebat, ita non poterat non ſumma in illa eſſe ſanctitas iuſtitiaque. Sed in reliquis quoque mentis corporisque facultatibus maxima conſpiciebatur perfectio.

* Id diſerte teſtatur Moſes: *& creauit Deus hominem ad imaginem ſuam, ad imaginem Dei creauit illum, maſculum & feminam creauit eos; Geneſ. I. 27.* Antea Deus ipſe dixerat: *faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*, id eſt, ad imaginem nobis ſimillimam, plane ac Paulus *ὁμοίωμα εἰκόνος* vocat, *Rom. I. 23.* Qui enim hic inter *imaginem* & *ſimilitudinem* diſcrimen quaerunt, omni fundamento deſtituuntur. Ad rem ipſam quod attinet, quid per imaginem diuinam intelligatur, aperte nos docet Paulus apoſtolus, videlicet cognitio praecipue ac ſapientia ſumma ratione intellectus, & ſanctitas ac iuſtitia ratione voluntatis, *Eph. IV. 23. Col. III. 9.* non excluſis aliis corporis animique perfectionibus. Idque iam antea Salomoh quoque docuerat, adferens, quod Deus hominem fecerit ישר *rectum, Kohel. VII. 29.* Atque hinc ipſi Iudaei certiora diſcere poterant, qui variis ſe hic inuoluunt erroribus, nec inueniunt, vbi conſiſtant; adeo, vt non deſint, qui in anima hominis generatim Dei imaginem quaerant; cum anima ſit in corpore, quod Deus eſt in mundo, apud RAYMVNDVM MARTINI, in *pugione fidei, part. III. diſſertat. III. cap. III.* Sed hac de re alibi diſputatur ex inſtituto. Legi autem prae reliquis meretur IO. HENRICI MAII *diſſertat. de homine in imagine Dei condito*, ad locum *Geneſ. I. 27.* quae exſtat in *diſſertationibus* eius *ſacris, p. 254. ſeqq.*

§. XIII.

Non tantum rerum diuinarum peritiſſimum fuiſſe Adamum, ſed naturae quoque arcana cognita atque perſpecta habuiſſe, vt credamus, par eſt; idque vel ex eo, quod animantibus omnibus nomina impoſuerit, * patet. Cauendum tamen, ne de eruditione Adami eiusmodi animo concipiamus notionem, quae circulo eruditionis, prout hodie in vſu eſt, tantum conuenit, ** & ſine magno errore hominibus, a noſtris moribus, & docendi diſcendique ratione alienis, tribui nequit.

* Saltem, ſi ſupponamus, nomina, quae illis impoſuit, ipſam animalium naturam expreſſiſſe; vt praeter alios EVSEBIVS cenſet, *praeparat. euangel. lib. XI. cap. VI.* Nec enim alia cauſſa fuit, cur Deus animantia ad Adamum adduceret, quam vt ab eo nomina naturae ſuae conuenientia acciperent. Quae enim vir quidam doctus ante aliquot annos hac de re commentus eſt, vt paradoxa ſunt, & ab omni veritatis ſpecie aliena, ita merito ab aliis reiiciuntur. Conf. IACOBVS BERNHARDVS, dans *les nouvelles de la republique des lettres, menſe Aprili, anno MDCCV. p. 410.*

** Multa enim hodie inter eruditionis partes referuntur, quae aut diuturna ſaltem experientia & obſeruatione comperta ſunt, aut in humanae imbecillitatis & ignorantiae ſubſidium excogitata, aut alias ob rationes in ſtatum primaeuum Adami non quadrant, quae adeo illi tribuere ineptum foret. Vnde patet, quousque admittenda ſit illorum ſententia, qui, Adamum & theologum fuiſſe, contendunt, & philoſophum, & medicum, & aſtrologum, & chymicum, & mathematicum, quod ex Rabbinorum & paraphraſtae Samaritani teſtimoniis adferit ATHANASIVS KIRCHERVS, *oedip. aegypt. t. II. part. I. claſſ. II.* cui & alii adſtipulantur; quos ideo ridet PETRVS BAELIVS, *in dictionario hiſtorico-crit.* voc. *Adam.* Dixi etiam hac de re in *introduct. ad hiſtor. philoſ. Ebr. p. 3.*

§. XIV.

Eruditionis, qua Adam diuinitus imbutus fuit, documentum certiſſimum in lingua quoque eidem concreata conſpicitur. * Hanc vero non aliam, quam ebraeam, qualis hodie in ſacro codice veteris teſtamenti ſupereſt, fuiſſe, valde eſt veroſimile. **

* Praeſertim, ſi ſupponamus, linguae primigeniae voces naturalem ſignificandi vim habuiſſe; quod praeter alios noſtra aetate CASPAR NEVMANNVS, in *geneſi linguae ſanctae, & lexici*, huic hypotheſi ſuperſtructi, aliquot, quae hactenus prodierunt, partibus, demonſtrare adgreſſus eſt. Quo intuitu haud dubio PYTHAGORAS, ſummae ſapientiae fuiſſe, dixit, qui nomina rebus impoſuiſſet; quae & PLATONIS eſt ſententia, in *Cratylo.* Ceterum, vt gentiles de origine hominum nihil certi ſciebant, indeque in varia prolapſi ſunt commenta; ita & de ſermonis origine nihil certi ſtatuere poterant. Aegyptiorum de hominum pariter ac ſermonis origine ſententiam ita exprimit DIODORVS Siculus: *Iam vero, homines a principio genitos, dicunt, in agris paſtum quaerentes, ſylueſtri & incondita vita vixiſſe, quibus herbae & arborum fructus vltro victum praeberent. Beluas autem his fuiſſe infenſas, quibus vt obſiſterent, coetus hominum ob timorem factos aiunt communis vtilitatis gratia, auxiliaque inuicem praebita, & loca habitaculis quaeſita. Sonus o-*

ris

ris unus confuſus eſſet, paullatim diſcreuiſſe vocem, aiunt, & res omnes ſuo nomine adpellaſſe. Verum cum diuerſis ſiti eſſent in orbis locis, non eisdem vſos verbis ferunt, propterea & diuerſos litterarum charactéres exſtitiſſe; primosque hominum coetus ſuae quemque gentis initium fuiſſe; lib. I. cap. I. p. m. 6. Nec procul hinc diſcedit TITVS LVCRETIVS CARVS, *lib. V. de rerum natura, p. m. 180.* hac de re ita differens:

At varios linguae ſonitus natura ſubegit
Mittere; & vtilitas expreſſit nomina rerum;
Non alia longe ratione, atque ipſa videtur,
Protrahere ad geſtum pueros infantia linguae
Cum facit, vt digito, quae ſint praeſentia, monſtrent.
Sentit enim vim quisque ſuam, quam poſſit abuti.

PLATONIS tum refellit idem LVCRETIVS ſententiam hunc in modum:

Proinde putare aliquem tum nomina diſtribuiſſe
Rebus, & inde homines didiciſſe vocabula prima
Deſipere eſt; nam cur hic poſſet cuncta notare
Vocibus, & varios ſonitus emittere linguae,
Tempore eodem alii facere id non quiſſe putentur? &c.

Sed dum PLATONEM deſipuiſſe putat LVCRETIVS, non rectius ſapuit ipſe; immo non rectius ſapuere reliqui gentiles omnes. Ex ſolo enim Moſe rectiora certioraque hac de re diſcere licet.

** Dicetur hac de re infra, cum de Babelica linguarum confuſione verba faciemus.

§. XV.

Religionis, qua primi parentes Deum colebant, ſumma haud inconcinne per rationem federis inter Deum & primum hominem, eiusque ſimul nomine omnes eius poſteros, initi, explicatur. * Cuius quidem federis conditiones ** ex parte hominis erant dilectio ſincera Numinis, aliorumque hominum, & obſequium omnibus eius mandatis promtiſſime praeſtandum. Etſi enim alias quoque ex beneficiorum diuinorum conſideratione homo, haec ſui eſſe officii, intelligere poterat, accedente tamen ex parte Dei, per promiſſiones ampliſſimas, nouo beneficiorum cumulo, aequum erat, vt homo voluntaria promiſſione denuo ad haecce praeſtanda ſe obſtringeret.

* Cum ſcriptura ſacra ſubinde federum inter Deum & homines initorum in iis, quae ad hominum ſalutem ſpectant, mentionem iniiciat; fuerunt viri docti, qui praecipua religionis capita ſub hocce ſchemate de federibus diui-

Digitized by Google

diuinis, proponerent. Praeeunte IO. COCCEIO hoc cumprimis egerunt HERM. WITSIVS, IO. BRAVNIVS, aliique reformatae eccleſiae theologi, itemque SAM. PVFENDORFIVS, in *iure feciali diuino.* Nec vituperandum eſt hocce inſtitutum, modo non vltra, quam decet, procedant, aut falſas hypotheſes admiſceant; cum praeeuntem quodammodo ſibi habeant ipſam ſcripturam ſacram. Speciatim & primorum hominum religio ſub hocce ſchemate quam commodiſſime exhibetur, ſuffragante ipſa ſcriptura ſacra, quae Adami transgreſſionem per violationem federis expreſſe deſcribit *Hoſ. VI. 7.* Quodſi haeſites, dubitesque, num vox אדם ibi ceu proprium, an adpellatiuum nomen, capienda ſit, idem ex *Rom. V. 14.* itemque ex comparatione Chriſti & Adami, condiſcere poteris. Sed hac de re theologi ex inſtituto. Ceterum nobis hic ſufficit, ſumma religionis Adamiticae ante lapſum capita indicaſſe. Ad ſpecialia progredi, aut quaenam in hocce federe ſupponantur, quaenam porro ex principiis deriuari concluſiones queant, indicare, noſtri non fert inſtituti ratio. Caute quoque hac in re verſandum, ne cuncta ex rationibus, ſecundum praeſentem doctrinae & eccleſiae ſtatum receptis, aeſtimantes, primis parentibus tribuamus, quae ab illorum ſtatu fuere aliena. Legendus interim hac de re eſt ABRAHAMVS CALOVIVS, in *iſagoge ad theologiam, lib. I. cap. III. p. 42. ſeqq.* vbi ex inſtituto de *theologia paradiſiaca* egit.

** Diſtincte & prolixe perſonas contrahentes in hocce federe operum, itemque legem federis, promiſſa quoque, & ſanctionem poenalem ediſſerit HERMANNVS WITSIVS, in *oeconomia federum Dei cum hominibus, lib. I. cap. II. III. ſeqq.* qui & *cap. II. §. V.* recte probat, myſterium trinitatis in hocce ſtatu primis parentibus non fuiſſe ignotum. Quae vero idem *cap. VI.* de ſacramentis federis operum habet, admitti non poſſunt, vt deinceps dicetur.

§. XVI.

Deus rurſus homini, federis huius leges ſancte ſeruaturo, ſtatus huius feliciſſimi continuationem, immunitatemque a morte, ſeu deſtructione corporis cum dolore coniuncta, & vitam denique aeternam, pollicitus eſt. Et haec quidem ex ſingulari gratia & beneuolentia pollicitus eſt, non ex debito; cum homo etiam in ſtatu integritatis exactiſſima legis obſeruantia nihil promereri potuerit, * ſed ſi omnia feciſſet, quae lex, aut federis diuini ratio exigebat, nihil tamen aliud, quam quod ſui erat officii, facturus fuiſſet.

* Ex ipſa meriti notione hoc fluit; vt etiam philoſophi docent, confirmante idem ſeruatore, *Luc. XVII. 10.*

§. XVII.

§. XVII.

Praeterea, vt obedientiam hominis exploraret Deus, inter alias arbores in paradiſo arborem ſcientiae boni & mali * collocauerat, addita ſeueriſſima comminatione mortis, ſi de eius fructibus comeſturus eſſet; ſicuti etiam arborem vitae in medio horti ſtatuerat, vt per legitimum eius vſum labaſcentes forte corporis vires reficere, & ita absque mortis periculo vitam conſeruare poſſet. **

* Arborem ſcientiae boni & mali ex genere reliquarum arborum naturalium fuiſſe, & ab euentu, ſeu fine, ob quem a Deo conſtituta in paradiſo erat, nomen ſortitam, longe eſt veroſimillimum. Qualis vero arbor, num vitis, an ficus, quae eſt ſententia THEODORETI, *interrogat. XXVIII. in Geneſin*, itemque ISIDORI Peluſiotae, *lib. I. epiſt. LI.* aliorumque, incertum. Pro ficu variis rationibus pugnat THEODORVS IANSSONIVS ALMELOVEENIVS, in *ſpecimine antiquitatum e ſacris profanarum, p. 1. ſeqq.* quemadmodum contra IO. LIGHTFOOTVS, Iudaeorum, vitem fuiſſe, contendentium, ſententiam, haud improbare videtur; *hor. talm. in Luc. I. 16.* Sed oleum & operam perdunt, qui inueſtigare volunt, quae diuinus ſcriptor nos ignorare voluit. Fuere, qui fructum ſcientiae boni & mali de vſu coniugii interpretarentur, quo Deus Adamo & Euae interdixerit, donec ipſe iuberet; vt refert MOSES BAR CEPHA, libro de *paradiſo*. R. ABRAHAM ABEN ESRA, etſi concedat, arborem ipſam ignotam eſſe; ab opere tamen nuptiali, quod ſignificauerit, ſcientiae boni & mali nomen habuiſſe, putat; indeque factum, vt opus illud *cognitio* vocaretur. Sed ex Moſis narratione eiusmodi quid non colligas. Nec admitti poteſt, quod FL. IOSEPHVS, *lib. I. antiquitat. cap. I.* & NEMESIVS, de *natura hominis, cap. I.* aliique autumant, arbori iſti inſitam a Deo fuiſſe naturalem illam vim, quae boni maliue cognitionem homini conciliaret. Quo pacto enim arboris, ceu rei corporeae, ea efficacia eſſe potuerit, nullatenus intelligi poteſt. Nihil itaque aliud ſupereſt, quam vt adferamus, quod ſupra iam innuimus, arborem hanc equidem fuiſſe naturalem, ſed δοκιμαστικήν; inde vt conſtaret, num mandatis diuinis morem in omnibus geſturi eſſent primi parentes. Hoc CHRYSOSTOMI, THEODORETI, AVGVSTINI, aliorumque teſtimoniis comprobat NATALIS ALEXANDER, *hiſt. eccleſ. vet. teſtam. aetate I mundi, diſſertat. II. artic. II. p. 54. ſeqq.* Eſtque haec plerorumque etiam noſtrae eccleſiae theologorum ſententia. Add. IO. MARCKIVS, in *hiſtoria paradiſi, lib. I. cap. XVIII.* cumprimis *§. IX. & ſeqq.* Singularis plane eſt ſententia B. SEBASTIANI SCHMIDII, exiſtimantis, arborem ſcientiae boni & mali, aeque ac arborem vitae, ſuam denominationem a Deo non accepiſſe, ſed vtrique a diabolo nomen hoc impoſitum, qui eiusmodi quid finxerit, ad decipiendos primos parentes. Vnde porro concludit,

dit, arbori vitae non magis inſitam fuiſſe vim prolongandi vitam, quam arbor ſcientiae boni & mali cognitionem in homine producere aut augere potuerit. Cumque iam *Gen. II. 9.* nomina haecce iſtarum arborum commemorentur, id per prolepſin fieri exiſtimat. Propoſuerat vir ſummus hancce ſuam ſententiam in peculiari diſſertatione, anno MDCXLIII ſub praeſidio B. IO. SCHMIDII habita. Impugnauit vero eamdem THEODORVS HACKSPANIVS, *not. theol. philolog. p. 62. ſeqq.* vnde SCHMIDIO eam vlterius defendendi ſuppeditata fuit occaſio, quod iterum peculiari fecit diſſertatione, *faſciculo diſputationum* eius *theologico-philologicarum* inſerta. Nihiloſecius eam refellere itidem adgreſſus eſt GVIL. SALDENVS, *otior. theolog. lib. III. exercit. XI. ſ. X.* contra quem eius defenſionem quodammodo in ſe ſuſcepit celeberrimus eccleſiae noſtrae theologus, IO. HENRICVS MAIVS, in *diſſertationib. ſacris, loc. V. p. 359. ſeqq.* vbi ad minimum, *non liquere*, putat, *an Deus arborem vitae & ſcientiae boni & mali, his nominibus ipſe adpellauerit, nec effici id ex eo poſſe, quod Moſes dicat, Deum illas arbores plantaſſe in medio horti. Si additum fuiſſet, Deum adpellaſſe illas ſimul eiusmodi nominibus, confectum negotium haberemus, neque vllus dubitandi locus ſupereſſet.* Sed, quod pace ſummi viri dixerim, non neceſſe erat, vt Moſes diſerte adderet, Deum has arbores hisce inſigniuiſſe nominibus; cum ex ipſa eius narratione nemo non hoc colligere queat. Indicat haud dubio, arbores hasce fuiſſe ſingulares, ad certum vſum deſtinatas, eumque in finem in medio parad ſo collocatas, ſimulque certis nominibus eas adpellitat. Quis hic de prolepſi cogitet? aut quis non potius in eam ingrediatur ſententiam, eas a Deo ipſo hanc denominationem ſortitas? Nec eſt, quod obiicias, fore ita, vt Deus falſa nomina arboribus impoſuerit, cum id non effecerint, quod nominis poſtulare videbatur ratio. Enimuero, omnino id eas effeciſſe, exiſtimo, reſpondetque rei ipſi denominatio. De arbore vitae hoc omnes vno velut ore fatentur, illi inſitam fuiſſe vim, vitam hominis prolongandi; quod quo pacto intelligendum ſit, mox exponemus. Nec de arbore ſcientiae boni & mali vllum dubium; modo recte, cur ita adpellata ſit, teneamus. Non enim ita vocata eſt, vt diximus, quod per ſe ſcientiam producere aut augere potuerit, ſed quod ex inſtitutione diuina indicare debebat, num mandatis diuinis homines morem geſturi eſſent; quo ipſo cognoſcere & ipſa experientia intelligere poterant, quid bonnm, quidue malum eſſet. Sed licet hic vnicuique ſuam retinere ſententiam.

** Etſi enim immortalitas in ſtatu integritatis homini a Deo conceſſa erat, non tamen abſolute conceſſa erat, qualis in altera vita erit, ſed cum vſu mediorum ad prorogandam vitam ordinatorum, quorſum etiam ſpectabat eſus fructus de arbore vitae. Qualis autem arbor iſta fuerit, ignoramus; cum ſcriptura hoc non reuelauerit, nec

nec aliud quid dicere poſſumus, quam fuiſſe arborem ſingularem & extraordinariam, vim iſtam diuinitus inſitam habentem, vitam hominis conſeruandi, ne infirmitate vel aetate in deterius rueret. Legendus hac de re AVGVSTINVS, de *ciuitate Dei*, *lib. XIII. cap. XX.* & *lib. VII.* de *geneſi ad litteram*, *cap. IV. & V.* Sunt, qui tum arborem vitae, tum cognitionis boni & mali, pro ſacramentis ſtatus paradiſiaci habent. HERMANNVS namque WITSIVS, in ſtatu integritatis quatuor fuiſſe ſacramenta, auctor eſt, *paradiſum*, *arborem vitae*, *arborem ſcientiae boni & mali*, *& ſabbathum*; de *oeconom. feder. Dei cum hominibus*, *lib. I. cap. VI. §. II. ſeqq.* IO. BRAVNIVS, duo tantum in paradiſo fuiſſe, exiſtimat, *paradiſum & arborem vitae*; in *doctrina federum*, *vol. I. part. III. cap. II. §. XVIII.* Conf. & IO. MARCKIVS in *hiſtoria paradiſi*, *lib. I. cap. XVII. §. VIII.* Ex pontificiis quoque NATALIS ALEXANDER, arborem vitae fuiſſe *arborem ſacramentalem*, contendit, *l. c. p. 56.* Sed, cum hi omnes falſam atque erroneam de ſacramento notionem animo conceperint; mirum non eſt, quod ſacramenta ſibi inueniſſe videantur, vbi nulla fuerunt. Ex inſtituto hac de re agunt theologi.

§. XVIII.

Vt etiam homo, ſepoſitis omnibus laboribus, aliquando totus cultui diuino vacare, & maxima beneficia, per creationem in hominum genus collata, grata recolere mente poſſet; Deus ſtatim, finita ſex dierum ſpatio creatione, die ſeptimo vt ipſe quieuit, ita eidem diei benedixit, eumdemque ſanctificauit, hoc eſt, ſacrum atque ſollemnem hominum generi vniuerſo eſſe voluit. Qui enim ſabbathi inſtitutionem *Geneſ. II. 3.* per πρόληψιν commemoratam volunt, non ſatis firmis nituntur rationibus. *

* De origine & inſtitutione ſabbathi prolixe diſputaui *inſtitut. theologiae moralis part. II. cap. III. ſect. II. §. XXXII. ſeqq.* Nec neceſſe eſt, vt hic repetantur, quae ibi dicta ſunt. Vnicum ſaltem addo, inter eos, qui, ſabbathum non finita mundi creatione, ſed ſtatione demum quinta poſt exodum Iſraëlitarum ex Aegypto inſtitutum eſſe, contendunt, referendum etiam IO. HENRICVM HEIDEGGERVM, in *hiſtoria ſacra patriarcharum*, *part. I. exercit. III. §. LIII.* Is non tantum ad conſenſum doctorum gentis ebraeae prouocat, vrgetque, quod in hiſtoria patriarcharum ne ſemel quidem ſabbathi iniiciatur mentio; ſed verba quoque Moſis, *Geneſ. II. 2. 3.* ita interpretari conatur, ne ſuae obſtent ſententiae. *Deus*, inquit, *die ſeptimo ceſſauerat facere opus nouum, quia ſex diebus omnia conſummata erant. Ei diei benedixit eo ipſo, quod ceſſans ab opere ſuo oſtendit, quod homo, in cuius creatione quieuit, factus ſit propter nominis ſui glorificationem, quod, cum*

Digitized by Google

maius fuerit ceteris, quae hactenus creata ſunt, vocatur benedictio. Eumdem diem, cui ſic benedixit, ſanctificauit, quia & illo die, & reliquo toto tempore conſtituerat, ſe in homine ſanctificare, tamquam in corona & gloria ſui operis. Sanctificare enim eſt, cum, qui ſanctus eſt, ſanctum dicere & teſtari, &c. Verum, vt Ebraeorum haud raro a veritate deflectentium conſenſum non moramur; ita ex ſilentio Moſis non ſequitur, a patriarchis ſabbathum celebratum non fuiſſe. Nullam enim peculiarem, cur hoc commemorare deberet, cauſſam ſcriptor diuinus habuiſſe videtur. Explicatio autem verborum *Geneſ. II. 2. 3.* quam vir doctiſſimus dedit, nimis profecto contorta eſt. Quia diebus ſex omnia Deus creauerat, ideo ſeptimo die ceſſauit. Verba Moſis aperta ſunt: *quieuit ab omni opere ſuo.* Quem vero in finem? Non profecto in alium, quam vt homines condoceret, ſeptimo die ab opere ſuo quemque quieſcere debere. Quamcumque rationem alias attuleris, nimis coacta erit. Et hinc patet, cur illi diei *benedixerit*, vt itidem homines condoceret, hoc praecipue die nomen Dei ob peractum creationis opus glorificandum eſſe. Sed & *ſanctificauit* eum, hoc eſt, ſecreuit, ſeparauit ab aliis diebus, vt feſtus atque ſollemnis mortalibus eſſet. Hanc enim frequentiſſimam & genuinam vocis *ſanctificare* ſignificationem, praeſertim in veteri teſtamento, eſſe, notius eſt, quam vt a me probari debeat. Sed mitto reliqua.

§. XIX.

Denique, cum videret Deus, Adamo non eſſe bonum, vt ſolus maneret, velletque per eum hominum genus propagari; non tantum ex coſta, corpori dormientis exemta, * vxorem, cui Eua nomen, vt antea dictum, ** exſtruxit, ſed eamdem illi in coniugem dedit, adeoque hac ratione matrimonium inſtituit, ſimulque rationem ordine & ſancte per legitimum matrimonium hominum genus propagandi, Adami poſteris praeſcripſit. ***

* Myſterio iſtam corporis muliebris ex coſta viri formationem non deſtitui, eamque ſapientiae diuinae fuiſſe conuenientiſſimam, facile deprehendet, qui ad omnia probe attenderit. Conſtitutum Deo erat, ex vno Adami ſanguine omnium hominum propagare genus, eoque ipſo ad mutuum amorem omnes accendere; quod hac ratione quam commodiſſime fieri potuit. Arctiſſimae etiam vnioni, quae inter coniuges, itemque inter Chriſtum & eccleſiam intercedere debebat, hac ratione praeludere voluit. CAIETANI, narrationem hancce Moſis metaphorice explicantis, ſententiam, praeter alios ipſe exploſit NATALIS ALEXANDER, *hiſt. eccleſ. vet. teſtament. aetat. I. mundi, diſſert. III. art. II. p. 66.* Aliorum, praeſertim & recentiorum, commen-

menta, ac ſi Adamus iam antea labi inceperit, ſomnusque ſignum fuerit contractae debilitatis, & quod Eua a Deo tum condita vel potius a corpore eius ſeparata ſit in adiumentum imbecillitatis, itemque, ſi homo in ſtatu integritatis manſiſſet, coniugium, &, quae per illud fit, liberorum procreationem, locum habituram non fuiſſe, & quae reliqua ſunt eiusdem generis, mittimus. Cum enim omni prorſus fundamento deſtituantur; vt iis refellendis immoremur, neceſſe non eſt. Sequitur autem ex dictis, immo ex ipſa narratione Moſaica conſtat, coniugium in ſtatu integritatis quoque locum habiturum fuiſſe, & adeo inter inſtituta paradiſiaca referendum eſſe.

** §. XI.

*** Hoc ſeruator ipſe confirmauit, qui ideo primaeuam matrimonii inſtitutionem in normam & regulam ſtatuit, ad quam deinceps matrimonia omnia, ſi Deo placere debeant, ſint exigenda, *Matth. XIX. 4. ſeqq.* Sed hac de re alibi plura.

§. XX.

Ex dictis itaque colligere licet, praeter leges diuinas abſolutas, quarum ſumma in perfectiſſimo amore Numinis conſiſtebat, in ſtatu integritatis etiam fuiſſe hypotheticas,* quae certis inſtitutis diuinis innituntur; cuiusmodi inſtituta fuere ſabbathum, coniugium, arbor vitae, & arbor ſcientiae boni & mali, quibus nonnulli addunt dominium rerum.** Quod ad reliquos ſtatus deinceps introductos attinet, quod actu in ſtatu integritatis locum non habuerint, certum; cum non diu admodum hicce ſtatus durauerit. Si vero quaeratur, an locum habituri fuiſſent, ſi in hocce ſtatu perſtitiſſet hominum genus, diſpiciendum, quid ſummae ſtatus huius perfectioni conueniat, quidue eidem repugnet.

* Lucem haec capient ex iis, quae de diſcrimine legum abſolutarum & hypotheticarum prolixe dicta ſunt in *inſtitutionib. theolog. moral. part. II. cap. II. §. XIX. ſeqq.*

** Quae hac de re mea ſit ſententia, itidem intelligere licet ex *inſtitut. theolog. mor. part. II. cap. II. ſect. V. §. XIV. ſeqq.*

§. XXI.

Sedes eccleſiae ante lapſum fuit in paradiſo; de cuius ſitu variae exſtant eruditorum ſententiae.* Certum eſt, ſitum fuiſſe paradiſum ab oriente, ſiue Palaeſtinae, ſiue loci iſtius, in quo Moſes ſcripſit, intuitu, & quidem in ea regione, quae *Eden* ab amoenitate nuncupata eſt; quippe in qua Deus hortum, ſeu paradiſum, plantauit, quaeue deinceps Meſopotamiae ac Chaldaeae partem conſtituit. Ex ea vero egreſſum fluuium ad irrigandum paradiſum, inde in quatuor

tuor capita, ſeu fluuios ingentes, & maxime notabiles diuiſum; quorum duo, Euphrates atque Tigris, in Armeniae montibus orti, ſatis noti, reliqui autem Piſchon & Gichon non aeque perſpecti, ab Euphrate tamen & Tigride non ſeparandi, ſed cum iis potius coniungendi.

* Exercuit omni tempore haecce de ſitu paradiſi quaeſtio eruditorum ingenia; vnde non defuerunt, qui integri commentationibus eam expedire conati ſunt; quod praeter THOMAM MALVENDAM IOANNES HOPKINSON fecit, in *deſcriptione paradiſi*, in *faſciculo ſecundo opuſculorum*, quae ad *hiſtoriam & philologiam ſacram* ſpectant, Roterodami MDCXCIII recuſa, IO. VORSTIVS, in *diatribe de paradiſo*, aliique quam plurimi; quibus ex recentioribus addendi doctiſſimi viri. PETRVS DANIEL HVETIVS, de *ſitu paradiſi terreſtris*, SALOMON VAN TILL, in *diſſertatione geographico-theologica, de ſitu paradiſi terreſtris*, quae addita eſt eiusdem *Malachiae illuſtrato*, IO. MARCKIVS, in *hiſtoria paradiſi illuſtrata*, aliique. In diuerſas autem admodum, veteres pariter ac recentiores, hac de re iuere ſententias. Nonnulli cum deſperarent, ſe in tellure noſtra locum paradiſi inuenturos, eumdem in caelo aut beatorum, aut aëreo quaeſiuerunt. Valentiniani namque eumdem ſupra caelum tertium collocaſſe dicuntur; in qua etiam ſententia, ſi nonnullis credimus, CLEMENS Alexandrinus fuit, etſi ex loco, qui ex *libro V. ſtromatum* proferri ſolet, hoc colligere non liceat; cum ibi per paradiſum non locum, in quo primi parentes poſt creationem collocati ſunt, & peccarunt, ſed ſedem beatorum intelligere videatur. ORIGENES in caelo tertio ei ſedem adſignaſſe perhibetur, ἀλληγορικῶς more ſuo, quae de paradiſo eiusque fluminibus Moſes narrat, exponens. Quid iis vero, qui in caelo aëreo & loco aliquo ſublimiſſimo paradiſum quaeſiuerunt, in mentem venerit, neſcio; conſtat tamen, nonnullos veterum, ſpeciatim ſcholaſticos quosdam, id feciſſe. Fuit & haec ſententia IO. DAMASCENI, de *orthodoxa fide, lib. II. cap. XI. p. m. 174.* πάσης τῆς γῆς ὑψηλότερος κείμενος, εὐκρατὴς δὲ καὶ ἀέρι λεπτοτάτῳ καὶ καθαρωτάτῳ περιλαμπόμενος, *omni terra excelſior, temperato caelo, & aëre tenuiſſimo vndique illuſtratus.* Similiaque & apud BASILIVM, aliosque, nonnulli obſeruant. Quae licet & fundamento omni, & veroſimilitudinis ſpecie deſtituantur, niſi forte a veteribus conficta ſint, vt locum ſeu veſtigia paradiſi ſibi monſtrare cupientibus vtcumque ſatisfacere poſſent, innuendo, in hacce tellure eum quaerendum non eſſe; ingens tamen ſententiae, quam omnibus viribus propugnandam ſumſit THOMAS BVRNETIVS, in iis ſibi inueniſſe viſus eſt praeſidium; *theoriae telluris ſacrae lib. II. cap. IX. p. 143.* Ex eo namque, quod veteres, in loco ſublimiore, aut omnino in aëre, paradiſum ſitum fuiſſe, autumarunt, col-

colligit, alium olim ipſius telluris fuiſſe ſitum. Quod an iſtis auctoribus vmquam in mentem venerit, valde dubito, certe nulla ratione probari poteſt. Interim ipſa haecce BVRNETII de ſitu paradiſi ſententia inter eas, quas recentiores excogitarunt, vel maxime paradoxa merito cenſetur. Nimirum, vt paucis eam attingamus, totam tellurem antediluuianam quodammodo paradiſiacam fuiſſe, contendit; idque tum ob ipſam *telluris primigeniae formam*, tum ob eius *figuram*, & denique ob *ſitum eius ad ſolem*. Atque hinc phaenomena generalia paradiſi, ſeu conditiones cum reliquo terrarum orbe communes, explicari poſſe exiſtimat; cuiusmodi ſunt, quod in recenti mundo & in paradiſo ſumma fuerit caeli clementia & aequabilitas, deinde quod magna incolarum in eo fuerit longaeuitas, & denique, quod in nouo mundo, tam extra, quam intra paradiſum egregia memoretur ſoli fertilitas, morumque & viuendi ratio ſimplex, quoad victum, habitum, cetera. Haec vero omnia locum inuenire non potuiſſe, putat, niſi telluris eam formam, figuram, ſitum, qualem is animo concepit, admittamus. Pluribus hoc exſequitur in *theoria telluris ſacra, lib. II. cap. I. & II. p. 79. ſeqq.* Ad ſpecialem vero paradiſi ſitum quod attinet, reiecta neotericorum, quos vocat, opinione, de ſede paradiſi in Meſopotamia, ipſe ſitum eius in orbe auſtrali auctoritate patrum adſtruere adlaborat, *lib. II. cap. XVI. p. 115. ſeqq. Eſt in confeſſo,* inquit, *neotericorum doctrinam, quae paradiſum in Meſopotamia, aliaue Aſiae tractu, conſtituit, ab antiquitate longiſſime recedere, immo eidem multis modis aduerſari. Steuchus Eugubinus auſus eſt primum aperte & operoſo ſtudio antiquitatis iura violare, patrum ſententias radicitus euellere, & venerandum paradiſi myſterium in leuem hiſtoriam, de horto quodam, aut amoena regiuncula in Meſopotamia conuertere, &c.* Omne itaque cauſſae ſuae praeſidium in conſenſu patrum, doctorumque quorumdam veteris eccleſiae, collocat BVRNETIVS. Verum haec omnia, quae vir doctus pro ſua ſententia adfert, tam lubrica ſunt, vt in iis euertendis multam collocare operam neceſſe non ſit. Primo enim, quae de telluris antediluuiano ſtatu paradiſiaco diſſerit, ita comparata ſunt, vt gentilium ſaltem poëtarum teſtimoniis ea confirmet, cum in ſcriptura ſacra non inuenerit, quo talia comprobari poſſint. Si Moſen ducem ſequi voluiſſet, diſcere potuiſſet, paradiſum, & quae Moſes de eo narrat, non ad totam tellurem, ſed ad certam eius partem, adcurate a diuino ſcriptore deſignatam, pertinere; diſcere potuiſſet, ſtatum telluris primigeniae feliciſſimum non diu admodum duraſſe, ſed poſt hominum lapſum terram maledictioni fuiſſe ſubiectam; diſcere potuiſſet, ſummam illam caeli clementiam & aequabilitatem inter poëtarum ſomnia referendam eſſe; diſcere potuiſſet, poſt hominum lapſum non tantam fuiſſe terrae fertilitatem, quantam

Digitized by Google

poëtae ſingunt, ſed homines antediluuianos quoque in ſudore faciei ſuae panem ſuum comediſſe; diſcere denique potuiſſet, ἐξοχὴν telluris antediluuianae, ſi quam habuit, ſpeciatim longaeuitatem hominum antediluuianorum, ex longe aliis cauſſis, quam ex ſitu, aut forma, vel ſigura telluris deriuandam eſſe. Et hocce ſyſtematis Burnetiani fundamento ſubruto, reliqua omnia concidunt, quae eidem ſuperſtruxit. Ad patrum vero, ad quos prouocat, auctoritatem quod attinet, mirum profecto, quod hanc potius, quam planam ac ſimplicem Moſis narrationem, ſequi voluerit; cum non alia ratio ſit, ſitum paradiſi terreſtris inueſtigandi, quam ſi verba Moſis probe & adcurate conſideremus. Hoc vero patres illos parum penſi habuiſſe, vel ipſae illorum de paradiſo diſputationes teſtantur, quas ipſe in compendio ita exhibet BVRNETIVS: *Praeterea, vt videamus vltra, quam diſcolor ſit antiquis documentis haec neotericorum ſententia, operae pretium erit notare, antiquos patres multa tradidiſſe de paradiſo & ipſius ſitu, a communi ſide & cogitatione aliena. Quidam in caelo tertio ſtatuerunt, quidam in luna, in aëre quidam, alii in altiſſimis montibus, in altera terra alii, in altero orbe plurimi: ſi vero in Meſopotamia, aut Palaeſtina ipſa, aut alia regione vicina conſtitiſſet, ante pedes poſitum, quid irent quaeſitum inter nubes, in caelo, in aëre, in alia terra? Et longe quidem alia erit quaeſtio illa aut diſquiſitio de loco paradiſi apud antiquos, ab ea, quae ſub eodem titulo ventilari ſolet a recentioribus; quae occurrit apud antiquos opinionum diuerſitas & differentia de paradiſo, in eo verſatur potiſſimum, quod alii intellectualem & ἀλληγορικῶς exponendum duxerint, alii ſenſibilem & corporeum, atque hoc fere apud omnes patres graecos & latinos controuerſum eſt. Dein ex iis, qui ſenſibilem & corporeum voluerunt, alii eum in hac terra, alii extra hanc terram, ſiue in caelo, ſiue in aëre, ſiue in alia terra diſpoſuerunt: atque in has partes itum eſt a veteribus, neque alia fere occurrunt apud eos ſententiarum diſcrimina de paradiſo.* Sed vel ex hisce ipſis diſcere potuiſſet BVRNETIVS, quam parum ad verba Moſis attenderint patres illi, doctoresque veteres, quamque parum illorum tribuendum ſit auctoritati. Exemplum quodammodo BVRNETIO praeiuiſſe videtur IOSEPHVS ANTONIVS GONZALEZ DE SALAS, eques Calatrabenſis, ex antiqua gente DE LOS GONZALEZ DE VADIELLA oriundus, in *diſſertatione paradoxica de duplici viuentium terra*; qui ſaltem in eo cum illo conuenit, quod in tellure, prout facies eius poſt diluuium fuit, fruſtra paradiſi locus quaeratur. Sed hisce, aliorumque ſimilibus commentis, qui relicta Moſis narratione paradiſi locum pro lubitu, vbi volunt, conſtituunt, immorari neceſſe non eſt; cum iis & recenſendis & refellendis diligentem operam impenderit IO. MARCKIVS, in *hiſtoria paradiſi, lib. I. cap. III. & IV.*

Interim nec illi, qui paradiſi ſedem in

in tellure poſtdiluuiana quaerunt, narrationi Moſaicae preſſius inſiſtentes, inter ſe conſentiunt, ſed in diuerſiſſimas oppido abeunt ſententias. Vetus & admodum vulgaris eſt, quam FL. IOSEPHVS, *lib. I. antiquitat. iud. cap. II.* expoſuit, quamque plurimi veterum pariter ac recentiorum ſequuntur, quatuor paradiſi fluuios eſſe, Gangem, Nilum, Tigrim & Euphratem, magnis adeo terrarum ſpatiis paradiſi ambitum circumſcribentes. Quam tamen admitti non poſſe, vel inde liquet, quod, Gangem atque Nilum inter fluuios paradiſiacos referendos eſſe, nulla ratione probari poſſit. Vnde & liquet, quid de illorum pronuntiandum ſit ſententia, qui itidem, Gangem principalem paradiſi fluuium ſupponentes, eum in inſula *Ceilan* quaerunt; quam in ASCANIO MARTINENGO, aliisque, AVG. PFEIFFERVS, in *dubiis vexatis, cent. I. loc. V. p. 17.* in ODOARDO BARBOSA, SALOMON VAN TILL *l. c.* notat; qui & NICOLAVM ABRAMVM ac IO. HENRICVM HEIDEGGERVM, qui in Palaeſtina, vbi vallis Ierichuntina & mare mortuum viſitur, paradiſum ſibi deprehendiſſe viſi ſunt, itemque IO. CLERICVM, qui eum in Syria inter Chryſorrhoam & Orontem ponit, & poſt alios IO. CALVINVM atque SAM. BOCHARTVM, qui paradiſo primum Euphratis & Tigris confluentem, Nahar-Malca dictum, ſedem adſignant, & denique PETRVM DANIELEM HVETIVM, qui in Meſene inferiori illius veſtigia deſignat, refellit. Et ipſe quidem TILLIVS, ceu euictum ponens, terram Eden ſu-iſſe regionem a terra Nod, Aſſur, Heuila & Cuſch in ſacris litteris diſtinctam, inque finibus Meſopotamiae ſupra Chaldaeam ſitam, ex ea regione fluuium paradiſi egreſſum contendit, quatuorque fluminibus praecipuis, Euphrati, Tigri, Delae & Cobari aquas ſuas donaſſe; etſi meatus illi crebris inundationibus, atque Nebucadnezaris, & Seleuci, & aliorum aquaeductibus forſitan immutati fuerint. Hinc cum AVGVSTINO STEVCHO Eugubino paradiſum inter Tigrim & Saocoram, qui Euphratem a ſeptentrione ingreditur, ſupra amnes Euphratis & Tigris confluentes, non procul a Tigris inſula, quae nunc Digel-Odeine audit, ex alueo, qui Odeine dicitur, exſtitiſſe autumat. Nec tamen forte deſunt, quae & huic ſententiae opponantur. CHRISTOPHORVS CELLARIVS, vir antiquae geographiae peritiſſimus, HVETII, TILLIIque inter ſe conferens ſententias, ita pronuntiat: *quibus me nolim interponere, cum in vtraque ſententia ſit, quod dubitationem non omnem eximat. Prior* (HVETII) *ex Meſopotamia fluuium maiorem in paradiſum infundit, qui poſtea extra hortum deuolutus in quatuor flumina diſpeſcatur: cuius vero maioris fluuii in Meſopotamia nullum adparet indicium. Altera* (TILLII) *ſatis probabilis eſſet, ſi diuiſionem in quatuor flumina tam retro interpretari, quam de prono curſu & ſecundo liceret;* in *notitia orbis antiqui, tom. II. lib. III. cap. XVI. p. 762.*

Omnia autem adcuratius mecum expendens, illi tutiſſimam mihi ingredi viam

viam videntur, qui verbis Moſis quam adcuratiſſime inſiſtendo, certa ab incertis diſcernunt, & in his ſuam ingenue profiteri ignorantiam non erubeſcunt. Cum enim de re a noſtra aetate remotiſſima ſermo ſit, nominaque antiquiſſima fluuiorum, populorum & regionum non ſatis nobis ſint explorata, cum circa fluuios multae magnaeque ſaepius contingant mutationes; mirum non eſt, difficultates hic occurrere inextricabiles, & quae humana diligentia ſuperari nequeunt. Hac itaque via incedentes, verba textus Moſaici paucis conſiderabimus: *Paradiſum quoque in Eden ab oriente plantauit Dominus Deus.** Per גן *hortum*, ſeu locum arboribus deſtinato conſilio conſitum, quem voce perſica *paradiſum* dixerunt, intelligi conſtat. Vnde citra controuerſiam errant, qui magnam orbis partem, aut integras regiones hac voce intelligunt. Plantaſſe enim hortum Deus dicitur, adeoque a regione, in qua ſitus fuit, diſcreuiſſe. Iam locus paradiſi deſignatur: בעדן *in Eden*. Etſi enim vox haecce alias voluptatem, ἡδονὴν, ſignificet; hic tamen vt nomen proprium accipiendam ipſa conſtructio docet; quemadmodum alias ceu nomen proprium vſurpatur, vt *Gen. IV. 16. Eſ. XXXVII. 12. Ezech. XXVII. 23. XXVIII. 13.* alibique. De ſitu autem loci huius ſi quaeras, etſi non deſint, qui eum Syro-Phoeniciae accenſeant; ex connexione tamen Edenis cum Haran, Canne, itemque Gozan & Rezeph, rectius colligunt alii, ad Babyloniam vel Meſopotamiam pertinere Edenem; idque luculentiſſime comprobauit IO. MARCKIVS, in *hiſtoria paradiſi, lib. I. cap. VIII.* Confirmatur id porro inde, quod additur מקדם *ab oriente*. Hac enim voce non ſemper temporis prioritatem, ſed aliquando etiam ſitum loci denotari, conſtat ex *Gen. III. 24. XI. 2. XII. 8. XIII. 11.* aliisque locis. Id vero omnino intelligendum aut ratione terrae Cananaeae, aut ratione deſerti vel loci, in quo Moſes ſcripſit. Vtrumque accipias, reſpondet is Edenis, quem deſignauimus, ſitus. Vt vero vocem מקדם ad ipſam Edenis prouinciam referamus, cui paradiſus fuerit orientalis, quod PETRVS DANIEL HVETIVS *l. c.* contendit, non neceſſe eſſe videtur; cum nulla in textu Moſis ad terram Edenis compareat reſtrictio. Et haec quidem, quae hactenus diximus, ſatis ſunt explorata. Sed audiamus porro Moſen: *Fluuius ex Edene ad irrigandum paradiſum egreſſus, inde in quatuor diuidebatur capita. Nomen vnius Phiſon; is totam regionem Chanilae, vbi eſt aurum, flexuoſo curſu alluit. Aurum autem illius regionis eſt bonum, ſuntque ibi etiam Bdellium, & lapis Schoham. Secundi fluuii nomen eſt Gichon, is omnem Chuſi regionem vago flumine permeat. Nomen tertii eſt Chiddekel, is Aſſyriam verſus fertur. Quartus denique erat Euphrates.* Cum ergo dicitur fluuius ex Edene egreſſus ad irrigandum paradiſum, non quidem hicce ſenſus eſt, quod in Edene ortus ſit,

vt

vt perperam nonnulli ſibi perſuadent, ſed quod vndecumque ortus, ex Edene, ſeu per Edenis partem, venerit, & paradiſum ingreſſus eumdem irrigauerit. Simpliciſſimus hic eſt verborum Moſis ſenſus; quem vt cum geographorum ſcitis conciliarent, diuerſas excogitarunt ſententias viri docti. Nonnulli volunt, fluuios quatuor e ſuperiori tractu ortos vno alueo Edenis partem peragraſſe, inde paradiſum ingreſſos, eodem alueo nemus, in quo primi fuere parentes, rigaſſe, ac tandem in quatuor capita diuiſos varias regiones alluiſſe. Et haec IO. CLERICO ſimpliciſſima, verbisque Moſis conuenientiſſima, videtur interpretatio. Alii tamen aliter ſentiunt. Sed falli nequit, qui verbis Moſis inhaeret, etſi locorum, quorum, vt diximus, hodie nobis non ſatis conſtant nomina, ſitus, fluminumque aluei, qui mutari varias ob cauſſas potuerunt, non prorſus reſpondeant. Dicitur autem porro: *inde in quatuor diuidebatur capita*; ſcilicet poſtquam e paradiſo egreſſus erat. Quod cum longe ſit apertiſſimum; admitti non poteſt ſententia PETRI DANIELIS HVETII, exiſtimantis, duo capita fuiſſe ad ſeptemtrionem Edenis, duo alia ad meridiem. Per *capita* autem intelliguntur fluuii maximi praeſtantiſſimique; quippe quam ſignificationem non tantum vox *caput* facile admittit, ſed quod fluuii etiam deinceps nominibus ſuis exprimantur, & ad commendationem paradiſi facere videatur, quod non riui, ſed *capita fluuiorum*, ſeu fluuii magni & capitales ex eo progreſſi ſint. Iam quod ad ipſa flumina attinet, de Euphrate nullum eſt dubium. Sed per *Hiddekel* quoque Tigrim intelligendum eſſe, magno conſenſu veteres pariter ac recentiores docent. Vtrumque in Armenia oriri, geographi omnes conſentiunt; etſi, quo loco, & quem curſum teneant, maxima ſit diſſenſio; vt videre licet apud CHRISTOPHORVM CELLARIVM, *notit. orbis antiqui, tom. II. lib. III. cap. XI. p. 377.* Atque haec quidem vt dubio carent; ita, quid de reliquis duobus paradiſi fluuiis, Piſchon & Gichon, pronuntiandum ſit, non liquet. Per Piſchon Chryſorrhoam, Syriae fluuium, intelligi, probabile videtur IOAN. CLERICO; vnde &, quae de terra Heuilah eius ſit ſententia, liquet. Sed obſtare huic ſententiae praeter alia videtur, quod fluuii huius non tanta ſit amplitudo, vt cum Euphrate & Tigride comparari potuerit, cum quibus & nexum quoque nullum habet, nec praeter aurum ibi margaritae & gemmae reperiuntur. Cui vltimo dubio vt occurrat, per בדלח non margaritam, quemadmodum praeter alios & SAM. BOCHARTVS, *hieroz. part. III. lib. V. cap. V.* interpretatur, ſed gummi intelligit. Hoc vero an tanti viſum ſit Moſi, vt in praeſtantia regionis cuiusdam deſignanda eius habere rationem, & cum auro & gemmis coniungere voluerit, valde dubito. Alii ramum Euphratis נהר מלכא *flumen regium*, *βασίλειον ποταμὸν* intelligunt; non ſatis ſecum expendentes, huncce indu-

ſtria hominum longe recentiorum Moſe vel factum vel auctum, docente id nomine, & breuis admodum ſpatii eſſe, cum Tigride mox finiatur, abſorbeaturue. Recepta denique maxime ſententia eſt, oſtium orientale vel occidentale Tigridis Euphratisque coniuncti, per Piſchonem denotari, quod olim etiam *paſitigridis* nomine venerit; quam ſententiam confirmandam ſibi ſumſit IO. MARCKIVS, in *hiſtoria paradiſi, lib. I. cap. XII. §. IX.* Sed, ſi dicendum, quod res eſt, ad meras cuncta redeunt coniecturas; quod & ingenue fatetur ipſe IO. CLERICVS. Idem pronuntiandum de fluuio Gichon, de quo non certius quid, quam de ipſa regione Chus, quam permeaſſe dicitur, conſtat. Sunt, qui cum IOSEPHO Nilum intelligunt; quorum tamen ſe ipſam confutat ſententia. IOAN. CLERICVS hypotheſi ſuae inſeruiens Orontem Syriae fluuium hinc exſculpere voluit; quemadmodum in Caſſiotide Syriae, Chuſi veſtigia, leuiſſima coniectura ductus, ſibi inueniſſe viſus eſt. Alii, brachium aliquod Euphratis vel Tigridis, veroſimiliori quadam ratione, hoc deſignari nomine, contendunt; ſed incerta ſunt omnia. Cuncta vero, quae hactenus dicta ſunt, adcuratius mecum expendens, in eam tandem ingredior ſententiam, de paradiſi terreſtris ſitu nihil aliud dici poſſe, quam in aliqua Chaldaeae ſeu vicinae Meſopotamiae parte, eum quaerendum eſſe: idque nobis ſufficere debet: in ſpecialiori autem loci determinatione ad coniecturas incertas & lubricas cuncta redeunt. Add. IO. MARCKII *hiſtoria paradiſi, lib. I. cap. XIV.*

§. XXII.

Non diu admodum * feliciſſimus ille humani generis ſtatus durauit. Infernalis namque genius, qui iam ſumma, in qua a Deo itidem poſitus fuerat, beatitudine culpa ſua exciderat, liuore atque inuidia flagrans, in ſerpentis cuiusdam corpus ſe inſinuauit, vt eo facilius primos parentes falleret. Cum muliere itaque ſermonem exorſus, diuinam primum legem in dubium vocare coepit, tum ad diſertum Dei interdictum prouocante muliere, *impudenter verbum Dei falſitatis arguere, hinc ſingularem, quam fructus vetiti comeſtione impetraturi eſſent, praeſtantiam, illis proponere. His dum aures praebent primi parentes; ſenſim iam corde a Deo auertuntur, eius mandatum in minimis ponentes, magisque ad ea, quae ſibi profutura putabant, quam Numinis voluntatem reſpicientes, vnde fructus amoenitate, & ſpe, maiorem praeſtantiam conſequendi, inducta mulier, decerptum ex arbore fructum guſtauit, viroque comedendum dedit. **

* Tem-

* Tempus humani lapſus in ſcriptura ſacra nullibi diſerte exprimitur. Idque non ſine myſterio factum, nonnulli exiſtimant, ſcriptura lapſi mundi tempus ſilentio inuoluente, cuius creati hiſtoriam per ſingulos dies tam adcurate ediſſeruerat, vt inter Dei ac hominum opera diſcrimen faceret, atque ad illa admiranda & praedicanda, haec autem velut ſilentio digna perpetuo deploranda, inuitaret. Fuerunt nihilominus, qui ſupra ſcripturam ſapere, & quamdiu ſtatus integritatis durauerit, coniecturis audaciſſimis determinare, conati ſunt. Cumque coniecturarum campus ſit longe fertiliſſimus; mirum non eſt, in varias, qui hisce indulgent, abire ſententias. Ex MOSE BAR CEPHA de *paradiſo*, *part. I. circa fin.* conſtat, iam tum nonnullos exiſtimaſſe, triginta annos in ſtatu integritatis primos parentes perſtitiſſe, iuxta numerum annorum, quibus inter mortales vixit ſeruator. Immo non defuerunt, qui ſtatum hunc feliciſſimum centum annos duraſſe, traderent. Alii rurſus non quidem annorum, ſed tamen, aut menſium, aut hebdomadum vel dierum, aut denique horarum certo numero durationem ſtatus iſtius circumſcripſerunt; quorum ſententias diligenter refert, & adcurate in eas inquirit IO. MARCKIVS, in *hiſtoria paradiſi*, *lib. III. cap. VIII.* qui tandem ipſe in eam opinionem ingreditur, aliquot ſaltem dies feliciſſimum huncce primorum hominum ſtatum duraſſe. Recepta ceteroquin multisque probata eſt ſententia, aut eo ipſo, quo creati ſunt primi parentes, eosdem quoque lapſos eſſe die, aut ſaltem die ſequenti, quo fuit ſabbathum; vt praeter alios B. MARTINVS LVTHERVS noſter cenſet. Eſtque id admodum veroſimile; id ſaltem certum, non diu admodum huncce ſtatum duraſſe. Poſt Euae namque ex coſta Adami creatae cum Adamo coniunctionem nihil, quod ab iis geſtum ſit, Moſes narrat, ſed ſtatim hiſtoriam lapſus ſubiungit. Quodſi notabile aliquod temporis ſpatium inter haec interceſſiſſet, dubium non eſt, quin aliquid memoratu dignum geſturi fuiſſent primi parentes, nec id praetermiſſurus fuiſſet Moſes. Confirmarique id inde porro poteſt, quod de diabolo dicit Chriſtus: *ἐκεῖνος ἀνθρωποκτόνος ἦν ἀπ' ἀρχῆς*, *Io. VIII. 44.* Hoc ipſo enim indicatur, lapſum hominum circa ipſum mundi principium contigiſſe; cum vox *ἀρχή* ita vſurpari ſoleat. Conf. *Matth. XIX. 4. 8. Ioan. I. 1. Ebr. I. 10. I. Io. I. 1.*

** Vt paullo diſtinctius, quae de lapſu primorum parentum diximus, explicemus, & dicta etiam confirmemus, obſeruamus, cauſſam atque auctorem lapſus praecipuum fuiſſe infernalem genium, qui ſerpente naturali ad fallendos parentes, ceu inſtrumento ac organo, vſus eſt. Hoc in ſequentibus demonſtrabitur. Nec dubium, quin inuidia ac liuore ductus ad hocce facinus patrandum acceſſerit; quod & auctor libri *ſapientiae* confirmat: *Φθόνῳ δὲ διαβόλου*, *inuidia diaboli mors in mundum intrauit; cap. II. 24.* Sed dubium quoque non eſt,

 iam

iam tum lapſum fuiſſe diabolum. Etſi enim, quando aut quomodo hoc contigerit, non conſtet; ex ipſa tamen narrationis ſerie, & *Gen. III. 1.* ſatis colligitur, lapſum angelorum praeceſſiſſe lapſum hominum. CYPRIANVS equidem exiſtimat, diabolum hoc ipſo, dum homines ad peccandum induxit, lapſum & ipſum eſſe. *Diabolus*, inquit, *inter initia ſtatim mundi & periit primus & perdidit. Ille angelica maieſtate ſubnixus, ille Deo acceptus & charus, poſtquam hominem ad imaginem Dei factum conſpexit, in zelum maleuolo liuore prorupit, non prius alterum deiiciens inſtinctu zeli, quam ipſe zelo ante deiectus, captiuus, antequam capiens, perditus, antequam perdens, dum ſtimulante liuore homini gratiam datae immortalitatis eripit, ipſe quoque, quod prius fuerat, amiſit; de zelo & liuore, oper. p. 153.* edit. quae Amſtelodami anno MDCC prodiit. Sed aperte ſcriptura repugnat. Moſes ſerpentem ceu animal callidiſſimum deſcribit, ſummam infernalis genii aſtutiam innuens, & ad nocendum pronitatem; quae adeo iam lapſum, naturaeque in diabolo prauitatem, ſupponebat. Idem ſeruator ipſe docet *Ioan. VIII. 44.* *ἀνθρωποκτόνον, homicidam a principio*, eum adpellitans; quippe qui eo animo ad tentandum hominem acceſſit, vt vitam illi eriperet; quod itidem ſummam in eo iam malitiam arguebat. Licet autem diabolus princeps praecipuusque lapſus humani auctor exſtiterit; non tamen excuſandi ſunt ipſi homines. Potuiſſent enim primi parentes inſultibus eius obuiam ire, ſi modo donis viribusque a Deo ſibi conceſſis, recte vti voluiſſent. Conditus enim homo a Deo erat ישר *rectus*, rectasque adeo & veras de bonis malisque notiones habens, ſed ipſe *quaeſiuit cogitationes* prauas *quam plurimas*, occaſionem praebente colloquio cum ſathana; conf. *Kohel. VII. 29.* Quantumuis autem magna & excellens eſſet primorum parentum cognitio; non tamen tanta fuit, vt non quaedam ignorare potuerint. Fieri itaque potuit, quae nonnullorum ex noſtratibus eſt ſententia, vt Eua ignoraret, ſolum hominem loquendi facultate praeditum eſſe, aut, quod veroſimilius, vt ſciret equidem, ſpiritum aliquem ſubeſſe, qui per ſerpentem loqueretur, ſed vt, num bonus an malus eſſet, neſciret. Interim, quamprimum audiuit, mandato diuino repugnare, quod genius ille in ſerpente latitans ſuaſit, ſcire omnino potuit, eum ex malorum numero eſſe. Tum vero euitare hocce colloquium prudentiae fuiſſet; quod dum non fecit, ipſa profecto ſui atque mariti lapſus cauſſa exſtitit. Hinc itaque patet, Deum nullatenus lapſus primorum parentum cauſſam dicendum, ſiue quod hominem mutabilem fecerit, ſiue quod lapſum eius ab aeterno decreuerit, ſiue quod permiſerit, vt a diabolo tentaretur, ſiue quod gratia ſua a lapſu in tentatione eum non cohibuerit, ſiue vlla alia ratione. Iis enim viribus dum homines inſtruxit, vt euitare peccatum potuiſſent, ſi modo voluiſſent; dici certe nequit, quod vllo

mo-

modo eos labi voluerit. Retraxit autem etiam eos a lapſu, modo naturae humanae conuenienti, oſtendendo illis ante lapſum, quid faciendum, quidue omittendum eſſet. Aliud quid ſi quis hic a Deo exigat, ille modum agendi naturae humanae minime conuenientem, & a ſapientia diuina maxime alienum Deo praeſcribit. Sed hac de re alibi ex inſtituto.

In ipſa lapſus humani hiſtoria, vt vlterius progrediamur, obſeruandum porro, ſeductam a diabolo primo mulierem, tum per eam etiam virum. Quo ſenſu capienda Pauli verba, quibus negare videtur, *Adamum ſeductum*, & adfirmare contra, *Euam ſeductam in transgreſſione fuiſſe*, *I. Tim. II. 14.* Cur vero vxorem prius, quam maritum, adortus ſit diabolus, varie diſputari ſolet; pleriſque in eam ingredientibus ſententiam, hoc ideo factum, quod mulier viro ſimplicior eſſet, faciliusque decipi potuerit. Ita CHRYSOSTOMVS, EPIPHANIVS, AMBROSIVS, aliique ex veteris eccleſiae doctoribus, & ex Iudaeis quoque quamplurimi. Addunt nonnulli, mulierem verbi, quod ipſa immediate non ex Deo, ſed a marito audiuerat, minus fuiſſe tenacem. *Non adorſus eſt eum*, inquit AMBROSIVS, *qui coram acceperat caeleſte mandatum*, *ſed eam adorſus eſt*, *quae a viro didicerat*, *non a Deo, quod obſeruaret, acceperat*; de *paradiſo*, *cap. XII.* Euentus docuit, hocce ſathanae conſilium ſucceſſu non caruiſſe. Non tantum enim ab Eua, quod voluit, impetrauit, ſed per eam Adamum quoque praecipitem dedit. Qui enim, Adamum ſeductum fuiſſe, negant, non ſatis, quid dicant, penſi habent. Neque aduerſatur Paulus *Rom. V. 12. ſeqq. peccatum per vnum hominem in mundum introiiſſe*, adſerens; ſiquidem, quod ipſum Adamum intelligat, aperte innuit. Iam ſi modum, quo primos parentes infernalis genius adgreſſus eſt, ſpectes, eum fraudis & calliditatis pleniſſimum fuiſſe, facile intelliges. Primo namque dubium proponit: *etiamne dixit Deus, ex nulla arbore paradiſi comedetis?* Plane, ac ſi hoc ſibi minime veroſimile videretur. Primus hicce ad omne peccatum gradus eſt, ſi diuinae legis veritas ſub quacumque ratione in dubium vocetur. Peſſime ſibi conſulunt, qui eiusmodi dubitationibus aurem praebent. Hoc experta eſt Eua. Longe ſapientius feciſſet, ſi aures animumque ab eiusmodi ſermone auertiſſet. Sed non prorſus eum ſibi diſplicuiſſe, teſtata eſt, reſpondendo, fructibus arborum paradiſi veſci ſibi equidem fas eſſe, at fructum arboris, quae in medio paradiſi eſt, diuino praecepto ſibi interdictum eſſe; addita ratione: *ne moriamini.* Haud obſcure namque indicat, ſi modo mortis poena non obſtaret, ſatis ſe pronam eſſe ad guſtandum veritae arboris fructum. Statim hoc arripuit genius ſeductor, probe iam animaduertens, non reuerentia Dei, ſed imminenti ſaltem malo, morte ſcilicet, mulierem ab eſu fructus vetiti deterreri, ideoque ipſe ſucceſſus impudentior factus, non tantum diſerte negauit, ipſam morituram, ſi ederet, ſed, ne-

fan-

fandum dictu! Deum ipſum velut inuidiae inſimulauit, ac ſi fructus huius eſu ideo illos interdixiſſet, ne oculis apertis boni maliue cognitione ei adſimilarentur. Arboris ſcilicet denominationem in rem ſuam vertebat, veraque miſcendo falſis, eo callidius ſuam tegebat fraudem. Eumque in decipiendis hominibus modum ſemper tenet, quem ipſa deinceps indicauit Eua, dum *v. 13. ſerpens*, inquit, השיאני *decepit me*, inani perſuaſione me fefellit; hanc enim vocis iſtius vim eſſe, viri docti obſeruarunt. Quo pacto itaque a ſummo felicitatis gradu ad infimam miſeriam detruſi ſint primi parentes, & in quo peccatum eorumdem conſtiterit, hinc intelligere licet. Per inconſideratum Euae cum ſerpente colloquium primus ad lapſum gradus ſtruebatur, vel occaſio potius ſuppeditabatur, tum ſequebatur incredulitas, ſeu fides verbo diuino denegata, primum proprie peccati initium, hinc voluntatis a Deo ad ſe ipſam conuerſio, ſeu philautia inordinata, per ſuperbiam ſeu cupiditatem, ſimilitudinem cum Deo adſequendi, ſe exſerens, tandemque in actum externum per fructus vetiti conſiderationem, cum adpetitu inordinato iam coniunctam, comeſtionemque, erumpens. Cum itaque primum hominum peccatum nonnulli in incredulitate, alii in philautia inordinata, in ſuperbia alii, alii denique in fructus vetiti comeſtione conſtituunt; hi neutiquam inter ſe pugnare cenſendi ſunt; cum certo modo omnia iſta peccata, vti ex dictis conſtat, hic concurrerint. Recteque AVGVSTINVS pronunciauit, *poſſe intelligi plura peccata, in transgreſſione Adae, ſi in ſua quaſi membra diuidatur; enchirid. ad Laurent. cap. XLV.* Nec illi adeo his repugnant, qui peccatum primorum parentum in violatione federis operum, a Deo cum illis initi, conſtituunt. Vtique enim hoc ipſo, dum peccarunt, fedus quoque illud foediſſime violarunt: immo lapſus ipſe eo turpior cenſendus, quo arctius federe iſto conſtringebantur, quoque diligentius, ne iſtud violarent, ſibi cauere debebant.

Effectus, qui huncce lapſum ſequuti ſunt, ſatis noti ſunt. Statim enim praua in illis ſe exſerebat concupiſcentia; quod Moſes indicat, cum dicit: *tunc amborum oculi aperti ſunt, ſe nudos eſſe cognouerunt, conſueruntque folia ficulnea, atque iis ſibi perizomata fecerunt.* Vbi id quidem palam eſt, *apertos* illorum *oculos* dici, eo, quod aliquid cognouerunt, quod antea non animaduerterunt. Solet enim ita haec loquendi ratio vſurpari. Conf. *Eſa. XLII. 7. Act. XXVI. 18.* Simulque reſpicit ad id, quod ſerpens pollicitus erat, fore, vt oculi illorum aperirentur, innuens, hoc equidem factum, ſed longe alia ratione, ac primi parentes ſibi perſuaſerant. Quid autem animaduerterunt? *Cognouerunt, ſe nudos eſſe.* Id equidem iam antea cognoſcere potuerunt, niſi dixeris, eos fuiſſe coecos. Manifeſtum itaque, diuinum ſcriptorem indicare voluiſſe prauos, qui in iis ſe exſeruerint, carnalis

nalis concupiſcentiae motus; cum poſt lapſum diuerſi ſexus homines ſine iis ſe nudos conſpicere nequeant. Ieiuna autem profecto nimis ſunt, & ſine animaduerſione praetermitti nequeunt, quae hic habet vir doctiſſimus, IO. CLERICVS. Primo namque de apertione oculorum ita loquitur: *poſtquam illicitum fructum comederunt, animaduerterunt, quod antea in animum non reuocauerant, nempe aut ſibi diuinam iram conciliaſſe, aut inteſtinorum dolore, fructus illius eſum eſſe noxium, nedum ex eo emolumentum ingens, vt ſperauerant, ad ſe redire, aut vtrumque ſimul.* Quod legis transgreſſione iram diuinam ſibi conciliaturi eſſent, ante lapſum iam intelligebant, & poſt lapſum vtique experti ſunt. Sed Moſes eiusmodi quid indicare videtur, quod illis antea incognitum erat. Cumque de lapſu primorum parentum, primoque peccati in mundum, qua homines, introitu loquatur diuinus ſcriptor, moxque grauiſſimam Numinis ob iſtam primorum parentum transgreſſionem iram deſcribat; ecquis ſibi perſuadeat, in inteſtinorum ſaltem dolore transgreſſionis iſtius effectum quaerendum eſſe? Sed in reliquis quoque ſine omni neceſſitate a propria verborum ſignificatione diſcedit vir doctus. Cum enim dicitur, *cognouiſſe eos ſe nudos eſſe*, hoc ita interpretatur, *agnouiſſe eos ſe peccaſſe.* Namque cum coniuges fuerint Adamus & Eua, nuditatem corporalem nullum illis incutere potuiſſe pudorem. Enimuero, cum poſt lapſum complexus coniugales ſine prauis ac inordinatis motibus non fiant, quorum prorſus ante lapſum expertes erant primi parentes; nuditas corporalis omnino pudorem incutere illis potuit, cum inordinatos iſtos motus ſentirent. Hinc & reliqua, quod ex foliis ficulneis perizomata ſibi fecerint, omnino proprie ſunt intelligenda, nullaque iterum nos cogit neceſſitas, relicto genuino verborum ſenſu, *ſcenam quampiam foliis & ramis ficulneis tectam, in quam ſe abdiderint*, intelligere. Sed hoc ὡς ἐν παρόδῳ. Reliquos lapſus primorum parentum effectus facile intelligemus, ſi expendamus nobiscum diuinam comminationem, *Geneſ. II. 17. quocumque die ex ea arbore comederis, morte morieris.* Vbi quidem *mortis* nomine id omne merito intelligitur, quod ceteroquin hac voce in ſcriptura ſignificatur, non naturalis tantum, in corporis animaeque ſolutione & illius deſtructione conſiſtens, &, quae eam comitantur aut praecedunt, morborum & calamitatum varia genera, ſed ſpiritualis quoque atque aeterna. His omnibus enim ſe obnoxios eſſe, non poterant non colligere primi parentes; cum legem diuinam violaſſent, quae violatio non poterat non iſta ſecum trahere. Atque hinc, quae miſeria poſt lapſum eos exceperit, colligitur; cum, ſi animum ſpectes, in locum diuinae imaginis ſumma facultatum omnium ſequuta ſit corruptio, intimaque deprauatio, cum terrore perpetuo & anxietate conſcientiae ob Numinis iram, cor-

corpus autem morborum calamitatumque infinitis generibus, certiſſimoque mortis periculo fuerit expoſitum. Sed vlterius hoc deducere, huius loci non eſt. Legant, qui plura de lapſu primorum parentum deſiderant, praeter alios BALTHASAREM BEBELIVM, in *hiſtoria eccleſiae antediluuianae*, *p. 115. ſeqq.* &, qui in compendio rem omnem exhibet, IO. HENRICVM MAIVM, in *diſſertationibus ſacris*, *loco V. p. 322. ſeqq.* Prolixe quoque omnia pertractat IO. MARCKIVS, in *hiſtoria paradiſi*, *lib. III. cap. II. & ſeqq.*

§. XXIII.

Proprie, nec allegorice, intelligenda eſſe, quae diuinus ſcriptor, Moſes, de lapſu primorum parentum narrauit, * res ipſa docet. Hoc enim ni ita eſſet, narraſſet aliquid de re maximi momenti, cuius ſenſum certum nemo adſequi poſſet. Proprie praeterea haec intellexerunt Salomoh, *Kohel. VII. 29.* auctor libri *ſapientiae, cap. II. 24.* Chriſtus, *Ioan. VIII. 44.* Paulus, *II. Cor. XI. 3. I. Tim. II. 14.* Ioannes, *I. Ioan. III. 8.* Nec tamen hoc eo vsque extendendum, vt per ſerpentem quoque, ſerpentem mere naturalem, eumdemque ratiocinandi ac diſſerendi vi praeditum, ** ſeiuncto prorſus daemone, intelligere velimus. Secus enim ſe rem habere, vel ex *Apocal. XII. 9.* conſtat.

* PHILO namque Iudaeus, ORIGENES, aliique, totam tentationis hiſtoriam ἀλληγορικῶς expoſuerunt; ipſa religionis a Deo reuelatae fundamenta hoc ipſo labefactantes. Nec procul hinc diſcedit THOMAS BVRNETIVS, refutatus ideo ab auctore libri: *Moſes vindicatus*, *cap. VII. p. 148.*

** Fuerunt nonnulli ex Iudaeis, qui omnia de vero ſerpente, cui olim ſermo conceſſus fuerit, & qui corpore erecto pedibusque inſtructo inceſſerit, exponenda cenſuerunt. Ipſius IOSEPHI haec eſt ſententia, *lib. I. antiquit. cap. I.* cui & ABEN ESRA, aliique ex ebraeae gentis doctoribus, immo nonnulli quoque ex chriſtianis, ſuffragantur. Alii rurſus, etſi concedant, reliqua litteraliter capienda eſſe; quidquid tamen de ſerpente dicitur, id omne de daemone maligno, qui & alias in ſcriptura ſerpentis nomine veniat, intelligendum eſſe, contendunt. Vtramque autem ſententiam grauiſſimis laborare incommodis, nemo non intelligit. Ad priorem enim quod attinet, praeterquam quod durum admodum & ab omni veroſimilitudinis ſpecie alienum eſt, animantia, quae hodie bruta vocamus, ſpeciatim ſerpentes ratiocinandi & loquendi facultate fuiſſe praeditos, eaque deinceps priuatos; iis quoque ſcripturae ſacrae locis, in quibus diſerte diabolo primorum hominum ſeductio tribuitur, aperte repugnat. Nec admitti poſterior poteſt; cum quaedam de ſerpente hic dicantur, quae in diabolum non quadrant. Dicitur nam-

namque ſerpens fuiſſe *callidiſſima omnium beſtiarum agri.* Cacodaemon autem inter beſtias agri referri nequit; & quid mirum, eum beſtiis agri eſſe callidiorem? Num talia commemorare aut operae pretium, aut Moſe dignum erat? Praeterea & ex poena a Deo in ſerpentem ſtatuta adparet, per ſerpentem diabolum tantum intelligi non poſſe. Dicitur enim: *ſuper ventre tuo gradieris, & puluerem comedes omnibus diebus vitae tuae.* Non equidem me fugit, eſſe nonnullos, interque eos & B. SEBAST. SCHMIDIVM, in *collegio biblico priori, loc. IV. dict. I. p. 151.* qui haecce verba ita exponunt, vt in diabolum quoque quadrent. Sed, vt illos ſuo abundare ſenſu facile patimur; ita, vt a proprio & genuino verborum ſenſu diſcedamus, nulla praegnans, quae nos cogat, cauſſa adeſt. Hinc vero illorum quoque corruit ſententia, qui exiſtimant, diabolum non equidem ſerpente ceu organo vſum, ſed in ſpecie ſaltem ſerpentis adparuiſſe. Namque & hi ipſi fatentur, non fuiſſe verum & naturalem ſerpentem. Vnde & contra eos eadem, quae iam attulimus, argumenta militant. Atque haec cum ita ſe habeant, & vtriusque ſententiae incommoda in aprico poſita ſint; varias viri docti, vt hinc ſe expedirent, inierunt rationes. Specioſa & ingenioſe excogitata eſt illorum ſententia, qui per ſerpentem ſeductorem equidem ſerpentem verum & naturalem intelligunt, qui tamen nec ratiocinandi, nec loquendi facultate fuerit praeditus, ſed exemplo ſuo, adſcendendo in arborem vetitam, & de fructibus eius comedendo, idque citra noxam, induxerit ad idem faciendum Euam. Moſen autem more gentium orientalium animantibus brutis ſermonem tribuentium haec ita retuliſſe, vt ſerpentem ac Euam colloquentes introduceret, vt ſaltem hac ratione cogitationes Euae, quae ei in mentem venerunt, cum ſerpentem de fructu arboris vetitae comedentem videbat, exprimeret. Huc fere redit ſententia R. ISAACI ABARBANELIS. Licetque equidem hac ratione illud incommodum euitare, quod primam ſententiam vrgebat, ſerpentes olim ratione & loquendi facultate fuiſſe praeditos; ſed reliqua tamen, quae primae ſententiae oppoſuimus, huic itidem obſtant, quod ſcilicet in hacce Moſis narratione multa occurrant, quae in ſerpentem naturalem non quadrant, & alibi quoque diſerte daemoni maligno primorum parentum ſeductio tribuatur. Accedit, quod ea, quae ſerpens dixiſſe a Moſe dicitur, ex ſolo eius intuitu Euae neutiquam in mentem venire potuerint. Num enim ex eo, quod ſerpentem fructibus arboris vetitae veſcentem vidit, colligere potuit, *ſe fore inſtar Dei?* & quae reliqua ſunt eiusdem generis. Reliquis omnibus itaque praeferenda eſt recepta illa multorumque calculis adprobata ſententia, cacodaemonem ſerpentis corpore, ceu organo, ad perficiendum id, quod cupiebat, vſum. Ita enim cuncta ſibi conſtant, & quae daemoni non conueniunt praedicata, ſerpenti naturali, quae vero in ſerpentem

tem naturalem non quadrant, daemoni tribui poſſunt. Nec momentum trahit, quod vir doctiſſimus, IO. CLERICVS, obiicit: *quid opus*, inquit, *fuit, dicere, ſerpentem callidiſſimam fuiſſe beſtiarum agri? Cacodaemon enim vel ſtupidiſſima beſtia fuiſſet aeque feliciter abuſus; neque enim ſerpentis calliditatem, ſed ſuam ad fallendam Heuam adhibuit.* Non enim eſt dubium, quin ad fraudem eo melius tegendam hoc fecerit. Crediditque, difficilius forte ſe agnoſci in beſtia callidiori, quam ſtupidiori. Saltem callidiorem beſtiam inſtituto ſuo aptiorem iudicauit, quamcumque demum ob cauſſam hoc fecerit, quae nobis ignota eſſe poteſt. Nec morari quemquam debet, quod ipſi ſerpenti poena quoque deinceps inflicta ſit. Inde enim non ſequitur, non daemonem, ſed ſerpentem peccaſſe: ſed confirmatur potius noſtra ſententia; cum ad deteſtationem ſcelerum poena etiam ad inſtrumenta eorumdem, bruta & res inanimatas, deriuari ſoleat. Quod aliunde ſatis conſtat.

§. XXIV.

In ſummam ita miſeriam cum detruſum eſſet hominum genus; Deus, cum Adamum & Euam admiſſi criminis conuiciſſet, poenam, quae omnes, etiam ſerpentem, maneret, indicauit, ſed homines tamen aeternum perire noluit, ideoque promiſſionem de ſemine mulieris addidit, * per quod, qui tantum Numinis rite acceptare beneficium velint, ſeruari queant. Reſtaurata hac ratione fuit eccleſia, quae iam funditus deperdita videbatur, & noua ratio conſequendi ſalutem a Deo inſtituta.

* Verba Moſis haec ſunt: *Et dixit Dominus Deus ad ſerpentem illum: quia feciſti hoc, maledictus eſto prae omni iumento & prae omni beſtia agri: ſuper ventre tuo gradieris, & puluerem comedes omnibus diebus vitae tuae, & inimicitiam ponam inter te & mulierem, & inter ſemen tuum & ſemen eius, illud conteret tibi caput, & tu conteres ei calcaneum; Gen. III. 14. 15.* Serpentem hic adloquitur Deus ſed quem? num naturalem? an daemonem, qui ſerpente naturali ad decipiendos primos parentes, ceu organo vſus eſt? Sunt, qui omnia, quae in vtroque verſu dicuntur, ad daemonem referunt; in qua ſententia D. SEBASTIANVM SCHMIDIVM verſari, iam ſupra diximus. Is vero verba Moſis ita explicanda cenſet: *Quemadmodum ex parte tui, hoc eſt, qua ſerpens naturalis es, es inter beſtias terrae abiectus, tanquam ratione carentes, & per naturam tuam gradieris ſuper ventre, atque terram comedes per omnem vitam tuam: ita ex altera quoque tui parte, quatenus es ſerpens ſpiritualis, diabolus, gradieris tropico quodam modo ſuper ventre tuo, & comedes puluerem terrae omnibus diebus vitae tuae, abiectus*

iectus per maledictionem meam prae omnibus beſtiis terrae, hoc eſt, maledictum te volo ita, vt miſerior ſis omnibus beſtiis terrae, & abiectior, cum per naturam tuam fueris creatura nobiliſſima omnium, & vt e caelo deiectus in terrae infima, in infernum imum deſcendas, ibique comedas puluerem ſulphuris & picis infernalis in omnem aeternitatem; in *colleg. bibl. prior. loco IV. dict. I. p. 151.* Quae quam coacta ſint, nemo non videt. Alii contra vtrumque verſiculum ad ſerpentem naturalem referunt; quod praeter alios & IO. CLERICVS facit ad *h. l.* Sed non ſatis iſti perpendunt, Moſe diuino ſcriptore plane indignum eſſe, de re leuiſſima, qualis eſt inimicitia inter ſerpentes & homines, ceu de re maximi momenti verba facere. Neque cum ſerpentibus tantum, ſed & cum aliis inſectis homini inimicitia intercedit. Praeterea, cum antea probatum ſit, non tam ſerpentem naturalem, quam diabolum in ſerpente latitantem, hominum ſeductorem fuiſſe; parum profecto eſt veroſimile, ob tantum facinus diabolo nullam inflictam poenam, cum ſerpenti contra Deus maledixerit. Nihil itaque ſupereſt, quam vt & hic quaedam ad ſerpentem naturalem referamus, quae ſcilicet *verſ. 14.* continentur, reliqua autem ad diabolum; quemadmodum & ſupra iam obſeruauimus, in tota hacce hiſtoria non poſſe non quaedam de diabolo intelligi.

Atque hoc vt eo rectius conſtet, iuuabit, ipſa Moſis verba paucis conſiderare. *Et dixit Dominus ad ſerpentem illum,* qui parentes ſeduxerat, adeoque ad daemonem, in ſerpente illo, quo ceu organo vſus erat, ſpectatum. *Quia feciſti hoc, maledictus eſto prae omni iumento, & prae omni beſtia agri;* vbi quidem maledictio mali imprecationem efficacem, ſeu quam effectus ſequatur, denotat. Patet hoc ex iis, quae mox ſubiiciuntur. Quia vero additur: *prae omni iumento,* palam eſt, ad ſerpentem naturalem haec verba ſpectare. Cui quod maledixerit Deus, mirum non eſt; cum ad deteſtationem, poena, aut eiuſmodi quid, quod ſpeciem poenae habet, ad inſtrumenta quoque, quibus delictum aliquod perpetratum eſt, deriuari ſoleat. Conf. *Exod. XXI. 28. 29. Leuit. XX. 15. Deut. XIII. 15. I. Sam. XV. 3.* *Super ventre tuo gradieris.* Duplici ratione, obſeruante IO. CLERICO, haec verba accipi poſſunt. Primo, quod antea ſerpens pedibus inſtructus, iis per maledictionem priuatus, volutando ſe in puluere corpus promouere iuſſus ſit. Deinde, cum veroſimile non ſit, propter hominis peccatum in natura ſerpentis quidquam mutatum; intelligi poſſe, vt, quod naturae erat, ceſſerit in poenam, vt in homine nuditas, in mulieris partu dolor. Verum, vt exempla, quibus poſterior interpretatio confirmatur, id plane non euincunt, quod euincere debebant, cum v. g. perperam ſupponatur, etiam ante lapſum mulieris partum cum dolore coniunctum futurum fuiſſe; ita reuera ſerpens nullam ſubiiſſet poenam,

Digitized by Google

nam, ſi iam antea per naturae conditionem ſuper ventre ingreſſus fuiſſet. Immo ludicra fuiſſet haec maledictio, perindeque ſe habuiſſet, ac ſi auibus aliquis maledicendo iis imprecari velit, quod volare debeant, aut quadrupedibus, quod quatuor incedere pedibus debeant. Nihil itaque aliud ſupereſt, quam vt priorem eligamus ſententiam, ſerpentem olim pedibus inſtructum, iis autem, per maledictionem diuinam, priuatum eſſe. *Et puluerem comedes omnibus diebus vitae tuae.* Cum enim humi repant ſerpentes, fieri aliter non poteſt, quam vt cum iis, quae lambunt, puluerem etiam abſorbeant. Vnde puluis paſſim ſerpentibus in cibum tribuitur. Conf. *Eſ. LXV. 25. Mich. VII. 17.* Sed nunc porro ſequitur: *& inimicitiam ponam inter te & inter mulierem.* Non improbanda eſt illorum ſententia, qui particulam *Vau* vertunt: *praeterea*, vt indicetur, ſermonem nunc ſpeciatim ad diabolum, ceu cauſſam lapſus principem, dirigi. Voce autem איבה odium graue, perpetuum, & capitale ſignificatur. Et tale eſt profecto, quod inter diabolum & Chriſtum, inter impios & fideles deprehenditur. Qui de ſerpentibus naturalibus hoc capiunt, falluntur; cum alia inſectorum genera homines ſaepius magis abominentur, quam ſerpentes, vt iam antea dictum. De voce אשית *ponam*, nonnulli obſeruant, eam idem eſſe, ac *diſponere*, vt adeo noui federis inter Deum & Adamum diſpoſitio eadem innuatur. Conf. IO. CLOPPENBVRGIVS, in *ſchola ſacrificior. cap. IV. §. V. p. 33.* & alibi. Quidquid huius ſit, res ipſa docet, in hiſce verbis federis gratiae contineri promulgationem. Atque eo vel maxime inimicitiae poſitio pertinet; quippe qua ſignificatur, non tantum Chriſtum ipſum hoſtem & aduerſarium fore ſatanae, ſed fidem quoque viresque ſpirituales ſuis largiturum, quibus eidem reſiſtere, omnesque eius inſultus ſuperare queant. Conf. ANTONIVS GREGVTVS, *reuelat. arcan. orac. II. p. 111. 115. ſeqq.* Ponendam autem hanc inimicitiam Moſes dicit inter ſerpentem, quem Deus adloquitur, ſeu diabolum, & inter *mulierem*, non excluſo Adamo; cum in hocce actu primi parentes vnam veluti perſonam, genus hominum vniuerſum repraeſentantem, conſtituerint; vnde ſubinde nominato Adamo ſimul intelligitur Eua, *Rom. V. 12.* & vice verſa, nominata Eua, ſimul intelligitur Adamus. Euae autem cumprimis hic mentio iniicitur, quia a diabolo primum ſeducta transgreſſionis initium fecerat, hinc & primo ſolatio erigenda erat. Intelliguntur tamen merito etiam omnes poſteri primorum parentum, qui in iis & cum iis ſimul peccarunt. *Rom. V. 12.* Cum vero porro dicitur: *& inter ſemen tuum*, quaeſtio oritur, quid per ſemen diaboli intelligatur. Namque ſerpentes naturales ex vnico pari ſerpentum, quorum vnus parentes primos ſeduxerit, quae nonnullorum eſt ſententia, hic non intelligi, iam ex dictis conſtat. Malos autem daemones generati-

ratione ſe multiplicare, Iudaeorum commentum eſt, admodum profecto inficetum. Nihil itaque aliud ſupereſt, quam vt per ſemen ſerpentis omnes intelligamus, qui eiusdem quodammodo cum cacodaemone ſunt indolis, vti angeli diaboli, qui eum ceu ducem & patrem ſequuntur & imitantur, *Iudae epiſt. v. 6. II. Petr. II. 4.* itemque homines impii, praeſertim, qui repudiata Dei vocatione ad ſatanam deficiunt, & ita data opera in eius caſtris militant. Vid. *Ioan. VIII. 44.* Semini vero ſerpentis opponitur ſemen mulieris: *& inter ſemen eius.* Vbi quidem CALVINVS, PAREVS, aliique ex reformate eccleſiae doctoribus, per ſemen mulieris omnes Euae poſteros, in ſemen ſatanae non degenerantes, ſiue totam eccleſiam electorum hominum in mundo, intelligunt; quibus etiam ſuffragatur HERMANNVS WITSIVS, de *oecon. fed. lib. IV. cap. I. §. XXIV.* Sed de Chriſto, qui hic κατ' ἐξοχὴν ſemen mulieris dicatur, rectius hoc accipiunt alii; fueruntque inter ipſos Iudaeos veteres, qui Meſſiam hic reſpici, cenſuerunt. Conſ. IO. CLERICVS ad *h. l.* Et ſolus ſane Chriſtus mulieris tantum, non viri, ſemen eſt, principesque eorum omnium, qui nati ſunt ex mulieribus & viris. Omne vero dubium eximit illud, quod ſequitur: הוא *illud conteret caput tuum,* quod non niſi de certo indiuiduo, ſcilicet Chriſto, intelligi poteſt. Accedit, quod omnes homines ſub poteſtate diaboli ſint, adeoque caput eius conterere nequeunt. Solius Chriſti eſt, vincere diabolum & opera eius deſtruere, *I. Ioan. III. 8.* Et licet vox *ſemen* paſſim in ſcriptura ſacra collectiue ſumatur, quod praecipue vrgent, qui diſſentiunt; ſubinde tamen etiam ſingulariter accipitur, vt *Geneſ. IV. 25. XV. 3. XXI. 13. XXII. 18.* alibique.

Dicitur vero de hocce ſemine: *& illud conteret tibi caput.* Quae de ſemine mulieris intelligenda eſſe, res ipſa & pronomen הוא ſatis docent. Nec morabuntur quemquam, quae romanenſes in gratiam verſionis vulgatae hic mouent, quae habet *ipſa;* cum omni prorſus deſtituantur fundamento, & conſtantem codicum ebraeorum lectionem ſibi aduerſantem habeant; quod & ipſemet agnoſcit IO. MARTIANAEVS, dans *la harmonie analytique, §. I. p. 3. ſeqq.* Verbum שוף, vnde dicitur ישופך, praeter hunc locum bis tantum in ſcriptura ſacra occurrit, *Iob. IX. 17.* vbi de procella vſurpatur, & *Pſ. CXXXIX. 11.* vbi de tenebris adhibetur. Vnde nonnulli in eam ingrediuntur ſententiam, genuinam verbi huius ſignificationem eſſe *obruere, opprimere,* idque tum ad tegendum ſeu occultandum, vt *Pſalm. CXXXIX. 11.* tum ad delendum ſeu conterendum, vt *Iob. IX. 17. & Geneſ. III. 15.* Non tamen contemnenda, immo forte reliquis praeferenda eſt, illorum ſententia, qui docent, verbum hoc ſignificare: *obſeruare, occaſionem captare.* Id namque ex radice cognata in lingua arabica conſtat. Vnde & LXX interpretes verterunt: τηρήσει, *obſeruabit:* &

Digitized by Google

& ONKELOS: *ille erit:* דכיר *memor tibi, quod feciſti ei olim, tu vero eris* נטר *obſeruans eum ad finem.* Quidquid huius ſit, res ipſa ſatis conſtat, innuere diuinum ſcriptorem, cum ſerpentes praecipuum nocendi robur in capite habeant, nec interfici commode, niſi capite contrito, queant, vnde & caput quam maxime tegere & communire, periculoque ſubducere ſoleant, eos, qui ſerpentem interficere volunt, caput maxime adpetere. Pari ergo ratione Meſſiam erga infernalem ſerpentem ſe geſturum, ipſumque eius caput adgreſſurum, vt penitus eum perimeret. Non tantum itaque regni diaboli per Chriſtum deſtructio, ſed mors quoque ipſi diabolo inferenda hisce verbis innuitur: quae non poteſt non cum hominum ſalute eſſe coniuncta. Vnde & ratio patet, cur verba haecce, quibus primum euangelium, federisque gratiae ad hominum ſalutem & ſolatium promulgatio, continetur, ad ſerpentem ſint directa. Vt vero reluctantiam quoque & iram diaboli, quam inde animo concepturus eſſet, nos condoceret, tandem ſubiungit: *& tu conteres ei calcaneum.* Serpens ab homine conculcatus, etſi omnes vires adhibeat, vt homini iterum noceat; pedem tamen tantum, aut tibiam, immo, ſi prope caput prematur, talum dumtaxat morſu adpetere valet. Idem de diabolo, ſeu infernali ſerpente, hic docetur, eum omnes equidem adhibiturum vires, vt contritorem ſuum, ſeu Meſſiam, iterum laedat, ſed tamen illa tantum eum hoc effecturum parte, quae infima eſt, idque ea ſaltem ratione, vt reconualeſcere atque reſurgere queat, quod victoriae a diabolo reportandae certiſſimum futurum ſit documentum. Eadem autem de vtroque, & cacodaemone & Meſſia, vox adhibetur, vt idem vtriusque ad alterum opprimendum & aeque vehemens conatus denotetur; licet non idem vtriusque fuerit ſucceſſus, ſed victoria penes Meſſiam ſteterit, diabolo ſuppreſſo & ignominia doloribusque cumulato. Plura qui de hocce dicto deſiderat, praeter alios AVGVST. PFEIFFERI adeat *dubia vexata, cent. I. loc. VIII. p. 25. ſeqq.* qui & eos ex noſtratibus laudat, qui in eo explicando ex inſtituto verſati ſunt. Iungendus iis IOAN. HENRICVS MAIVS, in peculiari diſſertatione, quae exſtat in *diſſertationibus* eius *ſacris, loco VII. num. II. p. 465. ſeqq.* Nobis paucis haec exponenda fuere, vt conſtaret, quo fundamento innitantur, quae de eccleſiae per fedus gratiae reſtauratione hic commemorantur.

§. XXV.

Nimirum in locum federis operum, ſucceſſit fedus gratiae. Cuius quidem haecce ſumma fuit: Deus ex ſingulari gratia atque propitio fauore hominibus, per lapſum primorum parentum in ſummam miſeriam deuolutis, reſtitutionem atque ſalutem, certo ordine illis

illis conferendam, idque per Meſſiam ſeu ſemen mulieris, promiſit; vt hominum ſaltem eſſet, huic conſilio Dei non repugnare, ſed credendo in Meſſiam, vires ad hoc quoque ſuppeditaturo Deo, tantum acceptare beneficium, ſimulque obſequio, pro viribus a Deo collatis, gratum ob id demonſtrare animum. * Sed cum certo demum tempore Meſſias, per ſemen mulieris deſignatus, exhibendus eſſet, diuinaeque ſapientiae viſum eſſet, diſtinctius ſingula, primo per ſymbola & vmbras, deinde re ipſa quoad omnes circumſtantias manifeſtare; diuerſae hinc federis huius extitere oeconomiae, ** de quibus ſuo tempore dicendi locus erit.

* Quaenam itaque religionis reuelatae ſecundum fedus gratiae fuerint capita praecipua, facile intelligitur. Primum princepsque erat, de *Meſſia*, ſeu *ſemine mulieris;* eumque fore θεάνθρωπον, hoc eſt, verum Deum, verumque ſimul hominem. Et hominem quidem eum fore, dubium primis parentibus eſſe non poterat, quia ſemen mulieris futurus erat. Sed, Deum quoque ſimul fore, vel ex officio eius, quod erat, conterere caput ſerpentis, hominesque a poteſtate ſatanae liberare, poterant intelligere. Et intellexiſſe hoc eos, aperte conſtat ex verbis Euae, quibus impoſiti filio primogenito nominis rationem reddit, ſuamque ſimul profitetur fidem: קניתי איש את יהוה, *poſſedi virum dominum*, h. e. ego vera fide poſſideo iam alium virum, qui ſimul erit dominus verusque Deus. Conf. B. SEBAST. SCHMIDII *diſp. de fide matris Euae*, quae ſecunda *faſciculi* eſt, & in *colleg. bibl. prior. p. 155.* Haec vero de Chriſto θεανθρώπῳ doctrina ſupponebat doctrinam de myſterio ſacroſanctae trinitatis, quod primis parentibus haud ignotum fuiſſe, tum ex dictis, tum aliunde conſtat. Praeterea, vt primis optime notum erat parentibus, per peccatum ſe a Deo deſciuiſſe, amiſſaque *imagine diuina*, naturam ſuam miſere corruptam, ſimulque poteſtati ſatanae ſe eſſe obnoxios, nihilque tandem ſe manere aliud, quam mortem temporalem & aeternam; ita ex ipſa illa federis gratiae promulgatione facile intelligebant, nullam aliam ex hacce miſeria eluctandi viam eſſe, quam fidem in ſemen mulieris, quod contriturum eſſet caput ſerpentis. Simul vero inimicitia, quam inter ſemen ſerpentis & ſemen mulieris ſe poſiturum Deus dixerat, commonefacere illos poterat, ſi ſalui eſſe vellent, nihil amplius cum infernali genio commercii ſibi eſſe debere: indeque & *peccata* ſeu *opera* diaboli toto ſe deteſtari debere pectore: ideoque, ſi admiſſa ſint, *magno* inde *dolore* merito adfici hominem, idque requiri, vt in ſemen mulieris recte credere queat: tum vero omni opera illi eſſe adnitendum, vt peccata quaeuis fugiat, & ita vitae *ſanctitati* & *innocentiae* ſerio ſtudeat. Promiſſio denique iſta de ſalute per ſemen.

ſemen mulieris impetranda cum primis parentibus, ſimulque adeo omnibus illorum poſteris facta ſit; colligebant inde merito, non velle Deum, perire quemquam, ſed omnibus, qui ex illis naſcituri eſſent, media impetrandae ſalutis ſuppeditare. Haec itaque ſumma ſunt doctrinae, quae ex federe gratiae fluit, capita, quae ab aliis fuſius explicantur, ſpeciatim a BALTHASARE BEBELIO, in *hiſtoria eccleſiae antediluuianae, p. 49. ſeqq.* Ceterum, vt nonnulla, quae ad ſpecialiorem de Meſſia notitiam ſpectant, e. g. quando, quo loco naſciturus ſit? & quae ſunt eiusdem generis, deinde ſucceſſu temporis magis magisque patefacta ſunt; ita cauendum, ne primis parentibus, hominibusque antediluuianis ea tribuamus, quae ſcire non potuerunt. Qua in re vt multi peccant; ita rurſus in contrarium feruntur, qui absque fide in Meſſiam illos ſaluatos contendunt, eam illis notitiam denegantes, quam tamen ex diſertis Dei verbis habere poterant. Pelagianorum is olim error fuit; quos, vt in aliis, ita hac in re ſequuti ſunt, qui ex Socini Arminiique ſchola prodierunt. Disputaui hac de re contra PETRVM CHAVVINVM, in *animaduerſionibus* ad librum eius de *religione naturali, cap. I. §. XIV. XV. ſeqq.* conf. & BEBELIVS, *l. c. p. 75.*

** Tres praecipue federis gratiae oeconomiae, idque non ſine ratione, ſtatui ſolent: quarum prima ad Moſen vsque durauit, altera a Moſe ad Chriſtum, tertia vero nouum teſtamentum ſub ſe complectitur. In prima itaque federis gratiae oeconomia religionis reuelatae ea fuit conditio, quam expoſuimus, niſi quod per ſacrificia fidem ſuam declarauerint, qua de re deinceps. Tempore quoque Abrahami acceſſit circumciſio, qua de re etiam ſuo loco. Vnde &, ſi hinc diſceſſeris, ſacramenta nulla in hacce federis gratiae oeconomia deprehendimus. Fuerunt tamen, qui & hic ea ſibi inueniſſe viſi ſunt. Primo namque ſacrificia huc referunt, iuxta illud AVGVSTINI: *ſacrificium viſibile eſt inuiſibilis ſacrificii ſacramentum; lib. X.* de *ciuitat. Dei, cap. V.* Manifeſtum vero eſt, tum AVGVSTINVM, tum eos ex noſtratibus, qui ſacrificia pro ſacramentis habent, vocem ſacramenti in generaliori & impropria ſignificatione adhibere. Quodſi ſecus ſentiant, & ſacrificia proprie ſic dicta ſacramenta fuiſſe contendant, illis ſuffragari nequeo. Sed nec hic nonnulli ſubſiſtunt, verum & ſacramentum aliquod initiationis ante circumciſionem inuenire voluerunt. Audire hac de re iuuat BALTHASAREM BEBELIVM: *Disputatur*, inquit, *hac occaſione de ſacramento initiationis, num quod ante diluuium pro paruulis fuerit inſtitutum & vſurpatum? Adſirmat Auguſtinus, lib. I. contra Iulian. Pelag. cap. 8. Nec tamen credendum eſt*, inquit, *& ante datam circumciſionem famulos Dei, quandoquidem in iis inerat mediatoris fides, in carnem venturi, nullo ſacramento opitulatos fuiſſe paruulis ſuis, quamuis, quid illud eſſet, aliaque neceſſaria cauſſa ſcriptura latere voluit.* Haec

AVGV-

AVGVSTINI verba cum recitaſſet BEBELIVS, pergit: *Vides, Auguſtinus de quaeſtione εἰ ἐςι non dubitat, ſed de quaeſtione τί ἐςι aqua ipſi haeret. Confer eumdem lib. 2. de nupt. & conc. c. 12. vbi ſimiliter adſerit, ſuperioribus temporibus ſacramentum aliquod iuſtificationis ex fide, fatente vel ipſomet Saliano, in annal. 2. fol. 97. §. 12. conf. Auguſtinus, lib. 15. de C. D. c. 16. & Chytr. diſpoſit. in Deut. fol. 13. Gregorius M. propius accedit ad rem, dum determinat, quid fuerit. Quod vero apud nos valet aqua baptismatis*, (verba ſunt GREGORII) *hoc egit apud veteres, vel pro paruulis ſola fides; vel pro maioribus virtus ſacrificii, vel pro iis, qui ex Abrahae ſtirpe prodierunt, myſterium circumciſionis; lib. 4. moral. cap. 3.* Subiungit BEBELIVS: *Aliquid dicit, ſed non ſufficienter. Infantes ſola fide fuiſſe iuſtificatos, recte adſerit, & poſt ipſum Bernbardus, ep. 77. Sed addere debuiſſet, quo medio fides illa in infantibus vel producta, vel obſignata fuerit. Animaduertit hoc Salianus &c.* Adlato hinc SALIANI teſtimonio, in eam tandem haud obſcure ingreditur ſententiam, in myſtica nominum, quibus infantes a parentibus inſigniebantur, impoſitione, ſacramentum initiationis antediluuianum quaerendum eſſe; in *hiſtoria eccleſiae antediluuianae, p. 26.* Enimuero, etſi haud diffitear, nominum iſtam impoſitionem a patriarchis factam, interdum myſterio non caruiſſe; inde tamen non ſequitur, eam fuiſſe ſacramentum proprie & ſtricte ſic dictum. Nullum itaque eſt dubium, in latiori ſignificatione, vt antea iam obſeruauimus, & hunc auctorem vocem *ſacramenti* adhibere. Nec admitti poteſt ſententia IOAN. HENRICI HEIDEGGERI, contendentis, ſabbathum quoque pro ſacramento horum temporum habendum eſſe, ſi modo conſtet, ſabbathum ab hominibus antediluuianis obſeruatum fuiſſe, quod ipſe negat. Immo & diluuium & iridem tandem inter eccleſiae patriarchalis ſacramenta refert, in numero ſacramentorum augendo ſatis quidem liberalis. Nobis conſtat, non quodlibet ſignum ſtatim ſacramentum eſſe; idque alibi ex inſtituto comprobatur. Quae HEIDEGGERVS hac de re habet, legi poſſunt in *hiſtoria* eius *patriarchar. part. I. exercit. III. §. LVII. & LVIII.*

§. XXVI.

Atque hinc, in quo religio Adami poſt lapſum conſtiterit, intelligitur. Ad cultum vero externum quod attinet, praeter ſabbathum * accedebant ſacrificia, de quorum deinceps dicetur origine. Matrimonii quoque ſanctio vim ſuam retinebat, idque eo magis, quod poſt lapſum inordinatis hominum cupiditatibus hac ratione obuiam eundum eſſet. ** Mulieri praeterea poenae loco impoſitum, quod imperio mariti ſubiecta eſſe deberet. *** Acceſſerunt etiam deinceps

deinceps ſtatus paternus, * herilis, ** ciuilis, *** itemque dominiorum introductio. * Quae omnia cum e re eſſent humani generis, & ad eius conſeruationem facerent, a Deo quoque ſunt adprobata. Vnde, quaenam legum diuinarum, tum abſolutarum, tum hypotheticarum, fuerit ratio, manifeſtum eſt.

* Etſi enim in paradiſo, ſeu ſtatu integritatis, hoc inſtitutum eſſet, nulla tamen adparet ratio, cur non & in ſtatu poſt lapſum obtinere debeat. Secus enim in ſabbatho res ſe habet, ac in iis inſtitutis diuinis, quorum cum ipſo ſtatu integritatis connexa erat ratio, vti erant arbor vitae, & arbor ſcientiae boni & mali. Sabbathum vero a patriarchis tum ante - tum poſtdiluuianis obſeruatum, nullum eſt dubium Conf. quae ſupra diximus ad §. XVIII.

** De matrimonii inſtitutione iam dictum §. XIX. Patetque ex ea indoles matrimonii, quod ſcilicet ſecundum voluntatem Numinis ſit coniunctio legitima & indiſſolubilis, vnius viri & vnius feminae, ad procreandam ſobolem, vitamque ſancte & caſte transigendam. Vnde & Chriſtus ipſe ad primaeuam matrimonii inſtitutionem nos ablegat, *Matth. XIX. 8.* Quod cum patriarchis antediluuianis etiam non ignotum fuerit; dubium non eſt, quin ſanctione iſta diuina matrimoniali adcurate ſteterint. Maximopere errauit AMBROSIVS. cum adulterium ante legem a Moſe latam, & ante euangelium, haud illicitum fuiſſe putauit. Verba eius ſunt: *conſideremus primum, quod Abraham ante legem Moſis, & ante euangelium fuit, cum nondum interdictum adulterium videbatur: poena criminis ex tempore legis eſt, quae crimen inhibuit, nec ante legem vlla rei damnatio eſt;* de *Abrahamo patriarcha, lib. I. cap. IV.* Conf. IO. DALLAEVS, de *vſu patrum, p. 272.* & IO. BARBEYRACIVS, *praefat. ad verſion. gallicam operis Pufendorſiani de iure nat. & gent. p. 26.* Excuſari vtique haec ſententia nequit; niſi dicamus, non tam ex propria, quam aliena mente eum loqui, quod tamen ex ſermonis ſerie vix colligas. Tribui etiam haec ſententia ſolet R. MOSI MAIMONIDI, ſed alienum eum ab illa eſſe, vel ex *hal. melachim, cap. IX.* patet. Idem tamen MAIMONIDES *hal. iſchoth. cap. I.* docet, promiſcuum inter iunuptos concubitum, tempore patriarcharum non fuiſſe illicitum. Qua in re & alios, tum inter Ebraeos, tum inter chriſtianos ſibi ſuffragantes habet. Qui hoc ipſo demonſtrant, ſe ſenſum legis diuinae, perfectam ſanctitatem puritatemque requirentis, minime perſpectum habere. De diuortiis, gradibusque conſanguinitatis & adfinitatis, pari ratione cenſendum, eodem ſe haec omnia apud patriarchas modo habuiſſe, quo ſecundum primaeuam inſtitutionem ſe habere debebant. Ex ea enim & gradus prohibitos, apertius a Moſe deſignatos, & indiſſolubilitatem matrimonii extra caſum adulterii, deriuari poſſe, alibi demonſtrabimus. Conf.

inſti-

inſtitut. theolog. moral. part. II. cap. III. ſect. VI. §. III. IV. add. 10. HENRICVS HEIDEGGERVS, *hiſtor. patriarchar. part. I. exercitat. I. §. IX. ſeqq.*

*** Videtur equidem etiam in ſtatu integritatis quaedam viri prae femina fuiſſe ἐξοχή, quippe in ipſa natura quodammodo fundata. Idque haud obſcure apoſtolus innuit, cum, *non enim*, inquit, *eſt vir ex muliere, ſed ex viro mulier, cum non propter mulierem creatus ſit vir, ſed propter virum mulier*, *1. Cor. XI. 8. 9.* Imperium tamen mariti, quale hodie eſt, citra controuerſiam a lapſu primorum parentum eſt deriuandum, vt diſerte Moſes docet, *Gen. III. 16.*

* Ex matrimoniali ſtatu fluit paternus. De quo illud hic obſeruandum, etſi natura omnes liberi ſint aequales, antiquiſſimis tamen iam temporibus primogenitorum prae reliquis quamdam fuiſſe ἐξοχήν. Idque tempore patriarcharum, qui poſt diluuium, ſed ante Moſen, vixerunt, dubio caret. Conf. *Gen. XXV. 32. XLIX. 3.* Sunt vero, qui iam ante diluuium iuris primogenitorum ſe inueniſſe veſtigia exiſtimant. Referuntque huc verba illa Dei ad Cainum: *ad te adpetitus eius, & tu illi dominaberis*, *Geneſ. IV. 7.* Hisce enim ſignificari putant, Abelem Caini ceu primogeniti fuiſſe ſeruum, cumque ob dedignationem Dei ſacrificium eius auerſantis, metu perculſus timeret Cainus, ne ſua in fratrem poteſtate excidiſſet, Deum hisce verbis ἐξοχὴν illam ex primogenitura reſultantem ei confirmare voluiſſe. Quae profecto nimis longe petita ſunt. De ſenſu iſtorum verborum deinceps dicetur.

** Seruitutis originem AVGVSTINVS ab imprecatione Noachi, qua Canaani maledixit, repetit; de *de ciuitat. Dei, lib. XIX. cap. XV.* Quem & alii hac in re ſequuntur. Sed ſine vlla prorſus ratione. Etſi enim primum hic ſeruorum in ſcriptura ſacra fiat mentio; non tamen prima deſcribitur ſeruitutis origo. Videturque omnino hocce ſermone Noachus ſeruitutem, ceu rem minime ignotam, ſupponere. Vnde & admodum veroſimile, iam ante diluuium ſeruitutem fuiſſe. Si enim legalem, quam vocant, ſeruitutem ſpectes, non minus ante, quam poſt diluuium fieri potuit, vt nonnulli opibus & ingenio deſtituti operam ſuam pro certa mercede aliis offerrent, ſin violentam, qua per vim nonnulli in ſeruitutem detruduntur, erant ante diluuium Nephilim, homines violenti, quos alios ſibi per vim ſubieciſſe probabile eſt. Poſt diluuium etiam apud viros ſanctos ſeruitutem in vſu fuiſſe, vel Abrahami exemplo conſtat. Reliqua, quae de origine ſeruitutis diſputantur, attinguntur alibi.

*** An ante diluuium ſocietates ciuiles, ſeu respublicae, fuerint, diſputari ſolet. Sunt, qui id prorſus abnuunt, putantque, fieri vix potuiſſe, vt hominum adeo corrumperentur mores, vt rebus deſperatis nulla adferri potuerit medela, ſed totum genus hominum, paucis exceptis, aquis ſubmer-

mergendum fuerit, ſi fuiſſent reſpublicae. Namque & poſt diluuium integras reſpublicas ita corruptas fuiſſe, vt Deus iuſto iudicio igne caelitus demiſſo eas conſumi, aut alia ratione funditus euerti voluerit, gentium ſacri & profani annales nos docent. Quae ex Chaldaeorum aut Aegyptiorum antiquitatibus, de regibus antediluuianis adferuntur, fabuloſa ſunt & commentitia. Paret id ex iis, quae ſupra de harum gentium chronologia diximus. Nec ratiocinationibus de naturali hominum ad reſpublicas propenſione, quibus nonnulli vtuntur, multum euincas. Certiora ſunt, quae ſcriptura ſacra tradit, Cainum vrbem primam condidiſſe, cui a filio Hanocho nomen Hanochiae dederit. *Geneſ. IV. 17.* Quo id fecerit conſilio, incertum; ex moribus tamen hominis, poſterorumque eius, facile colligas, factum id, vt imperium aliquod in alios, quos, quacumque ratione ſibi ſubiicere poſſet, ſibi adſereret. Inter Cainitas itaque haud dubio reſpublicae fuere atque ciuitates. Num vero etiam inter Sethitas? Securitatis cauſſa & eos in ciuitates coaluiſſe, vt contra Cainitas ſe defenderent, facile aliquis exiſtimare poſſet. Abnuit tamen AVGVSTINVS, de *ciuit. Dei*, *lib. XV. cap. XX.* Cuius ſi nobis ſtandum ſit ſententia, eos ſub regimine patriarchali per familias diſperſos vixiſſe, neceſſe eſt. Poſt diluuium ſub Abrahamo, Iſaaco, & Iacobo, gens ebraea ſeorſim ſubſtitit; etſi reliquae familiae a Noacho oriundae in varias ciuitates iam coaluiſſent. Facileque conceſſerim, poteſtatem horum patriarcharum, vtpote nemini mortalium ſubiectorum, maiorem fuiſſe, quam patrumfamilias eſſe ſolet, qui in ciuitatibus degunt. Nec vero reges illos dixerim, aut poteſtatem, qualis ſummorum imperantium eſſe ſolet, illis tribuerim. Fruſtraque huc referuntur verba Dauidis: *ne tangatis vnctos meos, & prophetis meis ne malefaciatis, II. Paralipp. XVI. 21. 22.* Cum enim vnctio, quantum conſtat, tempore patriarcharum, nondum in vſu eſſet; Dauid, de illis ex ſui ſaeculi conſuetudine loquutus, cum ſacerdotes & prophetas deſignare vellet, vnctos vocauit, eo, quod Dauidis tempore ſacerdotes & prophetae vngi ſolerent. Diiudicanda hinc, quae hac de re habet IO. HENRICVS HEIDEGGERVS, qui & plura de *oeconomia* pariter ac *politia* patriarcharum ſuppeditat, in *hiſtor. patriarchar. part. I. exercitat. I. & II.* Prolixe etiam de his omnibus diſſerit BALTHASAR BEBELIVS, *hiſtor. eccleſiae antediluuian. p. 31. ſeqq.*

* Dominium vniuerſale, ſeu facultas rebus creatis ad ſui conſeruationem vtendi, ab initio mundi, adeoque durante adhuc ſtatu integritatis, hominibus conceſſa fuit. *Geneſ. I. 28. 29.* Sed cum hicce ſummae felicitatis ſtatus non admodum diuturnus eſſet; dominia particularia, multiplicato demum genere humano, adeoque poſt lapſum primorum parentum, ſiue occupatione, ſiue alia ratione introducta eſſe, res ipſa docet.

§. XXVII.

Digitized by Google

§. XXVII.

Licet autem per lapſum Adami, cognitio quoque rerum, quam habuit, naturalium, in eo valde imminuta fuerit; inſignia tamen eius remanſiſſe veſtigia, vix dubitari poterit. Multarum itaque artium, ad vitae huius commoda promouenda neceſſariarum, haud dubio fuit inuentor, forte & litterarum,* quamquam tacente ſcriptura ſacra, non temere quidquam hac de re ſit definiendum. Id vero dubio caret, eum ob admiſſum crimen grauiſſimo dolore adfectum, erectum tamen diuina Meſſiae promiſſione. Hinc &, quin ſaluatus ſit, non eſt dubitandum.** De morte autem atque ſepultura eius nihil certi conſtat.***

* Recte viri ſapientes cenſuere, ſingulari prorſus & praeſtantiſſimo ingenio eum praeditum fuiſſe, qui tot vocum diſcrimina ad certas leges reuocauit, ſermonisque humani elementa aptis notis conſignauit. De vtilitate quoque atque neceſſitate huius inuenti nemo temere dubitauerit. Quodſi nunc conferamus, quae de ſapientiae Adami, etiam poſt lapſum ſuperſtitis, praeſtantia, haud ſine omni ratione ponuntur, probabili quadam ratione inde colligere licet, primum eum fuiſſe litterarum inuentorem. Sed non prorſus id inde euincitur; namque ad meras coniecturas res omnis tandem redit. PETRVS LAMBECIVS eo vsque progreditur, vt non tantum litterarum, ſed & punctorum vocalium inuentionem Adamo diſerte tribuat; in *prodromo hiſtor. litterar. lib. I. cap. II. p. 5.* Quae non omnibus, vt puto, ſeſe probabit ſententia. Qua de re alibi. De primo ceteroquin litterarum inuentore multae exſtant doctorum virorum diſceptationes, conferendique hac de re ſunt SAMVEL PETITVS, *obſeruat. lib. II. cap. I.* THOMAS BANGIVS, in *caelo orientis, exercitat. I.* GERHARDVS IOANNES VOSSIVS, in *Ariſtarcho, lib. I. cap. IX.* & qui in eo totus eſt, vt, Moſen primum a Deo litteras accepiſſe, euincat, IAQVELOTIVS, in *diſſertationib. de exſiſtentia Dei &c. diſſert. I. cap. XXIII. p. 288. ſeqq.* itemque GVIL. NICHOLS, cuius de *litteris inuentis libri ſex*, ligata oratione conſcripti, & notis eruditis illuſtrati, Londini prodierunt, anno MDCCXI. 8. aliique. Pro ſententia vero illorum, qui Adamum primum litterarum inuentorem faciunt, fruſtra vrgentur libri, quos Adamus ſcripſiſſe dicitur. Commentitium enim & ab hominibus otioſis effictum eſt, quidquid de Adami aut Euae libris dicitur. Gnoſticis nimirum, Manichaeis, aliisque haereticis ſollemne erat, figmentis ſuis ineptiſſimis ſplendidiſſima ſanctorum veteris teſtamenti, ipſius etiam Adami, nomina obtendere. Huius generis ſunt *liber reuelationis Adae, liber de filiabus Adae, liber de poenitentia Adae*, quibus alii alios adhuc addunt. Legendus hac de re EPIPHANIVS,

NIVS, *panarii lib. I.* & AVGVSTINVS, *contra Fauſtum*, aliique veterum. Sabaei, vt ex KISSAEO THOMAS STANLEIVS refert, contendebant, ſibi eſſe libros a Setho & Edri conſcriptos, immo etiam quosdam ab Adamo exaratos. Cum enim narrat, quid Abrahamo inter Sabaeos verſanti eueniſſet, aperta Adami ciſta, inueniſſe in ea eius libros, ait. Vid. STANLEIVS, *hiſtor. philoſ. oriental. lib. III. cap. III. p. 352.* Sunt ex Ebraeis etiam, qui Adamum pſalmi nonageſimi ſecundi auctorem faciunt; quemadmodum EVSEBIVS NIEREMBERGIVS alia quaedam cantica ab Adamo confecta, ceu genuina, profert; *lib. II. de origin. ſcripturae ſacrae, cap. XIII.* quo nomine merito vapulat PETRO BAELIO, in *dictionario hiſtorico-critico*, voc. *Adam.* Arabes pariter atque Ebraei de libris a Deo Adamo datis multa fabulantur, quibus nemo ſanae mentis fidem adhibebit. Legi ea poſſunt apud IOAN. HENRICVM HOTTINGERVM, *hiſtor orient. lib. I. cap. III. p. 22.* RICHARDVM SIMONIVM, *hiſtor. crit. vet. teſtam. lib. I. cap. VII. p. 47.* aliosque. Eiusdemque commatis ſunt, quae de libris Euae, vti ſunt *prophetia Euae*, item *euangelium Euae*, circumferuntur. De his omnibus praeter PETRVM LAMBECIVM, *prodrom. hiſtor. litterar. lib. I. cap. III. p. 6.* & PETRVM BAELIVM *l. c.* legendus etiam SCIPIO SGAMBATVS, *archiuor. vet. teſtam. lib. I. tit. VI. p. 96. ſeqq.* IO. ANDREAS SCHMIDIVS, in *pſeudo-teſtamento veteri, p. 6. ſeqq.* itemque PAVLVS CHRISTIANVS HILSCHERVS, in *ſchediasmate de bibliotheca Adami*, addito eiusdem epiſtolae ad GEORGIVM HENRICVM GOETZIVM, de *reliquiis Adami Protoplaſti*, Dresdae anno MDCCXI. in 4. quod integrum *codici pſeudepigrapho veteris teſtamenti, p. 53. ſeqq.* inſeruit IO. ALBERTVS FABRICIVS, qui & ipſe de libris tum Adamo, tum Euae tributis, omnium fuſiſſime egit, *l. c. num. I.* ad *XXXV.*

** Cum enim diuina promiſſio de ſemine mulieris ad Adamum non minus, quam eius poſteros, immo ad Adamum vel maxime, vt hocce ſolatio erigeretur, ſpectauarit, ecquis dubitet, quin vera fide eam adprehenderit, firmiter per totam vitam tenuerit, & ita ſaluatus ſit? Vnde & de ſapientia ὑποστατικῇ dicitur: *haec illum, qui primus formatus eſt a Deo, patrem mundi, cum ſolus eſſet creatus, cuſtodiuit,* καὶ ἐξείλατο αὐτὸν ἐκ παραπτώματος ἰδίε, *& vindicauit ſeu eduxit illum a lapſu ipſius, Sapient. X. 1.* Agnoſcunt etiam Iudaei, Adamum egiſſe poenitentiam, apud R. ELIEZEREM, *cap. XX.* quamquam nonnulli more ſuo varias fabulas addant. Confirmant idem eccleſiae doctores veteres, IRENAEVS, *lib. V. adu. haereſes, cap. XXXIV. ſeqq.* TERTVLLIANVS, *lib. II. contra Marcionem, cap. XXV.* EPIPHANIVS, *haereſ. XLVI.* aliique. Immo in Tatiano & Encratitis, ſententia, quod Adam ſaluatus non ſit, tamquam erronea & haeretica damnata fuit. Conf. NATALIS ALEXANDER, *hiſtor. eccleſ. veter. teſtament. aetat. I. diſſertat. III. adſert. III. p. 73.* Eos, qui ex inſtitu-

ſtituto de poenitentia Adami ſcripſerunt, laudat IOAN. ALBERTVS FABRICIVS, in *cod. pſeudepigrapho veter. teſtam. num. XXV. p. 48.*

*** Adamum, cum vitam ad annum vsque nongenteſimum & trigeſimum produxiſſet, mortuum eſſe, Moſes non condocet, *Geneſ. V. 5.* Plura de morte aut ſepultura eius non addit. Fuerunt tamen deinceps, qui hic non ſubſtiterunt, ſed more ſuo commenta varia & hic expromere, e re ſua duxerunt eſſe. Cumprimis Ebraeorum antiqua eſt traditio, ſepultum eſſe Adamum Hebrone, quae alio nomine *Kiriath-arbe*, h. e ciuitas quatuor, ſcilicet virorum ibi ſepultorum, Adami, Abrahami, Iſaaci & Iacobi, vocata fuerit. Eam calculo ſuo adprobat HIERONYMVS, in *locis ebr.* voc. *Arboch*; itemque in *traditionibus in Geneſin.* Alii autem contendunt, eum ſepultum eſſe in monte Caluariae, in quo deinceps crucifixus eſt ſeruator, vnde illis occaſio, multa magnaque myſteria captandi, enaſcitur. vid. SALIANVS, *annal. tom. I. p. 225.* Sed haec omnia incerta ſunt, non minus, ac illud, quod nonnulli de arbore, a Setho ſuper ſepulchrum Adami plantata, perhibent, ex qua baculus Moſis ſecundum Iudaeos fuit, quo tot miracula & prodigia edidit, iuxta alios vero crux illa confecta eſt, cui adfixus eſt ſeruator. Sed iſta procul faceſſant commenta. Conf. PETRVS BAELIVS, in *dictionario hiſtorico-critico* voc. *Adam, p. 77.* & PETRVS IVRIAEVS, in *hiſtoria critica dogmatum & cultuum bonorum & malorum, part. I. cap. XIII. p. 94. ſeqq.*

§. XXVIII.

Sedes eccleſiae poſt lapſum primorum parentum fuit extra paradiſum, procul dubio in Syria, aut Meſopotamia, vel contiguis certe regionibus. Quid vero cum paradiſo contigerit, pariter incertum, * ſitne aquis deletus, an caeleſtibus ignibus, vt Sodoma & Gomorrha, conſumtus atque deſtructus.

* Tacente ſcriptura, nihil hac de re definire licet. Interim hoc conſtat, expulſum hominem ex paradiſo, neue illi ad arborem vitae pateret aditus, Cherubes, ſeu angelos, cum flamma ignis conſtitutos, qui eum inde arcerent. Verba Moſis ſunt. *& expulit hominem, & conſtituit ab orientali plaga paradiſi Cherubim. Gen. III. 24.* De voce כרוב eiusque origine & propria ſignificatione variae exſtant eruditorum ſententiae; quas diligenter collectas exhibet AVG. PFEIFFERVS, *dub. vexat. cent. I. loc. X. p. 32.* Ad rem ipſam quod attinet, vel ex initio Ezechielis conſtat, Cherubim eſſe Dei angelos, quos quo minus & hic intelligamus, nihil obſtat. Falliturque magnopere HVGO GROTIVS, cum verba Moſis per ἓν διὰ δυοῖν explicanda cenſet, vt Cherubim & flammeus gladius ſit vnum idemque, idque ideo, quod

in

Digitized by Google

in more poſitum ſit Ebraeis, omnia Dei opera, quibus extra ordinem Deus vtitur, adpellare angelos, vt ventos & ignem, *Pſalm. CIV. 4.* Quae explicatio non potuit non gratiſſima eſſe BALTHASARI BECKERO. Merito itaque ab HVGONE GROTIO hic diſſentit IOAN. CLERICVS ad *h. l.* Quod ad *flammam gladii ſe vibrantis* attinet, ridiculi admodum ſunt illi ex romanenſibus, qui hic ignem purgatorii ſe inueniſſe exiſtimant. Rectius intelliguntur ignes, ſeu per fulgura ex caelo emiſſi, ſeu ex terra ſulphurea & bituminoſa excitati prope paradiſum, quibus adeo protoplaſti a regreſſu in paradiſum arcebantur. Ita iam olim ſenſit LACTANTIVS: *Tum Deus ſententia in peccatores lata eiecit hominem de paradiſo; vt victum ſibi labore conquirerent, ipſumque paradiſum igne circumuallauit, ne homo poſſet accedere;* de *origin. error. cap. XIII.* Coniungitur autem *flamma gladii ſe vibrantis* cum *angelo*, vt indicetur, Deum angelorum miniſterio, ad flammam hancce excitandam, vſum eſſe. Eſtque adhuc notandum, quod dicitur: וישכן *& commorari fecit Cherubim*, vt indicetur, non ad momentum ſaltem, ſed ad diuturnum temporis ſpatium angelos ibidem a Deo collocatos. Quod vtique collocationis finis requirebat. Quamdiu autem hoc durauerit, num ad mortem Adami vsque, vt nonnulli putant, an ad diluuium vsque, quae aliorum eſt ſententia, incertum eſt. Poſterius ſi adſumas, paradiſum per aquas diluuii penitus deſtructum, inde ſequetur. Quodſi prius placeat, nec tamen diu angelorum illam cuſtodiam duraſſe, probabile ſit, alia ratione, ante diluuium paradiſum deſtructum, vt dicamus, neceſſe eſt. Potuitque flammae iſtius ab angelis excitatae duplex effectus eſſe, tum, vt per eam homines a regreſſu in paradiſum arcerentur, tum vt ipſe paradiſus per eam ſenſim conſumeretur. Cuius rei documentum in eo quoque nonnulli quaerunt, quod in Babylonia integros tractus naphta, igne & ſulphure flagrantes, repertos, CVRTIVS, STRABO, PLVTARCHVS, aliique teſtentur. Conf. FRIDERICVS SPANHEMIVS, in *hiſtor. eccleſ. vet. teſtam. p. 247.* add. IOAN. MARCKIVS, in *hiſtoria paradiſi, lib. III. cap. XV. p. 743. ſeqq.*

§. XXIX.

Haec, quae de protoplaſtis, eorumque lapſu, immo ipſa rerum omnium origine, diximus, licet ex ſcriptura ſacra tantum nobis innoteſcant; nullum tamen dubium, quin eorum memoria quam diutiſſime etiam primo inter Adami, deinde & inter Noachi poſteros, fuerit conſeruata. Vnde neutiquam illorum improbanda ſententia, qui eorum quaedam veſtigia in ſcriptis gentilium obſeruant, * etſi hic quoque caute incedendum ſit, ne certa temere & explorata credamus, quae incerta ſunt, valdeque dubia.

* Mu-

* Multa paſſim ex ethnicis ſcriptoribus congeri ſolent, vt, de rerum omnium, hominumque, origine eadem, quae Moſes, docuiſſe, euincatur. Nos praecipua, quae ſpeciminis loco ſint, indicabimus. De prima rerum origine ita diſſerit ex antiquiſſimis Phoenicum monumentis SANCHONIATHO (de quo ſuo loco ex inſtituto) a PHILONE BIBLIO in linguam graecam translatus, apud EVSEBIVM, *lib. I. praeparat. euangel. cap. X.* vt, ſua eum a Moſe accepiſſe, haud obſcure inde colligere liceat. Namque & chaos, ſeu caelum & terram ornatu ſuo adhuc deſtitutam, & ſpiritum aquis incubantem, commemorat. Conueniunt & quae hac de re habebant Indi; quorum ex MEGASTHENE ſententiam exprimit STRABO, *geograph. lib. XV. p. m. 1040.* itemque Aegyptii, apud DIOGENEM LAERTIVM, in *prooem.* & DIODORVM Siculum, *bibliothec. hiſtor. lib. I. p. 7.* conf. & MACROBIVS, *Saturnal. lib. VII. cap. XVI.* A Phoeniciis cum ſua acceperint Graeci; mirum non eſt, & apud eos, ſpeciatim HESIODVM, in *theogonia*, alioſque, Moſaicae doctrinae veſtigia inueniri. Oui itaque nomine chaos ſignificatum, viri docti cenſent. Hinc, quo pacto animantia condita ſint, & poſtea homo ad diuinam imaginem efformatus, cui in animantia cetera dominium datum, paſſim memorant: quae ex Latinis, qui a Graecis ſua acceperunt, ſummatim complectitur OVIDIVS, *metamorphoſ. lib. I.* Antiquiſſimum rerum eſſe Deum, quippe non genitum, pulcherrimum mundum, quippe Dei opus, tenebras luce priores, docuit THALES, ex Phoenicia, vt nonnulli tradunt, oriundus; quorum poſtremum, obſeruante HVGONE GROTIO, etiam apud ORPHICOS & HESIODVM eſt, atque inde antiqui moris retinentiſſimae gentes tempora per noctes numerabant. Loca veterum non adfero; cum id iam fecerit HVGO GROTIVS, de *veritate chriſtian. religion. lib. I. §. XVI. p. 37.* Quod Moſes dixit, Deum formaſſe hominem de limo terrae, id HESIODVM quoque prodidiſſe, autumant, in *operibus & diebus* dicentem, formaſſe Deum homines γαῖαν ὕδει φύροντα *terram aquae macerantem.* Quorſum & illud CALLIMACHI: πηλὸς ὁ προμήθειος, *lutum Prometheum,* referunt. Animam hominis diuinae eſſentiae particulam, ſeu, vt HORATIVS loquitur, *diuinae particulam aurae,* vel iuxta VIRGILIVM, *aethereum ſenſum*, ſimilique ratione vocare, ſollemne admodum eſt apud ſcriptores ethnicos, maxime poëtas. Hoc vero itidem a Moſe profluxiſſe contendunt, qui animam vitarum a Deo ipſo in nares hominis primi inſpiratam, memoriae prodidit. Hiſtoriam de mulieris ex coſta Adami formatione a PLATONE interpolatam putant, cum primum hominem androgynum commentus eſt, quem bifariam Iuppiter ſecreuit. Vid. EVSEBIVS, *lib. XII. praeparat. euangel. cap. XII.* Paradiſum referre videtur hortus Alcinoi, ab HOMERO confictus, & fons, qui *toto diffunditur horto*, vt oſtendit IVSTINVS mar-

Digitized by Google

martyr, *cohortatione ad Graecos, p. m. 106.* ex edit. H. HVTCHINI; itemque Iouis ille hortus a PLATONE in conuiuio deſcriptus; de quo EVSEBIVS, *l. c. lib. XII. cap. XI.* Innocentiae ſtatum adumbrat *aureum ſaeculum*, HESIODO, OVIDIO, aliisque memoratum; de quo & PLATONIS locum refert EVSEBIVS, *lib. XII. cap. XIII.* Pandorae fabula, Euae, virum ſeducentis, vnde omnis mali inter homines origo, lapſum tegi, iam obſeruatum ORIGENI, *lib. IV. contra Celſum*, & CYRILLO Alexandrino, *lib. III. contra Iulianum.* Sed mitto reliqua, quae paſſim a viris eruditis hac de re iam adlata ſunt, ſpeciatim ab HVGONE GROTIO *l. c.* PETRO DANIELE HVETIO, *demonſtrat. euangel. part. I. prop. IV. cap. III. p. 20. ſeqq.* alibique, NATALI ALEXANDRO, *hiſtor. eccleſ. tom. I. aetate mundi I. artic. III. p. 12. ſeqq.* Caute tamen, ne quid diffitear, & circumſpecte hac in re verſandum, ne profanorum hominum nos exponamus ludibrio. Etſi enim haec, quae adlata ſunt, & reliqua, quae adferri forte adhuc poſſunt, aut ſolent, in quibusdam cum narratione Moſaica conuenire videantur; in multis tamen ab illa, tum & a ſe inuicem, diſcrepant. Fabularum praeterea incerta eſt interpretatio; vti & de ipſa illarum origine, praeter coniecturas, nihil adferri poteſt. Saepius etiam contingit, vt quaedam ab ethnicis dicta, ſi externam ſpeciem ſpectes, magnam conuenientiam cum iis, quae in ſcriptura ſacra commemorantur, habere videantur, at adcuratius conſiderata, ab ea quam maxime diſcrepent. Hoc vel vnico declarare liceat exemplo. Cum ſcriptura ſacra dicat, verbo Dei facta eſſe omnia, HVGO quidem GROTIVS, vt demonſtret, idem tradidiſſe ethnicos, *verbo Dei*, inquit, *facta omnia, etiam Epicharmo & Platonicis proditur, & ante eos ſcriptori antiquiſſimo, non illorum hymnorum, quos nos ſub eo nomine habemus, ſed eorum carminum, quae vetuſtas Orphica adpellauit, non quod Orphei eſſent, ſed quod ab eo tradita continerent;* de *veritate chriſtianae religionis, lib. I. cap. XVI. p. 35. 36.* Verum, ſi paullo adcuratius & EPICHARMI & Platonicorum mentem conſideremus, eos per λόγον *rationem* intelligere videbimus; cum ſcriptura contra λόγον ὑποςατικὸν innuat, cum per τὸν λόγον conditum mundum adſerit. Nec aliter capienda ſunt verba AMELII, Platonici philoſophi, apud EVSEBIVM, *praeparat. euangel. lib. XII. cap. XIX.* & aliis paſſim laudata, licet ſuum is cum Ioanne euangeliſta conſenſum iactitet. Patet hoc etiam ex verbis TERTVLLIANI, *apologet. p. m. 21. apud veſtros quoque ſapientes* λόγον, *id eſt, ſermonem atque rationem, conſtat, artificem videri vniuerſitatis. Hanc enim Zeno determinat factitatorem, qui cuncta diſpoſitione formauerit.* Sed mitto reliqua, quae hic moneri poſſent, & forte non abs re forent.

§. XXX.

§. XXX.

In propagatione eccleſiae mox ſe diſcrimen inter regnum lucis & regnum tenebrarum, ſeu ſemen mulieris atque ſemen ſerpentis, oſtendit. Patuit hoc in filiis Adami, Abele atque Caino.* Hiſce quod Adamus eamdem viam perueniendi ad ſalutem, quam a Deo acceperat, tradiderit, nullum prorſus eſt dubium. Sed non vna eademque vterque ratione diuinae voluntati morem geſſit. Id quod euentus ſacrificiorum, quae obtulerunt, declarauit luculenter. Modum vero per ſacrificia Deum colendi, ſuamque erga venturum Meſſiam fidem declarandi, neutiquam ex ratione habuerunt, cui ritus per ſacrificia placandi Numen prorſus probari nequit, ſed ex diuina inſtitutione,** ad memoriam promiſſionis, de mittendo Meſſia, inter homines conſeruandam, comparata.

* Abel & Cain duas myſticas fecere ciuitates, ciuitatem Dei & ciuitatem diaboli. Abele occiſo, ciuitatis Dei princeps fuit Sethus. Vtraque ciuitas in Cainitis & Sethitis continuata & propagata eſt. Illi ſecundum hominem, hi ſecundum Deum viuebant. Patebit hoc vlterius ex dicendis. Interim conf. AVGVSTINVS, *lib. XV. de ciuit. Dei, cap. I.* Ceterum vt Abeli a vanitate nomen inditum, animo Euae forte praecocem & praematurum, eumque violentum, filii huius obitum praeſagiente; (qui enim vocem hanc per πένθος, *luctum*, interpretantur, lectionem codicis ebraei inſuper habent,) ita Caino a *poſſeſſione* nomen datum, quod Eua exiſtimaret, ſe virum dominum, hoc eſt, Meſſiam iam poſſidere, aut potius, quod hac occaſione ſuam in Meſſiam fidem profiteri voluerit, iuxta ea, quae iam ſupra ad *§. XXV.* obſeruauimus.

** Non deſunt equidem, qui exiſtimant, conſcientiam ipſam atque rationem primis parentibus dictitaſſe, Deum ſacrificiis colendum eſſe. Ebraeos in hac verſari ſententia, mirum non eſt; cum a Meſſia ſacrificium propitiatorium, pro peccatis hominum offerendum, quod per ſacrificia veteris teſtamenti adumbratum fuit, ſibi perſuadere nequeant. Defenditur itaque ea a LEVI BEN GERSON, in *Geneſ. IV. 3.* & ISAACO ABARBANELE, *comment. in legem, fol. 228. col. 2.* Ex patribus quoque eccleſiae incaute eidem ſubſcribunt IVSTINVS martyr, atque CHRYSOSTOMVS, ille *quaeſt. LXXXIII.* hic *orat. XII. de ſtatuis.* Auide eamdem arripuerunt romanenſes, vt neceſſitatem quouis tempore per ſacrificia colendi Deum inde euincerent; ingens hac ratione praeſidium ſe dogmati ſuo de ſacrificio miſſae adlaturos, exiſtimantes. Propugnatur itaque a PAVLO BVRGENSI, ROBERTO BELLARMINO, GREGORIO DE VALENTIA, aliiſque. Sed nec Socinianis diſplicuit, illiſque, qui in quibuſdam a doctrina Socinianorum

rum ſe haud alienos eſſe oſtendunt, idque eam ob cauſſam, ne concedere cogantur, ſacrificia veteris teſtamenti exhibuiſſe typum ſacrificii propitiatorii a Chriſto oblati, adeoque Chriſtum veniſſe, vt peccata mortalium ſuo ſanguine expiaret, & pro iis ſatisfaceret. Conf. SIMON EPISCOPIVS, *lib. I. inſtit. theol. de theol. natur. cap. II.* HVGO GROTIVS, ad *Geneſ. IV. 3.* PETRVS CHAVVINVS, de *relig. nat. part. II. cap. IV.* Alibi tamen HVGO GROTIVS ſuam hac re ita explicat mentem, vt nec rationis dictamine, nec diuina inſtitutione niti ſacrificia exiſtimet, ſed hominum ingenio ea eſſe excogitata, deinde adprobata a Deo; de *veritate chriſt. relig. lib. V. §. VIII. p. 227.* Verum rectius alii a diuina inſtitutione ſacrificiorum originem deriuant; quod & ex veteribus iam fecit EVSEBIVS, *demonſtrat. euangel. lib. I. cap. X.* Etenim quo pacto ex rationis dictamine ſacrificiorum religio fluat, nullatenus liquet. Docet vtique ratio, ſummo honoris cultu Deum proſequendum eſſe; docet, ea omnia facienda eſſe, quae ei grata eſſe intellexerimus. Sed num inde ſequitur, offerenda illi eſſe ſacrificia? Exiſtimauerim, hoc ne ſomniando quidem alicui in mentem venire potuiſſe. Intelligunt rurſus mortales, cum peccatis ſanctiſſimum Numen offendunt, eorum quaerendam eſſe expiationem. Sed quae ratio docet hoc mactatis combuſtisque fieri poſſe pecudibus? Immo in ipſa illa mactandi ſacrificandique pecora ratione, aliquid eſt, a quo natura humana abhorret, quod & gentilium ſapientiſſimi agnouere; vnde credibile non eſt, duce ratione primos homines in eas deuenire cogitationes potuiſſe, ſacrificia Deo grata eſſe. Iam ſi porro cogitemus, quod ſcriptura aperte doceat, a Chriſto ſeruatore ſacrificium propitiatorium pro hominum peccatis oblatum, cuius typi ſacrificia veteris teſtamenti fuerint, nullus amplius hac de re ſupereſt dubitandi locus. Quae enim de Chriſto, eiusque redemtione, ſcriptura tradit, rationi nota non ſunt. Solent nonnulli huc etiam aduocare verba Pauli; *per fidem Abel praeſtantius ſacrificium obtulit, quam Cain, Ebr. XI. 4.* Inde nimirum colligunt, ſacrificia ex mandato diuino fluxiſſe, cum fides verbum Dei ſupponat. Verum hoc ſi ita haberet, Caini ſacrificium, quippe quod itidem mandato diuino nitebatur, non minus Deo gratum fuiſſet, quam Abelis. Ad animi itaque potius diſpoſitionem, quam mandatum diuinum, hic reſpicit apoſtolus. Idque recte quoque obſeruauit PETRVS IVRIAEVS, qui & noſtram de ſacrificiorum origine ſententiam pluribus confirmat, dans *l' hiſtoire critique des dogmes & des cultes bons & mauvais &c. part. I. cap. XII. p. 81. ſeqq.* Quod vero idem vir doctus in verbis Dei ad Noachum: *ne comedatis carnem cum anima eius, quae eſt ſanguis eius, Geneſ. IX. 4.* repetitam ſacrificiorum inſtitutionem ſibi inueniſſe viſus eſt, & hinc porro contendit, omnem ſanguinis animalium effuſionem pro ſacrificio habendam, in eo paucos forte ſibi ſuffragantes habe-

Digitized by Google

habebit. Fateor, quae hac de re diſputat, ſubtiliora mihi videntur, quam ſolidiora. Ceterum media illa HVGONIS GROTII ſententia, quam antea indicauimus ſacrificia hominum ingenio excogitata, a Deo deinceps adprobata eſſe, itidem nullatenus admitti poteſt. Ecquid enim permouiſſet primos homines ad eiusmodi quid excogitandum? Num vero credibile, eiusmodi ἐθελοθρησκείαν ſe probaturam Deo fuiſſe? Sed plura hac de re dabunt SAMVEL RHETORFORTIS, in *examine Arminianiſmi*, *p. 502.* ANDREAS RIVETVS, *exercitat. XLII. in Geneſ.* IOAN. CLOPPENBVRGIVS, in *ſchola ſacrificiorum patriarchalium*, *p. 126.* aliique, a me iam laudati in *diſſertat. de pietate philoſophica*, *ſeu religione naturali*, quae exſtat in *ſelectis iuris naturae & gent. §. XL. p. 231.* vbi & ex inſtituto contra PETRVM CHAVVINVM diſputo. Add. SAL. DEYLINGIVS, *obſeruation. ſacrar. part. II. obſeruat. IV. p. 40. ſeqq.* vbi plura hac de re. De variis autem ſacrificiorum ſpeciebus ante legem a Moſe latam, modoque eo tempore ſacrificandi, praeter alios legi meretur, quem iam laudaui, PETRVS IVRIAEVS, dans *l' hiſtoire critique des dogmes &c. part. I. cap. XIII. & XIV.*

§. XXXI.

Nimirum, cum vitae inſtitutum diuerſum ſequerentur, paſtoremque ageret Abel, Cainus autem agricolam; * ille quidem ex primitiis gregis, hic autem ex primitiis agri, ſacrificium Deo obtulit.** Sed quod diuerſa vterque id faceret mente, acceptum quidem illius fuit ſacrificium domino, hoc minime gratum.*** Id quod cum animaduerteret Cainus; impotentis animi adfectu abreptus, non in iram modo ac inuidiam erga fratrem ſe dedit, diuina inſuper habita correptione,* ſed oblata occaſione** violentas demum illi intulit manus, primumque homicidii inter mortales exemplum ſtatuit.***

* Vtrumque vitae genus innocens eſt, in quo, ſi recte ſe gerant, homines Deo placere poſſunt. Plerique tamen patriarchae praetulerunt vitam paſtoritiam; quae & inſtituto illorum, qui ἐν σκηναῖς habitantes *ciuitatem quaerebant*, *habentem fundamenta*, *& cuius artifex Deus eſſet*, *quiue hoc ipſo profitebantur*, *ſe peregrinos & aduenas in hac terra eſſe*, optime conueniebat; conf. *Ebr. XI. 9. 10. 13. 14.*

** De tempore primum ſacrificii, tum de re ipſa, diſputari ſolet. Tempus Moſes deſignat his verbis: מקץ ימים, quod nonnulli vertunt, *poſt dies plurimos*, quemadmodum & Graeci: μεθ' ἡμέρας. Nec abludit verſio germanica B. LVTHERI. Chaldaeus autem reddit. מסוף יומין *in fine dierum;* ſuntque plurimi, qui, certum ac determinatum tempus indicari, putant, ſed vt iterum in diuerſas abeant partes. Nonnulli de ſabbatho periodico

explicant, quaſi in fine dierum idem ſit, ac die ſabbathi, putantque, haud leue hic eius ſe praeſidium ſententiae inueniſſe, quae ſabbathum a patriarchis obſeruatum ſtatuit. At in tota Moſis narratione nihil adparet, ex quo colligi queat, de ſabbatho hic ſermonem eſſe. Rectius itaque forte alii per *finem dierum*, finem meſſis, qui etiam erat finis anni, intelligunt. Huic enim tempori oblatio de fructu terrae quam maxime conuenit. Ad rem ipſam quod attinet, de Caino dicitur, quod oblationem *e fructu terrae* Deo obtulerit. Sunt equidem varii fructus terrae, ſed quin ſegetes intelligantur, nullum videtur eſſe dubium; cum & ratio oblationum, in gente ebraea deinceps vſitatarum, hoc ſatis ſuadeat. Sineque omni neceſſitate HVGO GROTIVS fingit, oblationem Caini fuiſſe *ſagmen*, cuius vſus antiquiſſimus apud varias gentes in ſacrificiis; quaſi ex gentilium potius, quam Ebraeorum moribus cenſenda eſſent, quae Moſes de hominibus antiquiſſimis refert. De Abelis autem ſacrificio dicitur: *obtulit & ipſe Abel e primogenitis, atque adipe pecudum ſuarum.* Quae verba cum plana ſatis ſint; mirum, viros doctos tot ſibi ipſis hic ſtruxiſſe ambages. Quod enim de primogenitis dicitur, id HVGO GROTIVS, lanam ouium eximiae magnitudinis ac formae fuiſſe, contendit, per vocem חלב autem *lac* intelligit. Quoad poſterius ſecum conſentientem etiam habet IOAN. CLERICVM ad *h. l.* qui ſenſum verborum Moſis ita exprimit, vt dicat, Abelem *primogenitarum lacte pecudum* rem diuinam feciſſe. Caput cauſſae eſt, quod concedere nolint, pecudum mactatione, effuſioneque ſanguinis; ſacrificium Abelis fuiſſe peractum. Falluntur autem, mea opinione, viri doctiſſimi. Namque nullo vmquam exemplo comprobare poterunt, cum de ſacrificiis ſermo eſt, vocem חלב *lac* potius ſignificare, quam adipem. Praeterea talia ſacrificia, *lactis*, & quod GROTIVS addit, *lanae*, in populo Dei numquam fuere vſitata. Immo Paulus ſacrificium Abelis vocat θυσίαν; quae vox, vt omnibus notum, tale ſacrificium denotat, quod pecudis mactatione peragitur. Diſtincte etiam Moſes בכורות & חלב memorat; vnde IO. CLERICI paraphraſis concidit. Praecipuum, quod noſtrae ſententiae opponi poteſt, argumentum hoc eſt, quod ante diluuium κρεωφαγία fuerit ignota; vnde ſequatur, nec pecudes in vſum ſacrificiorum mactatas; cum nihil Deo ſacrari ſoleat, niſi quod in vſu ſit hominum. Ponamus vero tantisper κρεωφαγίαν ante diluuium fuiſſe incognitam; (erit enim ea de re in ſequentibus ad *ſect. II. §. IV.* dicendi locus) non tamen id inde ſequetur, quod volunt viri docti. Num enim ideo in honorem Dei ipſius mandato mactare pecudes non licebat, quia homines iis non veſcerentur? Sed nihil, inquis, Deo ſacrari ſolebat, niſi quod in vſu eſſet hominum. At erant oues vtique & aliae pecudes, quae offerebantur, in vſu hominum, etſi iis non veſcerentur. Lanam enim & lac ex

iis

iis percipiebant. Vnde nec illud obſtat, quod 10. CLERICVS addit: *cum initio illo tenues eſſent greges boum, ouium, caprarum, vix credibile eſſe, beneficum Numen eos in honorem ſuum, hominumque detrimentum voluiſſe minui.* Quodſi enim ponamus, pecudes tantum in vſum ſacrificiorum fuiſſe mactatas, idque non adeo frequenter factum; greges boum ouiumque non adeo minui poterant, vt ſingulare inde in homines detrimentum redundaſſet.

*** Non eſt, vt prolixe hic disquiramus, cur gratum Deo fuerit ſacrificium Abelis, Caini autem ingratum. Diſerte enim hoc explicat Paulus: *per fidem praeſtantius ſacrificium obtulit Abel, quam Cain, Ebr. XI. 4.* Procul itaque faceſſant commenta Iudaeorum, cauſſam diuerſitatis in eo quaerentium, quod Cain Minchah obtulerit, Abel autem holocauſtum. Nec melioris notae ſunt, quae alii adferunt, Cainum ſcilicet ſpicas exiles parca & auara manu obtuliſſe, & quae reliqua ſunt e iusdem generis. Quaeri vero etiam ſolet, quo indicio conſtiterit, acceptum Deo fuiſſe Abelis ſacrificium, Caini non item? Generatim equidem apoſtolus, de Abele loquens, dicit, Deum *ἐπὶ τοῖς δώροις ſuper donis* eius, teſtatum eſſe, *Ebr. XI. 4.* Quo vero hoc factum ſit ſigno, non explicat. Admodum tamen eſt veroſimile, factum id per *ἐμπυρισμὸν* ſeu ignem *οὐρανοπετῆ*; cum ſubinde ſequentibus temporibus Deus hac ratione grata ſibi eſſe ſacrificia, quae offerebantur, teſtatus ſit. Conf. *Leuit. IX. 24. Iud. VI. 21. I. Reg. XVIII. 38. II. Paralip. VII. 1.* Id iam recte ABENESRA ex Ebraeis ad *h. l.* docuit; quem & alii ſequuntur. Immo THEODOTION verba Moſis iam eum in modum transtulit: *καὶ ἐνεπύρισεν, & inflammauit Dominus ſuper Abel, & ſuper ſacrificium eius, ſuper Cain vero & ſacrificium eius non inflammauit.*

* Diuinam hancce correptionem hisce verbis exprimit Moſes: הלא אם תיטיב שאת ואם לא תיטיב לפתח חטאת רבץ ואליך תשוקתו ואתה תמשל־בו. Quae verba diuerſimode explicari ſolent. Nonnullos ad ius primogeniturae ea referre, iam ſupra ad §. XXVI. obſeruauimus. Suffragatur huic ſententiae IOAN. CLERICVS, qui ita illa παραφράζει: *modo enim virtutem, vt par erat, coleret,* (Cainus) *fratri cum primogeniti iure praelatum iri, ſin vero in fratrem quidquam minus humanum deſignaret, paratas eſſe, quas lueret, poenas; ergo ſi vellet primogeniti dignitatem tueri, quieſceret.* Omnia nimirum innituntur interpretationi vocis שאת, quam per *dignitatem* vertit. Sed quod ea hic ita vertenda ſit, nondum euictum eſt. Vulgaris interpres habet: *annon, ſi bene egeris, recipies.* HVGO autem GROTIVS obſeruat, vocem שאת non minus *erectionem*, quam *acceptionem*, ſignificare. Quod ſi admittatur, vti admitti vtique poteſt. ſenſus erit: ſi bene feceris, erit שאת *leuare*, vel *leuatio*

uatio faciei, h. e. eleuare faciem poteris, hilarem bonamque habes conſcientiam, neque opus erit, vt facies tua concidat; quod ſi male egeris, *ad ianuam iacet peccatum*, hoc eſt, ipſa ſtatim te redarguet conſcientia, te peccaſſe; vt enim per peccatum hic poenam peccati intelligamus, nulla nos cogit neceſſitas. Recte itaque etiam ſibi conſtant, quae ſequuntur: *& ad te adpetitus eius, & tu dominaberis ei*, hoc eſt, tui erit officii, tuaeque poteſtatis, cupiditatibus tuis imponere frenum, ne in peccata erumpant, quibus conſcientia laedatur. Namque cur ad fratrem Abelem haec verba referenda ſint, nullam ego rationem video; quippe cuius nulla hic mentio. Falſaque, qui hoc faciunt, nituntur hypotheſi, ac ſi de iure primogeniturae hic ſermo ſit, quod probare nequeunt. Sed plura addere non fert noſtri inſtituti ratio. Conf. ABRAHAMVS CALOVIVS ad *h. l.*

** Cum ſcilicet eſſent in agro; ſolitudine ad tantum ſcelus patrandum ſuppeditante occaſionem. Verba Moſis, quae praecedunt: ויאמר קין אל־הבל אחיו interpretibus iterum multum negotii faceſſunt. Si enim vertantur: *& dixit Cain ad Abel fratrem ſuum*, videtur aliquid in textu deeſſe; cum id, quod dixerit, non ſequatur. In quam eo magis nonnulli ingrediuntur ſententiam, quod LXX interpretes hoc, quod deeſſe videtur, ſuppleant: *καὶ εἶπε Καὶν πρὸς Ἄβελ ἀδελφὸν αὐτοῦ, διέλθωμεν εἰς τὸ πεδίον.* Quod ſupplementum itidem vulgatus interpres & codex Samaritanus, & IONATHAN Pſeudo-Vzielides, & alii exhibent. Targum vero Hieroſolymitanum prolixe refert colloquium aliquod inter Cainum & Abelem inſtitutum, cuius ſumma eſt, quod Cain iudicium extremum, ſaeculumque futurum, praemia item bonorum, & malorum poenas, negauerit, & benignitate Numinis conditum mundum, reſque mortalium eadem regi, inficiatus fuerit; quae omnia contra adſirmauerit Abel. Sed iſta quidem vt commentitia reiiciuntur a plerisque. Interim ex verſionibus antea memoratis, aliisque rationibus, colligunt viri quidam docti, in textu ebraeo aliquid deeſſe. Vrgent etiam cumprimis, quod Maſorethae ipſi, nota ad marginem poſita, deeſſe quidpiam, fateantur: כ״ח פסו׳ פסקי׳ במצע׳ פסוק quod ita vertunt: *viginti octo verſus mutili ſunt in medio verſus.* Nec tamen deſunt iis, qui ſecus ſentiunt, quae pro ſua ſententia adferant. Vocem namque ויאמר verti poſſe: *& loquutus eſt Cain, cum Abele fratre ſuo*, vt ſenſus ſit, quod familiariter cum eo loquutus ſit, diſſimulato odio, aut, ſi placeat, vocem illam vertere per *dixit*, intelligi hoc poſſe de verbis proxime antecedentibus, quae Cain ad Abelem dixerit, vnde contentionis forte in caedem erupturae tunc inter eos orta eſt occaſio. LXX interpretum, aliarumque verſionum deriuationes a textu, non ſtatim tanti ſunt, vt inde textum ipſum cor-

Digitized by Google

corruptum eſſe, concludendum ſit. Praeſertim cum vniuerſalis omnium codicum ebraeorum in iſto ſupplemento omittendo ſit conſenſus. Ad notam autem iſtam Maſorethicam quod attinet, eam IO. BVXTORFIVS, in *claue Maſorae*, *cap. II.* ita reddendam eſſe docet: *viginti octo verſus ſunt, qui deſinunt in medio verſus, vel accentu Athnach.* Atque haec cum ita ſe habeant; nulla nos cogit neceſſitas, vt, textum ebraeum hic corruptum eſſe, adſeramus.

*** Quo anno mundi hocce fratricidium contigerit, admodum inter ſe diſſentiunt viri eruditi. Recepta apud pleroſque eſt ſententia, contigiſſe hoc anno mundi CXXX. Id certum, multiplicatum iam quodammodo fuiſſe hominum genus; cum ceteroquin Cain nullam habuiſſet cauſſam, metuendi, vt ab aliis iterum interimeretur. Prolixe, variis in medium adlatis ſententiis, hac de re diſputat PETRVS BAELIVS, in *dictionario hiſtorico-crit. p. 16.* vbi & de cauſſa, itemque modo & inſtrumento, quo homicidium Cain perpetrauerit, varia lectu digna in medium adfert.

§. XXXII.

Reprehenſus ob admiſſum ſcelus a Deo Cainus, cum diſſimulare illud fruſtra conatus fuiſſet, tandem culpam agnouit, ſeque iterum mortis reum eſſe faſſus eſt, ſimulque de gratia diuina deſperans, * de vita ſaltem conſeruanda ſollicitus fuit, cuius etiam promiſſionem a Deo obtinuit, qui certo ſigno, ne ab aliis iterum occideretur, illi cauit. Hinc ad ſaeculi huius negotia deuolutus, cum ex vxore filium, cui Hanoch nomen, ſuſcepiſſet, vrbem, ab eo Hanochiam adpellatam, condidit. **

* Docent id verba Caini: *maior eſt iniquitas mea*, מנשוא *prae tollendo, Gen. IV. 13.* Quae verba etſi a nonnullis de poena peccati capiantur, ac ſi ſenſus eſſet, *maior eſt peccati mei poena, quam vt eam ſufferre valeam;* nulla tamen nos ratio cogit, cur a propria & genuina vocis עון ſignificatione diſcedere debeamus. Sed & vox נשא non minus *remittere*, quam *ferre*, ſignificat. De venia itaque peccati impetranda, cum ſua culpa deſperaret impius Cain, de eo ſaltem ſollicitus erat, vt poenam temporalem effugeret, quod ſequentia docent. Simul inde, poenitentiam Caini hypocriticam fuiſſe, conſtat. Deus vero non tantum hac de re ſecurum eſſe illum iuſſit, poena grauiſſima in illos ſtatuta, qui deſtinato conſilio illum occiſuri eſſent, ſed ne quis per errorem illud faceret, certum ei ſignum addidit, quo ab aliis, aut feris etiam beſtiis, inter virgulta forte latitans, dignoſci poſſet. Quale hoc ſignum fuerit, non conſtat. Ebraeorum doctores hic valde lepidi ſunt. Sed illorum

rum commenta referre piget. IO. CLERICVS peculiari veſtis genere eum tectum putat; ad *h. l.* Aliorum ſententias diligenter collectas refert PETRVS BAELIVS, in *dictionar. hiſtorico-crit.* voc. *Cain*, *lit. B. p. 757.* itemque AVG. PFEIFFERVS, *dub. vex. cent. I. loc. XI. p. 45.* qui ipſe in eam ingreditur ſententiam, fuiſſe illud miraculum euidens, coram Caino editum, quo de immunitate ſua a morte violenta certus redderetur. Sed cum hac de re iam ex promiſſione diuina certus eſſe potuerit; rectius capitur de ſigno, quo diſcerni ab aliis poſſet, ne quis ex improuiſo, aut per errorem, illum interficeret. Ceterum, an tanta iam eo tempore hominum fuerit multitudo, vt iure Cain ſe ab alio iterum interfectum iri metuere potuerit, & hinc Praeadamitarum adſertores argumentum pro ſua ſententia capere queant, prolixe, ſed more ſuo, vt dubia multiplicet, diſquirit PETRVS BAELIVS, *l. c. lit. A. p. 716.*

** Dictum hac de re ſupra ad §. XXVI.

§. XXXIII.

Poſteri Caini patris preſſere veſtigia. Rebus huius ſaeculi dediti, de colendo rite Numine parum fuere ſolliciti. Statim itaque horum exemplo patuit, quam diuinorum beneficiorum immemores ſint mortales, quam proni ad ea omnia agenda, quae ad huius vitae felicitatem iucunditatemque pertinent, * plane ac ſi poſt eam nihil amplius aut ſperandum aut metuendum eſſet. Tales fuere Cainitae. ** Eos doctrinam de ſemine benedicto propagaſſe, aut quae virtutis ac ſanctitatis laudem adferrent, egiſſe, non legimus; ſed hoc ſaltem de iis commemoratur, quod artes varias, ad vitam commode hilariterque transigendam pertinentes, inuenerint.

* Patet hoc ex inuentis illorum, ſtudioſe a Moſe commemoratis, de quibus *§. ſequenti* dicemus. Docere autem hoc ipſo haud dubio Moſes voluit, artes pleraſque ab hominibus vitae huius commoda ſectantibus inuentas, ad vitia quoque mortalium alenda atque fouenda ſpectare, immo ipſos inuentores, vt cupiditatibus ſuis & aliorum ſatisfacerent, ad eas inueniendas inductos. Idem ex ethnicis obſeruauit SENECA, *epiſt. XC. p. m. 404. ſeqq.* vbi docet, luxuriae, aliisque hominum vitiis, artes pleraſque originem & incrementum ſuum debere.

** Perditos plane corruptiſſimosque Cainitarum fuiſſe mores, ex iis, quae Moſes narrat, ſatis liquet. In iis tamen ſpeciatim deſcribendis cauendum, ne ad ea deſcendamus, quae in Moſis narratione fundamentum non habent. Non omnes hoc obſeruant. Legenda, quae hac de re habet PETRVS BAELIVS, *dictionar. hiſtor. crit.* voc. *Cain*, *lit. D. p. 757.*

§. XXXIV.

§. XXXIV.

Iabal namque, Lamechi, memorabilis inter Cainitas viri, ex Ada filius, pater fuit *inhabitantium tentoria pecuariorum*,* rei oeconomicae ſtudioſus, opibusque congerendis addictus. Iubal, frater eius, pater fuit *omnium contrectantium citharam & organum*, rerum ad voluptatem ſpectantium inuentor.** Thubalcainus, Lamechi ex Zilla filius, *malleator* fuit & *faber* in cuncta opera aeris & ferri, rerum ad gloriam bellica virtute adquirendam pertinentium, inuentor, *Geneſ. IV. 20. ſeqq.****

* Non ita hoc capiendum, ac ſi primus paſtoritiae vitae inuentor fuerit, namque ipſum Cainum paſtorem fuiſſe, nouimus; ſed quod primus fuerit, qui greges ab vno loco in alium deducendo Nomadicam vitam egerit. Nec enim *pater paſtorum*, ſed *pater inhabitantium tentoria* dicitur, hoc eſt, eorum, qui ſedem fixam non habebant, ſed in tentoriis, quae commode ab vno loco in alium transferre poterant, degebant. Conf. R. SAL. IARCHI ad *h. l.* Lucem dabunt, quae de Arabiae populis refert PLINIVS, *hiſtor. natur. lib. VI. cap. XXVIII.* Hocce autem vitae inſtitutum eo ſpectabat, vt eo maiores amplioresque alere greges poſſent, adeoque in improbis alere atque fouere mirifice auaritiam poterat. Ceterum, an Iabalem apud ethnicos Pales, paſtorum Deus, referat, vnde *Palilia*, nunc in medio relinquo.

** Per *contrectantes citharam & organon*, muſicae rei peritos intelligi, conſtat inter omnes. Obſeruat ad *h. l.* IOAN. CLERICVS, originem muſicae forte omittere noluiſſe Moſen, vt oſtenderet, mentiri Aegyptios, qui eius inuentionem Thouti Aegyptio, amico Oſiridis, qui poſt diluuium vixit, acceptam ferebant. Mihi praecipuus Moſis ſcopus fuiſſe videtur, quod oſtendere voluit, Cainitas commoda huius vitae, inſuper habita religione, ita ſectatos, vt ſtudiis & artibus eo ſpectantibus ſe totos dediderint. Etſi autem innocens, immo ſalutaris muſicae vſus eſſe queat; improbos tamen ea turpiſſime ad voluptatem ſuam abuti, notum eſt. Immo in ſacris quoque Deus cantum & carmina ſine fide, ſine pietate, improbat: *Aufer a me ſtrepitum carminum, etenim modulationem nabliorum tuorum non audio*, *Amoſ. V. 23.*

*** Cum verbum לטש ſignificet *polire*, *ornare;* colligunt inde nonnulli, Thubalcainum non tam artes fabriles primum inueniſſe, quam polituram rebus fabrilibus addidiſſe. Antiquiores etiam fuiſſe artes fabriles ipſas, inde colligunt, quod ſine illis nec agrum colere, nec aedificia aut vrbes exſtruere potuerint. Probabile autem, eum ampliorem etiam metallorum in armis fabricandis vſum inueniſſe. Aegyptiis, artis tractandi metalla inuentionem ſibi tribuentibus, & hoc a Moſe oppoſi-

 tum,

Digitized by Google

tum, exiſtimat IO. CLERICVS. Sed oppido hoc eſt incertum. Ego non dubito, quin & hic Cainiticae gentis impietatem notare voluerit diuinus ſcriptor, armorum noxiorum inuentione rem bellicam promouentis, & tela ambitioni mortalium, quibus a medio tollere, quidquid obſtat, poteſt, ſuppeditantis. Fuerunt etiam, qui Thubalcainum chemicae artis peritum facerent, quod, ſi de qualicumque peritia ſoluendi aut ſegregandi metalla capiatur, concedi poteſt. Dixi hac de re in *introduct. ad hiſtor. philoſ. Ebraeor. p. 6.* Legendus etiam de his omnibus IOAN. HENRICVS HEIDEGGERVS, *hiſtor. patriarchar. part. I. exercitat. VI. §. X. ſeqq. p. 213. ſeqq.*

§. XXXV.

Sed ipſius quam maxime Lamechi exemplo conſtat, quantos in gente Cainitica progreſſus fecerit impietas. Polygamum enim fuiſſe, Moſes docet; quod incontinentiae in homine improbo documentum eſt certiſſimum. Deinde, quocumque modo verba Lamechi capiantur, cum dixit: *virum occidi ad vulnus meum, & puerum ad vibicem meum*, ſiue thraſonice gloriatus ſit, qua ratione excipere velit, qui in animum induxerit, moleſtiam ſibi faceſſere, ſiue reuera hominem occiderit,* & ſtulta animi ferocia impunitatem ſibi promiſerit, impium & contemtorem Numinis animum ſatis ſuperque arguunt.

* Priori modo verba Lamechi capiunt ABEN ESRA, VATABLVS, MERCERVS, aliique. Nec alienus ab hac ſententia eſt IO. CLERICVS, ad *h. l.* Senſus itaque erit, & leuiores & grauiores iniurias acerrime vlciscar, pro ratione eorum, a quibus mihi inferuntur. Poſteriori modo praeter Ebraeos & Arabes, apud IOAN. HENRICVM HOTTINGERVM *ſmegm. orient. p. 224.* haec verba capiunt HIERONYMVS, LYRANVS, aliique; quibus etiam ſuffragatur AVG. PFEIFFERVS, *dub. vexat. cent. I. loc. XVI. p. 48.* Supereſt tamen adhuc tertia explicatio ONKELOSI, qui interrogatiue Lamechi verba exponit, cumque interrogandi particulae ſaepe negandi vim habeant, ſenſus fuerit: *Non virum occidi, cuius cauſſa perderetur ſemen meum.* Verum, ſi hicce ſenſus ſit, non video ſat praegnantem cauſſam, cur haec verba retulerit Moſes. Immo cum haud obſcure ſcopus totius narrationis eo tendat, vt Cainitarum impietas exhibeatur; ex prioribus duabus ſententiis vnam eligendam cenſeo. Quamcumque autem elegeris, impietas pariter ac ſtultitia Lamechi manifeſta erit. Impietas autem eius inde quoque eluceſcit, quod fuerit polygamus. A prima enim matrimonii inſtitutione eum hoc ipſo diſceſſiſſe, ex ſupra dictis conſtat. Hinc & ante diluuium nemo ex ſanctis patriarchis, aut gente Sethitica, polygamus fuiſſe legitur. De patriarchis autem poſt-diluuianis quid cen-

cenſendum ſit, aliunde conſtat. Iudicia & ſententias patrum eccleſiae de polygamia Lamechi exhibet NATALIS ALEXANDER, *hiſtor. eccleſ. veter teſtam. aetat. I. diſſert. IV. p. 74. ſeqq.*

§. XXXVI.

Cum ergo tam peruerſi fuerint Cainitarum mores; fieri aliter non potuit, quam vt doctrinae caeleſtis veritatem reiicerent, atque repudiarent, & in omne ſe darent impietatis genus. An ſpeciatim quosdam circa doctrinam ſacram errores fouerint, incertum Πολυθεότητα eos atque idololatriam introduxiſſe, a quibusdam, ſed nullo certo fundamento, adſeritur.*

* Non deſunt, qui Cainitas inter haereticos veteris teſtamenti, ſpeciatim antediluuianos, referunt. Non tantum enim moribus eos fuiſſe improbis atque impuris, ſed doctrinam caeleſtem illos quoque corrupiſſe. Probari hoc poſſe putant ex loco *Iudae v. 11.* vbi in ψευδοδιδασκάλους ſui temporis inuectus apoſtolus, οὐαὶ, inquit, αὐτοῖς, ὅτι τῇ ὁδῷ τοῦ Καὶν ἐπορεύθησαν. Et licet in ſcriptura ſacra non exprimatur quaenam illorum haereſis fuerit; exiſtimant tamen, eam ad tria reuocari poſſe capita, quorum primum eſt, *abnegatio ſeminis benedicti*, vnde fidem Abelis peculiari elogio praedicet Paulus, *Ebr. XI. 4.* oppoſite ad incredulitatem & ἀπιστίαν Caini; alterum, *idololatria*, quam praecipue ex *Geneſ. IV. 26.* probare adnituntur, verba Moſis, אז הוחל לקרא בשם יהוה vertentes: *tum profanatum eſt in inuocatione nominis domini:* addunt quoque haecce Moſis verba: *omne figmentum cogitationum cordis tantum malum, Gen. VI. 5.* tertium denique, *corruptio ſacrificiorum*, quorum verum finem initio ſtatim ſuae defectionis corruperit Cainus; vnde Paulus, rationem redditurus, cur Deo Abelis ſacrificium, non autem Caini, placuerit, fide illud oblatum, pronuntiauerit. Ita quidem FRIDERICVS SPANHEMIVS, *hiſtor. eccleſ. veter. teſtam. p. 279.* De idololatria antediluuianorum conferendus etiam IOAN. SELDENVS, *prolegom.* de *diis ſyris*, *cap.* [illegible] GERARDVS IOANNES VOSSIVS, *lib. I.* de *origine & progreſſu idololatriae*, aliique. Mihi vero multo probabilior illorum videtur ſententia, qui antediluuianos homines in atheismum potius, quam ſuperſtitionem, prolapſos putant; vnde &, quid de illorum haereſi cenſendum ſit, patet. Nec obſtant huic ſententiae, quae hactenus ſunt adlata. De falſis doctoribus, quos in via Caini ambulare dicit Iudas, antea pronuntiauerat, κυριότητα ἀθετοῦσι, δόξας βλασφημοῦσι, quo ipſo proteruiam & petulantiam hominum, diuina pariter ac humana ſusque deque habentium, deſignauit. Et tales erant Cainitae antediluuiani. Semen benedictum vtique re ipſa abnegabant: & qui Deum ipſum adſpernabantur, in illis non poterat

erat eſſe fides in Meſſiam. Interim Caini ἀπιϛία in defectu fiduciae potius, quam adſenſus, conſtitiſſe videtur. Certe, quod ipſam Numinis de ſemine benedicto promiſſionem diſerte in dubium vocauerit, ex verbis apoſtoli colligi nequit. Idololatriam ante diluuium in vſu fuiſſe, negat LACTANTIVS, *lib. II. inſtitut. diuin. cap. XIV.* negat & CYRILLVS Alexandrinus, *lib. III. contra Iulianum.* Adfirmat equidem praeter alios R. MOSES MAIMONIDES, in tractatu עבודה זרה *cap. I.* qui & eo vsque progreditur, vt, imagines & templa ante diluuium in vſu fuiſſe, contendat. Sed omni fundamento haec deſtituitur ſententia, prauaque nititur interpretatione loci *Gen. IV. 25.* vt in ſequentibus ad *§. XXXVIII.* demonſtrabimus. Cum vero Moſes omne figmentum cogitationum cordis humani tantum malum eſſe dicit; non video, qua ratione ſpeciatim ad idololatriam hoc reſtringi queat; cum atheismus non minus, quam ſuperſtitio, ex prauitate cordis humani progrediatur. TERTVLLIANVS idololatriam antediluuianam ex libro Enochi probare conatur, de *idololatria, p. m. 106.* Sed quid de Enochi libro cenſendum ſit, deinceps exponetur. Vix etiam videtur credibile, res antediluuianas ad extremam iſtam corruptionem, quae πανολεθρίαν per diluuium illis attraxit, peruenire potuiſſe, niſi atheiſmus omnem ſimul honeſtatis ſenſum, quod fieri ſolet, illis excuſſiſſet. Legendus hac de re, qui noſtram ſententiam pluribus confirmat, PETRVS IVRIAEVS, *hiſt. critique des dogmes &c. part. III. cap. II. p. 403. ſeqq.* Inter haereticos veteris eccleſiae chriſtianae itidem Cainitas fuiſſe, conſtat; ſed de iis in hiſtoria eccleſiaſtica noui teſtamenti erit dicendi locus. Interim conferri poterit PETRVS BAELIVS, in *diction. hiſtorico-critico*, voc. *Cainitae.*

§. XXXVII.

Pro Abele Adamo datus fuit Sethus; in cuius poſteris regnum lucis, ſeu ciuitas Dei, continuata fuit.* Capita gentis, ſtatoresque & vindices diuinae veritatis, qui iuſto ſe inuicem exceperunt ordine, fuerunt: Enoſch, Kenan, Mahaleel, Iared, Henoch, Methuſalach, Lamech, Noach.

* Obſeruauimus ſupra ad *§. XXX.* Abelem & Cainum duas repraeſentaſſe myſticas ciuitates, quarum altera Dei, altera diaboli eſſet. Cum itaque Abel a fratre occiſus eſſet; Deus per Sethum ſuam continuari voluit ciuitatem. Hinc ſiue inſtinctu, ſiue reuelatione diuina, Eua etiam nomen Seth filio ſuo dedit, *quia*, inquit, *poſuit mihi Deus ſemen alterum, pro Habel, quem occidit Cain, Geneſ. IV. 25.* Haud obſcure nimirum ſignificat, eum in locum Abelis ſucceſſurum. Factumque inde, vt poſteri Sethi

בני

בני אלהים *filii Dei*, poſteri autem Caini בני אדם *filii hominis* vocarentur; qua de re in ſequentibus dicemus. Vt autem moribus & vitae inſtituto, nominibusque, diuerſi erant Sethitae & Cainitae; ita probabile admodum, ſedibus etiam diſtinctos fuiſſe, nec vna habitaſſe. Cumque praeter Sethum & Cainum alios quoque liberos, filios filiasque, genuerit Adam, *Gen. V. 4.* dubium non eſt, quin hi pro ingenii indolisque diuerſitate partim Sethitis, partim Cainitis adhaeſerint; vt adeo totum hominum genus in duos hosce coetus fuerit diuiſum; quemadmodum & alias probitas improbitasque duos ſemper hominum coetus facit. Non deſunt, qui inter Sethitas litterarum non minus ſtudia, quam pietatem, floruiſſe, contendunt. Memoriaeque prodidit FL. IOSEPHVS, eos plurimum deditos fuiſſe aſtrologiae, eamque ſcientiam, prout tum exculta fuit, duabus inſculpſiſſe columnis, lateritiae alteri, alteri lapideae, vt, ſi orbis terrarum ſecundum Adami praedictionem vel igne, vel aqua periret, alterutra ſaltem via vtiliſſimi iſtius inuenti memoria conſeruaretur. Exſtat IOSEPHI locus *antiquit. iudaic. lib. I. cap. III.* eumque a GERARDO IOANNE VOSSIO, *lib. I. de arte grammat. cap. IX.* emendatum, exhibet PETRVS LAMBECIVS, *prodrom. hiſt. litterar. lib. I. cap. III. p. 7.* Sed iam pridem eruditis haec IOSEPHI narratio ſuſpecta fuit. Quantumque huic auctori tribuendum ſit, iam ex ſupra dictis conſtat. Adſerit equidem, vnam ex hisce columnis, nempe lapideam, ſuo adhuc aeuo in Syria ſuperfuiſſe. Quod quo pacto tot alios ſcriptores praeterire potuerint, non capio. Viderit IOSEPHVS columnam lapideam in Syria, habuerit eam pro columna Sethi, non repugno; num vero ideo etiam columna Sethi fuit? vid. GVIL. SALDENVS, *otior. theolog. lib. I. exercit. I. ſ. X. p. 9.* MANETHONEM apud EVSEBIVM, immo EVSEBIVM ipſum columnas hasce Sethi confudiſſe cum columnis Mercurii, notat PETRVS DANIEL HVETIVS, *demonſtrat. euangel. prop. IV. cap. II. p. m. 85.* Ceterum de Setho, eiusque eruditione, & libris, multa commenta prorſus abſona circumferuntur apud orientales; quae in compendio legere licet apud CEDRENVM, in *annal. p. 6. 7.* Gnoſtici quoque Sethiani, ſeu Sethitae, & Archontici, ſub Sethi nomine ſeptem ignoti argumenti libros circumtulerunt, vt & octauum de *ſtella in ortu Meſſiae adparitura.* Filiis autem Sethi itidem ſeptem alios libros, *alienigenas* inſcriptos, tribuerunt. Hosce vero omnes ſpurios eſſe, nemo dubitat. Conf. EPIPHANIVS, *haereſi XXXIX. ſ. II.* item *haereſi XL. ſ. II. & ſ. VII.* item PETRVS LAMBECIVS *l. c.* & quae dixi in *introduct. ad hiſtor. philoſoph. Ebr. p. 7. 8.* add. IO. ANDREAE SCHMIDII *pſeudo-vetus teſtamentum, p. 16. 17.* SCIPIO SGAMBATVS, *archiuor. vet. teſt. lib. X. tit. VII. p. 112. ſeqq.* IO. ALBERT. FABRICIVS, in

cod.

cod. pſeudepigrapho vet. teſtam. vbi & multa alia, ad Caini & Sethi hiſtoriam ſpectantia, adfert, *num. XXXV. ſeqq. p. 104. ſeqq.* it. *num. XLVIII. p. 141.*

§. XXXVIII.

Ex hisce praeter Noachum, de quo deinceps, memorabiles maxime ſunt Enoſch atque Henochus. Sub illo enim reſtauratio quaedam diuini cultus, & impiorum a piis ſecretio contigit. * Hic autem fide prorſus ſingulari, quam & vitae ſanctitate ac innocentia demonſtrauit, conſpicuus, ** Deo adeo gratus fuit, vt mortalium numero, licet per mortem naturalem, quod mortale eſt, non depoſuiſſet, exemtus, in beatorum ſedes transferretur.

* Verba Moſis: אז הוחל לקרא בשם יהוה non vna ratione transferri ſolent. Ne quid enim de LXX interpretibus dicam, qui verterunt: ἔτος ἤλπισεν ἐπικαλεῖσθαι τὸ ὄνομα κυρίου τοῦ Θεοῦ; nullo plane ſenſu; fuerunt plurimi, qui vocem הוחל expoſuerunt per *profanatum eſt*, ac ſi ſenſus eſſet: *tunc profanatum eſt inuocando nomine Iehouah.* Hinc & idololatriae originem deriuare ſolent, quam ante diluuium tempore Enoſi ortam, ſtatuunt; vti iam ſupra ad §. XXXVI. obſeruauimus. Adſtipulantur huic opinioni R. SAL. IARCHI, ad *h. l.* R. MOSES MAIMONIDES, in *tract.* עבודה זרה *cap. I.* aliique, tum ex ebraeis, tum ex chriſtianis. His acceſſit etiam ANTONIVS VAN DALE, qui omni conatu id agit, vt primam idololatriae originem hinc deriuet; de *origine & progreſſu idololatriae & ſuperſtitionis, cap. II. p. 14.* Verum ſi vel maxime vox הוחל vertatur per *profanatum eſt*, non tamen origo idololatriae inde probari poteſt. Nomen enim Dei non minus, per atheismum, quam per idololatriam profanatur, & paraphraſis ONKELOSI, quam adfert DALIVS, non minus profanationi per atheiſmum, quam profanationi per idololatriam, fauet: בכן בומוהי חלו בני אנשא מלצלאה בשמא דיי *Tunc in diebus eius ſuperſederunt filii hominum ab inuocando nomen Domini;* vel *in diebus illis profani fuerunt homines, vt non precarentur in nomine Domini.* Si intermiſerunt precari in nomine Domini, num ſtatim in nomine idoli precati ſunt? aut, annon potius, omni Numinis cultu repudiato, ſe palam in omnem dederunt impietatem? Quae idem auctor contra diſſentientes adfert, nobis non obſtant, nec ſententiam, quam mox proponemus, feriunt. Nimirum in eo conſentiunt plerique, vocem הוחל vertendam per *coeptum eſt.* Verum in eo iterum a ſe inuicem diſſentiunt, quod nonnulli verba לקרא בשם יהוה accipiunt de denominatione, qua Sethitae diſcreti & ſegregati fuerint a Cainitis; quorſum & verſionem AQVILAE referunt: τότε ἤρχθη τοῦ καλεῖν ἐν ὀνόματι κυρίου; quam etiam ſententiam poſt THEODORETVM, aliosque quam

quam plurimos, calculo ſuo adprobat IO. CLERICVS ad *h. l.* Alii autem, ſollemnem quamdam cultus publici introductionem hac loquendi formula ſignificari, exiſtimant, idque eam potiſſimum ob cauſſam, quod verbum קרא בשם יהוה conſtructum cum vbique in ſcriptura ſacra cultum Numinis publicum ſignificet. Ita poſt WOLFGANGVM FRANZIVM, *ſchola ſacrificior. diſp. II. §. CXIX.* alii quam plurimi. Nobis perinde eſt, quamcumque ex duabus poſteriorib us quis eligat ſententiam, modo ratum firmumque maneat, de idololatriae origine hic ſermonem non eſſe, verbumque הוחל non per *profanatum eſt*, ſed per *coeptum eſt*, vertendum eſſe. Nec vltimae ſententiae obiici poteſt, quod iam antea publice nomen Dei in ſacrificiis inuocatum ſit. Potuit enim fieri, vt tempore Enoſi ſollemniori quadam ratione id fieret. Saltem id extra dubium poſitum, contigiſſe tum aliquid, quo cultus Numinis illuſtrior, magisque conſpicuus, redditus eſt, quocum etiam maior ab impiis ſeparatio coniuncta eſſe potuit.

** Duo de Henocho, memoratu admodum digna, Moſes memoriae prodidit: primo, quod longe aliud vitae inſtitutum ſequutus ſit, quam reliqui eo tempore ſequebantur; deinde, quod longe alia quoque ratione inter mortales eſſe deſierit, quam ceteroquin fieri ſolet. De priori dicit, יתהלך את האלהים quae verba ſiue vertas *ambulauit cum Deo*, ſiue *poſt Deum*, cum eum ceu ducem velut & anteſignanum ſequendo, ſiue *coram Deo*, res eodem redit. Semper enim vitae ſanctae & integrae ſtudium ſingulare ac indefeſſum iis exprimitur. Qui enim vitam ſanctam puramque, ea, qua decet, ratione, ſectantur, omnes cogitationes atque adfectus ad Deum dirigunt, eiusque commercio delectantur vnice, hinc *cum eo* ambulant, vt amicus cum amico, idque adeo operam nauant, ne vlla in re illi diſplliceant, iuxta illud *Amoſi, cap. III. 3. an ambularuri eſſent duo vna, niſi conuenirent?* Iidem vero etiam Deum vt ducem ſequuntur in omnibus, non rationem, non ſaeculi exempla, non prauos adfectus; ideoque ad eius ſe voluntatem in omnibus componunt, mandatis quoque eius vbique & quouis tempore pro viribus obtemperare parati. Denique & ambulant *coram Deo*, tamquam in eius conſpectu, ſummoque adeo ſtudio operam dant, ne cogitando, loquendo, agendo, aliquid admittant, quo offendatur. Quorſum & ONKELOS tendit, qui vertit, *incedere in timore Iehouae.* Cumque, qui ea ratione ambulant, non poſſint non placere Deo; LXX interpretes verterunt: εὐαρεστεῖν τῷ Θεῷ. Et hos ſequutus etiam Paulus eſt, ſed vt ſimul doceret, & Henochi exemplo comprobaret, vitae ſanctae ſtudium tum demum placere Deo, ſi ex vera fide proficiſcatur; *Ebr. XI. 5.* Atque haec cum ita ſint; patet, quam inepte ſentiant, qui verba *ambulare cum Deo* de vita ſolitaria & monaſtica explicant, omnem mo-

uentes lapidem, vt monaſtici ſtatus exemplum ac documentum in Henocho inueniant. Faciunt hoc nonnulli ex Pontificiis, ſpeciatim IACOBVS BOVLDVCIVS, notiſſimus, ob ingenii in comminiſcendo foecunditatem, ſcriptor; de *eccleſia ante legem, lib. I. cap. XIV.* Nec ſapientiores ſunt quidam Ebraeorum magiſtri, qui hominem inconſtantem, & tantum non hypocritam faciunt, ipſi hypocritae maximi, a me iam ideo notati, in *introduct. ad hiſtor. philoſ. Ebr. p. 10.11.* Iam quod ad alterum attinet, verba Moſis ſunt: ואיננו כי־לקח אותו אלהים, *& non amplius ſuperfuit, quia accepit eum Deus.* Senſus eorum apertus eſt, non amplius inter mortales fuiſſe Henochum, quia extraordinaria quadam ratione eum adſumſerit Deus. Iudaei enim, vt ABEN ESRA, SALOMON IARCHI, aliique, qui formulam, *accepit illum*, de morte immatura accipiunt, & hinc porro, vt dictum, Henochum impietatis adcuſare non dubitant, hic citra controuerſiam deſipiunt. cum enim de reliquis, qui per mortem ex viuentium in hac terra numero exemti erant, ſemper dixiſſet Moſes: וימות *& mortuus eſt*, de Henocho autem longe aliter loquatur; de eo quoque aliud quid eum dicere voluiſſe, manifeſtum eſt. Praeterea cum ambulationis cum Deo, ſeu pietatis ac ſanctitatis ſingularis, qua Henochus eminuit, ſiue effectus, ſiue conſequens commemoretur; non mors, ſed translatio quaedam, ſine morte naturali, non intelligi nequit. Nullus ceteroquin, aut ineptus ſenſus eſſet: *ſingulari ſanctitatis ſtudio conſpicuus fuit, ideo mortuus eſt.* Hinc & ex ipſis Iudaeis IONATHAN & ONKELOS Henochum mortis expertem fuiſſe volunt, quibus accedit etiam SIRACIDES, *cap. XLIV. 16.* Chriſtianos autem hac de re dubitare vetat apoſtolus: πίστει Ἑνὼχ μετετέθη τοῦ μὴ ἰδεῖν θάνατον. *Ebr. XI. 5.* Vnde mirum, fuiſſe & inter eos, qui ſe Iudaeorum commentis in transuerſum agi paſſi ſunt.

Ceterum, Henochum virum ſanctitate valde illuſtrem fuiſſe, diſcimus ex epiſtola *Iudae v. 14. 15.* Sunt tamen, qui, & diligentem eum matheſeos cultorem fuiſſe, perhibent, immo aſtrologiae inuentorem faciunt. Legenda, quae hac de re ex EVPOLEMO refert EVSEBIVS, de *praeparat. euang. lib. IX. cap. XVII. p. 419.* conf. & *lib. VII. hiſtor. eccleſ. cap. XXXII. p. 287.* Auctor quoque libri *Iuchaſin* docet, Henochum, qui Edris vocatur, coepiſſe componere libros aſtronomicos, *fol. 134.* Hinc & emboliſmi maxime curam illi tribuunt Iudaei; qua de re praeter MOS. MAIMONIDEM, aliosque, legendus IOAN. SELDENVS, de *anno ciuili & calendario veter. eccleſ. ſiue reipublicae iudaicae.* Non tantum autem aſtronomiae, ſed & grammatices peritum fuiſſe, nonnulli perhibent. Exhibet characteres alphabeti Henochaeos IO. AVGVSTINVS PANTHEVS, ſacerdos Venetus, in libro, cui titulum fecit: *Voarch-*

archdumia contra alchimiam, quiue Venetiis anno MDXXX prodiit. Hunc ſequutus & decipi ſe paſſus eſt CLAVDIVS DVRETVS, ſibi aliisque perſuaſurus, veras & genuinas haſce eſſe Henochi litteras; in *theſauro linguarum*, gallice ſcripto, *p. 127*. Ab vtroque autem diſceſſit IACOBVS BONAVENTVRA HEPBVRNVS, in magna & ſplendida octo & ſexaginta characterum tabula, quam *virgam auream* vocauit, aliud Henochi alphabetum exhibens. PANTHEI characteres, quos pro Henochicis venditauit, etiam ex eodem repetitos ſiſtit, qui & de reliquis, de quibus hactenus diximus, conferendus, THOMAS BANGIVS, in *caelo orientis, exercit. II. p. 104*. Sed nugae iſta ſunt & commenta otioſorum hominum, tempore, quod rectius collocare poterant, abutentium.

Idem fere cenſendum de libris, qui paſſim Henocho tribuuntur. Sabaeos, ſe poſſeſſores librorum Edris, ſeu Henochi, eſſe, eosque Abrahamum in ciſta Adami vidiſſe, iam ſupra, cum de Setho ageremus, obſeruauimus. Sed non minus frequens apud Ebraeos pariter ac chriſtianos ſcriptorum Henochi mentio. Diuiduntur ea a nonnullis in prophetica, hiſtorica, & aſtronomica. Nimirum quod ad prophetica attinet, cum ex Iudae apoſtoli teſtimonio conſtet, Henochum prophetaſſe; conſcriptam quoque ab eo propheticam ſibi perſuaſere plurimi, nonnulli quoque eam producere adgreſſi ſunt. Fuerunt, qui apud Habeſſenos eam deprehendiſſe ſibi viſi ſunt, teſte PETRO GASSENDO, in *vita Peireſcii, p. 395*. ſcriptum aliquod recens pro genuina Henochi prophetia habentes; vt recte obſeruat IO. HENRICVS HOTTINGERVS, in *enneade, diſp. I. p. 3. 4.* add. IOBVS LVDOLPHVS, *hiſtor. aethiop. lib. III. c. IV.* & in *commentar. in hiſt. aeth. p. 347.* Alii apud Iudaeos eam deliteſcere crediderunt; vt IO. DRVSIVS, in *Henocho, cap. XXII. p. 27.* Sed hi omnes, vti haud dubio falluntur; ita iam olim ſub nomine Henochi librum quemdam propheticum circumlatum fuiſſe, nos praeter alios dubitare non ſinit TERTVLLIANVS, qui paſſim ad eum ceu genuinum prouocat; de *idololatria, cap. IV. apolog. cap. XXII.* de *cultu fem. lib. II. cap. X.* alibique. Quod ſi IAC. BOVLDVCIO credimus, hicce Henochi liber cum aliis eius ſcriptis diligenter a Noacho in arca conſeruatus fuit; de *eccleſia ante legem, lib. I. cap. XIV.* Ad hiſtorica Enochi ſcripta ſpectat decantatum illud, quod hodie adhuc circumfertur, fragmentum, ἐκ τȣ͂ πρώτȣ βιβλίȣ Ἐνὼχ περὶ τῶν Ἐγρηγόρων, quod graece *notis* ſuis *in Graeca Euſebii* inſeruit IOSEPHVS SCALIGER, *p. 404. 405.* Graece autem & latine exhibet ATHANASIVS KIRCHERVS, *oedip. aegypt. tom. II. part. I. claſſ. II. cap. II. p. 69.* & CHRISTIANVS SCHOTANVS, in *bibliotheca hiſtoriae ſacrae vet. teſt. p. 83. ſeqq.* itemque SCIPIO SGAMBATVS, *archiu. vet. teſt. lib. I. tit. XIII. p. 129. ſeqq.* & IO. ALB. FABRICIVS, in *cod. pſeudepigrapho vet. teſt. num. LXIII. p. 179. ſeqq.* Latine tantum iuxta tranſlationem KIRCHERI, THOMAS BANGIVS, in *caelo orientis, exercit. I. p. 25. ſeqq.*

& IO. ANDREAS SCHMIDIVS, in *pſeudo-veteri teſtamento, p. 21. ſeqq.* Exhibetur autem in hocce fragmento, quod Moſes paucis de filiis Dei, formoſitate filiarum hominum captis, & eas in matrimonium ducentibus, dixerat, commentis variis, iisque prorſus illepidis exornatum, pictumque & amplificatum, vt futilitatem ſcriptoris, aliosque decipiendi ſtudium, in primis ſtatim lineis deprehendere liceat. Per *Egregoros* IAC. BOVLDVCIVS non angelos, quod tamen res ipſa docet, ſed monachos intelligit, ſenſumque huius fragmenti miſere detorquet, vt illud, quod ſibi propoſuit, in eo inueniat; non minus turpiter ſe traducens, quam cum Henochica ſcripta tantum non pro canonicis habet. Iure itaque meritoque vapulat IOAN. GEORGIO DORSCHEO, *auctar. in pentadecad. diſſert. theol. diſſ. I. p. 563.* Futilitatem iſtius fragmenti pluribus oſtendit THOMAS BANGIVS, *loc. cit. p. 30. ſeqq.* qui &, a Iudaeo quodam hoc confictum, putat; certe ſtilus ebraiſmum ſapit. Superſunt ſcripta Henochi aſtronomica; quorum cum iam ſupra mentio facta, non eſt, vt de iis quidquam addamus. Meminit eorum ORIGENES, *hom. XXVIII. in lib. numeror.* vt ſimul repudiet. Ex quo tamen id diſcimus, in veteri eccleſia ſatis celebrata fuiſſe Henochi ſcripta; quae an partes ſint vnius eiusdemque operis, an ſeorſim quodlibet opus aliquod diſtinctum ab aliis conſtituerit, incertum. Quae TERTVLLIANVS pro iſtis ſcriptis diſputat, recte exploſa ſunt a CHRISTIANO SCHOTANO, *l. c. p. 81.* THOMA BANGIO, *l. c. p. 17. ſeqq.* aliisque. Reiecerunt Henochica illa ſcripta, ceu ſpuria & commentitia, AVGVSTINVS, de *ciu. Dei, lib. XVIII. c. XXXVIII.* CHRYSOSTOMVS, in *Gen. c. XVI.* HIERONYMVS, in *catalogo ſcriptor. eccl. c. IV.* Legendus etiam hac de re PETR. LAMBECIVS, in *prodromo hiſt. litterar. lib. I. cap. VII. §. V. p. 8. 9.* AVGVSTVS PFEIFFERVS, in peculiari diſſertatione de *Henocho*, quae ſecunda eſt in *decade ſelecta exercitation. ſacrar. &c. p. 12. ſeqq.* IO. ANDREAS SCHMIDIVS, in *pſeudo-veteri teſtamento, p. 19. ſeqq.* ANTONIVS VAN DALE, de *vera & falſa prophetia, part. II. cap. VII. p. 352.* LVDOVICVS ELLIES DV PIN, in *diſſertatione praeliminari*, ſeu *prolegomenis ſuper biblia, lib. I. cap. I. p. 27.* aliique, magno numero laudati IO. ALBERTO FABRICIO, *l. c. p. 222.* De ipſo Henocho adhuc obſeruandum, quod in Alcorano, & apud Muhammedanos, EDRIS nomine veniat; qua de re vid. IO. HENRICVS HOTTINGERVS, *theſaur. philolog. p. 85.* & in *hiſt. orient. p. 21. ſeqq.* Sunt etiam, qui, apud ethnicos eius memoriam ſuperfuiſſe, putant, idque ex STEPHANO Byzantio colligunt, qui in voc. Ἰκόνιον *Annacum* quemdam commemorat, qui vltra trecentos annos vixerit, & de quo editum oraculum ſit, fore, cum obiiſſet, vt omnes perirent. Eumdem, quem Annacum STEPHANVS dixit, Nannacum, corrupto nomine a SVIDA vocari putant, qui de eo haec refert: *Vir priſcus ante Deucalionem. Hunc regem fuiſſe aiunt, qui futurum diluuium praeſciens, omni-*

mnibus in templum congregatis, cum lacrimis ſupplicauit. *Hinc prouerbium a* Nannaco, *de rebus antiquiſſimis.* Sed haec incerta ſunt, etſi de iis non dubitet SAMVEL BOCHARTVS, in *Phaleg. lib. II. cap. XIII.*

§. XXXIX.

Noachus, * cum reliqui pietate & virtute inſignes orbi erepti eſſent, in peſſima incidit tempora. Hominum enim in immenſum aucta improbitate, nulla amplius ſupererat ſpes emendationis. Diluuio ** itaque perdere mundum Deus decreuit, ſeruato cum vxore & liberis vnico Noacho. Hic namque, vir integer ſcelerumque purus, *** qui vitae ſanctitate ac innocentia fidem ſuam in Meſſiam declarauerat, gratiam in oculis Dei inuenit, ne periret cum reliquis. *Gen. VI. 8. 9. Sirac. XLIV. 17. I. Petr. III. 20. II. Petr. II. 5. Ebr. XI. 7.*

* Filius Lamechi illius, qui fuit ex gente Sethitarum. *Geneſ. V. 25. 28.* Nominis ei impoſiti rationem hanc adfert Moſes, quod Lamechus dixerit: זה ינחמנו *iſte conſolabitur nos, ab operibus noſtris, & a labore manuum noſtrarum, in terra, cui maledixit Iehouah.* Cum autem Noachus a *quieſcendo* dictus ſit; manifeſtum eſt, verba Lamechi non tam continere rationem ex etymo nominis petitam, quam adluſionem quamdam, in re ipſa, & ſono vocum admodum ſimilium, fundatam. Reſpiciebat namque Lamechus in Noacho ſemen mulieris, contriturum caput ſerpentis, ſeu Meſſiam, a quo ſolo veram quietem tranquillitatemque, & libertatem a maledictione, quae ob peccata hominum generi incumbit, exſpectare licet. Sed hac de re alibi.

** Cauſſas, & reliqua ad hiſtoriam diluuii ſpectantia, deinceps enarrabimus.

*** Cum Noachus dicatur vir integer iuſtusque בדורותיו *in generationibus ſuis*; colligunt inde quidam Iudaeorum, eum ſua aetate haberi pro iuſto potuiſſe, at, ſi tempore Abrahami vixiſſet, & ſequentium patriarcharum, qui ob iuſtitiam celebrantur, nullo eum futurum fuiſſe loco. Conf. R. SALOMON IARCHI, ad *Gen. l. c.* Verum haec interpretatio prorſus iudaicum acumen ſapit. Ex viris omnium aetatum ſanctiſſimis fuiſſe Noachum, diſcere potuiſſent ex *Ez. XIV. 14. 20.*

§. XL.

Et iſta quidem ſancta Sethi progenies, quin doctrinam de ſemine mulieris, caput ſerpentis contrituro, religioſe cuſtodiuerit, & propagare ad poſteros adlaborauerit, non eſt, quod dubitemus. Vtque fidem ſuam teſtarentur, haud dubio & ſacrificia, pia mente iux-

iuxta Numinis praeſcriptum obtulerunt, & in reliquis omnibus, quae diuinitus patefacta erant, Numinis voluntati morem gerere ſuarum duxere eſſe partium. * Vitae quoque ſobriae, quam duxerunt, documentum praebet longaeuitas, ** quacum aetas hominum, qui poſt diluuium vixerunt, non eſt comparanda. Etſi enim ad eam aliae quoque concurrerint cauſſae, & cum impiis iis quodammodo communis fuerit; vitae tamen genus ſimplex, ab omni luxu & intemperantia alienum, plurimum huc contuliſſe, certum eſt.

* Summa itaque religionis Sethitarum hinc intelligitur, quae eadem fuit cum religione Adamitica poſt lapſum, quam ſupra ad §. *XXV.* delineauimus.

** Longaeuitas illa patriarcharum antediluuianorum multum negotii faceſſiuit hominibus, qui, quod a ratione ſui ſaeculi diſcrepat, ſibi vix perſuadere poſſunt. Fuerunt itaque iam olim, qui in narratione Moſaica per annos, menſes intelligerent. Conf. AVGVSTINVS, de *ciuitat. Dei, lib. XV. cap. XII.* Alii annos aegyptiacos veteres, hoc eſt, trimeſtres, vel quadrimeſtres; de quibus DIODORVS Siculus, *lib. I. cap. VI.* Refellit hoſce LACTANTIVS, *inſtitut. diuin. lib. II. cap. XII.* Cumque nullo prorſus fundamento haec nitatur ſententia, & incommodis quoque quam plurimis laboret; non facile quemquam morabitur. Nec credibile, Moſen alios annos intellexiſſe, cum de hominibus antediluuianis loqueretur, quam cum de poſtdiluuianis verba faceret. Certum itaque firmumque ſit, annos hominum antediluuianorum fuiſſe lunares duodecim menſium, certis temporibus adaequatos ſolaribus. Supereſt ſaltem, vt cauſſae iſtius longaeuitatis in aprico ponantur. De his vero cum itidem variae virorum doctorum ſint ſententiae; nos paucis, quid nobis veroſimile videatur, exponemus. Cauſſas naturales a conditione telluris antediluuianae, corporum conſtitutione, rationeque victus petitas, non prorſus excludendas, exiſtimo. Sententiam enim MAIMONIDIS, in *moreh neuochim, part. II. cap. XLVII.* & ISAACI ABARBANELIS, ad *Geneſ. cap. V.* longaeuitatem illis ſaltem patriarchis, quorum diſerte Moſes meminit, tribuentium, haud ſine ratione reiiciunt alii. Communem potius cum omnibus antediluuianis, ſi excipias, quorum ſingulari fato arctiori termino circumſcripta vita fuit, fuiſſe, vt credamus, par eſt. Atque hoc ſi ita ſe habeat; cauſſas naturales ſubfuiſſe, vt concludamus, par eſt, per quas piis pariter ac impiis per multa ſaecula vitam producere licuit. Interim tamen non negandum, quoad pios praeter temperantiam, & vitae ſobriae ſtudium, ſingularem acceſſiſſe Numinis gratiam; cum hominum generis vniuerſi maxime intereſſet, hos quam diutiſſime inter mortales verſari, per quos diuina veritas propagari quam rectiſſime & conſtantiſſime, adque plures adeo diffun-

Digitized by Google

fundi & conſeruari poſſet. Prolixe ex Iudaeis hoc argumentum tractat R. ISAAC ABARBANEL, cuius de *longaeuitate priuorum patrum* diſſertationem, in linguam latinam transtulit IO. BVXTORFIVS, ſubiunctam *diſſertationibus* eius *philologico-theologicis*. Iungatur IO. HENRICVS HEIDEGGERVS, in *hiſtor. patriarchar. part. I. exercit. XIV.* de *longaeuitate patriarcharum, p. 658. ſeqq.* CHRISTIANVS SCHOTANVS, in *bibliotheca hiſtoriae ſacrae vet. teſtament. p. 48. ſeqq.*

PERIODI PRIMAE
AB ADAMO VSQVE AD MOSEN
SECT. II.
A DILVVIO VSQVE AD VOCATIONEM ABRAHAMI.

Σύνοψις.

Ob ſummam hominum impietatem diluuio mundum perdere Deus decreuit; conceſſo tamen iis, ad poenitentiam agendam, certo temporis ſpatio; §. I.

Cum iſtud tempus elapſum eſſet, mundus aquis immergitur, ſolo in arca, quam iuſſu Numinis conſtruxerat, cum ſuis ſeruato Noacho; §. II.

Fuit diluuium iſtud vniuerſale, cuius & apud ſcriptores ethnicos haud obſcura deprehenduntur veſtigia; §. III.

Reſtituto orbe, Deus dominium in res creatas renouat, poenam homicidii capitalem conſtituit, federeque peculiari hominum ſecuritati proſpicit; §. IV.

Religionis, quae hoc tempore fuit, ſumma; §. V.

Eruditionis ac artium, aut quae ante diluuium fuerunt, propagatio, aut nouarum inuentio; §. VI.

Eccleſia Noachica, etſi paucis hominibus conſtans, improbos iam & hypocritas probis admixtos habuit; §. VII.

A Noacho omnes, qui poſt diluuium vixerunt, homines deſcenderunt; memoriam ipſius & filiorum eius in ſcriptis gentilium deprehendere licet; §. VIII.

Gentium, quae a Noachi filiis deſcenderunt, poſt Babelicam linguarum confuſionem diſperſio, earumque ex primis conditoribus origines; §. IX

Nim.

Nimrodus, improborum, qui ad Babelis exſtructionem conſpirarunt, dux & anteſignanus; babylonici pariter ac aſſyriaci imperii origo; §. X.

In poſteritate Semi, ſpeciatim Eberi, verus Numinis cultus, itemque lingua primaeua conſeruata & propagata fuit; §. XI.

Diſperſionis gentium effectus fuit doctrinae ſacrae corruptio; origo idololatriae; §. XII.

§. I.

CUm eo vsque impietatis prolapſi eſſent homines antediluuiani, vt nulla ſpes emendationis ſupereſſet, a Cainitis quoque ad Sethitas illa animorum peſtis tranſiiſſet, * vnico Noacho cum familia ſua excepto; nihil tandem aliud ſupererat, quam vt omnes diluuio perderet Deus. Vt nouum tamen ſuae longanimitatis documentum ederet, per centum & viginti annos ** poenam diſtulit, vt interea ad ſaniorem mentem, ſi vellent, illis redire liceret.

* Cauſſae oecumenicae illius corruptionis, quae orbem primum inuaſit, variae equidem a nonnullis adferri ſolent, v. g. *ἀποςατία* a vera religione, iuſta Dei deſertio, feritas & voluptas vitae, & quae reliquae ſunt eiusdem generis. Praecipua tamen haud dubio fuit Numinis & religionis omnis contemtus. Ad atheiſmum enim potius, quam ſuperſtitionem, homines antediluuianos pronos fuiſſe, iam ſupra obſeruauimus. Cum iſto Numinis contemtu coniunctus erat, vel ad eum ducebat, contemtus verbi diuini, & eorum, qui hoc illis adnuntiabant, vt erant patriarchae, & haud dubio alii ex Sethitis. Conf. *Geneſ. VI. 3.* Hinc vero fieri aliter non poterat, quam vt in omne ſe darent vitiorum genus. Fieri etiam potuit, vt impiorum quorumdam longaeuitas plurimum ad iſtam corruptionem conferret; quippe qui eo magis *ἐφευρεταὶ κακῶν* eſſe poterant. Vltimum denique acceſſit duarum ciuitatum, Dei & diaboli, per connubia commixtio; vnde factum, vt quidquid inter Sethitas ſani eſſet, eadem labe inficeretur, & ita ad omnes corruptio iſta peruaderet. Atque hoc diſerte tradit Moſes, *Geneſ. VI. 2. ſeqq.* Quaeri equidem ſolet, quinam ibi per בני אלהים *filios Dei* intelligantur? Multi namque veterum, vt IRENAEVS, *lib. IV. cap. VII.* IVSTINVS, *apolog. I. pro chriſt.* CLEMENS Alexandrinus, *lib. III. ſtrom.* TERTVLLIANVS, de *velandis virgin.* LACTANTIVS, *lib. II.* de *origin. error.* aliique, in eam ingreſſi ſunt ſententiam, angelos bonos hic intelligi. Videtur, tum hos, tum alios, in errorem induxiſſe graeca verſio, cum in codice Alexandrino verſionis LXX interpretum pro *υἱοὶ Θεοῦ*, vt in Vaticano aliisque habetur, legatur *ἄγγελοι τοῦ Θεοῦ*. Sequutus ſane eamdem ſententiam IO-

SEPHVS

SEPHVS eſt, *antiquit. iud. lib. I. cap. IV.* nec alii ex Iudaeis ab ea admodum alieni ſunt, certe talia de angelis docent, quae eidem adprime conueniunt. Immo eodem ſpectant, quae in fragmento libri Henochiani de *Egregoris* dicuntur; vt ex iis, quae hac de re prolixe ſupra adlata ſunt, patet. Eo facilius autem antiqui eccleſiae doctores in eam ingredi poterant ſententiam, quod eorum non pauci, angelos & daemones corporeos eſſe, exiſtimarent. Obſeruatum hoc iam ab aliis eſt; illud tamen non praetermittendum cenſeo, quod ex Ioanne, epiſcopo Theſſalonicenſi, in ſynodo Nicaena ſecunda hunc in modum recitatum eſt: *De angelis & archangelis, & eorum poteſtatibus, quibus & noſtras animas adiungo, ipſa catholica eccleſia ſic ſentit, eſſe quidem intelligibiles, ſed non omnino corporis expertes, & inuiſibiles, vt vos gentiles dicitis, verum tenui corpore praeditos, & aëreo ſine igneo, vt ſcriptum eſt: qui facit angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros eius ignem vrentem. Sic autem multos ſanctorum patrum ſenſiſſe cognouimus, quorum eſt Baſilius cognomento magnus, & beatus Athanaſius, & Methodius &c. act. V. p. 797.* add. DIONYSIVS PETAVIVS, *dogm. theolog. tom. III. lib. I. cap. II. ſeqq. & lib. III. cap. I.* it. NICOLAVS LE NOVRRY, in *adparatu ad bibliothec. max. patr. diſſertat. V. in Tatiani opera, cap. II. §. III.* Nos vero meliora hac de re edocti ſumus, nouimusque, angelos corporum expertes eſſe, ideoque & eas cupiditates, quae homines ad commixtionem cum ſequiori ſexu inducunt, in eos non cadere. Idque cum de angelis bonis vel hoc nomine dici nequeat, quod nullo indicio conſtet, poſt primam illam defectionem alios lapſos eſſe, aut labi poſſe; ita malos angelos, quae aliorum eſt ſententia, vel ideo intelligere non licet, quod abſonum eſſet, eos vocari *filios Dei.* Rectiſſime itaque exiſtimant, qui per *filios Dei* Sethitas intelligunt, qui hactenus ſanctitati & innocentiae vitae ſtudentes, diuinae voluntati morem geſſerant, ſeque filios Dei hoc ipſo eſſe comprobauerant. Nec infrequens, vt homines pii in ſcriptura filiorum Dei nomine veniant. Et licet iſti, de quibus hic Moſes loquitur, a pietate deſciuerint, & ad praua abrepti ſint, a ſtatu priori tamen recte ita vocari potuerunt. Per *filias* autem *hominum* quaenam intelligantur, oppoſitio docet. Cum enim Sethitae dicantur *filii Dei;* per filias hominum non aliae, quam filiae Cainitarum intelligi poſſunt. In hisce matrimonio ſibi ſociandis cum magis prauas ſuas cupiditates, quam rationis ductum, aut Numinis voluntatem ſequerentur Sethitae, & ipſi in deuia abrepti ſunt, & effecerunt hac ratione, vt ciuitas Dei cum ciuitate diaboli coniungeretur, vel illa potius hac coniunctione deſtrueretur, vnde extrema tandem omnium mortalium pernicies. Etenim, qui ex iſtis Sethitarum & Cainitidum matrimoniis naſcebantur liberi, impia Cainitarum exempla imitantes, a maiorum virtute prorſus degenerabant. Inter

ter hos nonnulli illud vitae inſtitutum, quod Nephilim ex Cainitis ſequuti erant, amplectentes, ingentem fortitudinis famam ſibi pepererunt. Id Moſes tradit *Geneſ. VI. 4.* vbi iterum, quinam per נפילים intelligantur, quaeri ſolet. Sunt enim, qui hanc vocem vertunt per *apoſtatas* & *defectores;* quae ſignificatio, etſi verbo נפל non repugnet, vt ex *I. Sam. XXIX. 3. II. Reg. VII. 4.* aliisque locis liquet, hic tamen nimis generalis eſt, cum omnes homines ante diluuium, excepto Noacho cum ſuis, defecerant. Alii, vt R. ABEN ESRA, & plerique Ebraeorum, gigantes intelligunt, quod homines illis conſpectis ob ſtaturae proceritatem, corporisque molem, metu perculſi *conciderent*, vel quod illi alios cadere facerent, proſternerentque. LXX etiam interpretes γιγάντες verterunt, quos & vulgatus ſequutus eſt: ſuntque & ex recentioribus plurimi, qui eamdem calculo ſuo adprobant ſententiam. Vid. MELCHIOR LEIDEKKERVS, de *republica Ebr. lib. I. cap. IV. p. 22.* Sed cum verbum נפל non tantum *cadere*, ſed & *irruere* ſignificet, *Iob. I. 15.* alibique; rectius ſentiunt, qui violentos aliorum inuaſores hac voce deſcribi exiſtimant; qui cum fortitudine etiam aliis praeſtare ſoleant; huc Chaldaeus haud dubio reſpexit, cum eam vocem per גבריא *viros fortes* expreſſit. Eam vocis נפל, quam tradidimus, ſignificationem hic locum habere poſſe, perſpexit etiam R. SALOMON IARCHI, dum eos ita dictos putat, שנפלו והפילו את העולם *quod irruerent, & mundum ſibi ſubiicerent.* Fieri equidem potuit, vt corporis magnitudine & ſtatura ingenti praediti eſſent, ſed id praecipue hic non innuitur. Immo cum homines corporis mole & robore praeſtantes, audaces & ad omnia parati eſſe ſoleant; hinc gigantes נפילים dicti ſunt, *Num. XIII. 33.* Tales itaque inuaſores violenti, & magni latrones, cum inter Cainitas iam antea eſſent, exemplar illorum ſequuti, quos Sethitae ex Cainitidis procreauerant, euaſere אנשי שם *viri nominis*, hoc eſt, magnam fortitudinis laudem famamque ob res ſtrenue geſtas, conſequuti ſunt. Lamechum Cainitam, cuius ſupra facta mentio, ex illis Nephilim fuiſſe, quorumdam eſt coniectura, nec a veroſimilitudine ea abhorret.

** *Geneſ. VI. 3.* Audiendi autem prorſus non ſunt, qui verbis Moſis: *eruntque dies illius centum & viginti annorum*, vitae durationem ſignificari, exiſtimant. In qua ſententia poſt FLAV. IOSEPHVM atque PHILONEM, verſatur LACTANTIVS, *diuinar. inſtitut. lib. II. cap. VI.* Qui enim vel ſcopum ſermonis, totamque orationis ſeriem, conſiderauerit, facile deprehendet, de termino poenae, quae illos maneret, niſi reſipiſcerent, haec verba capienda eſſe. Et ita praeter alios, ſpeciatim CHRYSOSTOMVM atque HIERONYMVM, ea interpretatur AVGVSTINVS, de *ciu. Dei, lib. XV. cap. XXIV.* Si dubium moueas, loquutum haec eſſe Deum, cum No-

Noachus eſſet annos quingentos natus, *Geneſ. V. 32.* cumque anno aetatis eius ſexcenteſimo diluuium inceperit, ab hoc tempore vsque ad diluuium non centum & viginti, ſed tantum centum annos effluxiſſe; reſpondeo, Noachum tum quadringentorum & octoginta annorum fuiſſe; frequens autem admodum in ſcriptura eſt, vt numero rotundo anni, qui adhuc deſunt, comprehendantur. Priorem ſententiam euentus etiam atque experientia refutat; cum multi poſt diluuium fuerint, qui vltra annum centeſimum atque vigeſimum vitam produxerunt.

§. II.

Interea, cum monita diuina parum curarent, diesque ille, quo perituri erant omnes, adpropinquare, arcam,* Numinis iuſſu, Noachus conſtruxit, eamque ita aptauit, vt cuncta animantium genera, quae viuere in aquis nequeunt, reciperet, quibuscum & ipſe vna cum familia ſua hac ratione ſeruaretur. Quibus eum in modum praeparatis, cum ſuis arcam tandem ingreſſus eſt, moxque tanta vbique in orbem effuſa fuit aquae copia, vt altiſſimi montes ea non tantum tegerentur, ſed quindecim ſupra eos cubitos aqua adſcenderet. Incepit diluuium anno Noachi ſexcenteſimo, ſed ineunte, vt adeo a mundo condito ad diluuium vsque effluxerint anni MDCLVI,** annoque ſequenti deſiit, vt adeo anno aetatis ſexcenteſimo primo, vigeſimo ſeptimo die menſis ſecundi, ex arca egreſſus ſit.

* De tempore & loco, vbi arcam iſtam Noachus conſtruxerit, nihil dicemus; cum coniecturis ſaltem nitantur, quae viri docti hac de re in medium proferunt, nec ſcriptura ſacra haec nos condoceat. Ex magnitudine & ſtructura eius facile colligas, multorum annorum hoc fuiſſe opus. Nec dubium, quin interea profanorum hominum inſultus ſuſtinere coactus fuerit Noachus; quos tamen fide ſua, animique magnitudine, vt & reliquas moleſtias, in hacce ſtructura occurrentes, ſuperauit. Materia, ex qua arca conficiebatur, erat *lignum Gopher*, hoc eſt, cupreſſus. Etſi enim alii cedrum, alii aliud ligni genus intelligant; longe tamen eſt veroſimilius, cupreſſum deſignari, tum ob conuenientiam vocum גפר & *κυπάρισσος*, tum quod non temere materia firmior ſit aduerſus cariem & tineas. Accedit, quod cupreſſus ad naues conficiendas perquam apta, & huic vſui, vbi ſat magna copia erat, adhiberi ſolita fuerit. Quae omnia pluribus confirmat SAM. BOCHARTVS, in *Phaleg. lib. I. cap. IV.* add. NIC. FVLLERVS, in *miſcellaneis, lib. IV. cap. V.* Magnitudinem & ſtructuram arcae luculenter ſatis deſignat Moſes. Longitudo CCC cubitorum fuit, altitudo XXX, & latitudo L, vt adeo longitudo decies altitudinem ſuperauerit, & ſexies latitudinem. Arcae

Digitized by Google

itaque & templi Salomonaei ſi inſtituatur comparatio, vtriusque par altitudo fuit; latitudine autem ſua arca templo plus duplo, & longitudine quintuplo maior erat; ſiquidem eosdem vtrobique cubitos intelligamus. Diſtincta porro arca erat in tria tabulata, horumque quodlibet in קנים *nidos*, ſeu *cellas* varias, tum pro manſione, tum pro recondendis cibis animalium: in medio vnius lateris habebat ianuam, & ſupra hanc feneſtram magnam. *Gen. VI. 15. 16.* Forma arcae hinc quodammodo intelligitur, non *nauis*, ſed *arcae* potius figuram referens: vnde Graecis κιβωτοῦ, itemque θήβης, IOSEPHO λάρνακος τετραστέγου nomine venit. Nec aliud quid vox ebraea תיבה ſignificat. Ceterum, vt illa arcae ſtructura iſtius ſaeculi hominibus haud dubio foecundiſſimum ridendi, & Noacho inſultandi, argumentum praebuit; ita nec deinceps defuerunt, qui, Moſen talia hic narrare exiſtimarunt, quae ab omni prorſus abhorreant veri ſpecie. Quaeſitum hinc, an tot animantium arca capax? An pabuli etiam iis nutriendis ſuffecturi? Vnde lumen in arca? & quae reliqua ſunt eiusdem generis. Iam olim CELSVS, APELLES, aliique chriſtianae religionis irriſores, inter ἀδύνατα retulerunt, arcam eius magnitudinis, quam Moſes deſcripſit, omnia iſta animantium genera capere potuiſſe. Et CELSVM quidem refutauit ORIGENES, tum alibi, tum *libro IV.* operis, quod ex inſtituto aduerſus eum ſcripſit, vtque facilius hinc ſe expediret, cubitos non vulgares ac vſitatos, ſed geometricos, ſex cubitis vulgaribus, hoc eſt, nouem pedibus aequales, in deſcriptione arcae a Moſe indigitari, contendit; qua in re & ſuffragantem ſibi habet AVGVSTINVM, *lib. XV.* de *ciuit. Dei*, *cap. XXVII.* Cum vero haec ORIGENIS ſententia omnibus difficultatibus tollendis nondum ſufficere videretur; EDMVNDVS DICKINSONVS aliud quid adhuc ſibi excogitandum ratus eſt, quo omnibus dubiis ſatisfaceret. Noachum artis chemicae peritiſſimum fuiſſe ſupponit, qui ſpiritum aliquem naturae oleoſae purum, fragrantem, & ad inſtar ſolis vndique radiantem, confecerit, cuius beneficio tota arca potuerit illuminari, itemque liquorem, cuius aliquot guttae alendis, conſeruandis & corroborandis, animantibus in arca concluſis ſuffecerint. Hac ratione non tantum plurima incommoda, ex tot animantium hominumque coniunctione oritura, potuiſſe euitari, ſed cum ita etiam locus adeo magnus ad condenda pro tot animantibus alimenta non fuerit neceſſarius, facilius intelligi, quo pacto arca haec omnia capere potuerit. Et ita dubiis omnibus hominum profanorum obuiam iri poſſe, exiſtimat; in *phyſica veteri & vera*, *adpend. altera* ad *cap. XVII. p. 336. ſeqq.* An vero auctor ille hominibus profanis, & narrationis Moſaicae veritatem in dubium vocantibus, contra quos diſputat, hoc, quod de peritia Noachi chemica, & ſpiritu illo ac liquore alendis omnibus animantibus ſuffecturo, excogitauit,

uit, perſuaſurus ſit, ego valde dubito. Erunt, ni fallor, qui dicent, eum, vt narrationem Moſaicam veroſimilem reddat, aliquid ſupponere, quod multo magis ab omni veroſimilitudine abhorret. Fruſtra etiam cauſſae ſuae praeſidium in voce צהר quaerit. Etſi enim ea etiam lumen ſignificet, & ita a nonnullis exponatur; non tamen inde ſequitur, ſpiritum quemdam luminoſum & radiantem ea denotari. Sed rectius quoque alii per *feneſtram* explicant, per quam lumini ingreſſus in arcam datus fuit. Quo pacto autem lumen per omnes arcae partes aut conclauia, vbi neceſſarium fuit, hac ratione diſpenſari potuerit, ab illis ſaltem explicari potuit, quibus interior arcae ſtructura penitius perſpecta fuit. Et generatim quoque hic obſeruari dum puto, ſi adcuratiſſime totius arcae ſtructura nobis nota eſſet, facilius ad dubia, quae hic mouentur, reſponderi poſſe. Interim ad cauillationes hominum profanorum retundendas haec notaſſe ſufficiat primo, ea ſaltem animantium genera, quae ceteroquin conſeruari non poterant, in arca fuiſſe concluſa; non autem ea, quorum ſemina locis reconditis incluſa conſeruari potuerunt, vt tellure exſiccata, ſolis calore excitarentur ad noua animalcula excludenda; quorſum varia inſectorum, forte & minutorum animalculorum, genera pertinent. Deinde, quod ad alimenta attinet, non puto, neceſſe eſſe, vt dicamus, ad beſtias carniuoras alendas alia in arcam inducenda animantia fuiſſe, quae illarum ſuſtentationi inſeruirent; cum experientia doceat, eas & aliis alimentorum generibus ſuſtentari poſſe. Denique nec illud praetermittendum, de magnitudine cubiti, ad quem ex mente Moſis hic omnia exigenda, non ſatis inter eruditos conuenire. Quodſi enim cubitum aegyptiacum Moſes intellexit, quod varias ob rationes probabile videri poteſt, arca Noachi duplo fere capacior erit, quam vulgo cenſetur ab iis, qui cubitum ebraeum longe minorem intelligunt. Lectu digna ſunt, quae hac de re habet IO. CLERICVS, ad *Gen. VI. 16.* Ad ſpecialiora deſcendere, atque demonſtrare, nihil de arcae ſtructura retuliſſe Moſen, quod rationi repugnet, noſtrae non fert tractationis ratio; praeſtiterunt id alii ex inſtituto, VT IOANNES BVTEO, IOANNES TEMPORARIVS, MATTHAEVS HOSTVS, IACOBVS & LVDOVICVS CAPPELLI, ATHANASIVS KIRCHERVS, IOAN. LE PELLETIER aliique, qui aut data opera, aut digreſſionibus, in commentariis ſuis, hocce argumentum proſequuti ſunt. Id adhuc addendum, inter ea, quae in hocce negotio vim Numinis maiorem, modumque naturae excedentem arguunt, & hoc vel maxime referendum, quod animalia, quae conſeruari debuerunt, ſua ſponte arcam ingreſſa ſunt. Vnde multa alia eiusdem generis hic contigiſſe, non eſt, quod dubitemus. Ingreſſa autem ſunt mundorum animalium ſeptena paria, mares eorumque feminae. Errant enim, qui, tantum ſeptem ex vnaquaque ſpecie animalia in arcam recepta fuiſſe, putant, impa-

remque eorum numerum, ſacrificii cauſſa a Deo mandatum. Quae omni fundamento deſtituitur ſententia, & verbis Moſis repugnat, dum dicit: *marem & feminam.* Quod autem ad diſcrimen purorum ac impurorum animalium attinet, etſi hoc deinceps lege Moſaica ſancitum ſit, nonnullis tamen in ipſa natura animalium quodammodo fundatum videtur, vt munda dicantur, quorum carnes ſanitati hominis melius conueniunt, quam reliquorum. Quod diſcrimen Noacho perſpectum eſſe potuit, etiamſi ſupponamus, eſum carnium ante diluuium non fuiſſe vſitatum. Conſ. *introduct. ad hiſtor. philoſ. Ebr. p. 13.* Quod ſi vero quis contendat, munda aut immunda hic dici animalia, reſpectu legis diuinae, aut ſacrificiorum, dicendum fuerit, Deum ſacrificia inſtituendo ſimul homines, quaenam munda, quaenam immunda ſint animalia, condocuiſſe; quae forte optima hinc ſe expediendi eſt ratio.

**Conſtat hoc eſt iis, quae ſupra *ſect. I. §. X.* diximus. Hic ſaltem dubium oritur ex annis Noachi. Dicitur enim *Gen. VII. 11.* diluuium anno aetatis Noachi ſexcenteſimo contigiſſe, qui annus an pro completo, an vero pro ineunte habendus ſit? quaeri poteſt. Qui eum pro completo habent, ſimulque ab initio diluuii ad finem eius iterum elapſum annum fatentur, non poſſunt quoque non concedere, a mundo condito vsque ad finem diluuii annos MDCLVII effluxiſſe. Verum haec ſententia admitti non poteſt; cum *Geneſ. VIII. 13.* diſerte dicatur, anno Noachi DCI diluuium deſiiſſe. Quod ſi ergo anno Noachi ſexcenteſimo iam completo diluuium incepiſſet, Noachus iam annum DCII ingreſſus eſſet, cum deſiit. Praeterea ſi diluuium deſiit, cum Noachus iam annum ſexcenteſimum ſecundum ingreſſus eſſet, & vero Noachus poſt diluuium annos CCCL vixit, vt Moſes teſtatur *Gen. IX. 28.* annos DCCCCLI eum viuendo peregiſſe oportet; quod iterum calculo Moſaico repugnat, quippe iuxta quem annos DCCCCL vixit, *Geneſ. IX. 29.* Alii itaque annum ſexcenteſimum, *Gen. VII. 11.* non adeo praeciſe capiendum, contendunt: immo non deſunt, qui diluuium non anno Noachi DXCIX incepiſſe autumant; quibus tamen aperta clariſſimaque Moſis verba refragantur. Omnium itaque rectiſſime ſentiunt, qui diluuium anno Noachi ſexcenteſimo, ſed ineunte, incepiſſe ſtatuunt. Ita enim omnes tolli difficultates poſſunt, ratumque & firmum manet, a mundo condito ad diluuium annos MDCLVI effluxiſſe. Obiici equidem ſolet, quod *Geneſ. V. 26.* dicitur, Methuſalemum poſt Lamechi generationem vixiſſe DCCLXXXII annos. At ſi diluuium anno DC aetatis Noachi ineunte coepit, Methuſalemus vltra annos DCCLXXXI viuere non potuit. Sed nihil abſurdi erit, ſi dicamus, Methuſalemum eodem anno, quo diluuium coepit, defunctum eſſe, eumque octuageſimum ſecundum ſupra ſeptingenteſimum aetatis ſuae poſt Lamechi generationem annum ingreſſum quidem

Digitized by Google

dem eſſe, ſed non compleuiſſe. Neque enim probari poteſt, patriarchas praeciſe annis completis diem ſuum obiiſſe, qui iis tribuuntur. De tempore anni, quo diluuium inceperit, etiam non omnes idem ſentiunt. Sunt, qui auctumnali, ſunt, qui vernali tempore hoc contigiſſe putant. Qui in priori verſantur ſententia, id praecipue vrgent, quod antiquiſſimis temporibus in more poſitum fuerit, annum ab auctumno inchoare; prouocant etiam ad auctoritatem IOSEPHI, *lib. I. antiquit. iud. cap. V.* Qui autem poſteriorem defendunt, ad vſum ſcripturae ſacrae prouocant, iuxta quem menſis primus reſpondeat Martio, ſecundus Aprili, & ſic porro. Verum cum probari nequeat, Ebraeorum, qui deinceps inualuit, morem, annum tempore vernali inchoandi, iam patriarcharum aetate vſitatum fuiſſe, prior merito praeferenda videtur ſententia, iuxta quam adeo primus anni menſis is eſt, qui poſtea Tisri dictus, cuius initium in XXII Septembris incidebat, ſecundus Marchesuan, cuius primus dies nobis eſt vigeſimus primus Octobris, decimus ſextus vero incidit in ſextum Nouembris, & quidem feriam primam. Sed hac de re plura & ex inſtituto chronologi.

§. III.

Nullum vero eſt dubium, quin diluuium hocce fuerit vniuerſale, * vt omnes homines in vniuerſo terrarum orbe, omniaque animantium genera, quae in aquis viuere nequeunt, perierint, exceptis, qui in Noachi arca ſeruati ſunt. Fierique etiam per rationes naturales potuit, vt orbis vniuerſus aquis immergeretur; tantum abeſt, vt dubitare fas ſit, per diuinam id fieri potuiſſe Numinis potentiam. Quae ab ethnicis commemorantur diluuia, ** eorum forte quaedam particularia fuere. Vniuerſalis tamen huius haud obſcura apud eos occurrunt veſtigia.

* Id cum ſcriptura ſacra tam luculenter teſtetur; mirum, fuiſſe homines, qui id in dubium vocare, diluuiumque illud ſaltem particulare fuiſſe, adſerere auſi ſunt. Nihil tunc de ISAACO PEYRERIO dicam, notiſſimo illo ſyſtematis praeadamitici conditore, qui, ne, praeadamitas ſuos diluuii aquis ſubmerſos, poſteritatem hodie non amplius habere, fateri cogeretur, diluuium intra Palaeſtinae, aut prouinciarum vicinarum, limites coarctat, non temere quemquam etiam hac in re ſibi ſuffragantem habiturus; quem praeter alios ex inſtituto refutauit NATALIS ALEXANDER, *hiſt. eccleſ. vet. teſtament. aetat. I. diſſert. X. artic. IV. p. 115. ſeqq.* Contra iſtum praeadamitarum patronum dum etiam disputat ISAACVS VOSSIVS, hactenus quidem diluuium vniuerſale fuiſſe, concedit, quod eo totum genus humanum perierit, minime tamen eorum probat ſententiam, qui totum terrae globum ita aquis tectum fuiſſe

fuiſſe exiſtimant, vt nulla prorſus eius exſtaret portio. Immo tantum abeſt, vt hoc ſenſu diluuium vniuerſale eſſe credat, vt potius variis rationibus euincere conetur, illud fuiſſe particulare; in *diſſertat. de vera aetate mundi, cap. XII. p. m. 53.* & in *caſtigationibus ad ſcriptum Georgii Hornii de aetate mundi*, ad *cap. XIII. p. 42. ſeqq.* EDVARDVS STILLINGFLEETVS, doctiſſimus ille Angliae praeſul, etſi luculenter euincat, potuiſſe diluuium illud eſſe vniuerſale, vt vniuerſum orbis ambitum tegeret, nihil tamen obſtare etiam putat, quo minus illud particulare dicatur, eamque ſaltem orbis partem, quae ab hominibus inhabitata fuit, inundauerit; in *originibus ſacris, lib. III. cap. IV. ſ. III. p. m. 1066. ſeqq.* Eamdem & ſibi adprobari ſententiam, haud obſcure innuit vir doctiſſimus, IO. CLERICVS, ad *Geneſ. VIII. 19.* qui & regiones, ad quas pertinuerit, paullo ſpecialius per coniecturam deſignat. *Fortaſſe*, inquit, *regiones, quae inter quatuor maria, Perſicum, Caſpium, Euxinum & Syriacum, inter quae Tigris & Euphrates, pluraque alia flumina maxima intercipiuntur, erumpentibus omnibus aquis, & illuc diuina potentia congeſtis omnium terrarum nubibus, atque in humorem denſatis, inundatae fuere.* Rationes praecipue, quibus ſententiae huius defenſores nituntur, hae ſunt: quod tanta aquarum copia in toto terrarum orbe non reperiatur, vt altiſſimos totius orbis montes tegere, &, quod maius eſt, quindecim ſupra eos cubitos adſcendere potuerit; deinde, quod arcae magnitudo animantibus omnibus, etiam iis, quae certis regionibus velut propria ſunt, & alimentis pro illorum ſuſtentatione capiendis, non ſufficiat.

Quod ad priorem attinet, diuerſas equidem vias viri docti ingreſſi ſunt, vt oſtenderent, tantam in haccetellure adfuiſſe aquae copiam, quae ei penitus inundandae ſufficeret. Nonnulli enim non tantum aquas omnes ſubterraneas ſedibus ſuis excitas, ſed &, quidquid vſpiam nubium fuit, in aquam condenſatum, exiſtimant, vt hac ratione totus inundari orbis potuerit. Alii contra aquam pluuiam pariter ac marinam rarefactam cenſent, vt hinc ſufficiens, quae totum orbem tegeret, emergeret copia; quo ipſo tamen reuera aqua omnis in nebulam conuerſa fuiſſet, in qua hominibus animantibusque neceſſario non fuiſſet moriendum, quae etiam ſuſtentandae ac vehendae arcae tantae molis non ſuffeciſſet. THOMAS BVRNETIVS, vt hinc ſe expediret, nouam prorſus geogoniam, formamque telluris antediluuianae, a forma, figura & ſitu poſtdiluuianae prorſus diuerſam, excogitauit; in *theoria telluris ſacra, lib. I. cap. II. p. 4. ſeqq.* Verum in haccce viri docti hypotheſi plurima occurrunt, quae narrationi Moſaicae de orbis creatione, & primo eius ſtatu, e diametro repugnant, adeoque difficultates non ſuſtulit, ſed nouas potius ſibi ipſi diſpoſuit, ex quibus numquam ſe extricare poterit. Et, vt alia taceam, quis dubitet, ante diluuium fuiſſe montes; cum

cum Moſes diſerte dicat, aquas diluuii quindecim cubitos ſupra montes altiſſimos adſcendiſſe. Quidquid hic regerat, non poteſt non coactum & longe nimis petitum videri. Sed praeter alios BVRNETII etiam, qua diluuium, ſententiam profligauit MELCHIOR LEIDEKKERVS, in *archaeologia ſacra*, tomo primo operis de *republica Ebraeorum* adiecta, *diſſert. VI. cap. VI. p. 91.* Et ſane, ſine ratione hic nonnulli ſibi ipſis tantum negotii faceſſunt. Quodſi enim omnes cauſſas, quae aquam diluuii produxerunt, coniungamus, quemadmodum omnes coniungendas docuit Moſes, nullum eſt dubium, quin tanta inde proditura ſit aquae copia, quae totum, quacumque patet, inundare orbem potuerit. Diſerte namque ait, *magnae abyſſi fontes erupiſſe, Gen. VII. 11.* quo nomine qui ingentem illam aquae ſubterraneae vim, quae in vaſtis receptaculis continetur, intelligi, negant, idque hoc argumento, quod nondum ſatis probatum ſit, eiusmodi aquas ſubterraneas dari, non ſatis perpendunt, quod ipſe haud obſcure hoc innuat rex ſapientiſſimus Salomoh, *Kohel. I. 7.* Idque aliis etiam haud contemnendis argumentis comprobari poteſt. Conf. EDMVNDVS DICKINSONVS, in *phyſica veteri & vera, cap. VIII. ſ. X. p. 101.* Si quis vero contendere vellet, nec haſce aquas ſubterraneas ſufficere ad orbem inundandum, is primo quidem ſuam proderet temeritatem, ſi definire vellet, quanta aquarum iſtarum ſubterranearum ſit copia, quod nemini perſpectum eſt mortalium, at tamquam perſpectum & exploratum ſupponi debet ab eo, qui negat, eam aquarum copiam ad diluuium vniuerſale ſuffeciſſe. Deinde, quod nunc porro notamus, obſeruari debet, ad immenſam iſtam aquarum ſubterranearum copiam, ſuis ſedibus diuina potentia excitam, acceſſiſſe vim maximam pluuiae, nubibus omnibus in aquam condenſatis, quod Moſes ipſe iterum confirmat, dum dicit: *caeli cataractas* apertas eſſe. Per cataractas enim caeli nihil aliud, quam nubes, intelligi, poſitum eſt extra controuerſiam. Denique ſi & hoc addamus, de terrae diametro geographos inter ſe non conſentire, & eos forte ad veritatem quam proxime accedere, qui eum quam minimum ſtatuunt; montes etiam altiſſimos iuxta perpendiculum exactos, duorum milliarium altitudinem non ſuperare; ecquid tandem ſupererit, quod euidenter rationi repugnet? Ad minimum iuxta eas, quas poſuimus, hypotheſes, hoc demonſtrari non poterit. Eſto vero, poſſe ne ſic quidem omnes, quas ratio fingit, tolli difficultates, quid tandem obſtat, quo minus dicamus, miracula quaedam diuina hic interceſſiſſe? Quam enim facile Chriſto fuit, quinque panes ita augere, vt aliquot hominum millia iis ſaturarentur, tam facile quoque Deus aquam ita augere potuit, vt totus, quacumque patet, iis inuolueretur orbis. Satius eſt, admittere miracula, quam Moſaicae narrationis in dubium vocare veritatem. At Deo, inquis, indignum fuit, aquas crea-

creare, vt totus perderetur orbis. Ego vero, poſtquam Deus ob hominum peccata decreuerat, orbem hac ratione perdere, cur hoc eo indignum ſit, perſpicere nequeo. Rurſus inſtant, qui ſecus ſentiunt, ſuperuacaneum fuiſſe, totum orbem aqua innoluere, cum ad hominum improbitatem puniendam diluuium a Deo fuerit immiſſum. Hunc finem vt obtineret Deus, ſatis fuiſſe, ſi eam partem terrae diluuium inundarit, quae ab hominibus fuit habitata. Sed non cogitant, qui ita diſſerunt, ſi certam tantum partem terrae diluuium inundaſſet, homines ad vim aquarum euitandam, in aliam terrae partem euadere potuiſſe. Ne dicam, ſuas Deum habere potuiſſe rationes, cur totum orbem ita perderet, quas forte nos ignorare voluit. Quamquam conficiendo aliquas adſequi liceat: quod v. g. docere hoc exemplo voluerit, facillimum ſibi eſſe, totum perdere hominum genus, ne quis, ſe iram Numinis euadere poſſe, crederet, & quae reliquae ſunt eiusdem generis. Dum vero viri iſti docti, quibuscum nobis res eſt, varia comminiſcuntur, ne miracula admittere cogantur, ipſi talia incaute adferunt, quae ſine maximo miraculo fieri non poterunt. Pone namque, particulare fuiſſe, quo pacto fieri potuit, vt tum aquae altiſſimos montes quindecim cubitos ſuperauerint? Quid obſtitit, cum aliae adhuc orbis partes vacuae eſſent, quorſum prolabi potuerint, quo minus diffluerent? Aut ergo hic iterum Moſaicae narrationis veritas in dubium vocanda, aut maximum admittendum miraculum, quo aqua, murorum inſtar, in montibus conſliterit, nec in alias partes inferiores fluxerit. Quod ſi dicas, regiones eas intelligi, quae maribus fuere circumſeptae, quaerere rurſus licebit, an marium tanta fuerit altitudo, ne aqua ex altiſſimis montibus in ea diffluere potuerit? & vnde contigerit, quod maria tanta aquarum copia aucta, non in regiones potius oppoſitas partem aquae deuoluerint? Sed nolo addere plura.

Ad alterum, quod particularis diluuii patroni vrgent, dubium, arcam Noachi non omnia animalia capere potuiſſe, reſponderi quodammodo ex iis poteſt, quae iam ad *§. praeced.* hac de re diximus. Addendum tamen, cum dicitur, ſi vniuerſale diluuium fuit, ſtatuendum etiam, animalia ſingulis orbis partibus propria in arca fuiſſe, vnde tantam animalium multitudinem exſurgere neceſſe ſit, quam arca non potuit capere, haec ſine ratione tantopere exaggerari. Quae enim regionibus quibusdam videntur eſſe propria, ab aliis, a quibus differre videntur, renera ſpecie non differunt: eaque, quae inter diuerſarum regionum animalia intercedit, differentia, non a natura, ſed ab indole regionum, in quibus degunt, prouenit. Quemadmodum itaque per animalium diuerſi generis commixtionem quaedam producta ſunt, quae tempore diluuii non fuerunt; ita etiam, poſtquam animalia in arca conſeruata in varias deinceps regiones diſperſa ſunt, magna ob regio-

Digitized by Google

regionis indolem, aliasque cauſſas, inter ea intercedere differentia potuit, vt tamen non deſinant, eiusdem ſpeciei eſſe animalia, propagata ab vnica illa ſpecie, quae in arca Noachi conſeruata fuit. Sic non neceſſe eſt, vt omnia ſerpentum genera in arca fuiſſe, ſtatuamus; cum diuerſitas, quae hodie inter ſerpentes, canes, & alia eiusdem ſpeciei animalia intercedit, deinde ex cauſſis quam pluribus oriri potuerit. Conf. EDVARDVS STILLINGFLEETVS, in *originibus ſacris*, *lib. III. cap. IV. §. VII. p. 1093.* Vnde nec hocce argumentum diluuii vniuerſalitati magnopere obſtabit. Reliqua, quae ISAACVS VOSSIVS, ceterique proferunt, cum non magni momenti ſint, iis quoque non immorabimur. Eo minus autem ſententiae de particularitate diluuii ſubſcribere poſſumus, quo luculentiora in narratione Moſaica occurrunt documenta, quibus, vniuerſale illud fuiſſe, euincitur. Sic Deus diſerte iubet, *ex omni carne & omni animante* paria in arcam intromittere, ad ſpeciem conſeruandam, *Gen. VI. 19.* quod & Noachus fecit, quemadmodum Deus iuſſerat. Quem vero in finem? Num ex aliis regionibus eiusdem ſpeciei animalia repeti non potuiſſent, ſi diluuium ſaltem fuiſſet particulare? Confirmat idem Moſes, dum omnia in vniuerſo terrarum orbe animantia periiſſe, diſerte perhibet, *Gen. VII. 21.* Praeterea de diluuio vbique ita loquitur Moſes, vt totius orbis πανολεϑρίαν indicet; nec vel minimum in tota hac narratione occurrit ſignum, vnde colligas, fuiſſe illud diluuium particulare. Quid vero neceſſe fuiſſet, tanto adparatu in arca cum animalibus ſeruare Noachum, cum ſaltem regionem ei oſtendere potuiſſet Deus, in quam inſtante diluuio ſe reciperet, quemadmodum Lothum Sodomae excidio eripuit. Omne denique dubium eximit, quod dicitur, altiſſimos montes aqua ita tectos fuiſſe, vt haec illos quindecim ſuperaret cubitos. Quod, qua ratione fieri potuerit, niſi vniuerſale diluuium ſtatuatur, intelligi nequit. Quae ad haecce reponunt, qui ſecus ſentiunt, vim manifeſtam ſimpliciter a Moſe dictis, inferunt.

** Duo cumprimis apud Graecos celebrantur diluuia, alterum in Attica & Boeotia, tempore Ogygis, alterum Deucalionis in Theſſalia; prioris praeter alios STRABO, *lib. IX. p. 406.* poſterioris HERODOTVS, *lib. VII. cap. CXXIX.* aliique, meminerunt. Fuerunt hinc nonnulli, qui haec diluuia de vniuerſali illo, ſeu Noachico, interpretarentur. At vero, praeterquam, quod ab antiquiſſimis auctoribus ita deſcribantur, vt ſatis intelligatur, vnius ſaltem aut aliquot regionum, Atticae, Boeotiae, ac Theſſaliae inundationem innui, temporum etiam repugnant rationes. Ogygem enim Phoroneo, qui Argis regnauit, aequalem fuiſſe, perhibent: Phoroneus vero annis MXX ante primam Olympiadem, hoc eſt, anno mundi circiter MMCLXXXIX regnauit. Vid. EVSEBIVS, *praeparat. euangel. lib. X. cap. X.* Deucalion autem Ogyge multum fuit poſterior, ſuntque,

Digitized by Google

qui diluuium Deucalionis ad annum mundi MM CCCC XXXVII referunt. Interim nonnulli ſcriptorum ethnicorum, dum Deucalioneum & Noachicum diluuium inter ſe confundunt, haud contemnendum de Noachico narrationis Moſaicae veritati teſtimonium praebent. Certe, quae LVCIANVS de *Syria Dea, tom. II. oper. p. m. 660. ſeqq.* de diluuio Deucalioneo refert, ita comparata ſunt, vt prorſus in Noachicum quadrent. Digna eius, quae & hic legantur, etſi breuitatis cauſſa tantum latine, verba ſunt: *Complures igitur Scytham illum Deucalionem, eum puta Deucalionem, cuius temporibus aquarum diluuium fuit, templum hoc conſecraſſe tradunt. Apud Graecos autem, quod illi de Deucalione dicunt, audiui, ſicque ſe habet fabula. Hanc hominum generationem, quae nunc eſt, ab initio nequaquam fuiſſe, ſed eam, quae tunc fuit, totam interiiſſe. Hos autem homines, qui nunc ſunt, ſecundi generis eſſe, quod rurſus a Deucalione in multitudinem excreuit. De illis autem hominibus haec tradunt, eos, cum eſſent admodum contumelioſi, nefaria perpetraſſe, iuramentum non obſeruando, hoſpites non recipiendo, ſupplices non ferendo. Quam ob cauſſam in magnam calamitatem incidiſſent, quum terra protinus aquam multam effudit, imbres magni ingruerunt, fluuii maiores decurrerunt, atque in tantum intumuit mare, vt omnia eſſent aqua, & omnes perierint. Deucalion autem ſolus hominum relictus eſt in ſecundam generationem, prudentiae & pietatis gratia. Seruatus autem fuit hoc pacto. Magnam quamdam arcam, quam ipſe habebat, liberis & vxore in eam impoſitis, conſcendit. Ingredientem ſequuti ſunt apri, equi, leones, ſerpentes, & alia, quaecumque in terra paſcuntur, bina cuncta. Quae omnia excepit, nec ipſum laedebant, ſed magna inter eos diuinitus erat concordia: vnaque in arca omnes nauigarunt, quamdiu aqua ſuperauit. Atque haec quidem de Deucalione Graeci tradunt.* Nihil profecto luculentius de diluuio Noachico dici poterat. Non minus tamen luculenta ſunt, quae ex BEROSO, IOSEPHVS *lib. I. contra Apion. cap. IV.* & ex ABYDENO, EVSEBIVS, *praeparat. euang. lib. IX. cap. XII.* & CYRILLVS, *lib. I. aduerſ. Iulianum*, proferunt. Et ABYDENVS quidem ſpeciatim columbae emiſſae meminit; quod & ex Graecis PLVTARCHVS facit, Deucalioneum diluuium cum Noachico itidem confundens, in libro: *terreſtria an aquatica animantia plus habeant ſolertiae.* Legi etiam merentur, quae ex MOLONE, EVSEBIVS adfert, *lib. IX. praeparat. euangel. cap. XIX.* & ex NICOLAO DAMASCENO, IOSEPHVS *loc. cit.* Quae in poëtarum fabulis quaeruntur diluuii veſtigia, nunc lubens mitto; cum haud neſciam, dubiae quandoque eas eſſe interpretationis. Sed id praetermittere nequeo, in diluuii hiſtoriam omnium fere gentium memoriam deſinere; vnde & VARRONI omne id tempus ἄδηλον ſeu ignotum vocabatur, apud CENSORINVM,

BINVM, de *die nat. cap. XXI. p.154.* Conf. HVGO GROTIVS, *de veritat. chriſtiau. religion. lib. I. §. XVI. p.m.46. ſeqq.*

§. IV.

Reſtituto orbe, * Deus Noacho denuo dominium in res creatas, facultatemque veſcendi animantibus ** conceſſit, poenamque homicidii capitalem conſtituit, vt eo magis ab iſto ſcelere, quod frequens admodum ante diluuium fuit, mortales deterrerentur. *** Fedus etiam de orbe non amplius per diluuium perdendo cum Noacho percuſſit, eiusque ſignum iridem conſtituit. *

* Quo pacto ceſſante diluuio, & tellure ſiccata, ex arca egreſſus Noachus, orbisque ita reſtitutus ſit, diſtincte narrat Moſes *Gen. VIII. 1. ſeqq.* Refert inter alia, arcam conſediſſe in *montibus Ararat*, hoc eſt, *Armeniae*, vt interpres vulgatus non ſine ratione habet. Idem namque ex BEROSI fragmento apud IOSEPHVM, *antiquit. iudaic. lib. X. cap. II.* conſtat, & gentilium quoque ſcriptorum, qui diluuii meminerunt, teſtimoniis confirmari poteſt. Vid. SAM. BOCHARTVS, in *Phaleg. lib. I. cap. III.*

** An ante diluuium carnes animalium ederint homines, immo an iis veſci fas fuerit, varie multumque diſputant viri eruditi. Nefas fuiſſe, idque Noachidis demum a Deo conceſſum, non tantum talmudici doctores in *excerptis Gemarae ad tract. Sanbedrin*, a 10. COCCEIO editis, *cap. VII. §. VII.* itemque R. ABEN ESRA & R. SAL. IARCHI, ad *Geneſ. I. 29.30.* aliique Ebraeorum, laudati R. MENASSI BEN ISRAEL, in *conciliatore, quaeſt. X. in Gen.* contendunt, ſed ex antiquis eccleſiae doctoribus in eadem verſantur opinione HIERONYMVS, *lib. I. contra Iouinianum*, THEODORETVS, *quaeſt. LV. in Geneſin*, diſſentiente IVSTINO martyro, vel quisquis auctor eſt *quaeſtion. & reſponſ. ad orthod. num. CXIX. p.m. 471.* aliisque. Nec magis, qui ſequiori aetate vixerunt, hac de re inter ſe conueniunt. BENEDICTVS PERERIVS tres circa hancce quaeſtionem opiniones in medium adfert; primam eorum, qui negant, eſum carnium ante diluuium fuiſſe vel in vſu, vel licitum; alteram eorum, qui contrariam ſententiam tuentur, nimirum fuiſſe ante diluuium eſum carnium & licitum, & vſitatum; tertiam denique eamque mediam eorum, qui exiſtimant, licitum quidem fuiſſe eſum carnium ante diluuium, abſtinuiſſe tamen pios Sethitas; variosque adlegat auctores, qui vnam ex hiſce ſibi defendendam ſumſerunt; *comment. in Geneſin, lib. XIV. diſp. I.* Et vltimae quidem ſententiae ex recentioribus etiam adſtipulatur GERHARDVS IOAN. VOSSIVS, *de ortu & progreſſu idololatriae, lib. III. cap. LXV. p. 1074.* quae forte paucioribus ſe probabit, cum prima pariter ac ſecunda noſtra quoque aetate viros doctiſſimos defenſores nacta ſit. Diſputatum

etiam ſpeciatim hac de re fuit inter STEPHANVM CVRCELLAEVM & IO. HENRICVM HEIDEGGERVM. CVRCELLAEVS enim ſententiae illorum, qui, licitum ante diluuium carnium eſum fuiſſe, negant, acceſſerat, in *diatribe de eſu ſanguinis inter chriſtianos*; a quo cum diſſenſiſſet HEIDEGGERVS, in tractatu de *libertate chriſtianorum a lege cibaria veterum de ſanguine & ſuffocato, cap. III. & IV.* fuit nonnemo, qui vindicias pro ſententia CVRCELLAEI ſcriberet; quibus iterum *apologeticam exercitationem* oppoſuit HEIDEGGERVS, quae *decima quinta* eſt partis primae, in *hiſtoria* eius *ſacra patriarcharum.* Rationes praecipuae, quibus probari poteſt, ante diluuium licitum fuiſſe carnium eſum, hae ſunt: primo, quod nulla lex adferri queat, qua eſus carnium fuerit prohibitus. Si enim lege quadam fuiſſet prohibitus, ea lex aut naturalis fuiſſet, aut poſitiua. Naturalis non fuit; cum nulla ratio adferri queat, cur naturae hominum carnium eſus non conueniat. Quod enim Pythagoraei, aliique, carnium eſum non promiſcue omnibus conceſſum voluerint, id aut ex falſis erroneisque factum hypotheſibus, v. g. de metempſychoſi, aut certe ex eiusmodi rationibus, quae neutiquam euincerent, carnium eſum in ſe illicitum eſſe. Intelliget hoc, qui ſecum expenderit, quae PORPHYRIVS, in libris quatuor περὶ ἀποχῆς τῶν ἐμψύχων, *de abſtinentia ab eſu animantium*, diſputat, quaeue de mente ſententiaque Pythagoraeorum hac in re tradit IO. SCHEFFERVS, de *natura & conſtitut. philoſ. Italicae, cap. XI.* Nec vllo alio indicio conſtat, cur ab eſu animantium prorſus abſtinere debeant homines. Praeterea ſi lege naturae nefas eſſet, carnibus animantium veſci, nec poſt diluuium hoc concedere Deus potuiſſet. Nec enim per ſummam ſuam ſanctitatem Deus quidquam, quod naturae legibus repugnat, concedere poteſt. Lege quoque poſitiua eſum carnium prohibitum ante diluuium fuiſſe, dici nequit; cum nullibi eiusmodi lex poſitiua inueniatur. Quod enim nonnulli ex eo, quod *Geneſ. I. 29.* Deum hominibus varia herbarum genera, nulla animantium facta mentione, in cibum dediſſe dicitur, colligunt, eſum carnium a Deo fuiſſe prohibitum, id nullius plane eſt momenti. Vnius namque adſertio non ſtatim eſt alterius remotio. Nec ſequitur, Deus mentionem animantium diſerte non fecit, ergo eorum eſum prohibuit. Deus enim & vini vſum nullibi diſerte conceſſit, inde autem inferre non licet, eum eſſe illicitum. Rationes etiam Deo eſſe potuerunt, cur animantium diſerte mentionem non faceret, quod ſcilicet initio fruges variae in paradiſo hominum conſeruationi ſufficerent, nec mactari ſtatim animantia voluerit, donec ita ſe iam multiplicaſſent, ne vlla ſpecies extingui penitus temere poſſet. Quidquid huius ſit, qui licitum ante diluuium carnium eſum contendunt, ex dominio, vniuerſali homini in animantia, *Gen. I. 26.* conceſſo, argumentum quoque petunt. Nec enim aliter hoc dominimini-

minium intelligi poſſe, quam vt ius vtendi animalibus ad hominum conſeruationem deſignet. Et licet quaedam animalia ſint, ex quibus etiam alia ratione, quam per carnium illorum eſum, commodum capere homo queat; multa tamen vice verſa ſunt, v. g. piſces, quae alia ratione homini commodum nullum adferunt, quam vt illi in cibum cedant. Diſcrimen praeterea inter beſtias cicures & feras, pingues & minus pingues, mundas & immundas, cuius haud obſcura in hiſtoria antediluuiana occurrunt veſtigia, vrgent, qui, carnium eſum eo tempore licitum fuiſſe, contendunt. Cumprimis vero & ſacrificia huc aduocant, quae iam ante diluuium in vſu fuiſſe, vel Abelis exemplo condocemur. Fieri equidem potuit, vt Abel verum ſacrificium pecudis mactatione, ſanguinisque effuſione, Deo offerret, etſi carnibus animalium ceteroquin eo tempore homines nondum veſcerentur, vt iam ſupra ad *ſect. I. §. XXXI.* obſeruatum. Interim ſi morem antiquiſſimum, reſiduas ſacrificiorum carnes comedendi, ſpectes, haud ſine ratione inde quoque argumentum ducitur, quo, & licitum & vſitatum ante diluuium carnium eſum fuiſſe, euincitur. Mitto reliqua, quibus eadem ſententia confirmari ſolet. Non deſunt equidem & ſecus ſentientibus, quibus ſuae opinioni veritatis ſpeciem conciliare adnituntur. Inter alia vrgent, naturae humanae carnium eſum non conuenire: longaeuitatis hominum antediluuianorum cauſſam inter alia ab abſtinentia ab eſu carnium repetendam; cum ſtatim, ac carnibus animantium veſci homines coeperint, vitae quoque terminum breuiorem acceperint: a Moſe etiam herbarum tantum eſum, non animantium, hominibus antediluuianis concedi, *Geneſ. I. 29.* Cumprimis hoc ſpeciem quamdam habet, quod fruſtra Deus Noacho permittere videatur, *Gen. IX. 3.* quod dudum ante diluuium in vſu fuit. Hoc praecipue vrget IO. CLERICVS, qui vna cum HVGONE GROTIO itidem illorum adſtipulatur ſententiae, qui, ante diluuium carnium eſum non fuiſſe vſitatum, autumant, ad *Gen. IX. 3.* Sed quid ad primum & tertium argumentum reſpondendum ſit, iam ex dictis patet. Longaeuitatis hominum antediluuianorum cauſſas quasdam fuiſſe naturales, interque eas ſimpliciorem victus rationem, non abnuo; inde tamen non ſequitur, ab omni carnium eſu eos prorſus abſtinuiſſe. Conf. quae ad *ſect. praeced. §. XL.* dicta ſunt. Denique quod ad conceſſionem eſus carnium Noacho a Deo factam attinet, *Gen. IX. 3.* ea ſaltem repetitio fuit conceſſionis dominii in omnia animantia, iam factae Adamo, *Gen. I. 29.* ex qua potius colligere licet, iam Adamo facultatem carnibus animalium veſcendi a Deo conceſſam. Nec abſonum erit, ſi dicamus, eamdem facultatem, quam homines antediluuiani habuerunt, denuo conceſſam Noacho, eiusque poſteris, praeſertim, ſi cauſſam ſpectemus repetitae huius conceſſionis. Inter delicta enim hominum antediluuianorum, quibus ſibi & orbi vniuerſo vlti-

vltimam attraxere perniciem, frequentiſſima haud dubio fuere homicidia, vt iam antea indicauimus. Vt itaque Deus homines eo magis ab omni crudelitate in poſterum abſtraheret, non tantum, vt homicidae capitali adficerentur ſupplicio, diſerte iuſſit, ſed &, ne carnem animalis cum ſanguine ſuo comederent, ſanciuit. Ne vero exiſtimarent, omni eſu carnis ſibi interdictum eſſe, conceſſionem ſuam repetiit Deus. Senſus itaque diuinae conſtitutionis huc redit: non equidem eſum carnium prohibebo, immo denuo eumdem vobis concedo; at, vt eo magis ab omni crudelitate abſtrahamini, nolo quemquam carnem cum ſanguine ſuo comedere. Ceterum vt illud adhuc addam, diſtinctae quaeſtiones ſunt: an eſus carnium ante diluuium fuerit licitus, & an fuerit vſitatus? Potuit enim fieri, vt, etſi licitus eſſet, nonnulli tamen, aut etiam omnes, ſua ſponte ab eodem ſe abſtinerent; praeſertim cum forte eo tempore fruges & herbae omnium ſuſtentationi ſuffecerint. Patet etiam, rationes antea a nobis adlatas id praecipue probare, eſum carnium ante diluuium non fuiſſe illicitum. Verum, ſi non illicitus fuit, haud dubio etiam fuit vſitatus; idque dubio carebit, ſi ſupponamus, eos, qui ſacrificia obtulerunt, reſiduas carnes comediſſe. Accedit, quod nulla ratio valida, qua probetur, eum non fuiſſe vſitatum, in medium adferri queat. Sed plura hac de re dabunt SAM. BOCHARTVS, in *hierozoic. part. I. lib. I. cap. II.* IO. SELDENVS, de *iure nat. & gent. iuxta diſciplin. Ebraeorum, lib. VII. cap. I. p. 829.* aliique. Iungenda diſſertatio de *creophagia ante diluuium licita*, in hacce academia ſub praeſidio IO. ANDR. DANZII, viri doctiſſimi, habita.

*** Nulla enim alia probabilis reddi ratio poteſt, cur Deus ſtatim poſt diluuium, homicidas capitali adficiendos ſupplicio eſſe, ſanciuerit. Sed confirmari etiam haec ſententia ex iis poteſt, quae ſupra ad *§. I. huius ſectionis* de נפלים diximus. Ita & optime cuncta cohaerent. Ceterum eos, qui verba *Geneſ. IX. 6. quiſquis effuderit ſanguinem hominis, per hominem ſanguis eius effundetur*, non praeceptum de homicidio capitaliter puniendo, ſed euentus futuri ſignificationem continere, autumant, magnopere falli, iam ex inſtituto demonſtraui, *inſtitut. theolog. mor. part. II. cap. IV.* ad *§. XVIII. p. 852. (edit. nou. p. 523.)*

* Federis diſerte meminit Moſes *Gen. IX. 11. 12.* Immo prima vice vocem ברית hic occurrere, nonnullis obſeruatum. Spectauitque hocce fedus ad *regnum naturae* potius, quam ad *regnum gratiae*, quo ſenſu *naturale* nonnullis dicitur. Nimirum mundi huius, hominumque & animalium eo nitebatur conſeruatio, quod diluuio illis numquam iterum pereundum ſit. Longeque adeo diuerſum fuit a federibus illis, quibus aeterna hominum innititur ſalus. Promiſſum etiam potius fuit; cum Deus illud non tantum cum hominibus, ſed et cum brutis inire dicatur,

Digitized by Google

catur, *v. 12.* A brutis animantibus autem conditio, quam praeſtare debeant, requiri nequit, quod tamen ad fedus requiritur. Actus itaque *μονόπλευρος* potius, quam *δίπλευρος*, fuit. Nec inſolens, vt vox federis ita capiatur. Signum autem ſeu firmamentum huic promiſſo Deus addidit iridem, ſeu arcum caeleſtem, vt eo conſpecto, homines promiſſum diuinum, de mundo non amplius diluuio perdendo, in memoriam ſibi reuocarent. Non quidem ac ſi tum demum iridem creauerit, aut produxerit, ſed quod eam in ſignum ſeu firmamentum ſuae promiſſionis conſtiterit. Vnde & diſerte dicit: *Ponam arcum meum*, hoc eſt, conſtituam, vt ſignum vobis ſit, atque teſſera meae promiſſionis. Cum enim eaedem cauſſae, quae hodie iridem producunt, etiam ante diluuium fuerint; fieri profecto non potuit, vt non iris quandoque exſiſteret, licet forte id Noacho cum aliis antediluuianis hominibus, adeo non fuerit obſeruatum. Qui autem poſt diluuium demum iridem ortam ſtatuunt, eos, illam ex cauſſis naturalibus non produci, adſerere neceſſe eſt; quod nonnulli etiam faciunt. Id quod an rerum naturalium peritis perſuaſuri ſint, valde dubito. Nec, vt eo nos recipiamus, neceſſe eſt; cum nulla nos cogat ratio, vt, poſt diluuium demum ortam iridem, adſeramus. Ad fedus enim ſeu pactum hocce confirmandum, ſignum iſtud ſatis aptum erat. Si dicas, nouum fedus nouum requirit ſignum, reſpondeo, fuit etiam nouum ſignum, etſi iris absque ratione ſigni ſpectata iam antea eſſet. Poteratque ſatis hoc ſigno erigi & confirmari Noachi animus, quippe qui, a Deo ipſo hocce ſignum conſtitutum, ſciebat. Perinde autem ei eſſe poterat, ſiue iam fuiſſet iris, ſiue non fuiſſet; cum nunc demum in ſignum & firmamentum promiſſi a Deo conſtituta eſſet. Si THOMAE BVRNETII de mutato per diluuium telluris ſitu firmis niteretur fundamentis, ſententia, rectius quam ſecundum hypotheſin receceptam, diceretur, ante diluuium iridem non fuiſſe. Sed cum omne illud, quod de ſtatu, figura, productione, ſitu telluris antediluuianae vir ille doctus differit, lubrico, immo nullo, innitatur fundamento, etiam ſententia eius de iridis poſt diluuium productione, ſua ſponte corruit. Ad ea, quae *lib. II. theor. telluris ſacrae, cap. V. p. 113.* pro ſua ſententia confirmanda adfert, ex hactenus dictis facile reſponderi poteſt. Conf. SALOMON DEYLINGIVS, *obſeruation. ſacrar. part. I. obſeruat. V. p. 21. ſeqq.* qui & in antecedentibus *obſeruat. IV. p. 18. ſeqq.* contra eumdem THOMAM BVRNETIVM recte euincit, etiam conſtitutionem quatuor anni temporum iam ante diluuium fuiſſe.

§. V.

Religio ceteroquin Noachi & patriarcharum poſt diluuium, a religione patriarcharum antediluuianorum non diuerſa fuit, continebaturque federe gratiae, cuius caput & ſumma erat promiſſio de ſemine mulieris, per quod omnes, qui in illud crederent, ſalutem aeter-

Digitized by Google

aeternam conſequi poſſent. * Leges quoque alias, quam quibus antediluuiani homines obligabantur, a Deo latas, non legimus. ** Quae enim vulgo vocantur praecepta Noachidarum, reuera ſummam quamdam iuris diuini vniuerſalis continent. ***

* Hoc vel exinde liquet, quod nulla in federe gratiae, poſt lapſum primorum parentum promulgato, & cuius ſummam ſupra expoſuimus, hocce tempore contigerit mutatio. Immo federis huius, quae aut continebat, aut ſupponebat, capita praecipua, haud obſcure in hacce ſacrae hiſtoriae periodo deprehendere licet. Inter praeſuppoſita eius eminet dogma de perſonarum in vna eſſentia diuina trinitate. Hanc vero cumprimis luculenter demonſtrat iſte ſupremi Numinis ſermo: *Agite deſcendamus, confundamus eo in loco eorum labia*, *Geneſ. XI. 7.* Etenim ſi modo pluralitas perſonarum hinc euincatur, res ſalua eſt. Non enim plures aut pauciores, quam tres, eſſe, aliunde ſatis conſtat. Qui Deum inſtar regis hic loquentem induci autumant, vel ipſorum Iudaeorum iudicio redargui poſſunt, qui, Deum cum angelis conſultationem inſtituiſſe, contendunt, tantum abeſt, vt inficiari audeant, plures hic inter ſe colloquentes introduci. Ita non tantum PHILO, de *confuſione linguar. p. 296.* ſed & IONATHAN paraphraſtes chaldaeus, ad *h. l.* aliique. Quod vero cum angelis inſtituta conſultatio non fuerit, vel inde liquet, quod nulla hic angelorum, ſed ſolius יהוה *Dei* mentio, tum in decreti diuini, tum in eius exſequutionis expoſitione. Non enim *verſ. 5.* dicitur: *deſcendit Dominus & ſancti eius, vel angeli eius cum eo, &c.* ſed tantum: *deſcendit autem Dominus, vt videret illam ciuitatem.* Sic & *verſ. 6. dixit Dominus: en! populus vnus &c.* Praeterea conſultatio hic cum illis inſtituitur, qui Deo tamquam aequales in prima perſona adiunguntur, & in eodem dignitatis & potentiae gradu conſtituuntur, quod de angelis dici nequit. Nec locus ſcripturae in medium produci poterit, quo probari queat, Deum hac ratione angelos ſibi adiungere. Accedit, quod confuſio linguarum non ſit opus angelorum, ſed opus Dei, & quidem eiusmodi, in quo nullo modo angelorum miniſterio vſus videtur; quod patebit ex iis, quae hac de re in ſequentibus dicentur. Interim Iudaei eo facilius in hanc ingredi ſententiam potuerunt, quod firmando illorum commento, quod Deus in linguarum confuſione, eamque ſequuta gentium diſperſione, ſingulis gentibus certos angelos praefecerit, inſeruiat. Legendus hac de re IO. BVXTORFIVS, in *diſſertat. de lingu. Ebr. confuſ. & plur. lingu. origine*, quae ſecunda eſt inter *diſſertationes* eius *philologico-theolog. p. 57.* Iam ergo, ſi cum angelis non conſultauit Deus, & tamen cum aliis & quidem cum aequalibus dignitate ac potentia conſultauit; nihil aliud ſupereſt, quam vt dicamus, perſonarum hic luculenter indigitari pluralitatem. Non equidem neſcio, & ORIGENEM, *hom.*

Digitized by Google

hom. XIII. in Num. & AVGVSTINVM, *lib. XVI.* de *ciuit. Dei*, *cap. VI.* alioſque ex chriſtianis, angelos intelligere, quibuscum conſultauerit Deus. Sed horum nobis neutiquam tanti eſt auctoritas, vt rationibus luculentis praeferri debeat. Poſſem plura ex hacce hiſtoriae ſacrae periodo documenta proferre, ad perſonarum in vna eſſentia diuina trinitatem demonſtrandam; ſed cum ea iam ab aliis adlata ſint, hoc ſaltem addo, doctrinae de Meſſia ſeu ſemine mulieris, ceu capite praecipuo religionis Noachidicae, veſtigia quoque luculentiſſima hic conſpici. Illuſtre eſt illud Noachi vaticinium, *Geneſ. IX. 26.* quo, *benedictum Deum Dominum Semi*, pronuntiat. Per *Deum* enim *Dominum Semi*, Meſſias intelligitur, qui eſt θεὸς εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας, *Rom. IX. 5.* ſimul tamen verus futurus erat homo, ex Semi poſteris naſciturus. Hinc enim Deus Semi vocatur. Etenim, ſi illa loquendi ratio, vt recte nonnullis obſeruatum, *Dominus Deus Semi*, nuda ſaltem Dei gratia erga Semum, aut fiducia Semi in Deum, connotaretur, fuiſſet etiam Iapheti Dominus Deus, de quo tamen id non dicitur; non profecto aliam ob cauſſam, quam quod ex Semi poſteris Meſſias eſſet oriturus. De Meſſia itaque cum ita loquutus ſit Noachus, vt vtramque eius naturam, diuinam & humanam, aperte deſignaret; reliqua, quae ad fedus gratiae, & quidem primam hancce eius oeconomiam, ſpectant, facili inde deduci negotio poſſunt. Addunt etiam nonnulli, praeter alia, locum *Geneſ. VIII. 21.* idque duplicem ob rationem, primo, quod ibi legitur: *& dixit Deus ad cor ſuum*, quod paraphraſtes chaldaeus vertit: *dixit Dominus ad verbum ſuum:* ſcilicet ὑποςατικὸν, *Ioan. I. 1.* deinde, quod ibidem Deus dicit, ſe non amplius mundum perditurum, *propter hominem*, id eſt, ſe ob hominem, ſeu Chriſtum, tam graui poena in orbem non amplius animaduerſurum. Verum, ſi dicendum, quod res eſt, a mente Moſis haec prorſus ſunt aliena. Priori enim loquendi ratione hoc ſaltem innuitur, Deum apud ſe ipſum ita ſtatuiſſe, ſeu ſecum decreuiſſe: poſterioris autem ſenſus eſt, ſe hominum cauſſa, etſi ſua natura praui atque maligni ſint, non amplius diluuio deleturum mundum. De reliquis, quae hic moneri poſſent, legendus BALTHASAR BEBELIVS, qui ex inſtituto eccleſiae Noachicae theologiam, quoad ſingula capita, exhibet, in *hiſtoria eccleſiae Noachicae*, *artic. VII. p. 91. ſeqq.*

** Quod enim ad legem illam poenalem, de homicidio capitaliter puniendo, attinet, eam naturalem eſſe, luculenter a me euictum in *inſtitut. theolog. mor. part. II. cap. IV.* ad *§. XVIII. p. 552. ſeqq. (edit. nou. p. 623.)* Hinc, etſi iam antea vel ex ratione nota eſſet; quia tamen antediluuiani homines eam neglexerant, & homicidiis frequentioribus Deum vel maxime irritauerant, Deo eam diſerte repetere hic viſum fuit, addita ob eamdem cauſſam illa de carne animalium cum ſan-

ſanguine non comedenda, de qua mox plura dicemus.

*** Praeceptorum iſtorum, quae vocant, Noachidicorum magna eſt celebritas, mentioque illorum ſit in *Gemara babylonica*, ad *tit. Sanhedrin, cap. VII. ſ. V.* itemque apud MOSEN MAIMONIDEM, in *halach. melachim, cap. IX.* aliosque ſcriptores ebraeos paſſim. IOANNES autem SELDENVS commentario ampliſſimo ea illuſtrauit, in opere de *iure nat. & gentium iuxta disciplinam Ebr.* qui & ſpeciatim *lib. I. cap. X.* alibique, de iis agit. Sunt autem praecepta, quae hoc nomine veniunt, ſequentia: 1) על עבודה זרה de *cultu extraneo;* :) על ברכת השם de *benedictione nominis*, vel quod perinde eſt, quod nomini diuino non ſit maledicendum; 3) על שפיכות דמים de *effuſione ſanguinis, ſeu de homicidio;* 4) על גילוי עריות, de *reuelatione turpitudinum*, ſeu euitanda ſcortatione, adulterio, inceſtu; 5) על הגזל de *furto ac rapina;* 6) על הדינים de *iudiciis ſeu regimine forenſi ac obedientia ciuili;* & denique 7) על אבר מן החי de *membro animalis viuentis*, quod ſcilicet illud comedere non liceat. Ex hisce ſeptem praeceptis ſex priora Adamo a Deo data fuiſſe, contendunt, ſeptimum vero Noacho datum, quibus deinceps alia acceſſerint, Abrahamo, Iſaaco, Iacobo, tandemque genti iſraëliticae a Deo tradita Non omni prorſus fundamento hancce Ebraeorum traditionem deſtitui arbitror, & ita iam pridem iudicaui, in *introdu. ad hiſtor. philoſoph. Ebr. p. 14. 15.* Alii tamen aliter ſentiunt, prodiitque anno MDCCXI Lipſiae diſſertatio, qua *auctoritas praeceptorum Noachidicorum in dubium vocata*, & ſpeciatim mea hac de re ſententia, variis impugnata fuit rationibus. In cuius diſſertationis auctore & eruditionem & modeſtiam laudo. Rationes autem eius a me nondum, vt ſententiam mutem, impetrant. Quod vt paucis oſtendam, initio monendum eſt, praecepta haec Noachidica ſummam velut iuris diuini, prout Noacho illud innotuit, complecti. Primum enim & ſecundum haud obſcure ea comprehendit, quae in prima decalogi tabula continentur. Nec quidquam obſtat, quo minus ſub *benedictione nominis*, non tantum prohibitionem de nomine Dei non profanando, ſed & praeceptum de ſanctificando ſabbatho, comprehendamus. Porro, praeceptum ex Noachidicis tertium, quartum & quintum, manifeſte reſpondent praecepto decalogi quinto, ſexto & ſeptimo. Ad praeceptum Noachidarum ſextum, de iudiciis, haud incommode retuleris, quae in praecepto decalogi quarto de cultu parentibus, quo nomine etiam magiſtratus comprehenduntur, exhibendo, & in praecepto decalogi octauo, de non dicendo falſo teſtimonio, continentur. In nono atque decimo decalogi praecepto ipſa etiam concupiſcentia praua, tum actualis, tum habitualis, prohibetur, nec dubium, quin primis hominibus notum ſatis atque per-

Digitized by Google

perſpectum fuerit, concupiſcere non minus nefas eſſe, quae Deus prohibuit, quam perpetrare. Sed, quod vltimum eſt, inter Noachidica, de *membro animalis viuentis non comedendo*, etſi ſpecialiori quadam ratione ad Noachum eiusque poſteros ſpectet, ſuum tamen fundamentum itidem in ipſa natura hominum habet, vt deinceps demonſtrabimus. Recte id, quod diximus, etiam obſeruauit PETRVS IVRIEV, *hiſt. crit. dogm. & cult. part. I. cap. IV. p. 40.* Iam ſi quis cogitet, quis Noachus fuerit, reſtaurator non tantum humani generis, ſed verae etiam religionis propagator, is nullatenus dubitare poterit, praeter fidem in Meſſiam, de qua antea dictum, eum ſummam hancce legum diuinarum, poſteris ſuis quam diligentiſſime inculcaſſe. Et hinc omnino fama iſta atque traditio in gente ebraea, de praeceptis Noachidicis, non omni prorſus deſtituitur fundamento: licet adſeuerare nolim, ſeptenario praeciſe praeceptorum numero, leges diuinas a Noacho fuiſſe incluſas, aut ipſa, quae feruntur, praecepta Noachidica, totidem verbis a Noacho concepta, per Iudaeos ad noſtram aetatem fuiſſe propagata.

Atque hoc ſi obſeruetur, haud difficulter ad rationes noſtrae ſententiae oppoſitas reſpondere licet. Iudaei, inquiunt, qui ſecus ſentiunt, circa numerum horum praeceptorum non conſentiunt, aliis ſeptem, aliis plura commemorantibus. Nihil hoc ad nos. Poſſunt aliquando ſub vno praecepto aut plura, aut pauciora comprehendi. Hinc ſumma iuris diuini a Noacho ad poſteros propagati, aut pluribus aut paucioribus praeceptis efferri potuit. Interim receptior, plurimumque calculo adprobata eſt ſententia, ſeptem antea memoratorum praeceptorum ambitu, iuris Noachidici ſummam comprehendi. Vrgent porro, ἄγραφον hanc eſſe ſententiam, nec vllo in diuinis oraculis fundamento gaudere. Vtique, ſi diſerte ſcriptura traderet, ſeptem illa praecepta a Noacho profluxiſſe, res dubio careret, nec diſputationi amplius locus eſſet. Veſtigia tamen & fundamenta huius ſententiae, prout antea eam propoſui, haud obſcure in ſcriptura ſacra deprehendere licet. Iuris enim diuini, prout in decalogo continetur, ſummam, notam Noacho fuiſſe, quis dubitet? Ei vero, poſteriſque eius, legem de ſanguine animalium non comedendo, in ipſa tamen itidem natura fundatam, datam fuiſſe, conſtat ex *Geneſ. IX. 4.* Hasce vero leges, cum vir ſanctiſſimus Noachus eſſet, poſteris ſuis haud dubio quam diligentiſſime inculcauit. Nec illud opponi nobis poteſt, quod maior patriarcharum antediluuianorum & Noachi fuerit pietas, quam quae ſeptem hisce praeceptis circumſcribi potuerit. Perinde enim hoc eſſet, ac ſi quis dicat, ſanctorum hominum in veteri & nouo teſtamento pietatem decem decalogi praeceptorum ambitu non circumſcribi. Enimuero dum ſummam iuris diuini in illis comprehenſam dixi, hoc ita intellexi, quod principia ſint, ex quibus concluſiones

ad omnia hominum officia ſpectantes, deriuari queant. Sed nec illud praetermittendum, quod de iure diuino vniuerſali loquamur, ſeu naturali, ad quod, tempore Noachi, praeceptum, de non comedenda carne animalis cum ſanguine, acceſſit, quod itidem vniuerſale fuiſſe, & in ipſo iure naturae fundamentum habere, ex dicendis conſtabit. Vnde occurri illorum obiectioni poteſt, qui negant, in hiſce praeceptis ſummam iuris diuini contineri, quia ſeptimum praeceptum ad ius vniuerſale non ſpectet. Spectat namque vtique ad ius vniuerſale, vt mox vlterius probabitur. Firmo itaque etiam ſtant talo, quae pro hacce ſententia in *introduct. ad hiſt. philoſ. Ebr.* in medium attuli. Nullam, dixi, me videre rationem, cur haec Ebraeorum traditio vocari in dubium debeat. At commentis & fabulis indulget gens ebraea! Non abnuo. Num autem inter tot commenta quaedam vera eſſe nequeunt? Num ideo omnia reiicienda, quia plurima figmentis foedata apud eos deprehenduntur? Dixeram etiam, Noachidici iuris veſtigia, excepto vltimo praecepto, in libro Iobi deprehendi; nec me eius adſerti poenitet. Si regeras, id in quaeſtione eſſe, num a Noacho iſta Iobus acceperit: quaerere licebit, a quonam igitur? Nonne & Iobus e poſteris Noachi fuit? Nonne religio, verusque Numinis cultus, per Noachum ad omnes eius poſteros propagatus fuit? Sed plures, inquis, Iobi fuerunt virtutes, quam in hiſce praeceptis Noachidicis continentur. Recte. Ex ſummis enim hiſce iuris diuini capitibus, aeque ac ex decalogo, plures deduci concluſiones poſſunt, vt antea monuimus. Quae apud Aegyptios, aliasque gentes, iuris Noachidici occurrunt veſtigia, ex ipſo iure naturae deriuari poſſunt. Fateor. Num vero ideo a Noacho ad eos non potuerunt propagari? Quidquid gentes antiquae veritatis habuerunt, id ex traditione potius, quam ratiociniis, eos habuiſſe, longe eſt veroſimillimum. Atque haec cum ſatis manifeſta ſint; ſupereſt ſaltem, vt circa primum & vltimum iuris Noachidici caput quaedam moneamus.

Nimirum ad primum quod attinet, & ratio ipſa dictitat, ſolum verum Deum colendum, adeoque eos, qui aliud quid praeter verum Deum colunt, grauiſſimo ſe obſtringere crimine, vel, quod perinde eſt, idololatriam fugiendam, & id haud dubio a maioribus ſuis acceperat Noachus. Hinc &, quin idem filiis ſuis, cum reliquis praeceptis diuinis, quam diligentiſſime inculcauerit, non eſt quod dubitemus. Et licet ante diluuium idololatria craſſior ſeu externa nondum orta eſſet, quod ſupra euicimus; fieri tamen poſſe, vt in eam homines prolaberentur, facile videre Noachus potuit. Ad minimum, dum vnius verique Dei cultum poſteris commendauit, non potuit non condemnare omnem idololatriam, etſi forte expreſſe hoc non fecerit. Vnde, qua ratione, & quo ſenſu primum hocce praeceptum ad Noachum referri queat, patet. Circa vltimum vero occur-

currit celebris, multorumque diſceptationibus agitata quaeſtio, an Deus ſanciendo, ne Noachus, eiusque poſteri, carnem animalis cum ſanguine ſuo comederent, ſanguinis quoque ipſius eſum illis interdixerit? Sunt, qui hoc adfirmant, ſunt &, qui negant. In priori ſententia verſantur TERTVLLIANVS, de *monogam. cap. V.* & de *ieiuniis, cap. IV.* CHRYSOSTOMVS, in *Geneſ. hom. XXVII.* THEODORETVS, in *Geneſ. tom. I. oper. p. 44.* SVLPITIVS SEVERVS, *hiſt. ſacr. lib. I. cap. IV.* plurimique recentiorum; ex noſtratibus quoque B. IO. GERHARDVS, ad *Geneſ. cap. IX. 4.* Nec deſunt, qui hinc rationem petendam putant, cur apoſtoli, in decreto concilii Hieroſolymitani, conuerſis e gentilibus itidem eſum ſanguinis & ſuffocati interdixerint, *Act. XV. 29.* Immo in hocce decreto apoſtolico ſummam praeceptorum Noachidicorum contineri, contendit WILHELMVS SCHICKARDVS, de *iure regio Ebraeor. cap. V. p. 129.* Verum illis, qui ita ſentiunt, ſuffragari nequeo. Verba enim Numinis haec ſunt: אך־בשר בנפשו דמו לא תאכלו *verumtamen carnem cum anima ſua*, hoc eſt, *ſanguine ſuo non comedetis.* Senſus eſt, carnem crudam, quae adhuc ſanguine ſuo animatur, adeoque ſemiuiua eſt, non eſſe comedendam. Id verba legis aperte docent. Non enim carnem ſolam, nec ſanguinem ſolum Deus prohibet, ſed *carnem in vel cum ſanguine ſuo.* Praeterea Deus Iſraëlitis ſanguinis eſum interdicens, ita loquitur: דם לא תאכלו *ſanguinem non comedetis*, idque non ſemel, ſed ſemper, quoties hac de re loquitur. *Leu. III. 17. VII. 26. 27. XVII. 10. 12. 14. Deut. XII. 16. XV. 23.* Quod documento eſt certiſſimo luculentiſſimoque, legem illam, quae Iſraëlitis eſum ſanguinis prohibet, plane diuerſam eſſe ab ea, qua eſus carnis cum ſanguine prohibetur Noachidis. Accedit, quod ſcopus legis huius Noachidicae ſit, homines eo magis ab omni crudelitate, hinc & ab homicidiis abducere, & ad manſuetiorem humanioremque vitae rationem transferre; cum illius contra legis, quae ſanguinis eſum Iſraëlitis prohibet, longe alius ſcopus ſit, vt alibi explicatur. Errant itaque etiam, qui, decretum apoſtolicum, quo recens conuerſis a gentilibus ſanguinis & ſuffocati eſum interdicunt, praecepto hocce Noachidico niti, arbitrantur. Nec WILHELMI SCHICKARDI ſententia, in decreto iſto apoſtolico ſummam iuris Noachidici contineri, admitti vlla ratione poteſt; quod pluribus demonſtrarunt IOAN. SELDENVS, *de iure natur. & gent. iuxta diſc. Ebr. lib. VII. cap. XII.* & IO. SPENCERVS, in peculiari diſſertatione, *libro II.* operis *de legibus Ebraeorum ritualibus & earum cauſſis*, adnexa. Et SPENCERVS quidem in eam ingreditur ſententiam, idolothyta, eſum ſanguinis & ſuffocati, cum ſcortatione, in decreto apoſtolico ideo prohiberi, quod haec omnia fuerint cauſſae, ſigna aut concomitantia idololatriae, voluiſſe-

luiſſeque adeo apoſtolos, vt conuerſi e gentibus eo apertius hac ratione teſtarentur, ſe ab omni idololatria, adeoque gentiliſmo alienos eſſe. Sed planior mihi ſimpliciorque illorum videtur ſententia, qui exiſtimant, conuerſis e gentilibus ideo haec interdicta fuiſſe, quod conuerſi ex Iudaeis his maxime rebus offenderentur. In gratiam itaque infirmorum ab idolothyto, ſanguine & ſuffocato, ad minimum tamdiu abſtinendum eſſe, donec apertius conſtaret, leges caerimoniales abrogatas eſſe. Quod vero his ſcortationem etiam iungunt, non ideo faciunt, ac ſi ea lege naturali prohibita non eſſet, ſed quod apud gentiles error iſte, eam prohibitam non eſſe, admodum inualuiſſet. Quidquid vero tandem huius ſit, id certum, quod decretum hoc apoſtolicum, cum praecepto ſeptimo iuris Noachidici nullam habeat conuenientiam. In hoc enim nec de ſanguine, nec de ſuffocato, ſermo eſt. Quod vero ab eſu carnis ſemiuiuae, ſeu in & cum ſanguine, abſtinendum ſit, ipſa profecto ratio, quae omnem crudelitatis ſpeciem fugere docet, monſtrat. Nullus itaque dubito, adſerere, hancce legem eſſe naturalem, adeoque omnes omnino homines obligantem, a Deo autem hic repetitam, vt eo magis a crudelitate, communi hominum antediluuianorum vitio, ad mitiorem manſuetioremque vitae rationem homines traduceret. Nec eſt, vt regeras, non opus fuiſſe iſto praecepto, cum vix credibile ſit, fore aut fuiſſe homines tam feros, qui carnes crudas, ſemiuiuas, in & cum ſanguine deuorarent. Fuiſſe enim omnino, hiſtoriarum nos abunde monumenta docent. Ad noſtram quoque ſententiam confirmandam plurimum facit, quod plerique Ebraeorum magiſtri, qui diſerte legem Noachicam, de carne cum ſanguine non comedenda, ab illa, quam Deus Iſraëlitis, de non edendo ſanguine, dedit, diſtinguunt, eidem adſtipulantur. Conf. IO. SELDENVS, de *iure nat. & gent. iuxta diſc. Ebr. lib. III. cap. V.* & PETRVS CVNAEVS, de *republ. Ebr. lib. I. cap. I. & lib. II. cap. XIX.* Ex inſtituto etiam hanc quaeſtionem pertractat SAM. SCHELGVIGIVS, *in exercitat. de concilio Hieroſolymitano, cap. XXXIX. §. III.*

§. VI.

Artium multarum iam ante diluuium inuentarum memoriam a Noacho eiusque filiis conſeruatam, & ad eorum poſteros propagatam, admodum eſt veroſimile. Id quod & de iis eruditionis partibus, quae ante diluuium in vſu fuerunt, videtur adſeri poſſe. * Nec tamen dubium, quin & nouae quaedam artes a Noacho & eius liberis inuentae fuerint. Huc ratio plantandi tractandique vites, & vinum ex vuis exprimendi referenda; cum vini vires ignotae fuiſſe videantur Noacho. **

* Hac

* Hac de re vt nemo temere dubiuerit; ita, quaenam illae artes aut ſcientiae fuerint, quae iam ante diluuium in vſu fuerunt, aut poſtea a Noachidis inuentae, non facile definire licet. Oppido etiam lubrico nituntur fundamento, qui ex *Ioſ. XV. 15.* oſtendere conantur, Kiriath Sepher fuiſſe locum, in quo antiquiſſima, a diluuio vsque deriuata, antiquitatis monumenta fuerint conſeruata. Non aliam enim ſuae ſententiae adferre poſſunt rationem, quam quod קרית ספר *vrbem librorum*, vt putant, ſignificet. Quod ſi vel maxime concedatur, quamquam vox ספר & *recenſionem*, *numerationem*, ſignificare queat, non tamen inde ſequitur, ſtatim poſt diluuium in hac vrbe literas effloruiſſe. Ex arcae, in qua ſeruatus eſt Noachus, ſtructura, itemque turris Babelicae exſtructione, nonnulli colligunt, mathematicas artes iſtius aetatis hominibus non fuiſſe incognitas; quod &, ex eiusdem commatis argumentis, de aliis artibus ſcientiisque, praeter alios adſerit, & fuſius probat BALTHASAR BEBELIVS, in *hiſtoria eccleſiae Noachicae, artic. VI. §. XXX. p. 85. ſeqq.* Si vera eſſent, quae de ſcriptis Noachi, & filii eius Chami, a nonnullis commemorantur, documentum haec certiſſimum eruditionis, in hacce familia conſeruatae, praeberent. Meminit ſcriptorum Noachi AVGVSTINVS, ſed vt ea ſimul reiiciat; de *ciuit. Dei, lib. XVIII. cap. XXXVIII.* Ex illis ſeptem illa praecepta Noachidica deſumta eſſe, cenſet PETRVS LAMBECIVS, *prodrom. hiſt. litterar. p. 12.* Quod quo iure adſeratur, ex iis, quae antea de iſtis praeceptis diximus, diiudicare licet. Chamum patri Noacho librum de *magia naturali*, in arca ſurripuiſſe, & filio ſuo Mizraim donaſſe, Ebraeorum quorumdam commentum eſt. Quo loco *teſtamentum & epiſtola Noachi*, itemque *methodus geomantica praedicendi futura ob angelo illi reuelata*, habenda ſint, vel me non monente, quilibet intelligit. Magnam quoque eruditionis, forte ſine omni ſuo merito, famam conſequutus eſt Chamus, Noachi degener filius. Magicis enim primo artibus dediſſe operam perhibetur. Quod forte eo facilius perſuaderi poſſit, ſi Chamus idem ac Zoroaſter. Sed hac de re deinceps. Volunt autem, eum artes iſtas tabulis quibusdam ſiue laminis, ante orbis inundationem inſculpſiſſe, & cum illi non licuerit, eas in arcam deferre, aquis commiſiſſe, & poſtea poſteris dediſſe. Cuius quidem traditionis mentionem etiam facit IOANNES CASSIANVS, *collat. VIII. cap. XXI.* Exſtare adhuc ſcriptum, ſumma exſecratione damnandum, pernicioſiſſimumque, ſub nomine Chami, dicitur, cui titulus: *Scriptura Chami filii Noae*, quod elementa & praxin artis necromanticae contineat. De quo praeter SIXTVM Senenſem, *bibliothec. ſanct.* SAM. BOCHARTVM, *geograph. ſacrae part. I. lib. IV. cap. I.* PETRVS LAMBECIVS, *loco* deinceps *citando*. Tribuitur etiam a nonnullis Chamo alchemiae inuentio; quamquam non de-

ſint ex artis huius auctoribus, qui natales eius omnino ad Thubalcainum referunt; vti iam obſeruatum in *introduct. ad hiſtor. philoſ. Ebr. p. 6.* Incertis autem admodum fundamentis niti, qui Chamum alchemiſtarum patrem faciunt, vt multis doceamus, neceſſe non eſt. Legendus ſaltem SAM. BOCHARTVS, *l. c.* Denique & inter prophetas a nonnullis Chamo locus conceditur. ISIDORVS namque, BASILIDIS haereſiarchae filius & diſcipulus, *libro primo commentariorum in prophetam Parchor*, ad *Chami propheticam* prouocauit. Locum iſtum conſeruauit nobis CLEMENS Alexandrinus, *lib. VI. ſtromat. p. 641. ſeqq.* ex quo etiam eumdem exhibet IO. ERNESTVS GRABIVS, in *ſpicilegio patrum & haereticor. ſaeculi II. tom. I. p. 67.* vbi & de hacce Chami prophetia addit: *Prophetiae Chami nullam alibi mentionem reperio, hancce apocrypham ſcripturam a Baſilide vel aliis haereticis confictam fuiſſe, arbitror.* Sed de Noachi pariter ac Chami ſcriptis ſuppoſititiis plura dabunt PETRVS LAMBECIVS, in *prodromo hiſt. litterar. p. 82. 83.* THOMAS BANGIVS, in *caelo orientis, exercitat. II. p. 130.* IO. ANDREAS SCHMIDIVS, in *pſeudo-veteri teſtamento, p. 30. & ſeqq.* SCIPIO SGAMBATVS, *archiuor. vet. teſtam. lib. I. tit. XVI. p. 143. ſeqq.* & IO. ALB. FABRICIVS, in *cod. pſeudepigraph. vet. teſt. n. LXXIII. p. 229. ſeqq.*

** Noachum poſt diluuium demum vini vſum inueniſſe, ſententia eſt tum Ebraeorum, tum patrum plerorumque. Solentque hinc argumentum, ad ebrietatem eius excuſandam, ducere. Legendus prae reliquis hac de re IOAN. CHRYSOSTOMVS, *ſerm. XXIX. in Geneſ. tom. I. p. 226.* Contrarium tamen praeter alios defendere adgreſſus eſt IOAN. HENRICVS HEIDEGGERVS, in *hiſtor. patriarchar. part. I. exercit. XV. §. II. p. 625.* An vero rationes eius id euincant, vt verbum ויחל potius per *& permanſit*, quam per *& coepit*, vertendum ſit, valde dubito. Ebrietatem Noachi non ſolum innoxiam, ſed & myſticam fuiſſe, lectoribus perſuadere adnititur NATALIS ALEXANDER, *hiſt. eccleſ. vet. teſt. aetate mundi ſecunda, diſſertat. III. p. 146. ſeqq.* adſenſum, vt credo, non ab omnibus impetraturus; etſi patres quosdam hac in re ſibi praeeuntes habeat.

§. VII.

Vt autem ebrietate ſua Noachus humanae imbecillitatis documentum praebuit; ita hac occaſione patuit, in parua iſta paucorum hominum eccleſia, iterum exſtitiſſe hypocritas atque improbos, Chamum ſcilicet cum filio Canaane. * In quos dum iuſtam, ob admiſſum facinus, ſententiam Noachus pronuntiat, ſimul ceu vates, eccleſiae in trium filiorum ſuorum poſteris fata, luculenter praedixit. **

* Lon-

Digitized by Google

* Longe aliter de Chamo ſentit PETRVS IVRIEV, qui eum adeo pro impio non habet, vt patriarchis ſanctiſſimis adnumerare non dubitet. In animum namque vir doctiſſimus induxerat, euincere, Melchiſedecum non alium eſſe, quam ipſum Chamum. Huic vero ſententiae cum vel maxime obſtare videret vulgarem opinionem, de impietate Chami, eam profligare atque conuellere penitus, adgreſſus eſt. Non equidem negat, a Moſe & peccatum aliquod Chami, & vibratam ideo in eum patris maledictionem commemorari. Ad peccatum autem quod attinet, hoc in eo conſtitiſſe, quod viderit nuditatem patris, idque fratribus ſuis indicauerit; quod non adeo magnum crimen cenſeri poſſit; etſi imprudentiam ſuam, reuerentiae erga patrem neglectum, immo & inuerecundiam, hoc ipſo prodiderit. Interim longe grauiora aliorum in diuinis litteris commemorari peccata, qui ideo ex choro ſanctorum minime eliminentur. Nec comparandum hocce Chami facinus eſſe cum inceſtu Lothi, adulterio & homicidio Dauidis, idololatria Salomonis, vitiisque variis Simſonis. Haec horum virorum peccata non obſtare, quin ſancti & beati reputentur, habeanturque pro typis & imaginibus Chriſti, qualis & Chamus fuerit, Melchiſedeci nomine notus. Quod ſi dicas, at iſtos poenitentia ductos admiſſorum, per fidem Deo iterum conciliatos eſſe; reſpondet IVRIAEVS, nihil obſtare, quo minus de Chamo idem adſeramus, quod illum iſtius proteruiae & petulantiae poenituerit. De Lothi & Salomonis poenitentia nihil diſerte tradere ſacras litteras, nec tamen ideo ea de re dubitandum eſſe. Denique, vt, nec maledictionem peccatum Chami inſequutam, ſuae ſententiae obſtare, oſtendat, ad hypotheſin ſuam de peccatis typicis ſe recipit, de quibus & ex inſtituto agit, putatque, per Chami hocce facinus illorum exhiberi vitia, qui in arcana diuinae penetrare prouidentiae, & ea retegere, quae abſcondita eſſe voluit ſanctiſſimum Numen, ſibi non ducant religioni. Ita quidem IVRIAEVS, *hiſt. crit. dogm. & cult. &c. part. I. cap. X. p. 62. ſeqq.* Verum ſi haec paullo adcuratius conſiderentur, vix a recepta aliquem dimouere poterunt ſententia. Delictum nan que iſtud Chami non tam leue erat, vt vir doctus exiſtimat. Non tantum enim reuerentiae erga patrem neglectus in eo eluceſcebat, ſed animum haud dubio arguebat profanum, impium, impurum, honeſtatis contemtorem & exſecrabilem. Quem licet vnico hocce, quantum nobis conſtat, facto prodiderit, eumdem tamen in alia longe turpiora facinora erupturum nouerat Noachus, niſi qualiſcumque poenae metus, & recens deſtructi, ob impietatem, mundi, exemplum, vtcumque obſtitiſſet. Quare & licet grauiora quorumdam in ſcriptura ſacra commemorentur delicta, vt IVRIAEO quidem videtur, qui nihiloſecius pro ſancti s habentur, ea tamen, ſi internam animi in Chamo diſpoſitionem ſpectes, reuera leuiora fuere, &

cum Chami iſto delicto neutiquam comparanda. Vnde, quid ad exempla de inceſtu Lothi, adulterio & homicidio Dauidis, ſimiliaque, reſpondendum ſit, patet. Praeterea hosce omnes egiſſe poenitentiam, conſtat, quod de Chamo adſeri nequit. Nec obſtat, quod & de aliorum quorumdam, qui pro ſanctis habentur, poenitentia ſcriptura nihil memoret. Hi enim tum aut pro ſanctis habendi non ſunt, aut ex certis indiciis colligendum, eos egiſſe poenitentiam. Sic, etſi diſerte ſcriptura non referat, Salomonem egiſſe poenitentiam, documenta tamen praeſto ſunt haud contemnenda, ex quibus illud colligas. De Lotho vero eo minus dubitandum, quod filiarum calliditate deceptus, adeoque inuitus, iſto crimine ſe commaculauerat. Nec multum auctorem iuuant, quae prolixe de peccatis typicis diſſerit. Hocce enim Chami delictum ex illorum genere, quae indicio ſcripturae ſacrae typica eſſe conſtat, fuiſſe, probari nequit. Deinde etſi aliquod peccatum typicum ſit, hoc tamen ad eius foeditatem atrocitatemque imminuendam, nihil facit. Sed pluribus haec iam diſcuſſi in diſſertatione de *peccatis typicis*, *§. X. ſeqq.* add. LVDOVICVS BORGESIVS, in *hiſtoria critica Melchiſedechi*, *cap. IV. & V. p. 92. ſeqq.* Ceterum qui in eo conſentiunt, Chamum fuiſſe hominem improbum, non tamen in eo conueniunt, quodnam eius delictum fuerit? & quo iure in Canaanem, Chami filium, maledictionis fulmen vibrauerit Noachus? HERMANNVS VON DER HARDT, vir celeberrimus, in id omnes ingenii vires intendit, vt euinceret, Chamum adulterii crimine ſe polluiſſe, vimque thoro patris, aut matre, aut nouerca, violata, intuliſſe; cuiusmodi quidem facinus & de Rubene, *Gen. XXXV. 22. XLIX. 4.* & de Abſalome, Dauidis filio, *II. Sam. XVI. 22.* commemoretur. Ex hocce autem inceſtu natum Canaanem, iram patris & exſecrationem merito expertum, excluſumque fuiſſe ab omni hereditate; in *ephemerid. philolog. diſcurſ. II. p. 43. ſeqq.* Sed in verbis diſertis ſcripturae ſacrae nihil eiusmodi inuenias: nec putandum, Moſen aenigmata nobis proponere voluiſſe, per coniecturas incertas euoluenda. Nec difficultates hic occurrentes hac ratione tollit, ſed auget. Quae enim Canaanis in eo culpa, quod ex inceſtu natus eſſet? Num ipſe facinus patris impedire potuit, cum nondum eſſet? Sunt contra, qui non tam Chamum, quam Canaanem, ſceleris auctorem ſtatuunt, eumque adeo *verſ. 24.* per *filium* Noachi minorem intelligi, contendunt. Quam ſententiam poſt GERSONIDEM, ABEN ESRA, THEODORETVM, SCALIGERVM, aliosque, defendit CHRISTIANVS SCHOTANVS, in *bibliothec. hiſtor. ſacr. veter. teſtament. aetate mundi ſecunda*, *p. 39.* Verum quod nepos filius minor dicatur, ratione aut exemplo docere nequit. Chamum vero inter fratres natu minimum fuiſſe, conſtat. Accedit, quod, qui delictum perpetrauit, diſerte Chamus vocetur, Canaanis pater, *verſ. 22.* Mul-

Multum itaque probabilior illorum eſt ſententia, qui Canaanem delicti paterni participem fuiſſe, contendunt, forte, quod cum puer petulans & proteruus auum indecore iacentem vidiſſet, id Chamo patri extra tabernaculum nuntiaſſet, atque adeo primus Noacho dormienti procaciter illuſiſſet. Haec Ebraeorum quorumdam, itemque THEODORETI, aliorumque, quos in *diſſertat.* antea *citata*, *§. X.* indicaui, eſt ſententia. AVGVSTINVS equidem non tam maledictionem, quam vaticinium, in hisce Noachi verbis ſpectandum, auctor eſt, de Cananaeis ſedibus ſuis aliquando expellendis; *quaeſt. XVII. in Geneſ.* Nec negandum, vaticinium quoque in verbis Noachi contineri, vt mox vlterius demonſtrabimus; ſimul tamen, quod ad Chamum atque Canaanem attinet, cauſſa iſtorum euentuum indicatur, maledictio ſcilicet Noachi. Et haec quidem ad vtrumque, Chamum pariter ac Canaanem, ſpectabat; quia vterque peccauerat, & Canaan, quacumque demum id factum ratione, in participationem delicti paterni venerat. Ipſum vero delictum non aliud erat, quam petulans & maligna patris per ebrietatem denudati irriſio; quod, ſi animi diſpoſitionem, ex qua profectum fuit, ſpectes, longe grauiſſimum fuiſſe, antea iam demonſtrauimus.

** Prima pars vaticinii huius admodum memorabilis, eſt imprecatio Chami eiusque filii Canaanis: *maledictus Canaan, ſeruusque ſeruorum fratribus ſuis erit.* Seruitus hac loquendi ratione exprimitur eorum, qui ad viliſſima quaeque ſeruitia mancipantur. Dumque additur: *fratribus ſuis*, & Semo & Iapheto eos ſeruituros, innuitur, quod & deinde ſpeciatim de vtroque repetitur. Res ipſa etiam docet, ad reliquos Chami filios & gentes ex iis oriundas, hanc imprecationem non pertinere, tum quod ſolus Canaan in delicti paterni ſocietatem veniſſet, tum quod ad Chami impietatem puniendam hoc Deo ſatis viſum, ſi poſteris eius ex Canaane maledictio incumberet. Sequitur prophetia de Semo: *benedictus Iehouah, Deus Semi, & ſit Canaan ſeruus eius.* Vbi cum Deus *Deus Semi* dicitur, gratia plane ſingularis, cuius particeps futurus ſit in poſteris ſuis Semus, indicatur, quod ſcilicet ex iis naſciturus ſit Meſſias, humani generis redemtor, primis iam parentibus a Deo promiſſus. Quod vero additur: *& ſit Canaan ſeruus eius*, apertam continet praedictionem de terra Canaan, a poſteris Semi ſubigenda & poſſidenda. Denique de Iapheto haec addit: יפת אלהים ליפת *dilatabit Deus Iapheto, & habitabit in tentoriis Semi, & Canaan ſit ſeruus eius.* Primo hic Iapheto amplificationem ſeu dilatationem praedicit, fore ſcilicet, vt poſteri eius partem orbis maximam occupent. Quod & euentus docuit; cum non tantum Europa, ſed & pars haud exigua Aſiae, Iapheti poſteris obtigerit, quibus nonnulli Americam addunt. Sed adhuc amplius quid & praeſtantius eſt, quod Iapheto praedicitur, cum addit: *& habitabit*

in tentoriis Semi. Quod nonnulli equidem ita capiunt, vt ad Deum referant, ſpeciatim ad Chriſtum, qui inter poſteros Semi habitauerit, *Ioan. I. 14.* Sed cum haec praedictio ad Iaphetum, non ad Semum, ſpectet, &, quod tum ex hisce verbis ſequitur, iam antea Noachus ad Semum dixerat; rectius alii ad Iaphetum hoc referunt, quod habitaturus ſit in tentoriis Semi, hoc eſt, quod eius poſteri in gremium verae eccleſiae, quae in veteri teſtamento penes Semi poſteros fuit, ſint recipiendi. Nec enim inſolens, vt ſtatus eccleſiae hac ratione in ſcriptura ſacra deſcribatur. Vltimo denique loco indicatur, non minus a Iapheti, quam Semi poſteris, terram Canaan in ſeruitutem redactum iri. Cuncta ergo ſi ſummatim complecti velimus, vaticinii Noachici haec erunt capita: orbem diuidendum, maximamque eius partem Iapheti poſteris ceſſuram; veram eccleſiam in poſteris Semi conſeruatum iri; poſteros Semi definito tempore ſubiugaturos terram cananaeam, eamque poſſeſſuros; Meſſiam redemtorem hominum oriturum ex tentoriis Semi; Iapheti poſteros Iudaeis aliquando terram cananaeam erepturos, eosque in ſeruitutem redacturos; eosdem Iapheti poſteros in communionem verae eccleſiae tandem recipiendos. Haec omnia quo pacto ipſo euentu comprobata ſint, nemini temere ignotum eſſe poteſt, idque in ipſa hiſtoria eccleſiaſtica docetur ex inſtituto. Plura hac de re praeter commentatores ad *Geneſ. IX. 26. 27.* dabunt IO. HENRICVS HEIDEGGERVS, *hiſtor. patriarchar. part. I. exercit. XX. p. 623. ſeqq.* AVGVSTVS PFEIFFERVS, in *dub. vexat. cent. I. loc. XXIX. p. 77. ſeqq.* NATALIS ALEXANDER, *hiſtor. eccleſ. vet. teſtam. aetate mundi II. diſſertat. III. prop. II. p. 147. ſeqq.* aliique. Ceterum vt illud ὡς ἐν παρόδῳ addamus, etſi filii Noachi ita in ſcriptura ſacra enumerari ſoleant, vt Semo primus, Chamo ſecundus, & Iapheto tertius locus tribuatur; inde tamen non ſequitur, Semum fuiſſe primogenitum, & ſic porro. Immo potius Iaphetum fuiſſe primogenitum, cui tamen ex libero beneplacito Semum Deus praetulit, voluitque, vt ex eo Meſſias oriretur, vltimum autem Chamum, inuictis argumentis comprobari poteſt. Quod cum alii iam praeſtiterint; vt hisce immoremur, neceſſe non eſt.

§. VIII.

Obiit tandem Noachus, cum trecentos quinquaginta annos poſt diluuium vixiſſet, alter poſt Adamum humani generis parens dicendus. Ab eo enim, quidquid deinceps hominum fuit, deſcendit. Nec dubium, quin memoria eius & filiorum, diu inter poſteros eius durauerit; cuius rei documenta varia in ſcriptis & traditionibus gentilium nonnulli ſibi inueniſſe viſi ſunt. *

* Sic

* Sic quae de Saturno veteres tradunt, haud inepte in Noachum quadrant. Vt enim Noachus omnium, qui poſt diluuium vixerunt, communis parens eſt; ita Saturnus παγγενέτιος, & eius vxor Rhea mater deorum hominumque, in ORPHEI *hymnis* adpellatur. Saturnum iuſtiſſimum regem fuiſſe volunt. De Noachi iuſtitia & integritate, luculenta ſcripturae ſacrae teſtimonia nos dubitare non ſinunt. Saturnum & vxorem Rheam, & qui cum illis fuerunt, ex oceano & Thetide natos finxerunt poëtae, quod adprime itidem in Noachum quadrat, qui cum vxore, filiis, & filiorum vxoribus, ex aquis diluuii emerſit. Nauem, Romani, Saturni ſymbolum eſſe, voluerunt; quo haud obſcure arca Noachi ſignificatur, qua cum ſuis vniuerſale diluuium euaſit. Saturnum omnes liberos deuoraſſe fingunt, praeter Iouem, Neptunum & Plutonem, qui ſoli ſuperſtites orbem vniuerſum inter ſe diuiſerint. Noachi vtique tempore omnes homines aquis diluuii ſubmerſi periere, tribus ſuperſtitibus filiis, Semo, Chamo & Iapheto, qui orbem inter ſe diuiſerunt. Chamum praeterea ſub Iouis Hammonis nomine latitare, viri docti obſeruarunt. Hunc caeli dominum, finxere poëtae, quia eidem Africa obtigit, cuius magna pars cum ſit inter tropicos, ſolem, reliquosque planetas, ſuper verticem habet, indeque caeli nomine venit. Iouem quoque Saturni patris virilia abſcindentem, Chami imaginem eſſe, nudatum patrem ridentis, admodum eſt veroſimile. Per Neptunum Iaphetum exhiberi, doctorum virorum eſt ſententia; idque vel ideo, quod Iapheto maritima omnia cum inſulis obtigerint. Sed ipſum Iapheti nomen quoque apud mythologos ſaepe occurrere, notum eſt. Semum denique Plutonis nomine venire, autumant; cuius rei, neſcio, an ſatis probabilem rationem adferant, qui hoc ideo factum putant, quod idololatriae ac impietatis hoſtis fuerit acerrimus. In Iano quoque nonnulli Noachum deprehenderunt, quem bifrontem, & vtrimque oculatum finxere veteres; eo quod Noachus vtrumque hominum genus vidiſſet, & quod diluuio antiquius fuerat, & quod recentius. Mitto reliqua, quibus idem comprobari ſolet, non quidem contemnenda prorſus, nec tamen extra dubitationem poſita. Suppeditabunt ea GERHARDVS IOANNES VOSSIVS, de *idololatria gentil. lib. III. cap. XIV.* SAMVEL BOCHARTVS, in *Phaleg. lib. I. cap. I.* PETRVS DANIEL HVETIVS, *demonſtrat. euangel. prop. IV. p. 220.* NATALIS ALEXANDER, *hiſtor. eccleſ. vet. teſt. aetat. II. cap. II. p. 133.* IO. ALB. FABRICIVS, *cod. pſeudep. vet. teſt. n. LXXIV. p. 240. ſeqq.* vbi & aliis documentis Noachi apud ethnicos memoria confirmatur. Chamum quoque eumdem eſſe cum Mene, Aegyptiorum rege, contendit IO. MARSHAMVS, in *can. chron. ſaec. I. p. 23.* refutatus ideo a IACOBO PERIZONIO, in *orig. aegypt. inueſtigat. cap. V. p. 65. ſeqq.* Sed hac de re ſuo loco.

§. IX

§. IX.

A poſteris Noachi, gentium atque populorum, qui huncce orbem incolunt, primae origines deriuandae ſunt. Quorum etiam diſperſio contigit, cum turrim Babelis fruſtra moliti eſſent, Deo per linguarum confuſionem conatus tam ſtolidos, irritos reddente. Vnde ſimul origo diuerſitatis linguarum intelligitur. * Gentium autem iſtarum, quae exinde, ſucceſſu tamen temporis, orbem vniuerſum occuparunt, primas origines perſpectas habere, cum diuinae hac in re prouidentiae monumentum ſingulare deprehendatur, plurimum refert. **

* Noachum a diluuio cum vxore tribusque filiis & totidem nuribus ſeruatum, orbem terrarum in tres filios, Semum, Chamum & Iaphetum partitum eſſe, iactis apud Rhinocoruram oppidum ſortibus, auctor eſt EPIPHANIVS, qui, ne ea de re dubitaremus, addit: ὡς καὶ ἡ ἀκολουθία ἔχει, καὶ οὐδὲν κενόφωνον, οὐδὲ παραπεποιημένον, *vti conſentanea fama vulgatum eſt, cui nihil vanum ſubeſt, aut temere confictum; aduerſ. haereſ. lib. II. tom. II. p. m. 703.* Eiusdem rei & EVSEBIVS, in *chron. graeco, p. 10.* aliique mentionem fecerunt: immo ita inter patres recepta fuit haec ſententia, vt PHILASTRIVS Brixienſis in haereticorum ordinem ſecus ſentientes retulerit; *haereſ. CXVIII.* Et licet prima fronte haec traditio cum ſcripturae ſacrae de gentium diſperſione narratione, non ſatis conſentire videatur; fuerunt tamen, qui contenderent. poſſe eam quodammodo, reiectis, quae ei admiſcentur, commentis, cum ſcriptura ſacra conciliari, nec omni eam prorſus fundamento deſtitui. Saltem id probabile videri, diuiſionem quamdam Noachi, aut ad minimum conſilium de orbis diuiſione, praeceſſiſſe, quam cum improbi inter ſe conſociati forte euitare vellent, ad minimum aegre in eam conſentirent, ſequutam fuiſſe linguarum confuſionem, & hinc diſperſionem gentium. Hoc certum eſt, aedificatores turris Babelicae in ea fuiſſe ſententia, diſperſionem ſibi imminere, ſeu fieri poſſe, vt diſpergerentur; quippe quod aperte ſatis *Geneſ. XI. 4.* innuunt. Id quoque certum, in vaticinio Noachi, de quo antea egimus, gentium diſperſionem, diuiſionemque terrae, clare ſatis contineri, quod illis obſcurum eſſe non poterat. Nec contemnenda obſeruatio IACOBI VSSERII, qua idem confirmari poteſt: *Cum Heberus XXXIV. annos vixiſſet, natus eſt ei filius, cui nomen Phaleg, cap. XI. 16. quia in diebus eius diuiſa fuit terra, cap. X. 25. & 1 Chron. I. 19. Quod quidem, ſi de illius natali accipitur, dicendum videtur, quo tempore natus eſt Phalegus, Noachum (cui regiones iam ſentibus & dumetis obſitae ante diluuium cognitae fuerant) diſtributionem terrae inter nepotes ſuos inſtituiſſe, ea-*

eaque peracta, eos ab orientalibus partibus, ad quas ex montibus Ararati iam ante deſcenderant, in vallem Sennaaris iter peregiſſe, Geneſ. XI. 2. vbi impie conſpirantes nationes, vt habetur Sapient. X. 5. vt diſperſionem a Deo per Noachum iam praeſcriptam impedirent, vt ex Geneſ. XI. verſibus 4. 6. 8. 9. inter ſe comparatis, colligitur, vrbem & turrim Babylonicam condere ſunt adgreſſi. Qua inani opera, per linguarum confuſionem, quae Babeli cap. XI 9. nomen dedit, fruſtrata, gentium diſperſio eſt ſequuta, in varias orbis partes ſecundum linguas ſuas, variis deductis coloniis. Inter quarum duces Ioktanis quoque, fratris Phalegi, filii XIII recenſentur, Geneſ. X. 26. quos tempore natiuitatis patrui ſui Phalegi in lucem nondum fuiſſe editos, clarum eſt. Cum enim XXXIV tantum annorum fuerit Heberus, cum natus ei ſuit Phalegus, etiamſi Hebero vicenario natum fuiſſe Ioktanem, & Ioktani vicenario natum fuiſſe ſuorum filium maximum concederemus, ſex nihilominus poſt Phalegum annis prognatus fuiſſet ille primogenitus; in *annalib. vet. & nov. teſtam. aetate mundi II. p. 3.* Hinc, quae iuxta VSSERIVM cauſſa initi conſilii de vrbe & turri exſtruenda fuit, facile colligere licet, conatum ſcilicet euitandi diſperſionem a Noacho praedictam. Sunt, qui, hosce homines imperium aliquod vniuerſale molitos, contendunt, cuius caput & metropolis, ſedesque adeo praecipua eſſet vrbs illa & turris, quae deinceps Babelis nomen accepit. Huc & ſententia viri clariſſimi, HERMANNI VON DER HARDT redit, cuius exſtat *de Babelis ortu* diſcurſus in *ephemerid. philolog. diſcurſu III. p. 54. ſeqq.* vbi variis coniecturis hanc ſententiam exornat, & commendatiorem reddere adnititur. Nimirum ob maledictionem Chami odia inter Chamitas & Semitas orta, mox in bella cruenta eruptura, tandemque Chamitas, vt eo melius ſe defenderent, & Semitas opprimerent, vrbes munitas, praeſertim Babel, exſtruxiſſe. Sed quis non videt, quam lubrica haec ſint & incerta?

Nobis id ſufficit, quod cauſſam iſtius molitionis haud obſcure ſcriptura indicet, conſilium ſcilicet diſperſionem, ſeu ſeiunctionem, voluntate Numinis praeſcriptam, euitandi, irritumque reddendi vaticinium Noachi. Quo ipſo vti ſe immorigeros atque rebelles demonſtrarunt; ita & alia animorum vitia, ambitionem, dominandi cupiditatem, in auctoribus praeſertim iſtius conſilii, accedere potuiſſe, aut acceſſiſſe, non negamus. Suffragantem hac in re nobis habemus IACOBVM PERIZONIVM, qui luculenter id, quod diximus, confirmat, in *originibus babylonicis, cap. XIII. p. 261. ſeqq.* Verba quoque iſtorum hominum, quibus conſilium ſuum exponunt, *Geneſ. XI. 4.* ſatis manifeſta ſunt: *agite, condamus nobis vrbem & turrim, faſtigiumque eius ad caelum, vt nomen nobis, ne per vniuerſas ſpargamur terras, faciamus.* Vbi tamen ex eo dubium adhuc oriri poſſet, quid vltima verba *vt nomen nobis faciamus*, ſibi velint?

Facile enim aliquis hinc colligere poſſet, ſcopum conſiliumque ſaltem horum hominum fuiſſe, gloriae ſuae atque famae conſulere, nominisque, non temere obliuioni tradendi, monumentum erigere. Quod cum non conuenire videatur cum ſcopo antea indicato, & praeterea in hisce verbis: *faciamus nobis nomen, ne diſpergamur*, nullus ſenſus ſit; IO. CLERICVS, qui haſce difficultates probe animaduertit, vt hinc ſe expediat, *facere nomen* hoc ſaltem in loco idem, aut ſimile quiddam, ſignificare putat, ac *ponere nomen ſuum alicubi*, hoc eſt, inſignem facere locum habitatione ſua, vt ab habitatione nomen ducat. Forte etiam *nomen* monumentum eſſe exiſtimat, quod nomine eius, qui id erexit, adpellatur. Immo tandem eousque progreditur, vt, difficultati huic quam commodiſſime conſuli poſſe, cenſeat, ſi pro שם legeretur אם quae vox metropolin ſignificat, vt ſenſus ſit: *condamus nobis vrbem & turrim, & faciamus nobis metropolin, ne ſpargamur per totam terram.* Sed hoc eſt, non ſoluere, ſed ſecare nodum. Nec neceſſe eſt, vt integritatem codicis ſacri, praeſertim ex cauſſa tam leui, in dubium vocemus. Plana, ni fallor, cuncta erunt, omnisque euaneſcet difficultas, ſi obſeruemus, duplicem hic indicari cauſſam, quae ad opus illud ſuſcipiendum homines iſtos impulerit: quarum prima eaque princeps fuit, vt diſperſionem praedictam euitarent, altera, eaque ſecundaria, vt nominis ſui aliquod monumentum ſtatuerent, ſi nihiloſecius diſpergendi eſſent. Senſus itaque erit: *condamus nobis vrbem & turrim, cuius faſtigium ad caelum pertingat, ne diſpergamur; aut, quae ad minimum, ſi nihiloſecius diſpergendi ſimus, aeternum nominis noſtri ſit monumentum.* Ex dictis vero etiam facile intelligas, eos, qui eiusmodi conſilium ceperunt, & diuinae diſpoſitioni ſe oppoſuerunt, non probos, ſed improbos fuiſſe homines, Chamitas haud dubio, ſed non tamen ſolos, verum omnes, qui ſaeculi labe infecti ad vana & inania abripiebantur. At Chamitas praecipuum inter hosce tenuiſſe locum, haud abnuo; quae etiam recepta plerorumque interpretum eſt ſententia; cui & FL. IOSEPHVS adſtipulatur, *antiquit. lib. I. cap. V.* ceterique ebraeae gentis doctores, laudati IOAN. BVXTORFIO, *diſſertat. II. de confuſ. lingu. §. XXXI.* Quisnam conatus iſtius ſucceſſus fuerit, nos ignorare non ſinit Moſes, qui, Deum illorum linguas confudiſſe, perhibet, vt ita ab opere iſto deſiſtere coacti fuerint; *Geneſ. XI. 5. 6. 7.* Hoc nonnulli ita capiunt, ac ſi per Numinis ſapientem directionem diſcordiae inter eos ac diſſenſiones ortae ſint. Ita praeter alios IO. CLERICVS, qui, cum monuiſſet, humani generis origines ſummo hic compendio tradi, multorumque annorum res geſtas paucis commatibus contineri, credibilius eſſe putat, primum immiſſam inter homines diſcordiam, ideoque relicto opere inchoato, in finitimas regiones dilapſos, paullatimque Nomadum ritu progreſſos, tandem,

Digitized by Google

dem, cum a ſe inuicem diſſiti viuerent, linguas lapſu temporis mutatas; in *commentar. ad h. l.* Qua in re iam gentis ebraeae quosdam doctores ſibi praeeuntes habuit. Vid. CHRIST. SCHOTANI *bibliothec. hiſtor. ſacr. lib. II. p. 79. ſeqq.* Nec procul hinc diſcedit CAMPEGIVS VITRINGA, qui, cum rationes receptae ſententiae obſtantes fuſe propoſuiſſet, duplicem tandem verborum Moſis *Gen. XI. 6. 7.* explicationem adfert, quarum neutra abs re eſſe videri queat; alteram, loqui Moſen de animorum diſſenſione in conſiliis & opere, quae cauſſa fuerit diſſipationis populorum in varias terrae plagas, adeoque originis variarum linguarum; alteram vero, loqui eumdem de vitio linguae aut labiorum in pronuntiatione, quod conditoribus turris, quamdiu animi ſui cogitata aliis exponerent, illo tempore extra ordinem euenerit, iudicio diuino, modo prorſus ſingulari; *obſeruation. ſacrar. lib. I. diſſert. I. cap. IV. p. 98. ſeqq.* Ex hiſce duabus ſententiis poſterior facilius admitti poteſt, quam prior, quippe cui, vel ipſo non diſſitente VITRINGA, hoc maxime repugnat, quod Deus dixerit, *Geneſ. XI. 7. Agedum, deſcendamus, & confundamus ibi:* שפתם *labium ipſorum*, אשר לא ישמעו איש שפת רעהו *ne quisque audiat labium proximi ſui.* Si labium, vt idem vir doctus probe obſeruat, hic notaret ipſam ſententiam, ſiue orationem & conſilia horum hominum, tum verba Moſis hunc exhibere deberent ſenſum: *confundamus labium eorum*, efficiamus, vt diuiſae inter eos ſint ſententiae, & conſilia, *ne quisque audiat labium ſui proximi*, hoc eſt, ne alius alii auſcultet, alter ad alterius conſilium ſe componat. Verum hanc interpretationem, vt ipſe bene addit, vix videtur pati phraſis ebraea. Vbi enim שמע notat *auſcultare, obtemperare*, quem ſignificatum non raro habere, nemo negat, conſtrui ſolet cum litteris ל & ב nominibus praeſigendis, aut cum vocula אל. Sed alias relatum ad לשון valet ſignificatu intelligendi. Ita ipſe VITRINGA: qui, etſi exempla quaedam deinde proferre conetur, in quibus שמע absque ל aut אל ſignificet *auſcultare;* nullum tamen profert, aut proferre poteſt, quo doceat, hoc verbum ea ratione voci שפה iunctum, hanc ſignificationem obtinere. Vnde hac obſeruatione, ſententia illorum, qui linguarum confuſionem, de diſſenſione animorum & discordiis interpretantur, penitus euertitur. Nec firmiori nititur fundamento altera viri docti ſententia, de *vitio linguae aut labiorum in pronuntiatione;* quippe cui & genuina ſignificatio verbi בלל & ſcopus Moſis, qui eſt, originem diuerſitatis linguarum explicare, haud obſcure repugnant.

Quidquid huius ſit, id certum & extra dubitationem poſitum, circa ſermonem ſubito tum aliquid contigiſſe, quod homines inter ſe conſociatos impediuerit, quo minus laborem coeptum continuare potuerint. An vero

Digitized by Google

tum ſimul varietas linguarum, per quas dein diuiſae exſtiterunt gentes, orta ſit, alia quaeſtio eſt, de qua iterum diuerſae veterum recentiorumque ſunt ſententiae. Plerique ebraeorum pariter ac chriſtianae eccleſiae doctorum veterum in eo conſentiunt, linguarum tum ſtatim ortam varietatem, cum conditores turris Babelicae non tantum primaeuae linguae obliti ſint, ſed gens quaelibet aliam linguam a Deo illi inditam loqui coeperit: ſolentque ebraei addere, ſeptuaginta tum linguas ortas eſſe, pro numero gentium, quas ex tribus Noachi filiis procreatas Moſes capite praecedenti memorauerat. Nec defuerunt ex recentioribus, qui eidem ſententiae adſtipularentur; vt videre licet apud IO. BVXTORFIVM, de *confuſ. lingu. ebr. & plur. linguar. origine*, quae eſt ſecunda inter *diſſertationes* eius *philologico-theologicas, p. 51. ſeqq.* Diſſentiunt vero non tantum IO. CLERICVS, CAMPEGIVS VITRINGA, aliique, qui hypotheſes cum antea commemoratis conſentientes fouent, ſed & qui in iſtis hypotheſibus ab illis quodammodo abeunt. Cumprimis etiam poſt ISAACVM & MERICVM CASAVBONVM, in hac ſententia exornanda, ſtudium operamque poſuit IACOBVS PERIZONIVS. Nimirum concedit ille, *confuſionem labii* veram & proprie dictam denotare confuſionem ſermonis, quacumque tandem ratione illa exſtiterit, ſed ſubitam complurium nouarum linguarum productionem, cum obliuione veteris, ea voce notari, negat. Moſen quoque hoc non adfirmare, quod iſta confuſio in nouarum linguarum productione conſtiterit. Longe etiam eſſe veroſimilius, antiquas quoque linguas a prima, ſolito in linguis more, paullatim, & aliis plane modis, alias fuiſſe deriuatas. Supponit porro, *labii confuſionem* non fuiſſe poenam, quae hominibus diu aut in perpetuum deinceps incubuerit, ſed medium ſaltem ſeu inſtrumentum, quo Deus tunc vti voluerit, ad diſturbanda hominum illorum conſilia, eosque ad ſeceſſionem adigendos. Facta autem iſta ſeceſſione, loquutos haud dubio iterum omnes, vt ſoliti erant, eademque lingua, qua antea fuerant vſi, ſed quae dein tractu temporis variis mutationibus, per varias & ſeparatas iam gentes, maiorem in modum adulterata fuerit, & ſic ex vna in diuerſas abierit. Pluribus haec euincere conatur in *origin. babylon. cap. XIII. p. 269. ſeqq.* Magna haec ſententia ſe commendat veroſimilitudinis ſpecie, quia ſcopo Moſis, originem diuerſitatis linguarum explicaturi, non videtur aduerſari; cum labii confuſio omnino cauſſa fuerit diſperſionis gentium, ex qua linguarum varietas iuxta hanc ſententiam orta eſt. Praeterea verbis Moſaicis ſatisfacere videtur; cum proprie ſic dictam confuſionem, quocumque demum modo haec contigerit, admittat. Cumprimis autem hoc habet commodi, quod dubiis, quae circa hoc negotium occurrunt, longe grauiſſimis, hac ratione haud difficulter occurri queat. Primum eorum eſt, quod tum ex nominibus, tum

tum hiſtoriis, in primo Moſis libro paſſim occurrentibus, conſtet, orientales populos omnes longe poſt diſperſionem gentium, eadem, vel valde adfini vſos dialecto; quod vel Abrahami ex Chaldaea venientis, cum Canaanitis ſine interprete colloquentis, itemque ſeruorum Abrahami, aliisque exemplis, pateat. Alterum, quod linguae huius vniuerſi tum inter ſe, tum maximam partem cum ebraea, magnam habeant conuenientiam; cuius rei non alia temere reddi ratio queat, quam quod ſucceſſu temporis, in gentibus hinc inde diſperſis, varia qua pronuntiationem, qua litterarum transmutationem, omiſſionem, additionem fuerint mutata, vt tamen linguae iſtae diuerſae vnius eiusdemque linguae primaeuae, quae reliquarum omnium mater ſit, tantum certo modo dialecti cenſeri queant. Tertium denique, quod receptae ſententiae vel maxime obſtat, argumentum eſt, quod Cananaeorum lingua eadem fuerit, ac ebraea. Aut itaque dicendum, linguam ebraeam, eam ſcilicet, quae hodie illo nomine venit, non eſſe linguam primigeniam, (quod nemo temere dixerit, vt ex infra dicendis conſtabit,) aut admittendum, linguam ebraeam vel maxime in Chamitarum gente fuiſſe conſeruatam; cum tamen vulgo ſtatuatur, inter Semitarum hoc fuiſſe praerogatiuas, quippe qui poenae immunes cenſeri debeant, cum in delicti participationem non venerint. Chamitas autem, vtpote praecipuos iſtius facinoris auctores, praecipue etiam eius poenam experiri debuiſſe. Ad haec & alia, quae magnam vtique ſpeciem habent, ex illorum hypotheſi, qui, poſt gentium diſperſionem linguarum varietatem ortam, ſtatuunt, haud difficulter reſponderi poteſt.

Nec tamen & illis, qui linguarum confuſionem ita interpretantur, vt nouas ſimul linguas ortas ſtatuant, quae hic regerant, deſunt. Ad primum namque reſpondent, quod poſt linguarum confuſionem, nouarumque productionem, nihiloſecius inter quasdam linguas maior conuenientia eſſe potuerit, quam inter alias. Mirum itaque non eſſe, linguas orientales quodammodo inter ſe conuenire, etſi eo modo orientales & occidentales inter ſe non conueniant. Hinc, cum diſcrepantia adeo magna non eſt, fieri facile poteſt, vt homines diuerſa lingua vtentes, ſe inuicem vtcumque intelligant. Nec tamen omnem diſcrepantiam negandam. Linguam, qua Labanus, in Meſopotamia habitans, vſus eſt, a lingua ebraea, Iacobo vernacula, diuerſam fuiſſe, vel inde conſtare, quod aceruum in ſignum foederis a ſe erectum, ille quidem vocauerit יגר שהדותא hic autem גלעד Quod telum dum ita declinare adnititur CAMPEGIVS VITRINGA. *l. c. cap. V. p. 46.* vt dicat, verba יגר שהדותא a ſcribis ſacris textui inſerta, vel ſecundum vſum linguae chaldaeae, eorum aetate receptum, inflexa eſſe; ſatis indicat, extrema ſibi tentanda eſſe, vt hinc ſe expediat. Ad alterum quod attinet ar-

Digitized by Google

gumentum, qui in confuſione linguarum nouas ſimul productas adſerunt, ita reſpondent, confuſionem, nouarumque ſimul linguarum productionem, ita factam, vt linguae primigeniae varia immutatione, litterarum v. g. transpoſitione, ſimilique ratione, vtraque fieret. Hinc omnino linguas ex hac confuſione ortas conuenientiam quamdam, tum inter ſe, tum cum lingua ebraea ſeu primigenia, habere. Sed nec vltimum argumentum, vt victas dent manus, ab illis impetrare poteſt. Verum quidem eſt, ſententia illa, linguam cananaeam eamdem fuiſſe cum ebraea, magni nominis viros, IOS. SCALIGERVM, THOM. ERPENIVM, PETRVM DANIELEM HVETIVM, aliosque, nacta eſt defenſores. His GROTIVM, SELDENVM, BOCHARTVM, nonnulli addunt; inuito tamen STEPHANO MORINO, qui negat, eos credidiſſe, linguam ebraeam eamdem eſſe cum cananaea, ſed ſaltem ſtatuiſſe, linguam ebraeam cananaeae valde fuiſſe adfinem; *exercit. de lingua primaeua, cap. XI.* Quidquid huius ſit, linguam ebraeam eamdem eſſe cum cananaea, nondum ita euictum eſt, vt nullae hac de re ſuperſint dubitandi rationes; etſi, magnam vtriusque linguae fuiſſe adfinitatem, negari nequeat; quod pluribus oſtendit vir clariſſimus, VAL. ERNESTVS LOESCHERVS, de *cauſſis linguae ebraeae, lib. I. cap. III. p. 28. 29.* Solent & punicam linguam in ſubſidium vocare, vt ebraeae & cananaeae conuenientiam euincant, ſupponentes, Phoenices origine fuiſſe cananaeos: quod, contra communem fere eruditorum conſenſum, negat STEPHANVS MORINVS *l. c.* Quae res vti altioris indagationis eſt; ita nec illud extra omne dubium poſitum, inter punicam & ebraeam linguam tantam eſſe conuenientiam, quanta vulgo ſtatuitur. Sed hac de re alibi.

** Non enim ſine ſapientiſſimo Dei conſilio factum, vt credamus, par eſt, quod Moſes tam diligenter gentium omnium origines expoſuerit, *Gen. X.* Multa equidem hic occurrunt, quae obſcura nobis ſunt, minusque perſpecta, idque tum ob nominum, quibus gentes inſignitae fuerunt, varietatem & mutationes, tum ob earum migrationes commixtionesque, & alias cauſſas; interim non ſpernenda eſt virorum doctorum, quam in hisce indagandis collocarunt, opera. Palmam reliquis velut praeripuiſſe videtur SAMVEL BOCHARTVS, in *Phaleg*, quem & multi recentiorum, ſi non in omnibus, ſaltem in plerisque ſequuntur. Nec tamen vbique forte rem tetigit; quod & non mirandum; cum maximam partem coniecturis hic ad veritatem eniti liceat. Nos in compendio ea, quae praecipue memoratu digna viſa fuerint, exhibebimus.

IAPHETI filii fuerunt: *Gomer, Magog, Madai, Iauan, Thubal, Meſchech, & Thiras.* GOMERIS poſteros FL. IOSEPHVS, *lib. I. antiquit. cap. VII.* Galatas eſſe contendit, olim Gomarenſes dictos; quem ſequuntur HIERONYMVS, PROCOPIVS, VATABLVS, aliique. LVTHERVS autem, ARIAS MONTANVS, aliique,

Cim-

Cimbros intelligunt. SAMVEL BOCHARTVS, in *Phaleg*, *lib. III. cap. VIII.* Phrygiae incolas deſignari, autumat, cuius pars dicatur *κατακεκαυμένη*, *combuſta*, quae etiam ſignificatio eſt vocis גמר apud Chaldaeos & Syros, idque confirmat voce *φρύγειν*, *torrere*, vnde Phrygia nomen acceperit. Quae quam lubrica & incerta ſint, nemo non videt. Recte tamen BALTHASAR BEBELIVS monet, conciliari has ſententias inter ſe poſſe, ſi dicamus, Gomeritas fuiſſe initio Phrygiae, & huic vicinae Galatiae incolas, migraſſe deinde verſus ſeptentrionem, & Pontum Euxinum, dictosque Cimmerios & contracte Cimbros; in *hiſtoria eccleſ. Noach. artic. VI. §. IX. p. 59.* Nec procul hinc diſcedit PAVLVS PEZRONIVS, qui in eo totus eſt, vt Celtas a Gomeritis deriuet, ſimulque condocet, Gomeritas etiam Sacas, itemque Cimbros ſeu Cimmerios dictos; in *antiquitate gentis & linguae Celtarum ſeu Gallorum*, gallice Pariſiis anno MDCCIII edita, *p. 13. ſeqq.* MAGOGI poſteros nonnulli Maſſagetas & Getas, alii Celtas, alii Aquitanos, alii alios eſſe volunt. Probabilius eſt, Scythas a Magogo deſcendiſſe; quae etiam eſt ſententia IOSEPHI, HIERONYMI, THEODORETI, LVTHERI; quam & plurimis haud contemnendis rationibus confirmat SAM. BOCHARTVS, in *Phaleg*, *lib. III. cap. XIII.* Sed cum Scythae vel aſiatici ſint, vel europaei; illos quidem BOCHARTVS, hos autem alii intelligunt. Poſſe vero & haſce inter ſe conciliari ſententias, exiſtimat BALTHASAR BEBELIVS, ſi dicatur, Scythas a Magogo oriundos initio in Aſia iuxta Caucaſum habitaſſe, hinc autem, cum aucti eſſent, latius ſe diffudiſſe, & quosdam Europae partem occupaſſe, ex quibus iuxta quosdam Gothi, iuxta alios Germani, prodierint; *l. c. p. 60.* MADAI parentem auctoremque Medorum eſſe, magno omnes fere conſenſu ſtatuunt, resque ipſa aperte conſtat, ex *Dan. V. 28. VI. 8. VIII. 20. Eſth. I. 3. X. 2.* IAVAN Graecorum parentem conditoremque eſſe, dubitari nequit. Conſtat id vel ex *Dan. XI. 2.* vbi dicitur, quod quartus Perſarum rex, hoc eſt, Xerxes, inſurrecturus ſit contra regnum Iauan, id eſt, Graeciam. Sic & *cap. X. 20.* princeps ex Iauan, id eſt, Graecia, imminere praedicitur Perſarum regi. Cum autem vox יון aeque *Ion* ac *Iauan* efferri queat; mirum non eſt, apud Graecos Iauanis poſteros dictos Ionas, eorumque regionem Ioniam. Quod nomen licet deinceps certae Graecorum genti haeſerit; dubium tamen non eſt, quin antiquiſſimis temporibus omnibus Graecis fuerit commune. Id quod vel ex eo colligas, quod HERODOTVS auctor eſt, Athenienſes & alios Graecos noluiſſe Iones adpellari. Scilicet & maiorum, & priſcae denominationis, pudebat homines inepte ambitioſos. Verba HERODOTI ſunt: *οἱ μὲν νῦν ἄλλοι Ἴωνες καὶ Ἀθηναῖοι ἔφυγον τὔνομα, οὐ βουλόμενοι Ἴωνες κεκλῆσθαι. alii Iones atque ipſi Athenienſes iſtud nomen refugerunt, nolentes Ionii adpellitari; lib. I. p. m. 61.* Cumque Aſia prima hominum

num fuerit ſedes, & inde demum in Europam progreſſi ſint; nullum eſt dubium, quin Iones, ſeu Graeci, primo in Aſia minori ſedem habuerint, & ſic tandem, cum numerus illorum ad inſignem multitudinem excreuiſſet, quosdam in Europam commigraſſe, eamque occupaſſe partem, quae deinde Graecia dicta eſt. Graeci equidem ſcriptores, Graecos aſiaticos a Graecis europaeis ortos, contendunt; ſed rerum antiquiſſimarum profunda ignorantia, vna cum iactantia, Graecis europaeis propria, obſtitit, quo minus veritatem perſpicere potuerint. Europaei enim Graeci ab aſiaticis potius originem duxerunt, etſi deinde quaedam coloniae ex Europa in Aſiam remigrauerint. Et iſtud quidem hodie viri docti extra dubitationem poſuerunt. Vid. VAL. ERNESTI LOESCHERI *Ion*, ſeu *originum Graeciae reſtauratarum lib. II.* cumprimis *lib. I. cap. II. p. 15. & lib. II. cap. I. p. 73. ſeqq.* THVBALIS poſteros FL. IOSEPHVS Iberos, HIERONYMVS Hiſpanos eſſe putat. Tibarenos intelligit SAM. BOCHARTVS, *l. c. lib. III. cap. XII.* qui deinde Tartari dicti ſunt; qua in re iam praeeuntem ſibi habuit B. LVTHERVM. Nec id ſine ratione. Coniunguntur enim Thubal & Meſech frequentius, vt populi vicini Conf. *Ezech. XXVII. 13. XXXII. 26. XXXVIII. 2. 3.* Meſech autem, vt deinceps dicetur, Moſchis ortum dedit, quibus vicini ſunt Tartari. Nec diſſentit IOSEPHVS, cum Iberos Colchidis accolas intelligat. Tibarenos autem iuxta Colchidem locat STRABO, *lib. VII. cap. XI. XII.* Ad rationes SALIANI, pro ſententia HIERONYMI militantis, ſolide reſpondet BEBELIVS, *l. c. p. 61.* De MESCHECH etſi iterum variae ſint eruditorum ſententiae; praeferenda tamen reliquis eorum, qui Moſchos intelligunt, qui, quidquid iugorum eſt, a Phaſi ad Pontum Cappadocium vsque, occuparunt. Praeter alia & ipſum nomen hoc oſtendere videtur; quamquam nonnulli *Meſchech*, non tam hominis ſingularis, quam populi aut regionis nomen eſſe, contendunt; quod & de aliis quibusdam nominibus hic occurrentibus obſeruant. Praeter AR AMMONTANVM, MERCERVM, SALIANVM, aliosque, hanc ſententiam, quod Moſchi intelligantur, tuetur BOCHARTVS, *l. c. lib. III. cap. XII.* cui & BEBELIVS ſuffragatur, *l. c. p. 62.* Vltimus denique inter Iapheti filios commemoratur THIRAS; de quo plerique veterum & recentiorum conſentiunt, quod Thraces aut Thracum conditor hoc nomine ſignificetur. Plurima vocis huius veſtigia in Thracia & Thracum nominibus occurrere, oſtendit SAM. BOCHARTVS, *l. c. lib. III. cap. II.* Et hi quidem fuere filii Iapheti, ex quibus duo fuere, quorum poſteros ſpeciatim indicare operae pretium Moſes duxit, haud dubio ob gentium, quae ex iis ortae ſunt, celebritatem, Gomer ſcilicet atque Iauan, *Gen. X. 3.* Gomeris namque filii indicantur, *Aſcenas, Riphat*, & *Thogarma*. ASCENASI quinam fuerint poſteri, valde iterum inter ſe diſſentiunt viri eruditi. Sunt, vt reliquas ſententias mittam, qui, Germa-

manos Aſcenaſi progeniem eſſe, exiſtimant; vt B. LVTHERVS, aliique. Alii contra exiſtimant, e terra Gomer ſeu Phrygia maiori, duce Aſcenazo, colonos in Phrygiam minorem & Troadem deductos, ad Pontum vsque ſe diffudiſſe. Argumento ſunt regio, vrbs & palus in Phrygia, Aſcaniae dictae, fluuiusque Aſcanius. Pluribus haec demonſtrat SAMVEL BOCHARTVS, *loc. cit. lib. III. cap. IX.* Nec a priori haec discrepat ſententia, ſed conciliari cum ea poteſt, ſi dicamus, Germanos, ſaltem ex parte, ex Phrygia originem ducere; quod luculenter euincit, argumento inter alia ex vtriusque linguae, phrygicae & germanicae, conuenientia ducto, PAVLVS PEZRONIVS, in *antiquitate gentis & linguae Celticae, p. 290. ſeqq.* Singularis plane de origine Germanorum eſt ſententia IO. CHR. KRIEGSMANNI, cuius *coniectaneorum de germanicae gentis origine ac conditore liber vnus* anno MDCLXXXIV Tubingae prodiit. In eo namque probare adnititur, Germanos ab Hermete Triſmegiſto, qui Moſi ſit Chanaan, originem ducere. Sed dubito, an rationes, quas adfert, id, quod cupit, euincant. Primo illorum reiicit ſententiam, qui ab Askenazo Germanos deriuant, cum SAM. BOCHARTO contendens, Askenazum non Germaniam, ſed Phrygiam minorem inſediſſe, *cap. III. & IV.* Sed, quod iſta BOCHARTI ſententia non repugnet illorum opinioni, qui ab Askenazo Germanos deriuant, iam antea demonſtrauimus. Nec contemnendum ſuae ſententiae argumentum, qui Askenazum Germanorum conditorem ferunt, in eo inueniunt, quod communis fere Ebraeorum haec ſit ſententia, adeo vt Germani in eorum ſcriptis non alio fere, quam אשכנזים, nomine veniant. Cui argumento, quae KRIEGSMANNVS *cap. V.* opponit, non adeo magni momenti ſunt. Prouocat inter alia ad IOSEPHVM BEN GORION, qui Germanos facit filios Eliſae Iauanidis. Sed, vt ille Eliſa, qui Germanorum pater ſit, fictus prorſus eſt & commentitius; ita, quanta pſeudo-GORIONIDIS iſtius in rebus hiſtoricis ſit auctoritas, iam ex ſupra dictis conſtat. Praecipuum cauſſae ſuae momentum vir doctus in teſtimonio C. CORNELII TACITI ponit, ex quo colligit, germanicae gentis conditorem eſſe Tuitonem, ſeu Theutum, quo nomine apud veteres Mercurius venit, hoc eſt, vt ipſe quidem putat, Chanaanus. Nec id ſane ſine veroſimilitudinis quadam ſpecie dicitur, Theutum ſeu Mercurium germanicae gentis conditorem eſſe; cum non tantum nominis ſuffragetur ratio, facilique ratione a Theuto Teutones dici potuerint, ſed C. CORNELIVS TACITVS quoque diſerte dicat: *Deorum maxime Mercurium colunt;* de *morib. Germ. cap. IX.* Verum ad id demum omnis redibit disceptatio, quis ille Theutus ſeu Mercurius? Num Chanaanus? Id quidem vult KRIEGSMANNVS, ſed validis rationibus non probat. Cur non vnus ex Iapheti poſteris? cur non ipſe forte Askenas hoc nomine inſigniri potuit? Certe PAVLVS PEZRONIVS, vt Iouem Cel-

Digitized by Google

Celtarum regem, qui in Italia & occidente regnauit, interpretatur; ita, Theutum illum ſeu Mercurium, vnum ex eius filiis fuiſſe contendit; in *antiquitate gentis & linguae Celticae, p. 293.* Nullam itaque cauſſam video, cur a recepta ſententia, Germanos ab Askenazo originem ducere, diſcedere debeamus. Alter Gomeris filius eſt RIPHATH: de cuius poſteris nihil, praeter coniecturas, admodum incertas, adferre licet. Paphlagones deſignari, ſententia eſt IOSEPHI & HIERONYMI, quam & praeter alios ſequitur SAMVEL BOCHARTVS, *l. c. lib. III. cap. X.* Sed hi ſupponunt, aut pro *Riphath* legendum *Diplath*, aut *Riphath* & *Diphath* eſſe vnum idemque. Riphaeorum montium accolas deſignari, probabiliori coniectura contendit IOAN. CLERICVS ad *b. l.* Vltimus Gomeris filius eſt THOGARMA. Mentio quoque huius gentis apud Ezechielem *cap. XXVII. 14.* vbi dicitur, equos & mulos ad nundinas Tyriorum e domo Thogarma conductos fuiſſe. Idem propheta hanc regionem ad ſeptentrionem Chaldaeae aut Iudaeae collocat. Vnde tandem BOCHARTVS colligit, Cappadoces, alias & Trogmos dictos, innui; *lib. III. cap. XI.* Alter Iapheti filius, cuius poſteros ſpeciatim Moſes memorat, eſt IAVAN. Huius inter filios primo loco commemoratur ELISCHAH; quo nomine Elidem, vetuſtiſſimam Peloponneſi prouinciam, ſignari, viri docti credunt. Nam *Ezech. XXVII. 7.* laudatur *purpura Eliſa.* Elis autem purpurae piſcatione celebris erat, teſte PLINIO, *hiſtor. natur. lib. IX. cap. XXXVI.* Conſentiunt hactenus alii, vt tamen paullo ampliores huius regionis limites ſtatuant, immo totam Peloponneſum hoc nomine comprehendant. Certe tum ex Peloponneſo ipſa, tum ex circumiectis inſulis ingentem purpurae copiam auectam fuiſſe, oſtendit BOCHARTVS, *l. c. lib. III. cap. IV.* Sequitur THARSIS; cuius ſedem in Hiſpania quaerit BOCHARTVS, *l. c. lib. III. cap. VII.* Eſſe enim Hiſpaniam Phoenicum nauigationibus & metallo admodum celebrem, quod de regione Tharſis ſcriptura laudat. *Ezech. XXVII. 12.* Verum cum hic Iauanis, vnde Graeci, poſteri recenſeantur; rectius alii Tharſidem in Macedonia quaeſiuerunt; qua de re varias coniecturas profert IOAN. CLERICVS ad *b. l.* Per CHITTIM plerique Macedoniam intelligunt; idque vel ex *I. Maccab. I. 1.* it. *VIII. 1.* vt & ex *Eſ. XXIII. 1.* aliisque argumentis patet. Diſceſſit nihilo-ſecius ab hac ſententia BOCHARTVS, Italiamque cum inſulis vicinis intelligit, *l. c. lib. III. cap. V.* Sed Macedoniam & aliquot vicinas maris Aegei inſulas hac voce deſignari, ſolide probat IO. CLERICVS ad *b. l.* qui & ad rationes BOCHARTI reſpondet. Conf. & BALTHASAR BEBELIVS, *loc. cit. p. 65.* Supereſt DODANIM, pro qua voce nonnulli RHODANIM legunt; cum & in genealogiis Esdrae & in pentateuchi verſione Samaritana ſic legatur, & LXX interpretes haud dubio ita legerint, qui *Rhodios* intelligunt. Sed cum conſtans codicum ebraeorum lectio ſit: *Domi-*

Dodanim; ab ea diſcedere merito nobis religioni ducimus. Verſiones etiam ad fontes exigendae ſunt, non fontes ad verſiones. Faceſſat itaque procul coniectura SAM. BOCHARTI, qui Rhodani accolas in Gallia intelligit; *loc. cit. lib. III. cap. VI.* Praeferenda omnino ſententia B. LVTHERI, aliorumque, qui Epirotas deſignari autumant, penes quos deinde celeberrimum illud templum Dodonaeum fuit. *Conſentaneum eſt*, inquit DAVID CHYTRAEVS, *Dodanim nepotem Iaphet in ea Epiri ora ſedem eccleſiae & ſcholae conſtituiſſe, in qua vera de Deo doctrina ad poſteros propagaretur. Hac exſtincta diabolus ſuae blasphemiae & idololatriae ſedem ibi collocauit, vt ſemper in mundo fieri ſolet; comment. in Geneſ. ad h. l.* Iapheti hactenus progeniem vidimus.

Sequuntur nunc ſecundum ordinem, a Moſe obſeruatum, poſteri Chami. Inter filios eius primum locum CHVS tenet; a quo LXX & vulgatus, & patres, vt & plerique commentatores, Aethiopes deriuant. SAM. BOCHARTVS contra Midianitas pro Chuſi poſteris habet. Sephora namque, Moſis vxor, ex hac gente fuit, *Exod. II. 16. 21.* & Sennacheribum, oppugnantem oppidum in tribu Iudae, Tirhaca, *rex Chus*, ex improuiſo adortus dicitur, *II. Reg. XIX. 9.* quod facile quidem a Madianitidis rege fieri potuit, minime autem a rege Aethiopum. Mitto reliqua, quae ab eodem auctore, ad hancce ſententiam confirmandam, adferuntur. Nihil tamen obſtat, quo minus dicamus, primos Chuſi poſteros in Madianitide ſedem ſuam collocaſſe, deinde autem latius ſe diffudiſſe, vt ab illis Aethiopes quoque prouenerint. Et hunc in modum & iſtae inter ſe conciliari ſententiae poterunt. Alter Chami filius fuit MIZRAIM; quamquam adhuc disputetur, ſitne regionis vel gentis, an vnius hominis illud nomen. Cum enim formae, vt loqui ſolent, ſit dualis, regionis potius nomen eſſe, nonnulli inde concludunt, eo, quod, Aegyptum in ſuperiorem & inferiorem diuiſam fuiſſe, conſtet. Ita poſt SAM. BOCHARTVM, *loc. cit. lib. IV. cap. XXIV.* IAC. PERIZONIVS, in *aegyptiac. orig. inueſtigat. cap. I. p. 6.* Alii exemplo nominis אפרים *Ephraim*, aliiſque, comprobare volunt, hominis illud etiam nomen fuiſſe. Quidquid huius ſit, cum ex perpetuo ſcripturae vſu ſatis conſtet, Mizraim eſſe Aegyptum, in confeſſo eſt, & extra omnem dubitationem poſitum, huncce Chami filium, cui id nominis datum, aegyptiae gentis auctorem eſſe, ac conditorem. Tertius Chami filius fuit PVT, vel PHVT; cuius poſteri, ſecundum quosdam, Mauritaniam, ſecundum alios, Lydiam occuparunt. BOCHARTVS ſedem Aegypto viciniorem huic genti adſignat, quidquid ſcilicet terrarum trans Tritonidem vsque ad oceanum Atlanticum exporrigitur; *lib. IV. cap. XXXII.* Id certum, fuiſſe gentem africanam; quia Aethiopibus, Lybiis & Aegyptiis adnumeratur, *Ierem. XLVI. 9. Ezech. XXX. 5.* Sequitur inter Chami filios CANAAN. Poſteros eius eam terram, quam deinceps Iſraëlitae occuparunt, Phoe-

Phoeniciam & Syriam, poſſediſſe, notius eſt, quam vt moneri debeat. Cumque plerique, praeſertim Sidonii & Tyrii, mercaturae eſſent deditiſſimi; factum inde, vt mercator κατ' ἐξοχὴν כנען diceretur. Ceterum Canaanum hunc, qui Noachi maledictionem expertum, eo quod in delicti paterni ſocietatem veniſſet, iam ſupra diximus. Cuius rei aliquoties ſpiritus ſanctus meminit, eum haud dubio in finem, vt eo confidentius Ebraei a Semo deriuati *Gen. X. 21.* arma tum, cum haec ſcriberet Moſes, corriperent aduerſus Cananaeos, ſeruituti Semitarum & Iaphetitarum deſtinatos, *Geneſ. IX. 21.* Recte hoc obſeruat BALTHASAR BEBELIVS, *l. c. p. 199.* Atque iſta quidem cum fuerint Chami filii; nunc & quosdam ex eius nepotibus Moſes memorat, non aliam itidem haud dubio ob cauſſam, quam quod gentes ex hisce ortae prae reliquis ei dignae viſae ſint, quarum conditores indicaret, idque maxime intuitu Iſraëlitarum. CHVSI itaque filii fuere *Seba*, *Heuila*, *Sabtha*, *Raema* & *Sabtecha*. Ab hisce varios Arabiae populos propagatos recte obſeruarunt viri docti. His ſpeciatim adhuc additur NIMRODVS, diſtinctus quodammodo a ceteris, non quod ex illegitimo thoro ſit ſusceptus, quae quorumdam incerta nimis eſt traditio, ſed quod babylonici regni fuit conditor, dignusque adeo, qui prae ceteris commemoraretur, addita ſimul regni tam memorabilis origine. Sed hac de re in ſequentibus. MIZRAIM originem dedit τοῖς *Ludim*, *Anamim*, *Leabim*, *Naphtuhim*, *Pathruſim*, *Casluhim*, *Peliſchtim* & *Caphthorim*. De hisce gentibus cum nihil, ſi a coniecturis oppido incertis diſcedas, fere dici queat; nos ſequentia ſaltem obſeruabimus. Primo haec non ſingulorum hominum, ſed integrarum gentium nomina eſſe; quod & recte obſeruatum SALOM. GLASSIO, *grammat. ſacr.* ſeu *philol. ſacr. lib. IV. tract. III. obſ. I. p. 759.* Deinde, de voce Mizraim, num hominem, an regionem denotet, iam ſupra diſputauimus. Vtcumque hic capiatur, ſenſus alius eſſe nequit, quam hasce gentes eſſe originis aegyptiacae, ſeu colonias Aegyptiorum. Ad *Pliſchtim* ſeu Philiſtaeos quod attinet, admodum eſt veroſimile, eos in Africa olim ſedem habuiſſe, & hinc nauibus in oram Syriae ſeu Palaeſtinae maritimam delatos, tractum huncce inſediſſe. Rationibus minime contemnendis hoc, itemque Caphtorim Africae gentibus adnumerandos eſſe, euincit IOAN. CLERICVS ad *h. l.* CANAANIS denique vndecim a Moſe celebrantur filii, *Zidon*, *Chet*, *Iebuſi*, *Emorrhi*, *Girgaſi*, *Heui*, *Arki*, *Sini*, *Aruadi*, *Semari* & *Chamathi*. Horum omnium poſteri eas inhabitarunt regiones, quae Cananaeae nomine deinceps venerunt; vt vel ex iis, quae Moſes ſtatim *verſ. 19.* ſubiicit, patet. Eſt vero obſeruandum, Cananitarum nomen interdum vel generatim ſumi, vt omnes gentes hic commemoratas complectatur, vel ſpeciatim, vt illos Cananaeos denotet, qui partim ad mare, partim ad ripas Iordanis habitabant. Conf.

Gen.

Digitized by Google

Gen. XV. 21. Exod. III. 8. 17. XXXIII. 2. &c. Zidon hic non vrbis, vt nonnulli volunt, ſed hominis, a quo vrbs illa longe celeberrima nomen ſortita eſt, nomen eſt; quia diſerte additur, eum Canaanis fuiſſe primogenitum.

Supereſt SEMVS, cum poſteris ſuis; de quibus ideo vltimo loco Moſes verba facit, quod illi conſtitutum eſſet, miſſis reliquis Noachidis, hiſtoriam Abrahami ex Semi progenie oriundi, copioſius proſequi. Filii autem Semi fuere *Elam*, *Aſſur*, *Arphaxad*, *Lud*, *Aram*. Ab ELAMO deſcendunt Elamitae, qui incolunt Elymaidem, inter Suſianam & Mediam. Hinc frequenter coniunguntur Elamitae & Medi, *Eſ. XXI. 2. Act. II. 9.* Bellicoſam fuiſſe gentem, ſuisque regibus inclytam, diſcas ex *Ierem. XLIX. 35.* & *Geneſ. XIV. 1.* Ab ASSVRE Aſſyrios originem ducere, vel ipſa nominis ratio ſuadet. Regio, quam inhabitabant, ſita erat ab occaſu inter Tigrim fluuium, a meridie Suſianam habens, ab ortu Mediam, a ſeptentrione Niphatem montem, quo ab Armenia maiore diſtinguitur. Metropolis eius Niniue fuit, quam a Nino, Aſſuris filio, dictam putant. Sane a filiorum primogenitorum nominibus nomina vrbibus quandoque impoſita, vel ex Caini exemplo patet, *Geneſ. IV. 17.* Sententiam illorum, qui, Niniuen a Nimrodo exſtructam, putant, deinceps ſub examen reuocabimus. ARPHACHSADI poſteri quinam fuerint, aut vbi habitauerint, ſi ab iis, de quibus deinceps, diſceſſeris, incertum. Nominis tamen veſtigium in *Arrapachitide*, parte Aſſyriae, cuius meminit PTOLOMAEVS, ſibi inueniſſe viſus eſt SAM. BOCHARTVS, *Phalegi lib. II. cap. IV.* Vocem LVD idem BOCHARTVS ex Phoenicum lingua interpretatur *flexuoſum*, & hinc colligit, ortos a LVD eſſe Lydios, Aſiae minoris populos; dictosque eos ita eſſe a flexuoſo Maeandri curſu; *lib. II. cap. XI.* A Lydiis, Aſiae populis, Lydos africanos diſtinctos eſſe, recte monet, idque dubio caret. IOAN. CLERICVS Lydos, Semi poſteros, Euphratis potius accolas eſſe, exiſtimat, inter Singam & Saocoram amnes, nec in Aſia minori temere quaerendos; cum ab vna eademque ſtirpe oriundi non adeo procul alii ab aliis diſcedere ſoleant; ad *Gen. X. 22.* ARAMVM denique Syrorum fuiſſe parentem, quorum metropolis Damaſcus fuit, *Eſa. VII. 8.* cum apud omnes in confeſſo ſit, vt prolixius his immoremur, neceſſe non eſt. Quod vero circa Iapheti & Chami filios fecerat Moſes, id etiam facit circa filios Semi, vt quorumdam ex illis poſteros ſpecialius deſignet. ARAMI itaque filios fuiſſe, dicit, *Vz*, *Hul*, *Gether* & *Mas*. Cumque antea iam obſeruatum ſit, Aramum Syrorum patrem fuiſſe; dubium non eſt, quin & horum filiorum eius poſteri, in Syria & regionibus vicinis ſedes ſuas habuerint. Reliqua, quae de illis dici poſſunt, ad coniecturas incertiſſimas redeunt. Alter filiorum Semi, cuius poſteros ſpeciatim deſignat, eſt Arphachſad, ſed ea hoc facit ratione, vt cumprimis oſtendat, quo pacto a Semo

per Arphachſadum iuſta ſerie deſcendat Abrahamus. ARPHACHSADVS namque *Selachum*, Suſianorum, vt putant, conditorem, hic vero *Eberum* genuit. EBERI duo fuere filii, *Peleg*, qui ita dictus, quod eius tempore orbis diuiſus ſit, qua de re iam ſupra dictum, & *Iaketan.* IAKETANI, qui & *Iectan* ac *Ioctan*, filii fuere: *Almodad*, *Saleph*, *Hazarmaphet*, *Iarah*, *Hadoram*, *Vſal*, *Dikela*, *Obal*, *Abimael*, *Seba*, *Ophir*, *Heuilah*, & *Iobab.* De ſede Iaketano adſignanda inter ſe viri docti non conueniunt; hodie tamen plerisque ſe probat ſententia SAM. BOCHARTI, Arabiae felici illum adſerentis, quod inter alia ex ſcriptoribus arabibus euincit, qui ipſum Cathanem vocant, & linguae arabicae repertorem celebrant; in *Phaleg. lib. II. cap. XV.* Hinc & colligere pronum eſt, filios, qui hic commemorantur, Iaketanis, variis Arabiae felicis populis originem dediſſe, qui deinceps latius ſe diffundere potuerunt. PELEGI filius fuit *Regu*, a quo per *Serugum*, *Naborum*, & *Tharam*, originem duxit Abraham, vt in ſequentibus pluribus exponetur.

§. X.

Inter eos, qui reliquos ad turrim inuito Numine aedificandam impulere, haud vltimus fuit Nimrodus, Chuſi filius, ex gente Chamitarum, immo hic velut dux & anteſignanus ad opus illud adgrediendum fuiſſe videtur.* Diſperſis autem ob linguarum confuſionem reliquis, ille cum ſuis in terra Sinear permanſit, ibique regnum babylonicum condidit.** Nec dubium, quin eius exemplum alii imitati ſint; quod & de Aſſure, regni Niniuitici conditore, haud obſcure *Gen. X. 11.* adſeritur.*** Vnde, quaenam imperiorum poſt diluuium fuerit origo, perſpicere licet.

* Communis haec atque recepta fere eſt ſententia, eaque fundamento non deſtituta, inter auctores praecipuos conſilii de vrbe & turri, qua gentium diſperſio impediretur, exſtruenda, fuiſſe Nimrodum. Idque haud obſcure innuit ipſe Moſes, dum dicit, *hic in terris potens eſſe coepit*, *Geneſ. X. 8.* Quod non alium in finem narrauit, quam vt intelligeretur, cuius potiſſimum auſpiciis geſta ſint, quae deinceps expoſiturus erat. Idque adeo ex hisce verbis praeter alios recte colligit R. SALOM. IARCHI ad *h. l.* Alii ex ipſo *Nimrodi* nomine, quod a verbo מרד deriuatum, *rebellem* ſignificat, argumentum ducunt, quo idem comprobent. Quod tum rite valebit, ſi dicamus, hoc nomen illi tum demum impoſitum, cum variis facinoribus inclaruiſſet, quae etiam quorumdam eſt ſententia. Dicitur vero idem Nimrodus *potens venator coram Domino.* Quae verba a nonnullis figurate explicantur, ac ſi iis ſignificetur, fuiſſe Nimrodum *venatorem hominum contra Deum*, hoc eſt, cepiſſe animos hominum, traxiſſe eos in ſuas partes, & excitaſ-

citaſſe ad rebellionem contra Deum; paucis oppreſſiſſe homines ſimul & rebellaſſe contra Deum. Ita AVGVSTINVS, *lib. XVI. de ciuitat. Dei, cap. IV.* quem & alii ſequuntur. Verum nullam hic video rationem, quae nos cogat, vt a propria & genuina verborum ſignificatione diſcedamus. Quanti periculi res ſit, in narratione praeſertim hiſtorica, miſſa propria verborum ſignificatione, ad figuras & metaphoras ſe recipere, alii iamdudum oſtenderunt. Neque eſt, vt aliter ſentiamus, quia additur *coram Deo.* Ea enim phraſi intenſionem rei, cui additur, vel eius excellentiam, aut id. quod palam, feliciter, ſecure, confidenter tamquam in conſpectu & ſub praeſidio Dei, agitur, deſignari, exemplis variis condoceri poteſt. Conf. *Ion. III. 3. Geneſ. XXIII. 6. Pſ. XXXVI. 7. Actor. VII. 20.* Senſus itaque eſt: Nimrodum fuiſſe venatorem longe excellentiſſimum. Quod & prouerbium, cui occaſionem dedit, a Moſe ſubiunctum, confirmat. Sed omnia recte quoque ſibi conſtant, ſi proprie haec verba capiantur. Cum enim diuinus ſcriptor dixiſſet, Nimrodum fuiſſe *potentem in terra*, rationem ſubiicit, cur ad potentiam iſtam atque auctoritatem peruenerit. Venationibus enim, fortitudinis promtitudinisque laudem ſibi parauerat. Simul vero magnis alios homines adfecerat beneficiis, feras beſtias, eos infeſtantes, capiendo vel occidendo. Antiquiſſimis enim temporibus cum homines pauciores, plures autem beſtiae erant, haud mediocri homines beneficio ſibi obſtringebat, qui illorum ſecuritati, captis aut occiſis beſtiis, conſulebat. Pleroſque heroas graecos eadem ratione apud alios homines gratiam & potentiam ſibi inueniſſe, pluribus ediſſerit IACOBVS PERIZONIVS; qui & eamdem ex inſtituto confirmat ſententiam, *orig. babylon. cap. XII. p. 234. ſeqq.* Interim non nego, fuiſſe hominem impium, atque tyrannum, qui ſpretis diuinis legibus, omnibus, quibus potuit, modis, ad magnam potentiam graſſaretur. Verba tamen, *venator coram Deo*, directe hoc non innuunt. FL. IOSEPHVS, AVGVSTINVS, aliique, Nimrodum homines ad idololatriam, ſpeciatim ad cultum ignis, Chaldaeis familiarem, ſeduxiſſe, perhibent. Eoque haud obſcure inclinat Targum Hieroſolymitanum: *Hic fuit potens in venatione, in peccato coram Iehoua, quia fuit venatus filios hominum, linguis ſuis, & dixit eis: diſcedite ab inſtitutionibus Dei, & adhaerete inſtitutis Nimrodi.* Quo nomine & inter haereſiarchas aeui Noachici a nonnullis refertur. Verum quemadmodum vita hominum improba Numinis contemtum omnino arguit; ita idololatram fuiſſe Nimrodum, aut alios de Deo errores fouiſſe, dici nequit; cum nullum eius rei in ſcriptura ſacra veſtigium exſtet.

** Planiſſime hoc colligere licet ex verbis Moſis: *Initium eius regni Babel, Erech, Achad & Chalne, Geneſ. X. 10.* Babel itaque cum fuerit initium regni eius; neceſſe eſt, vt dicamus, Nimrodum reliquis, qui Babelis aedificatio-

ni

ni interfuerunt, diſperſis, aut ibi cum ſuis manſiſſe, aut eodem rediiſſe. Prius eſt veroſimilius. Confirmatque idem IOSEPHVS, *antiquitat. iud. lib. I. cap. VII.* ὑπομείνας παρὰ Βαβυλωνίοις ἐτυράννησε, *maneus* (poſt diſperſionem) *apud Babylonios regnauit.* Conf. & ABEN ESRA ad *h. l.* Narratio autem Moſis ita digerenda, vt, quae de Nimrodo dicit, initium regni eius fuiſſe Babel, poſt gentium demum diſperſionem contigiſſe, intelligantur. Qui enim Babel initium regni eius eſſe potuit, eum nondum eſſet? Haec ipſa vrbs autem, quae occaſionem diſperſioni dedit, quaeue ob linguarum confuſionem Babel dicta, regni eius initium fuit. Mirorque omnino, fuiſſe viros doctos, qui hanc vrbem regnumque iam ante diſperſionem conditum exiſtimarunt. Quod prorſus fieri non potuit. Ceterum cum a profanis hiſtoricis, CTESIA praecipue, ceteriſque, qui eum ſequuntur, babylonici imperii conditor Belus vocetur; viri quidam docti in eam ingreſſi ſunt ſententiam, Belum eumdem eſſe, ac Nimrodum. Ita praeter alios quam plurimos ſentit DIONYSIVS PETAVIVS, in *rationar. temp. part. II. lib. II. cap. III.* ISAACVS contra VOSSIVS eam prorſus reiicit ſententiam, atque impugnat, falſis innixus hypotheſibus; *diſſertat. de aetate mundi, cap. IX.* quam rurſus defendit ac tuetur IACOB. PERIZONIVS, vt tamen Belum hunc babylonium, a Belo aſſyrio, qui pater Nini fuiſſe dicitur, vtpote eo longe antiquiorem, diſcernat; in *originib. babylon. cap. VII. p. 93. ſeqq.* it. *cap. XIV. p. 325.* Quidquid huius ſit, in eo hodie fere conueniunt viri eruditiſſimi, ſententiam illam de regum babyloniorum, maximam Aſiae partem ſub imperio tenentium, continua ſucceſſione, donec Medi & hinc Perſae in illorum locum ſucceſſerint, omni prorſus fundamento deſtitui. CTESIAE, & illorum, qui eum ſequuntur, vt hic nos moueat auctoritas, neceſſe non eſt. Quantum enim huic auctori tribuendum ſit, iam in *prolegomenis* dictum. Qui, Nimrodum eumdem cum Belo eſſe, volunt, lubrico itidem nituntur fundamento, aut, ſi idem fuit, de babylonio, non de aſſyrio, hoc eſt intelligendum; ex quo communis & recepta ſententia parum praeſidii capit. Ex ſcriptura de amplitudine iſta, & continua ſucceſſione regni babylonici, nihil proferri poteſt. Prima enim in illa poſt Nimrodum & Amraphelem, babyloniorum regum mentio occurrit in hiſtoria Ezechiae *II. Reg. XX. 12. II. Paral. XXXII. 31.* vbi Merodac, filius Baladanis, rex Babel, legatos ad Ezechiam miſiſſe dicitur, ſciſcitatum de portento, quod aegro Ezechia acciderat, additis etiam muneribus. Quae ſimul ita comparata ſunt, vt inde facile intelligere liceat, nec eo tempore tantam huius imperii magnitudinem ac potentiam fuiſſe, quanta vulgo iactatur. Amraphel contra, rex Sinear, ſeu Babyloniae, *Geneſ. XIV. 1. ſeqq.* numeratur inter auxiliares copias Chedorlahomori regis Elam, quaſi multo potentioris. Quod fieri non potuiſſet, ſi

Digitized by Google

ſi babylonici imperii ſtatim ab initio tanta in oriente fuiſſet potentia. Immo deinceps Meſopotamiae, Moabitarum, Cananitarum, Midianitarum, aliique reges, ceu magna in oriente potentia praediti, commemorantur, nulla Babyloniorum iniecta mentione. Quod documento profecto eſt certiſſimo, exiguae ad minimum auctoritatis hiſce temporibus Babyloniorum reges fuiſſe. Atque haec cum ita ſint; non errauerit, qui dixerit, babylonicum regnum a Nimrodo conditum, amplitudine reliqua, quae deinceps in oriente orta ſunt, regna, neutiquam ſuperaſſe, idemque varia expertum fata, & aliis quandoque ſubiectum fuiſſe regibus, tempore Ezechiae, regis Iudae, proprios equidem habuiſſe reges, qui tamen diu aduerſus inualeſcentem maxime Aſſyriorum potentiam ſeſe tueri non potuerunt. Mox vero Medis iuncti Babylonii, Aſſyriorum non tantum iugum excuſſerunt, ſed magnam quoque imperii iſtius occuparunt partem. Tum demum potentia & auctoritas huius imperii eniteſcere, ſed non diu admodum duratura, & mox ad Medos, hinc ad Perſas tranſitura. Haec vt ſcripturae ſacrae, ita & veritati ſunt conſentanea. In alterum extremum prolabitur IO. MARSHAMVS, qui ipſius vrbis quoque Babylonis originem ad Nabonaſſari tempora vult deiectam; cuius tamen conditorem fuiſſe Nimrodum, aperte ſatis ſcriptura tradit; haud immerito ideo refutatus a IAC. PERIZONIO, *orig. babylon. cap. III. p. 30. ſeqq.*

*** Sunt plurimi, iique eruditiſſimi viri, qui in verbis Moſis *Gen. X. 1.* vocem *Aſſur* pro regionis, non pro hominis nomine accipiunt. Hos & praeter alios ſequutus eſt IO. MARSHAMVS, qui in hac interpretatione argumentum ſibi inueniſſe viſus eſt, quo ſententiam ſuam, qua negat, Nimrodum eſſe Babylonis conditorem, confirmare queat. Senſum itaque verborum Moſis eſſe putat: *Initium regni eius fuere Babel &c. id eſt, initio Babyloniam occupauit, in qua oppida iſta poſtea condita fuerunt: cum vero partes iſtae vaſtiſſimorum amnium Euphratis & Tigris inundationibus eſſent obnoxiae, e terra illa exiit in Aſſyriam, & aedificauit Niniuen &c.* Hinc tandem concludit: *Cum egreſſus ſit ex Babylonia, Babylonis vrbis conditor haberi nequit;* in *can. chron. ſaec. XVII. p. 508.* Alii, licet de origine vrbis Babyloniae a MARSHAMO diſſentiant; in eo tamen conueniunt, Nimrodum ex Babylonia in Aſſyriam veniſſe, ibique vrbem Niniue condidiſſe. At verbis apertis Moſis vim manifeſtam faciunt, qui ita ſentiunt. Ita namque loquitur diuinus ſcriptor: מן הארץ ההיא יצא אשור *e terra hac egreſſus eſt Aſſur.* Qui de Aſſyriae regione haec accipiunt, ellipſin hic admittere coguntur, ſic ſupplendam: *egreſſus eſt* (Nimrodus in) *Aſſyriam.* Cuiusmodi ellipſeon etſi forte quaedam exempla proſtent; cum vero durae ſint & rarae, ad eas ſine neceſſitate non eſſe confugiendum, res ipſa docet. Eo minus autem hoc ferendum, cum etiam ſenſus planus & conueni-

Digitized by Google

ueniens haberi poteſt. Id quod cum hoc in loco ita ſe habeat; Aſſur hominis nomen eſſe, eo fidentius adſerimus, quo infirmiora ſunt, quae contra hancce expoſitionem adferuntur. Id praecipue vrgent: *alienam eſſe ab hac Chamitarum enarratione mentionem Semitae, item, ordini hiſtoriae repugnare, vt Aſſuris geſta & vrbes ab eo exſtructae ex abrupto referantur prius, quam natiuitas.* Quibus vt occurratur dubiis, nonnulli quidem per Aſſurem non Semi iſtum filium, cuius *v. 22.* mentio iniicitur, ſed alium, filium ſcilicet Nimrodi, cui idem nomen fuerit, intelligunt. Et hunc eumdem eſſe cum Nino, quem profani ſcriptores vrbis Niniue conditorem ferunt. Verum cum, Nimrodo fuiſſe filium, Aſſur dictum, nullibi legatur; de Semo contra conſtet, quod filium, cui nomen Aſſur, genuerit; vt in hanc concedam ſententiam, a me impetrare nequeo. Sed cuncta quoque recte ſibi conſtant, ſi vel maxime admittamus, Aſſurem hunc Semi fuiſſe filium. Obſeruandum namque ſaltem, quae de Niniues vrbis origine hic tradit Moſes, eum hic oblata commoda occaſione, per modum παρενθέσεως, inſerere. Quae aliquid narrandi ratio tum ſacris, tum aliis ſcriptoribus, longe eſt frequentiſſima. Conf. *II. Sam. IV. 1.* & *I. Reg. X. 11.* Immo, ſi dicendum, quod res eſt, quae de babelici regni origine hic Moſes commemorat, non aliter intelligi poſſunt. Quod ſi enim temporis ſequi rationem voluiſſet, iſtud poſt gentium factam diſperſionem, commemorare debuiſſet. Quod ſi cauſſam quaeras, cur heic loci huius rei mentionem fecerit Moſes, ea in promptu eſt. De Nimrodo enim verba faciens, opportune ſe offerebat occaſio babylonici regni, vrbisque Babelis originem paucis indicandi; ſed cum non minus memorabile Moſi videretur regnum aſſyriacum, & vrbs Niniue fama & potentia Babeli in eodem terrarum tractu aequalis eſſet, haud ſine ratione ſtatim eius quoque originem adiunxit. Senſus itaque verborum Moſis eſt: *Ex terra illa* (Sinear, in qua babylonici regni fundamenta iecerat Nimrodus) *egreſſus eſt Aſſur*, (cum ſcilicet hactenus cum aliis quibusdam Semitis, poſt gentium diſperſionem ibi haeſerat, nunc autem ab illis ſe ſeparare conſultum duceret) *& aedificauit Niniuen &c.* Atque haec cum ita ſe habeant; IO. MARSHAMI antea adlata explicatio ſua ſponte corruit. Illud, qui ſecus ſentiunt, adhuc obuertere ſolent, quod *Mich. V. 5.* Aſſyria vocetur: *terra Nimrodi.* Verba prophetae ſunt: *& depoſcent terram Aſſuris gladio, & terram Nimrodi lanceis.* Sed ſumitur hic ceu euictum, quod adhuc probandum erat, per terram Nimrodi intelligi Aſſyriam. Quid enim obſtat, quo minus per eam Babylonia intelligatur? Intelligit ſane R. SAL. IARCHI, quem & alii, tum ex Ebraeis, tum ex chriſtianis ſequuntur. Cumque vtrique, & Aſſyrii, & Babylonii, eccleſiae veteris teſtamenti admodum fuerint infeſti; rectiſſime in poena, quam hoſtes eccleſiae experiri debebant, inter ſe con-

coniunguntur. Eſt vero & hoc addendum, cum Aſſaradinus, Aſſyriorum rex, Babylonem in poteſtatem ſuam redegerit; quemadmodum deinde Nabopolaſſarus rurſus Aſſyriam ſibi ſubiecit; factum inde, vt Babylonia & Aſſyria non tantum ſubinde inter ſe coniungantur, ſed & confundantur, & pro vno eodemque regno habeantur. Quod ſi denique & illud dubium alicui moueat, quod ſecundum noſtram ſententiam Semitae cum Chamitis in Babylonia vixiſſe dicendi ſint; ſiquidem Aſſur, Semi filius, ex Babylonia in Aſſyriam venit; cogitandum, potuiſſe in Babylonia quoſdam ex Semi poſteris poſt gentium diſperſionem commorari, etſi a Chamitis ſeiuncti eſſent, ac ſeparati; quemadmodum & Abrahami maiores, a Semo itidem oriundos, in Chaldaea quoque commoratos eſſe, conſtat. Pro noſtra denique ſententia militant FL. IOSEPHVS, R. SAL. IARCHI, HIERONYMVS, AVGVSTINVS, de *ciuitat. Dei, lib. XVI. cap. II.* aliique, cumprimis eamdem erudite tuetur IAC. PERIZONIVS, *orig. babyl. cap. IV. p. 38. ſeqq.*

§. XI.

Ex Semo, Noachi filio, per Arphachſadum, & Salah,* originem traxit Eber, a quo gens ebraea orta eſt, ipſumque nomen retulit.** In hacce Semi poſteritate purus Numinis cultus quam diutiſſime floruit, veraque haud dubio eccleſia fuit conſeruata. Immo & ea per Abrahamum in longe ventura ſaecula propagata fuit. In Eberi etiam familia antiqua illa & antediluuiana conſeruata, & ad poſteros eius propagata fuit lingua, quae inde ad hodiernum vsque diem ebraea dicitur.*

* Septuaginta interpretes inter Arphachſadum & Salah Cainanum collocant, illique CXXX annos, donec genuit Salah, tribuunt. Immo apud Lucam quoque euangeliſtam Cainani huius mentio iniicitur. Vnde in varias, vt hinc ſe expedirent, viri docti iuere ſententias. In textu ebraeo eum deeſſe, omnium confeſſione, & vniuerſali omnium codicum conſenſu, conſtat. Vnde apud LXX interpretes eum ſuppoſititium eſſe ſequitur, quacumque demum ratione in iſta verſione irrepſerit, ſiue per errorem, ſiue data opera, aut ab ipſis interpretibus, aut alio quodam, inſertus ſit, vt chronologia Moſis cum Aegyptiorum chronologia conciliaretur. Lucam in re aperte falſa hosce interpretes ſequutum, adſerere, nimis durum; etſi ceteroquin non inſolens ſit, vt ſcriptores noui teſtamenti LXX interpretes ſequantur. Ab aliena manu itaque apud Lucam Cainanum hunc irrepſiſſe, eo minus dubitandum videtur, quod in vetuſto codice Cantabrigienſi, cuius hac in re haud contemnenda auctoritas, itidem omittatur. Sed hac de re alibi ex inſtituto. Prae ceteris, qui hac de re egerunt, legendus IAC. VSSERIVS, qui

ex inſtituto de Cainano hocce differit, in *chronologia ſacra*, eius *annalibus* ſubnexa, *cap. VI. p. 26. ſeqq.*

** Hinc iam ipſe Abrahamus vocatus eſt העברי *Ebraeus*, *Gen. XIV. 13.* Alii equidem eum ita a *transeundo*, quod Euphratem transiiſſet, dictum exiſtimant; vt THEODORETVS, *in Geneſ. quaeſt. XVI.* CHRYSOSTOMVS, *homil. XXXV. in Geneſ.* quemadmodum rurſus alii hac voce innui putant, quod e regione *trans Euphratem* fuerit; vt R. SALOM. IARCHI ad *h. l.* aliique. Sed cum ex *Geneſ. XXXIX. 14. XLI. 12. XLIII. 32.* aliisque locis pateat, nomen עברי eſſe patronymicum; praeferenda illorum ſententia, qui eum ab Ebero עברי *Ebraeum* dictum, contendunt. Poſteros autem etiam Abrahami ab Ebero, Ebraeos dictos, patet ex *Gen. X. 21. Num. XXIV. 24.* Conf. THOMAS HAYNE, de *linguar. cognat. & harmonia, p. 7. ſeqq.*

*** Etſi enim maiores quoque Abrahami, immo ipſe Abrahamus, ante vocationem fuerint idololatrae; dubium tamen non eſt, quin inter Semi poſteros, ſed & inter reliquos Noachidas, ſemper fideles ſuperfuerint. Obſcurari enim equidem eccleſia, ſed non penitus deſinere poteſt.

* Occaſio hic nobis datur, quaeſtionem percelebrem, an lingua ebraea ſit primigenia illa & antediluuiana? attingendi: quod paucis faciemus; cum plurimis, iisque doctiſſimis viris, hocce argumentum integris diſſertationibus tractatum conſtet. Id, puto, extra controuerſiam poſitum eſt, linguam, qua Adamus vſus eſt, quamque haud dubio a Deo ipſo accepit, incorruptam intemeratamque ad Noachum propagatam fuiſſe. Nec enim, quod vllam mutationem ſubierit, conſtat. Idque Moſes confirmat, cum, *vniuerſam terram, vnius labii, eorumdemque verborum* fuiſſe, perhibet, *Geneſ. XI. 1.* Id etiam ex ſupra dictis ſatis manifeſtum eſt, cum Babelicae turris conditores, qui ductum & auſpicia Nimrodi, ſimiliumque hominum, ſequuti ſunt, homines fuerint improbi, diuinae diſpoſitioni reluctantes, eorum conſilium non potuiſſe non Noacho, Semo, aliisque piis, admodum diſplicere. Vnde & nemo dubitauerit, quin Noachus, Semus, & qui cum illis faciebant, ab hocce inſtituto prorſus alieni fuerint, immo illud ſerio deteſtati ſint, inque ſuis adeo permanſerint ſedibus. Et apud hos linguae primigeniae, ſeu antediluuianae, permanſiſſe vſum, vel inde manifeſtum eſt, quod nulla cauſſa mutationis, quae apud eos contigerit, adferri queat. Siue enim confuſionem linguarum pro poena, ſiue ſaltem pro medio habeas, quo Deus illorum hominum ſtolidos conatus diſturbare voluit, neutra ratione ad eos, qui huic molitioni non intererant, pertinere potuit. Fruſtra etiam dixeris, cum diuerſarum linguarum productio gentium demum diſperſionem ſequuta ſit, eadem ratione in Eberi familia oriri potuiſſe ebraeam, qua aliae linguae in aliis gentibus

bus ortae ſunt. Confuſionem enim linguarum, cauſſam, non effectum diſperſionis gentium fuiſſe, ſupra iam indicauimus. Eſt vero porro obſeruandum, etſi nonnulli ex Semitis in Chaldaea vixerint; eos tamen, vt religionis, veraeque doctrinae, ita & linguae primigeniae cum illis, qui alioſum diſceſſerant, vſum haud dubio retinuiſſe. Haec enim ita fere connexa ſunt, vt ſeparari a ſe inuicem nequeant. Vnde, qua ratione in Eberi familia lingua primitiua conſeruata ſit, vt ab ea omnino nomen acceperit, patet. Primum ex hactenus dictis argumentum fluit, idque validiſſimum, quo comprobetur, linguam ebraeam primigeniam illam eſſe, atque antediluuianam. Alterum, quod non minoris momenti eſt, ex etymologiis nominum primorum patriarcharum, quae Moſes ex lingua ebraea deriuat, deſumitur. Sic primo homini nomen *Adami* datum dicitur, quia corpus eius ex *Adamah*, hoc eſt, terra, formatum eſt, *Gen. II. 7.* Adamus vxori nomen *Chauah* dedit, quod futura eſſet mater omnium viuentium, adludendo ad vocem חוה *Gen. III. 20.* Eodem pertinet, quod *cap. II. 23.* femina אשה a voce איש dicatur; vt nunc reliqua taceam, quae magno numero adferri poſſent, ſi opus eſſet. Accedit denique, quod populorum nomina antiquiſſima ex lingua ebraea deriuari queant; vt ex ſupra etiam dictis patet. Ex eo ad minimum illud ſequitur, linguam ebraeam reliquarum omnium eſſe matricem, ex qua in confuſione Babelica per varias immutationes reliquae linguae omnes ortae ſint.

Ex hisce & aliis, quae pro noſtra ſententia adferri ſolent, argumentis, cum ſecus ſentientibus ipſis, quod ab etymologia nominum patriarcharum deſumtum eſt, plurimum roboris habere videatur, regerere ſolent, Moſen nomina antiqua transtuliſſe in nomina ebraea, eiusdem ſignificationis. Non infrequens hoc eſſe aliis ſcriptoribus, exemplis variis comprobare adnituntur. Sic AQVILAM, vt textum ebraeum imitaretur, vſum vocibus: Ἀνὴρ & Ἀνδρὶς; vulgatum, vocibus: *vir* & *virago*. Pari ratione euangeliſtas nomen *Cephae* extuliſſe per vocem *Petrus*, vt ſignificationem vocis ſyriacae retinerent, & ſimul adluſionem ad petram. Verum, quam lubrica, quamue leuia ſint, quae hunc in modum diſſeruntur, nemo non videt, qui modo animum aduertere cupit. Cum enim conſtanter, vnaque & eadem ratione non tantum a Moſe, ſed a reliquis etiam ſcriptoribus ſacris, referantur; cum etiam ceteroquin Moſes, & reliqui ſcriptores ſacri, nomina aegyptiaca, babylonica, perſica retineant; ecquis credat, Moſen nomina patriarcharum in linguam ebraeam ex alia transfundere voluiſſe? Idque cum nec aliis hiſtoricis in more poſitum ſit, cur quaeſo de Moſe id praeſumamus? Pauca iſta exempla, quae a ſecus ſentientibus adferuntur, non efficient, vt in illorum transeamus caſtra. Poteſt contingere, vt interpres paronomaſias & adluſiones

auctoris, quem in aliam linguam transfert, exprimere conetur, quod exemplum, ex AQVILA & vulgato antea adlatum, docet; immo & hoc concedo, ſcriptores veteres aliquando rarius occurrentia & minus nota, praeſertim titulos, locorumque adpellationes & nomina barbara, in ſuam transferre linguam, idque interdum emphaſeos aut adluſionis gratia; (quamquam & quandoque ex ignorantia hoc fieri potuerit, ſi nomina propria pro adpellatiuis habeant,) ſed exſtitiſſe aliquem ſcriptorum profanorum, qui per vniuerſam, quam condidit, hiſtoriam, omnia ſimul nomina, etiam eorum, quorum res geſtas praecipue deſcripſit, & quorum in ſingulis fere paginis illi iniicienda eſt mentio, in aliam linguam transtulerit, nec vnico condoceri exemplo poterit. Exemplum Petri, qui alias Cephas dictus eſt, huc plane non pertinet. Notum enim, eo tempore multis hominibus apud Iudaeos duo fuiſſe nomina, vernaculum alterum, alterum graecum. Et ſunt haec eiusmodi, vt ipſe LVDOVICVS ELLIES DV PIN, qui ceteroquin illorum accedit ſententiae, qui linguam ebraeam primaeuam eſſe negant, aperte tandem fateatur, vix veroſimile eſſe, Moſen prorſus nomina patriarcharum immutaſſe. Interim argumento pro noſtra ſententia antea propoſito, alia occurri ratione poſſe putat, ſi ſcilicet I.) obſeruetur, pleraque nomina propria a Moſe propoſita ex lingua chaldaica etiam poſſe deriuari; quod patere cenſet exemplo vocum *Eua*, *Cain*, *Phaleg*, *Babel*. II.) Quod nonnulla occurrant, quae ex lingua ebraea deriuare difficile ſit, iuxta eam praecipue, quae illis tribuitur, ſignificationem; quod exemplo nominum *Noah*, *Cain* & *Thubalcain* oſtendere adnititur; in *diſſertat. praelim.* ſeu *prolegom. ſuper biblia*, *lib. I. cap. IV. p. 126.* Nimirum, accedit vir ille doctus illorum partibus, qui, chaldaicam potius, quam ebraeam linguam pro primigenia & antediluuiana habendam eſſe, contendunt. Sed quod ad primum attinet, cum eadem nomina, *Eua*, *Cain*, *Phaleg*, *Babel*, ex lingua ebraea deriuari queant; ecquae nos cogit neceſſitas, eorum originem ex lingua chaldaea repetere? Praeſertim cum euidentiſſime, idque per vocum plerarumque in lingua chaldaea terminationes, demonſtrari queat, linguam ebraeam longe ſimpliciorem eſſe, quam chaldaeam, & hanc illius merito cenſeri filiam. Quod ad vocem Cain attinet, ſaltem per adluſionem ad vocem קנה ita dici potuit; quamquam non deſint, qui, olim apud Ebraeos verbum קן *poſſidere*, *proprium habere*, in vſu fuiſſe, contendunt, quae radix cum in deſuetudinem abierit, ſubſtitutum verbum cognatum קנה; quemadmodum & *Geneſ. V. 29.* pro deperdito נחה ponatur cognatum נחם, Moſis aetate vſu receptum, dum ratio adpellationis Noachi reddenda erat. De reliquis nullum eſt dubium. Quod vero nonnulla occurrunt, quae ex lingua ebraea deriuari nequeant, facilius dicitur, quam

Digitized by Google

quam probatur. De nominibus Noah & Cain iam dictum. Nomen vero Thubalcain quin ex antiquo verbo קין & יבל compoſitum, cenſeatur, nihil omnino obſtat.

Is, quem antea laudauimus, vir doctus, LVDOV. ELLIES DV PIN, vt euincat, chaldaicam potius linguam pro primaeua habendam, tria ſibi demonſtranda ſumit: I.) linguam familiae Eberi, qua Thara, Nachor & Abraham, priusquam patrios lares iuſſu Numinis deſereret, vſi ſunt, fuiſſe chaldaeam; II.) linguam chaldaeam ſemper ab ebraea fuiſſe diuerſam; III.) linguam ebraeam, qua Abraham, poſtquam ex patria egreſſus eſt, eiusque poſteri vſi ſunt, eſſe ipſam Cananaeorum ſeu Phoenicum linguam. Inde enim ſequitur, chaldaeam potius, quam ebraeam linguam pro primaeua habendam. Sed, quod ad primum attinet, etſi Semitae quidam, interque eos Eber, cum ſuis, in Chaldaea vixerint; non tamen inde ſequitur, nos Chamitis fuiſſe permixtos. Seiunctos ab aliis & ſeparatos fuiſſe, longe eſt credibilius. Et licet maiores Abrahami etiam idololatria infecti ſint; non tamen inde ſtatim ſequitur, eos linguam, ſuae genti propriam, cum lingua chaldaea permutaſſe. Alterum, quod DV PINIVS ſibi probandum ſumſit, haud inuiti concedimus, & ambabus, quod aiunt, largimur manibus, chaldaeam linguam diuerſam fuiſſe ab ebraea. Nec inde quidquam, quod contra nos ſit, ſequitur. Sed in tertio capite nos neutiquam ſibi ſuffragantes habet, vt iam ſupra indicauimus. Nec rationes eius tanti ſunt, vt a noſtra nos dimouere ſententia queant. Abrahamus vtique quam diutiſſime apud Cananaeos vixit; plurima cum illis ei non potuerunt non intercedere commercia; Deus quoque hanc terram eius poſteris promiſit; ſed quid inde? Ergone ebraea lingua & cananaea vna eademque? Fatemur, linguam cananaeam non multum ab ebraea diſcrepaſſe, vnde Abrahamus intelligere Cananaeos & hi Abrahamum potuerunt. Interim viuere quam diutiſſime inter Cananaeos Abrahamus potuit, vt tamen linguam ebraeam inter ſuos puram & intemeratam ſeruaret. Maximum, qui ſecus ſentiunt, praeſidium in loco *Eſ. XIX. 18.* collocant, vbi Deus pollicetur, quinque Aegypti vrbes aliquando cananaea lingua loquuturas, hoc eſt, vt illi volunt, ebraea. Sed, qui paullo adcuratius vaticinii huius ſenſum perſcrutatus fuerit, non de lingua, ſed de ſenſu Cananaeorum iſtius temporis, de quibus propheta loquitur, rectum cultum Deo exhibentium, ibi ſermonem eſſe, deprehendet. Vrgent porro, nomina hominum & locorum in Cananaea, quorum in Geneſi & libro Ioſuae mentio iniicitur, plane ebraea eſſe. Id vero vt de omnibus dici nequit; ita nihil aliud inde ſequitur, quam linguae ebraeae & cananaeae, magnam fuiſſe conuenientiam. Rurſus inſtant: nusquam in ſcriptura ſacra legi, diuerſas Iſraëlitarum & Cananaeorum fuiſſe linguas, nec eos ſe inuicem

uicem intellexiſſe, quod tamen de Chaldaeis & Aegyptiis legitur. Sed eius rei ratio iterum inde petenda, quod cananaeae & ebraeae linguae maior fuerit conuenientia, quam aliarum, aut cum ebraea, aut cum cananaea. Obuertunt iterum, Ioſephum, Iacobi filium, cum fratribus manifeſtari nollet, per interpretem cum illis loquutum, quem Cananaeum procul dubio fuiſſe, contendunt; cum ceteroquin explicari nequeat, quis aut vnde ille interpres; ſiquidem ebraea lingua in Iacobi familia tantum conſeruata fuit. Verum etſi ebraea lingua in poſteritate Eberi, hinc & Abrahami, maxime conſeruata fuit; inde tamen non ſequitur, non alios quoque eiusdem linguae fuiſſe peritos. Habuit Abraham, Iſaacus & Iacobus, ſeruos plurimos, qui ebraeam linguam apud dominos ſuos diſcere potuerunt, hinc ad alias iterum gentes peruenire. Quid itaque mirum, exſtitiſſe in Aegypto hominem ebraeae linguae peritum, etſi non eſſet de gente Iacobi?

Ceterum id adhuc obſeruandum, eos, qui inter ſe conueniunt, ebraeam linguam non eſſe primaeuam, non tamen inter ſe conſentire, quaenam itaque lingua pro primaeua habenda ſit? Nonnulli linguam primaeuam prorſus intercidiſſe putant; vt HVGO GROTIVS, in *not.* ad *lib. I. de ver. chriſt. relig.* *§. XV.* it. ad *Gen. XI. 1.* IOSEPH. SCALIGER, *not.* ad *Euſeb. num. MDCXII.* PETRVS DANIEL HVETIVS, *demonſtr. euang. prop. IV. cap. XIII. p. 242. ſeqq.* aliique. Et hisce fauet etiam illorum hypotheſis, qui diſperſionem gentium cauſſam diuerſitatis linguarum ſtatuunt, quos ſupra iam notauimus. Alii contra concedentes, linguam primaeuam ſupereſſe, chaldaeae aut chaldaeo-ſyriacae huncce honorem tribuunt. His exemplum praeiuit THEODORETVS, qui ſyriacam pro primaeua venditat; *qu. XII. in Gen.* quem nonnulli ſequuti ſunt; quos confutarunt BRIANVS WALTONVS, *prolegom. III. n. XVII.* & BART. MAYERVS, *philol. ſacra, part. II. p. 229.* Ex recentioribus autem praecipue LVDOVICO ELL. DV PIN hanc neutiquam diſplicuiſſe ſententiam, iam ex antea dictis conſtat. Fuerunt denique, qui aut celticam, aut belgicam, aut aethyopicam pro lingua primaeua venditarent. Quid vero de prima & ſecunda ſententia ſtatuendum ſit, ex iam dictis abunde liquet. Ad vltimam claſſem qui pertinent, non merentur, vt quis in eorum placitis refutandis ſtudium operamque collocet. Noſtram ſententiam pluribus confirmant, & ſecus ſentientium rationes profligant IO. BVXTORFIVS, *diſſertat. de linguae ebraeae origine & antiquitate*, quae prima eſt inter *diſſertationes* eius *philologico-theologicas*, ABR. CALOVIVS, *crit. ſacr. diatrib. III. §. V. p. 74. ſeqq.* BRIANVS WALTONVS, *prolegom. III. num. III. ſeqq.* THOMAS HAYNE, de *cognat. & harm. linguar. p. 20. ſeqq.* STEPHANVS MORINVS, de *lingua primaeua*, AVGVSTVS PFEIFFERVS, *exercitat.* de *lingua protoplaſtorum*, quae *dubiis* eius *vexatis* addita eſt, & qui recentiorum RICHARDI SIMONIS, IOAN. CLE-

RI-

RICI, LVDOVICI ELL. DV PIN, aliorumque, hac de re hypotheſes ſub examen reuocat, VAL. ERNESTVS LOESCHERVS, de *cauſſis linguae ebraeae*, *lib. I. cap. II. & III.*

§. XII.

Diſperſionis gentium effectus inter alia fuit, quod doctrina caeleſtis per ſanctos patriarchas commode ad omnes, obſtante, praeter alia, linguarum diuerſitate, propagari non potuerit. Vnde hinc inde valde obſcurata, variisque erroribus contaminata fuit. Origo itaque idololatriae ad haecce tempora quam rectiſſime refertur. * Cum enim pro verbo diuino animi ſui placita cupiditatesque, ceu regulam normamque & vitae & cultus diuini ſequerentur; non poterant non huc tandem venire. Initium a ſole, luna, ſideribusque caeleſtibus factum; quae vt ſplendore ſuo oculos, ita vtilitate, quam ex iis ſe capere ſibi perſuadebant, corda adliciebant. A caelo in terram delapſi ſunt, rebus variis, excellenti virtute praeditis, diuinitatem tribuentes. Imaginum hinc & ſtatuarum ſequutus eſt cultus, vt praeſentes ſibi ſiſterent, quos colebant, deos, immo ipſorum tandem hominum, a quibus ſingulari ſe adfectos credebant beneficio, & quod magis mirandum, rerum quoque viliſſimarum. Sed eo vsque ſucceſſu temporis ſuperſtitio proceſſit; cuius hic ſaltem deſignamus originem. A veritate autem cum ita aberrarent mortales; corruptiſſimos quoque & omni vitiorum genere inquinatos eorum fuiſſe mores, vt credamus, par eſt. Et ita in primo ſtatim a diluuio interuallo, incrementa iterum maxima ſumſit regnum tenebrarum.

* Idololatriae originem ad tempora antediluuiana referri non poſſe, ad §. *XXXVIII. ſectionis praecedentis*, euicimus. Nunc ſaltem addo, EPIPHANIVM, *lib. I. contra haereſ. p. 4.* quatuor religiones principes & capitales, ex quibus omnes deinceps ſectae ortae ſint, conſtituere, *Barbariſmum*, *Scythiſmum*, *Helleniſmum*, & *Iudaiſmum*. Barbariſmum ab Adamo vsque ad Noachum obtinuiſſe, ſcribit; σκυθισμὸν a Noacho ad Seruchi aetatem; quo ἑλληνισμὸς introductus ſit; Iudaiſmum autem a circumciſione Abrahami arceſſit. Quae religionum diſtinctio quam vana, inepta, & omni deſtituta fundamento ſit, vt pluribus oſtendamus, neceſſe non eſt; cum iam pridem id praeſtiterint viri eruditi. Nec vllum ea praeſidium in verbis Pauli *Coloſſ. III. 11.* inuenit, vbi Paulus docet, in Ieſu Chriſto eſſe neque *Graecum*, neque *Iudaeum*, neque *Barbarum*, neque *Scytham*. Nihil enim ibi minus Paulo apoſtolo conſtitutum eſt, quam religionum differentiam tradere. Interim ſi per βαρβαρισμὸν vitae genus ferinum, ab omni cultu & humanitate alie-

alienum, maximaque cum impietate coniunctum, intelligas, illud hominibus antediluuianis recte tribui, non abnuimus. Atheiſmum enim, ſummamque impietatem, apud iſtos homines regnaſſe, palam eſt. Nec contemnenda eſt illorum coniectura, qui, poſt diluuium homines, vt eo magis ab omni impietate & atheiſmo ſe remouerent, in ſuperſtitionem & idololatriam prolapſos, exiſtimant. Sollemne eſt mortalibus, ad vnum extremum euitandum, in alterum procurrere. Legenda, quae hac de re diſſerit PETRVS IVRIEV, in *hiſtor. crit. dogm. & cult. bonor. & malor. part. III. cap. II. p. 404.* Quidquid huius ſit, id certum, in primo hoc temporis interuallo, quod a diluuio ad vocationem Abrahami vsque procedit, iam idololatriam ortam eſſe. Dubitare nos hac de re non ſinit locus luculentus, *Ioſ. XXIV. 2. Sic dicit Dominus, Deus Iſraëlis, trans flumen habitarunt patres veſtri, Tharah, pater Abrahami, & pater Nachoris, & ſeruiuerunt diis alienis.* Multi veterum eccleſiae chriſtianae doctorum in eam ingreſſi ſunt ſententiam, Serugum, filium Regu, primum idololatriam in domos patriarcharum intuliſſe. Auctor huius rei prae ceteris eſt EVSEBIVS, qui Serugum, quem perperam ex Iapheti gente originem trahere adſerit, veteres duces, ob virtutem & res praeclare geſtas nobilitatos, dignosque habitos poſterorum memoria, ſtatuis honoraſſe, ac ſacrificiis & diuinis honoribus coluiſſe, autumat, poſteros autem, non intelligentes, haec eo tantum ſpectare, vt iſtorum hominum memoria conſeruaretur, iſtos ὡς θεὺς ἐπαραν͂ίυς, *tamquam deos caeleſtes* honoribus & ſacris veneratos eſſe; in *chron. p. 13.* EVSEBIVM ſequitur CEDRENVS, *comp. hiſtor. cap. XXXVI.* A Serugi temporibus, ſed paullo aliter, idololatriae originem accerſit EPIPHANIVS, *loc. cit.* Summatim patrum de origine idololatriae, ſententiam, complectitur SVIDAS, voc. Σερὺχ. Orientalium non multum hinc abludentia placita lubentes mittimus; cum, fabularum & commentorum apud hosce auctores feliciſſimam eſſe ſegetem, nemo ignoret. Quod ſi in fundamentum iſtius opinionis, Serugi tempore idololatriam introductam eſſe, ſtatuentis, inquiras, aut nullum, aut valde lubricum deprehendes; meritoque IO. SELDENVS hac de re verba faciens, pronuntiat: *vereor, vt ſuam ſatis liberent fidem, qui tam conſtanter, de rebus tam priſcis ſententiam proferunt;* de *diis ſyris, prolegom. cap. III. p. m. 43.* Non deſunt etiam, qui aut ad Chamum, aut Nimrodum idololatriae originem referunt. Sed cum nullum, quo ſuam ſententiam firment, proferre argumentum queant; nec, horum vt nos moueat ſententia, neceſſe eſt. Lubenter itaque fatemur, ignotum nobis eſſe, quando, aut quo auctore, idololatria introducta ſit: id ſaltem conſtare, factum id poſt diluuium, antequam Abrahamus patrios lares deſerere a Deo iuberetur.

Nec conſtat ſatis, quaenam idololatriae ſpecies prima omnium fuerit. Vero-

Digitized by Google

Veroſimile tamen admodum, ea, qua diximus, ratione modoque, omnes idololatriae ſpecies hominum genus occupaſſe. Nimirum, ſolis, lunae, hinc planetarum cultus, prima haud dubio & antiquiſſima idololatriae fuit ſpecies. Haud obſcure id colligere licet ex verbis Iobi, quem tempore Moſis, aut ante eum vixiſſe, plerique ſtatuunt, quibus ſuam teſtatur innocentiam: *ſi vidi ſolem, quando ſplendebat, & lunam honorifice incedentem, & ſeduxit ſeſe in abſcondito cor meum, & oſculatum eſt manum meam, os meum, etiam hoc fuiſſet iniquitas iudicata, quia abnegaſſem Deum deſuper; cap. XXXI. 26. 27.* Senſus eſt, ſe idololatriae, qua alii ſolem & lunam colere ſolebant, haud quaquam fuiſſe reum. Obſeruandum vero, cum Iobus dicit: *& ſeduxit ſeſe in abſcondito cor meum*, primam eum idololatriae indicare originem, in intimis humani cordis receſſibus quaerendam; cuius quippe poſt lapſum ea eſt indoles, vt omnes homines ſua natura proni ſint ad ſe ipſos & res creatas, quae cupiditatibus eorum inſeruiunt, plus, quam Deum ipſum, amandum. Haec ſubtilior illa idololatria eſt, omnibus connata, quae ſimul fons & ſcaturigo eſt omnis idololatriae craſſioris. Confirmat id Moſes ipſe *Deut. XI. 16. Caue, ne te cor tuum decipiat, & auertat te ad deos alienos.* Nimirum facile verum Deum & inuenirent & retinerent mortales, niſi cordis prauitate ab eo auerterentur. Idque cum antiquiſſimis idololatris contigiſſet; ratiocinationum inanium ſpecie, quae vim nullam habuiſſent, niſi prius ab amore Dei atque rerum ſpiritualium fuiſſent auerſi, decepti, primo ſecreto, mox palam ſolem & lunam venerati ſunt. Hoc Iobus ſequentibus porro verbis indicat: *& oſculatum eſt manum meam, os meum.* Oſculum enim cultus religioſi ſymbolum & documentum erat; *Pſalm. II. 12.* Solebantque adeo *manus oſculatione*, deinde & corporis flexione, cultum religioſum ſoli & lunae exhibere. Tandem & ſacrificia, arae, templa, ſequuta ſunt, quibus mentem deuotam erga ſolem lunamque declarare, homines ſtolidi voluerunt. Conf. 10. OWENVS, *theologumenor. lib. III. cap. IV. p. 193. ſeqq.* Vt vero priſci mortales, poſtquam corde a Deo auerſi erant, in eas deuenirent cogitationes, ſolem & lunam Numina eſſe, ſequenti facile ratione fieri potuit. Diuinitatem quamdam agnoſcendam ſtatuentes, inſigni pulchritudine & maieſtate eam praeditam eſſe, haud ſine ratione credebant. Sed cum ad immaterialia & inuiſibilia non adſurgerent; inter res creatas nihil, cui rectius diuinitatis notio conueniret, deprehenderunt, quam ſolem, lunam, ceteraque ſidera caeleſtia. Mirifice in hac confirmati ſunt ſententia, cum ordinem, motumque perennem & conſtantiſſimum, corporum caeleſtium, obſeruarent, eorum quoque in haec inferiora influxum conſiderarent, plurima ab iis ſe percipere commoda, exiſtimantes. Idololatriae huius originem eumdem fere in modum explicat

LACTANTIVS; *Sed omnium primi, qui Aegyptum occupauerunt, caeleſtia ſuſpicere ac adorare coeperunt. Et quia domiciliis non tegebantur, propter aëris qualitatem, nec vllis in ea regione nubibus ſubtexitur caelum, curſus ſiderum & defectus notauerunt, dum ea ſaepe venerantes, curioſius atque liberius intuerentur;* de *orig. error.* ſeu *inſtitut. diuin. lib. II. cap. XIII. p. 153.* Nec procul hinc ex ipſis ethnicis diſcedit DIODORVS Siculus: τὰς δὲ ἐν κατ' Αἴγυπτον ἀνθρώπους τὸ παλαιὸν γενομένους, ἀναβλέψαντας εἰς τὸν κόσμον καὶ τὴν τῶν ὅλων φύσιν καταπλαγέντας, καὶ θαυμάσαντας ὑπολαβεῖν εἶναι δύο θεοὺς ἀιδίους τε καὶ πρώτους, τόν τε ἥλιον καὶ σελήνην, ὧν τὸν μὲν Ὄσιριν, τὴν δὲ Ἶσιν ὀνομάσαι; *Homines ſcilicet antiquiſſimos Aegypti incolas mundum ſupra ſe & vniuerſi naturam contemplantes, neque absque ſtupore admiratos, exiſtimaſſe, duos eſſe deos aeternos & primos, ſolem & lunam, quorum illum Oſirim, hanc Iſin adpellarint; bibliothec. lib. I. p. m. 10.* Diſerte hic DIODORVS adſerit, ſolem & lunam fuiſſe θεοὺς ἀιδίους τε καὶ πρώτους, *aeternos & primos.* Idem teſtimonio PLATONIS, in *Cratylo*, & SANCHONIATONIS, apud EVSEBIVM, *lib. I. praeparat. euangel. cap. IX.* confirmari poſſet, ſi neceſſe eſſet, plura addere. Quod vero contemplatio ordinis, motusque, quem ſeruant conſtantiſſime, vel maxime homines induxerit ad diuinitatem aſtris tribuendam, ipſe agnoſcit PLOTINVS: ἄστρα, inquit, τὰ ἐν ταῖς ὑποκάτω σφαίραις, τά τε ἐν τῷ ἀνωτάτω διὰ τί οὐ θεοὶ ἐν τάξει φερόμενα καὶ κόσμῳ περιιόντα; *Stellae vero, quae inferioribus inſunt ſphaeris, & quae in ſuprema micant, cur dii non ſint, cogitari non poteſt, quippe cum ordine perferantur, ornatuque concurrant; ennead. II. lib. IX.* Immo ſtellas animas incorruptibiles & immortales aut eſſe, aut habere, ſibi perſuaſerunt; eamque in ſententiam non plebeii tantum, ſed philoſophi, Platonici cumprimis, ingreſſi ſunt. Nec ipſius ARISTOTELIS hinc diſcedit ſententia, qui ſphaeris caeleſtibus intelligentias adiunxit; quamquam eius interpretes adhuc diſputent, habueritne eas pro formis, vt loquuntur, adſiſtentibus, an informantibus? Immo & ex patribus ORIGENES, in libris περὶ ἀρχῶν, vt alia, ita hunc etiam errorem, ex philoſophorum gentilium ſcriptis hauſtum, ſuum fecit: quem & ſequutus eſt AVGVSTINVS, *lib. XI. de gen. ad lit. cap. vltim.* & in *enchirid. cap. LVIII.* etſi cautior factus, huncce errorem retractauerit; *retract. lib. II. cap. VII.* Idque haud ſine ratione. Ad vanam enim illorum, qui aſtris diuinitatem tribuunt, ſententiam confirmandam, haud temere vlla magis conducit opinio, quam quae aſtra vita animaque praedita ſtatuit. Quidquid huius ſit, nos id ſaltem addimus, ſolis, lunae, aſtrorumque reliquorum cultum apud nonnullos *Sabaeiſmi* nomine venire; quod apud Sabaeos, gentem antiquiſſimam, maxime vſitatus fuerit, aut omnino originem apud eos ceperit. Sed hac de re in ſequentibus erit dicendi

lo-

Digitized by Google

locus, vbi de Sabaeis verba faciemus. Non immerito autem inter varias idololatriae ſpecies aſtrorum caeleſtium cultui primum locum dedimus; quia non tantum antiquiſſimus eſt, ſed ſapientibus ethnicorum etiam maxime probabilibus rationibus niti viſus eſt. Veroſimile hinc etiam, homines non niſi per gradus ad vltimam ſtultitiae & inſaniae lineam perueniſſe, ſenſimque eo deſcendiſſe, initium faciendo ab ea idololatriae ſpecie, quae ſecundum corruptae rationis διαλογισμὸς non omni veritatis ſpecie deſtitueretur. Hinc &, cum chriſtiana religio radios ſuos longe lateque ſparſiſſet; philoſophi, praeſertim Platonici, reiectis aliis diis fictitiis antiquorum gentilium innumeris, quippe quibus ſine manifeſta abſurditate diuinos honores conſeruari non poſſe, probe animaduertebant, ſolem tamen, aliaque ſidera adoranda, contenderunt, immo vnicum ſaltem deum eſſe, ſcilicet ſolem, autumarunt. Hoc vel ex IVLIANI τȣ̃ παραβάτȣ oratione εἰς τὸν βασιλέα ἥλιον, in *regem ſolem*, quae inter opera eius, ab EZECHIELE SPANHEMIO edita, *p. 130. ſeqq.* exſtat, liquet.

Alterum inter idololatriae ſpecies locum damus rerum ſublunarium cultui, earum praecipue, ex quibus aut vtilitatem capiebant, aut a quibus ſibi metuebant, mortales. Namque & aërem, & ignem, & aquam, oceanum & flumina, & terram, inter deos relata a gentilibus conſtat: impoſitaque his deinceps deorum dearumque, quas ex hominibus ſibi finxerant, nomina, vt aër *Iuppiter* diceretur, ignis *Vulcanus*, aqua *Neptunus*, terra autem *matris* nomine veniret, quem & *Rheam*, *Opem*, *Veſtam*, dixere. Sic Iouis nomine aërem deſcribit VIRGILIVS, *lib. II. Georg. verſ. 324. ſeqq.*

Vere tument terrae, & genitalia ſemina poſcunt,
Tum pater omnipotens foecundis imbribus aether
Coniugis in gremium laetae deſcendit, & omnes
Magnus alit, magno commiſtus corpore, foetus.

Pertinet huc quoque illud LVCRETII, *lib. II. de natura rerum, p. m. 56.* ex edit. OB. GIFANII:

Heic ſi quis mare Neptunum, Cereremque vocare.
Conſtituit fruges, & Bacchi nomine abuti
Mauult, quam laticis proprium proferre vocamen
Concedamus, vt hic terrarum dicat & orbem.
Eſſe deûm matrem, dum ne ſit re tamen abſe.

Ex quibus LVCRETII verbis ſimul intelligitur, philoſophis, ſaltem Epicuraeis, eam ſententiam, quae tellurem, aërem, aquam, ceterasque res creatas, deorum ordini adſcribebat, ſe non probaſſe. Interim non defuerunt alii, qui, quidquid deorum dearumque commenta erat gentilium ſuperſtitio, ad haſce res creatas referrent, inſignem ita theologiae iſtius gentilis abſurdita-

tem euitaturi, ea quidem ratione, vt ipſas haſce res creatas neutiquam pro diis haberent, niſi in quantum forte totum hoc vniuerſum pro deo haberent, cuius ſingulae res creatae quaedam partes eſſent. Huc Stoicorum redibat ſententia, qui ideo poëtarum fabulas ἀλληγορικῶς interpretabantur. De ZENONE VELLEIVS Epicuraeus apud CICERONEM: *Cum Heſiodi theogoniam interpretatur, tollit omnino vſitatas perceptasque cognitiones deorum, neque enim Iouem, neque Iunonem, neque Veſtam, neque quemquam, qui ita adpellatur, in deorum habet numero, ſed rebus inanimatis atque mutis per quamdam ſignificationem haec docet tributa nomina;* de *nat. deor. lib. I. p. m. 140.* Eamdem rationem fabulas poëtarum ἀλληγορικῶς interpretandi, vt chriſtianis, earum abſurditatem ſibi obiicientibus, obuiam irent, tenuerunt PLOTINVS, PORPHYRIVS, IAMBLICHVS, aliique: parum hac ratione cauſſae tam deſperatae conſulentes; vt pluribus EVSEBIVS oſtendit, *praeparat. euangel. lib. III. cap. I.* Fieri etiam aliter non potuit, quam vt charybdin euitaturi, in ſcyllam inciderent; quod ſaltem de Stoicis veriſſimum. Ad naturam enim rerum omnia referentes, non alium, quam naturam, agnouerunt deum, hoc eſt, reuera nullum, atheorum ideo numero adiungendi.

Sed, vt reliqua, quae de origine idololatriae reſtant, perſequamur; ſitne imaginum ac ſimulacrorum cultus vetuſtior cultu religioſo hominum, quaeri poteſt. Si certo fundamento niteretur illorum ſententia, qui, Seruchum primum mortuos religioſe colendi viam iniuiſſe, quam ſtatuarum fabricatione promouerit Thara Abrahami pater, ſtatuunt, res dubio careret. Referuntque huc ea, quae de Serucho habet EPIPHANIVS, *aduerſ. haereſ. lib. I. p. 7.* Vtramque idololatriae ſpeciem haud ſine ratione coniungit auctor libri *ſapientiae, cap. XIV. v. 15.* Quidquid huius ſit, etſi de prima origine idololatriae, qua idololatrae homines pro diis venerari coeperunt, nihil certi nobis conſtet; veroſimile tamen, ſequenti eam introductam ratione. Progenitorum generis humani, Noachi, eiusque filiorum, Semi, Iapheti & Chami, magna haud dubio apud poſteros celebritas erat atque veneratio. Nec minor auctoritas eorum fuit, qui ſe coetibus hinc inde ad ſedes ſibi quaerendas, duces & anteſignanos praebuerunt. Ab his cum magna in homines profecta eſſent beneficia; ſicut ab illis omnino, quidquid hominum erat, originem ducebat; facile homines ad ſuperſtitionem proni in eam ingredi ſententiam potuerunt, vtrosque aliquid diuini habuiſſe; vnde tandem omnino credere potuerunt, eos a caelo deſcendiſſe, ad egregia opera edenda, & hisce perfectis, eo rediiſſe. Ita ergo cum ſemel mos iſte inualuiſſet; omnibus, qui praeclare de ſuis meriti erant, aut quorum ob quamcumque cauſſam durare quam diutiſſime nomen & in veneratione eſſe cupiebant, idem honos tributus. Quo nomine ambitionem ad hanc

hanc idololatriae ſpeciem plurimum contuliſſe, recte iudicat auctor libri *ſapientiae, cap. XIV. 14.* Hunc in modum pro diis culti Iuppiter, Mars, Vulcanus, Apollo, Mercurius, Oſiris; itemque feminae illuſtres, Iſis, Cybele, Ceres, Minerua &c. Atque haec cum hominum eſſent nomina; deinceps aſtris, aliisque rebus inanimatis, quibus diuinitatem ineſſe credebant, impoſita ſunt. In numero deorum multiplicando Graeci omnes gentes ſuperarunt; vt adeo Graecia, deorum officina haud inepte dicatur. Vt autem Graecia primos incolas ſuos ex oriente accepit, vt ſupra docuimus; ita cum illis etiam primos, quos coluit, deos. Vnde non errant, qui antiquiſſimorum praecipuorumque deorum graecanicorum natales, in oriente quaerendos ſtatuunt. Hominibus, de quorum cultu huc vsque diximus, *angeli*, ſeu *daemones*, iungi poſſent. Moſi ſunt שעירים, quod hircorum formam, vt nonnulli putant, induere Aegyptiis crederentur. Graecis δαίμονες, dii, genii, etiam Satyri dicti. Quando aut qua ratione cultus eorum apud gentiles inualuerit, in tanta rei huius obſcuritate, definire non licet. Sacerdotum tamen hic concurriſſe fraudes, vt credamus, par eſt. Vnde hicce cultus ceteris forte acceſſit, cum reliqua ſuperſtitionum genera orbem vniuerſum inundaſſent.

Antiquior haud dubio fuit ſimulacrorum & imaginum cultus. Ebraei, Tharam, Abrahami patrem, primum imaginum & ſimulacrorum fictorem fuiſſe, adſerunt. Addunt fabulam de Abrahamo in ignem coniecto, ob non adoratam Nimrodi imaginem. Quam Iudaeorum traditionem magno fere conſenſu veteris eccleſiae doctores receperunt. Diſerte EPIPHANIVS: *Ναχὼρ δὲ γεννᾷ τὸν Θάῤῥα· ἐντεῦθεν γέγονεν ἀνδριαντοπλαστία ἀπὸ πηλουργίας καὶ κεραμικῆς ἐπιστήμης, διὰ τῆς τοῦ Θάῤῥα τούτου τέχνης; a Nacbore Thara genitus eſt; ex eo tempore ſimulachra ex argilla, figulinaque opera inuenta ſunt, artifice Thara; l. c.* Similia SVIDAS, IO. ANTIOCHENVS MALLALA, aliique habent. Solet ceteroquin Daedalus pro auctore & inuentore ſimulacrorum haberi; quod alii, probabiliori forte ratione, de αὐτοκινήτοις & αὐτομάτοις intelligunt. Quidquid huius ſit, etſi adſerere nolim, iam in primo hocce poſt diluuium interuallo imaginum aut ſimulacrorum cultum inualuiſſe; cum fabula de Thara omni deſtituatur fundamento; eumdem tamen antiquiſſimum fuiſſe, certum eſt. In ſequenti enim iam interuallo memorantur Teraphim Labanis; de quibus ſuo loco. Eſt autem omnino veritati conſentaneum, hancce ſuperſtitionis ſpeciem, cum ipſa arte ſculpendi & pingendi, incrementa ſumſiſſe. Initio columnae obtinebant, ſtelae, ſaxa rudia & βαιτύλια, ſoli, lunae & aſtris dicata, tum ſimulacra ſequebantur, rudiori opere confecta, qualia in Aegyptiorum monumentis exhibentur, manibus nullis, aut ad latera adglutinatis, pedibus iunctis, vel potius ſignis in baſi deſinentibus. Tandem cura-

curatius effićta ſimulacra ſucceſſerunt, arte ipſa cum ſuperſtitione certamen ineunte. Cauſſae vero, quae homines ad ſimulacrorum cultum introducendum atque fouendum, inducere poterant, plures ſunt. Ita enim Numina ſua quodammodo ſibi praeſentia reddebant, quae abſentia eſſe, non poterant non quam moleſtiſſime ferre. Hanc ipſe haud obſcure huius ſuperſtitionis cauſſam reddit PLOTINVS, *ennead. IV. lib. III. cap. XI.* qui locus prolixior quidem eſt, quam vt hic adferri queat, dignus tamen, qui legatur & expendatur ab omnibus. Acceſſit ſtudium conſeruandi memoriam illorum, qui nobis grati fuerunt, aut adfećtum hac ratione erga mortuos declarandi; *Sap. XIV. 15.* adulatio quoque erga reges, principesque, itemque auaritia artificum, aut cupiditas arti ſuae, qua excellebant, pretium conciliandi, indeque captandi lucrum; *Sap. XIV. 18. 19.* conf. & *Aćtor. XIX. 26. 27.*

Atque ea ratione cum diuerſae idololatriae ſpecies inter homines ortae ſint; haud difficulter cauſſas intelligere licet, cur numerus deorum dearumue in infinitum fere apud gentiles excreuerit. Acceſſit polyonymia ad polytheiſmum augendum prorſus comparata; cuius iterum variae erant cauſſae; vt linguarum diuerſitas, itemque diuerſitas munerum, vel virtutum, vel beneficiorum, quae diis ſingulis adſcribebant, & quae alia erant, eiusdem commatis. Sic ad linguarum quod attinet diuerſitatem, ſol apud Aegyptios Oſiris & Serapis, apud Phoenices Baal, Bel Chaldaeis, Adonis & Elagabalus Syris, Mithras Perſis, Phoebus Graecis, hisque & Romanis Apollo &c. vocabatur. Iuppiter apud Romanos pro diuerſis, quae illi tribuebant, muneribus, conſeruator, ſtator, depulſor, militaris, vltor &c. audiebat. Id vnicum adhuc addendum, in ſumma iſta corruptione, & ſuperſtitionis, quae orbi vniuerſo incubuit, caligine, ſubinde quaedam veteris veraeque doćtrinae veſtigia deprehendi. Sic SANCHVNIATON inter Phoenicum progenitores, qui poſtea in deorum numerum relati ſunt, memorat Ἐλιοῦν ſeu ὕψιστον, hoc eſt עליון, quem C. caelum & terram genuiſſe ſcribit, ἶλον, qui non niſi אל eſſe videtur. Eumdem SANCHVNIATONEM etiam vocem יהוה per *ἰευώ* exprimere, conſtat. Vid. EVSEBIVS, *praeparat. euangel. lib. IV. cap. vlt.* Sed mitto reliqua, aliis iam obſeruata, praeſertim PETRO DANIELI HVETIO, in *demonſtrat. euangel. part. I. prop. IV. cap. III. p. 99.* vbi docet: *vniuerſam propemodum ethnicorum theologiam ex Moſe, Moſisue aćtis & ſcriptis manaſſe;* etſi non omnia, quae vir ille dočtus adfert, aeque firmo innitantur talo. De origine autem & cauſſis idololatriae, de quibus ſummatim diximus, plura dabunt, R. MOSES MAIMONIDES, in traćtatu de *idololatria*, in linguam latinam a DIONYSIO VOSSIO tranſlato, GERHARDVS IOANNES VOSSIVS, in opere notiſſimo de *theologia gentili*, ſeu de *origine & progreſſu idolo-*

dololatriae, *libris nouem*; IO. SELDENVS, de *diis ſyris*, *prolegom. cap. III. p. 25. ſeqq.* EDVARDVS baro HERBERTVS DE CHERBVRY, in libro de *religione gentilium, errorumque apud eos cauſſis, cap. II. ſeqq. p. 5. ſeqq.* IO. CVNRADVS DIETERICVS, in *antiquitat. bibl. vet. teſt. p. 547. ſeqq.* IOAN. OWENVS, *theologum. lib. III. cap. III. ſeqq. p. 184. ſeqq.* PETRVS IVRIEV, *hiſtor. crit. dogm. & cult. loco* ſupra *citato*, aliique.

PERIODI PRIMAE
AB ADAMO VSQVE AD MOSEN
SECT. III.
A VOCATIONE ABRAHAMI VSQVE AD MOSEN.

Σύνοψις.

Corrupta inter Sethitas etiam Eberi familia, Abrahamus veram eccleſiam propagaturus, e domo patris a Deo euocatur; *§. I.*

In Canaan itaque iuſſu Numinis venit, mox ob famem in Aegyptum deſcenſurus, hinc remigraturus in Canaan; Lothumque, qui ab eo diſceſſerat, cum Sodomae & Gomorrhae regibus captum, in libertatem adſerturus; *§. II.*

Quae inter Melchiſedecum & Abrahamum, ab hoſtium caede reuertentem, geſta ſint? §. III.

Diuinis promiſſionibus fidem adhibet Abrahamus: ex Hagare Iſmaëlem ſuſcipit; in ſignum & confirmationem federis a Deo ſecum initi, circumciſionem accipit; *§. IV.*

Tentationes Abrahami; inter eas praecipua fuit, qua filium Iſaacum immolare iuſſus eſt; *§. V.*

Pro Sodomitis & Gomorrhaeis, quibus extrema pernicies imminebat, fruſtra apud Deum intercedit; Lothus eripitur; qui tamen, amiſſa ſingulari fato vxore, humanae imbecillitatis documentum praebet; *§. VI.*

Mortua Sarah, Keturam ducit, & ex ea liberos ſuſcipit, Iſaaco bonorum & promiſſionum diuinarum manente herede, per quem & eccleſia propagata eſt; *§. VII.*

Natiuitas memorabilis Iacobi & Eſaui; *§. VIII.*

Profana Eſaui indoles; *§. IX.*

melior Iacobi, qui in benedictione paterna praefertur Eſauo; *§. X.*

iter eius in Meſopotamiam; quae ibi eum exceperint fata? reditus in terram Canaan; ſ. *XI.*

lucta cum filio Dei; reconciliatio cum fratre Eſauo; varia, quae expertus eſt, calamitatum genera; ſ. *XII.*

Ioſephus, Iacobi filius, Iſmaëlitis a fratribus venditus transfertur in Aegyptum; ex ſumma miſeria ad maximum dignitatis faſtigium enititur; patrem tandem cum familia in Aegyptum accerſit; ſ. *XIII.*

Vltima Iacobi, ſpeciatim eius vaticinia; ſ. *XIV.*

Reliqua Ioſephi fata; ſ. *XV.*

Iobus quoque recte ad hanc aetatem refertur, de quo vlterius diſquiritur; ſ. *XVI.*

Patriarcharum huius aetatis religio; ſ. *XVII.*

Cultus Numinis externus; ſ. *XVIII.*

Matrimoniorum apud eos ratio; ſ. *XIX.*

itemque regiminis domeſtici; ſ. *XX.*

Eruditio patriarcharum huius aeui; ſcripta quae illis tribuuntur; an iam tum ſcholae fuerint publicae? ſ. *XXI.*

De iis, qui hocce aeuo verae eccleſiae ſe oppoſuerunt; idololatrae, philoſophi huius temporis; ſ. *XXII.*

Exoticorum ſcriptorum de patriarchis, aliisque rebus a Moſe commemoratis, teſtimonia; ſ. *XXIII.*

Status & antiquitates variarum gentium, quae hocce temporis interuallo innotuerunt, ac celebritatem conſequutae ſunt; ſ. *XXIV.*

§. I.

CVm ſuperſtitio pariter ac morum improbitas paſſim inualeſceret, & ipſa Sethi progenies, ſpeciatim & Eberi familia, eodem veneno adflaretur; * viſum Deo fuit, euocare hinc Abramum, ** cui deinceps Abrahami nomen fuit; quippe qui ea indole erat praeditus, vt, ſuae, eum in omnibus pariturum voluntati, facile praeuideret Deus. Pater Abrahami Tharah, filius Nahoris, atque Serugi nepos fuit; Serugi autem pater Regu, qui filius Pelegi fuit, quem ab Ebero genitum, iam ſupra diximus. ***

* Hoc iam ſupra ad ſ. *XII. ſectionis praecedentis,* ex *Ioſ. XXIV. 2.* comprobauimus.

** Res ipſa & tractationis ordo poſtulat, vt temporum rationes hic expediamus. Altera enim epocha ſollemnior, iuxta chronologorum ſcita, ea eſt, quae a diluuio vsque ad Abrahamum procedit. Solet autem haec epocha ab aliis ad natiuitatem Abrahami, ab aliis ad promiſſionem primam, quam de ſemine benedicto accepit, aut potius vocationem patrios lares relinquendi, cui etiam obediuit, *Gen. XII. 1. 2. 3. ſeqq.* extendi. Nos poſteriorem ſequemur temporum ratio-

tiones ineundi modum, quippe noſtrae partitioni conuenientem. A diluuio itaque vsque ad tempus primae huius promiſſionis, eamque ſequutae emigrationis, effluxere CCCCXXVII anni. Idque hunc in modum comprobari poteſt. A diluuio vsque ad natiuitatem Arphaxadi, qui fuit filius Semi, effluxerunt anni II; a nato Arphaxado vsque ad natiuitatem Salah XXXV; a Salah vsque ad Eberum XXX; ab Ebero ad Peleg XXXIV; a Peleg ad Regu XXX; a Regu ad Serug XXXII; a Serug ad Nahor XXX; a Nahor ad Tharah XXIX; a nato Tharah ad natum Abrahamum CXXX; a natiuitate Abrahami vsque ad tempus promiſſionis antea memoratae LXXV. Efficitur hinc ſumma annorum CCCC XXVII, quibus ſi adiiciantur anni prioris mundi MDCLVI, ſequitur, ab orbe condito ad tempus huius promiſſionis effluxiſſe MM LXXXIII annos. Occurrunt equidem & in hacce chronologiae ſacrae parte dubia quaedam, quae tamen haud adeo difficili ratione diſſolui poſſunt. De Cainano, quem inter Arphaxadum & Salah LXX interpretes collocant, eique CXXX annos, donec genuerit Salah, tribuunt, iam ſupra dictum. De anno quoque natiuitatis Abrahami inter viros doctos diſputari ſolet. Sunt enim, qui Abrahamum anno Tharae LXX natum putant; cum alii contra, eum anno Tharae CXXX in lucem editum, contendant. Qui priorem ſententiam defendunt, ſequentibus nituntur rationibus: I.) quod *Gen. XI. 26.* expreſſe dicatur: *vixitque Tharah LXX annis, & genuit Abraham, Nachor & Haran.* Cum enim omnes tres eo ipſo anno nati ſint; valde veroſimile eſt, Abrahamum eo anno natum eſſe, perque eius annos chronologiam ibi continuari. II.) Cum ſcriptura ſacra primum locum Abrahamo inter tres fratres tribuat, hoc ipſo innui putant, Abrahamum inter fratres eſſe primogenitum. III.) Niſi hoc concedatur, incertum fore Abrahami natalem, dicunt; quod eo minus admittendum, quo maiorem induſtriam Moſes in annis vitae Abrahami deſignandis demonſtrauit. Addunt denique, IV.) ſi Abrahamus anno aetatis Tharae CXXX natus eſſet, neutiquam pro miraculo eum reputaturum fuiſſe, virum centum annos natum, prole beari, *Geneſ. XVII. 17.* Sed qui poſteriorem ſententiam amplectuntur, ſequentia pro ea adferunt argumenta: I) Moſaicae narrationis hoc ſuadere ſeriem. Cum enim Moſes retuliſſet, Tharam anno aetatis LXX generare coepiſſe, *Geneſ. XI. 26.* delibata paucis Tharae, & liberorum eius, hiſtoria, annum mortis Tharae, ſcilicet, quod anno aetatis ſuae CCV diem obierit, & hinc tandem vocationem Abrahami ſubiungit. Quo ipſo innuitur, vocationem Abrahami ex Charan poſt mortem demum Tharae contigiſſe. Conſtat vero, & ſupra iam indicatum eſt, vocationem hanc, cum prima promiſſione ei facta coniunctam, obtigiſſe Abrahamo anno aetatis eius LXXV. Cum itaque Thara anno aetatis ſuae CCV mortuus ſit; neceſſario hinc conſequitur, Abrahamum anno

Digitized by Google

Tharae cxxx natum eſſe. Ab annis enim ccv ſi demas LXXV, remanent cxxx. II) Praecipue vrgent teſtimonium Stephani, quod exſtat *Act. VII. 4.* Diſerte enim ibi dicitur, Abrahamum mortuo patre ſuo, ex Charan in terram Canaan translatum eſſe. Iam vero, cum antea probatum ſit, Abrahamum, cum in terram Canaan migraret, LXXV annos natum fuiſſe; non poteſt non hinc colligi, eum anno aetatis Tharae cxxx in lucem editum fuiſſe. III) Qui hanc ſententiam defendunt, ita quoque rationes ſubducunt: ſi Abrahamus natus eſt anno Tharae LXX, ſequitur, eum CXXXV annorum fuiſſe, cum pater eius moreretur; quod ſi eſſet, iam tum & Ismaëlem & Iſaacum genuiſſet; illum enim anno aetatis LXXXVI, hunc autem centeſimo genuit. At hoc rurſus repugnaret effato Stephani, qui teſtatur, eum in terram Canaan migraſſe, cum nondum haberet liberos, *Actor. VII. 5.* Atque haec vt inuicto robore pollent argumenta; ita nec, quod ad rationes pro priori ſententia adlatas reſponderi queat, deeſt. Namque I) ad locum *Geneſ. XI. 26.* quod attinet, non ibi dicitur, quod Thara ſeptuageſimo aetatis anno genuerit Abrahamum, ſed hoc ſibi vult diuinus ſcriptor, quod Thara LXX annos natus, inceperit liberos gignere. Nec concedendum temere, chronologiam ibi per παιδογονίας continuari. In antecedentibus enim vna tantum nominatur perſona genita, adeoque annus, quo generatio facta, ad eamdem indubitato determinatur, computusque chronologicus extra controuerſiam ponitur, hic autem computus plane incertus eſſet, cum tres nominentur Tharae filii, nec indicetur, quis ex illis ſit primogenitus. II) Etſi Moſes Abrahamo primum inter fratres locum tribuat; non tamen inde ſequitur, eum fuiſſe primogenitum. Non enim ſemper ſcriptores ſacri eum ſeruant ordinem, vt primogenitum primo loco ponant. Inter Noachi filios, vt ſupra iam obſeruauimus, Semo primus locus tribuitur, cum tamen, Iaphetum primogenitum fuiſſe, conſtet. Et quemadmodum haud dubio id eam ob cauſſam factum, quod ex Semo gens ebraea eſſet deſcenſura, ex qua oriturus eſſet Meſſias; ita, vt de Abrahamo idem exiſtimemus, par eſt. III) Nec incertus ita erit natalis Abrahami; cum hic aliunde erui queat, etiamſi hoc in loco non ſit expreſſus. Sufficit, ſi ex hiſtoriae collatione intelligatur, quando natus ſit Abrahamus, etiamſi expreſſis verbis hoc in ſcriptura non commemoretur. IV) Etſi Thara centum, & quod excedit, annos natus, liberos genuerit, haud dubio tamen id iam ea aetate rarum fuit, & minus frequens. Hinc & mirum videri potuit Abrahamo, quod vir centenarius ſobolem ſit procreaturus, etiamſi vnum alterumue exemplum eiusmodi generationis non ignoraret. Nec tantum ad ſe, ſed & ad vxorem, eiusque aetatem, reſpexit, cum hac in re heroica eius fides ſeſe exereret. Vid. *Rom. IV. 19. 20.* conf.

IACO-

IACOBVS VSSERIVS, in *annal. ad haec tempora*, ISAACVS VOSSIVS, de *aetate mundi*, *cap. VI. p. 21.* ABRAHAM CALOVIVS, in *chronic. biblico*, *p. 71. ſeqq.*

*** *ſect. praeced. §. XI.*

§. II.

Abrahamus itaque diuinitus admonitus, ne ſuperſtitione ac ſaeculi labe inficeretur, * gentem ſuam patriamque reliquit, ** ſuo exemplo demonſtraturus, veram eccleſiam ab impiorum conſortio ſeparandam eſſe. *** In Canaane cum aliquantiſper commoratus eſſet, ingruente fame in Aegyptum deſcendere coactus eſt, vnde mox in Canaan remigrauit. * Itinerum etiam atque fortunae ſocium cum Lothum haberet, fratris ſui Haranis filium, eumdemque veri Numinis cultorem; ab eodem, ad ſeruorum euitandam diſcordiam, ſibi diſcedendum ratus eſt. ** Amicitiae nihiloſecius vinculum ſaluum intemeratumque inter eos manſit, adeo, vt Abrahamus eumdem, cum Sodomae, Gomorrhae, aliisque regibus, captum, armata manu iterum libertati reſtitueret. ***

* Immo ipſum Abrahamum ante vocationem ſuam fuiſſe idololatram, praeter PHILONEM, MOSEN MAIMONIDEM, aliosque, tum ex romanae, tum ex reformatae eccleſiae doctoribus, etiam haud pauci ex noſtratibus adſerunt, ſpeciatim MARTINVS CHEMNITIVS, *exam. concil. Trident. part. I. p. 134.* Putantque, id colligi poſſe ex *Ioſ. XXIV. 2.* vbi per patres non poſſit intelligi ſolus Tharah, ſed omnes poſtea nominati, ipſeque adeo Abrahamus, de quo expreſſe adiiciatur: *tuli ergo patrem veſtrum Abrahamum.* Negant vero alii, Abrahamum ſaeculi labe infectum fuiſſe; vt FLAV. IOSEPHVS, *lib. I. antiquit. cap. VII.* nonnullique ex veteris eccleſiae doctoribus, laudati MICHAELI WALTHERO, *harm. bibl. p. 339.* Spectatque huc Iudaeorum commentum, iam ſupra ad *§. XII. ſect. praeced.* commemoratum, de Abrahamo in ignem coniecto, ob non adoratam Nimrodi imaginem. Perinde vero eſt, quamcumque amplectamur ſententiam. Aeque magnum enim beneficium ſupremi Numinis fuit, ſiue iam ad idololatriam prolapſum Abrahamum reuocauerit, ſiue e domo paterna eum euocando impediuerit, ne in eam prolaberetur.

** Abrahamus cum patre Tharah fratrisque Haranis filio, Lotho, & vxore Sarai, ex Vr Chaldaeorum profectus dicitur *Geneſ. XI. 31.* Vbi quidem extra dubium, Vr eſſe nomen vrbis. Iudaeorum enim, vocem אור pro nomine adpellatiuo accipientium, & hinc fabulae de Abrahamo in ignem, ob non adoratam Nimrodi imaginem, coniecto, colorem quaerentium, commenta, iam pridem exploſa ſunt a viris eruditis. Legi de illis poterit IOAN. HENRICVS HOTTINGERVS, *ſmegm. orient. p. 290.* Et ſane, cum Vr hic com-

commemoretur, ceu terminus a quo profectionis familiae Abrahamiticae; ecquis dubitaret, proprium illud vrbis cuiusdam nomen eſſe? Quod & FL. IOSEPHVS, *lib. I. antiqu. iud. cap. VII.* & R. ABEN ESRA ad *h. l.* aliique ex ipſis Iudaeis, agnoſcunt. Eoque minus hac de re dubitandum, quod & exteri ſcriptores, vt nonnullis videtur, eius nominis vrbem commemorent; vt ex dicendis conſtabit. Dubium oriri inde poteſt, quod כשדים *Chaldaei* hic commemorentur, cum tamen כשד vnde nomen habent, nondum natus eſſet. Sed, per πρόληψιν hiſtoricam hoc fieri, facile intelligitur. Maioris momenti eſt, quod ex ſermone Stephani protomartyris oritur, *Act. VII. 2.* Deum enim adparuiſſe Abrahamo, eique mandatum de familia paterna deſerenda dediſſe, dicit, *cum eſſet in Meſopotamia*, priusquam moraretur in Charran. At & hoc euaneſcet, ſi admittamus, quod nonnulli contendunt, Meſopotamiae nomine intelligi omnes regiones, quae Cananaeae ſunt trans Euphratem, Aſſyria ſcilicet, Chaldaea, Meſopotamia, ſpeciatim ſic dicta, & Babylonia. Prouocantque ad FL. IOSEPHVM, qui *antiquit. iud. lib. I. cap. VIII.* Chaldaei Meſopotamitis, late ſic dictis, adnumerat. Certe, vt Meſopotamiae nomen interdum latius, interdum ſtrictius ſumeretur, facile fieri potuit; nec infrequens eſt in nominibus regionum. Cum vero Stephanus addit: *priusquam moraretur in Charran*, Charran neutiquam extra Meſopotamiam conſtituit, ſed locum huic Euphrati & Syriae viciniorem, etſi etiam in Meſopotamia ſitum, ſpeciatim deſignat. Qui vrbem Vr apud profanos ſcriptores quaerunt, eam apud PTOLOMAEVM ſibi inueniſſe viſi ſunt, qui inter Chaldaeae vrbes etiam *Orchoen* commemorat. Quia nimirum in voce Orchoe aliquid voci *Vr* ſimile deprehenderunt, hinc, *Orchoen*, *Vr* eſſe, concluſerunt. Quae cum infirmo admodum & lubrico fundamento innitatur ſententia, haud ſine ratione aliis diſplicuit; qui Vr AMMIANO MARCELLINO, *lib. XXV. cap. VIII.* memoratum, huc rectius aduocari cenſent, quod inter Tigrim & Niſibim ſitum fuit. Refert enim ibi AMMIANVS, Romanos transmiſſo Tigri, ad locum a Corduena centeſimo lapide ſeparatum, via ſex dierum emenſa, ad VR nomine perſicum caſtellum veniſſe, vnde profectis primo Tiſalphata, deinde Niſibin iter fuerit. Ita SAM. BOCHARTVS, *Phaleg. lib. I. cap. X.* Sequetur hinc, Vr Abrahami patriam in ſeptentrione Meſopotamiae, Tigrim fluuium verſus, inueniri. Quod quidem cum Stephani narratione *Actor. VII. 2.* ſatis conuenit; at non cum Moſis, qui Vr in Chaldaea collocat. Sed tum de voce Chaldaea idem dicendum fuerit, quod de voce Meſopotamia antea diximus, eam patere latius, vt Meſopotamiae partem, quae Tigrim verſus eſt, quamue Chaldaei olim tenuerint, complectatur. Vid. CHRISTOPHOR. CELLARIVS, in *notit. orb. antiqu. tom. II. lib. III. cap. XVI. p. 760. 761.* Niſi forte illorum

Digitized by Google

rum admittere velis ſententiam, qui Vr *Chaldaeorum* dici volunt, non a regno vel regione chaldaea, ſed ab artis aſtrologicae peritis, qui Chaldaei vocati ſunt; vti IAC. VSSERIVS contendit, in *annal. veter. teſtam. p.6.* Qua ratione etiam nonnulli verba EVPOLEMI apud EVSEBIVM, *lib. IX. praep. euangel. cap. XVII.* accipiunt, cum dicit: ἐν πόλει τῆς Βαβυλονίας καμαρίνῃ, ἥν τινες λέγουσι πόλιν οὐρίαν, *in vrbe Babyloniae Camarina, quam quidam Vriam adpellant.* Vt enim per *Vriam* haud obſcure *Vr* deſignare videtur; ita eam *Camarinam* vocat, quia in ea erant כמרין *ſacerdotes* ſeu *philoſophi;* quod oſtendit IOS. SCALIGER, *not.* in *fragm. p. 11.* Cui & ego lubens ſubſcriberem ſententiae, modo ſatis conſtaret, illam vocis *Chaldaei* notionem, qua artis aſtrologicae peritos denotat, in hanc quadrare aetatem. Quidquid huius ſit, Meſopotamiae rectius, quam Babyloniae, vrbem intelligi, inde quoque euincunt viri docti, quod ex illa potius, quam ex vrbe Babyloniae, via recta per Charran in Cananaeam fuerit; vnde &, EVPOLEMVM falli, docent, qui *loc. cit.* Abrahami patriam Babyloniae adſcripſerit; nec *Vram,* cuius PLINIVS, *lib. V. hiſtor. nat. cap. XXIV.* meminerit, pro eadem Abrahami patria haberi poſſe.

Sed aliud quid adhuc ſupereſt, paucis expediendum. Cum Deus Abrahamo diceret: *migra e terra tua, a cognatione, & domo paterna in eam regionem, quam tibi oſtendero,* hoc, cum iam in Charran eſſet, factum conſtat ex *Gen. XII. 1. 2.* At Stephanus haec ad illum dicta innuit, priusquam in Charran veniret. Quae vt inter ſe componant, nonnulli quidem, geminam eſſe, & vocationem, & profectionem Abrahami, contendunt, alteram ex Vr Chaldaeorum, alteram ex Charran; vtramque & a Moſe innui, illam quidem *Gen. XI. 31.* hanc autem *XII. 4.* & a Stephano *Actor. VII. 4.* priorem, verbis: τότε ἐξελθὼν ἐκ γῆς χαλδαίων κατῴκησεν ἐν χαῤῥάν; poſteriorem, verbis ſequentibus. Hinc & de tempore, quam diu in Charran commoratus ſit, quaerunt. Nonnulli, ſupponentes, poſteriori profectioni e Charran in terram Canaan, adſignatum eſſe annum aetatis Abrahami ſeptuageſimum quintum, quod & ex *Gen. XII. 4.* conſtat, & ſeptuaginta eum annorum fuiſſe, cum ex Vr Chaldaeorum proficiſceretur, concludunt inde, per quinquennium circiter eum Charris commoratum. Ita DIONYSIVS PETAVIVS, de *doctrina temporum, lib. IX. cap. XVIII.* aliique. At IACOBVS VSSERIVS, eodem anno vtramque & vocationem & profectionem contigiſſe, & Abrahamum ſaltem in gratiam Tharae ſenis grandaeui, vel laſſitudine vel morbo detenti, illic aliquamdiu ſubſtitiſſe, ne eumdem animam agentem auxilio & ſolatio deſtitueret, exiſtimat; in *annalib. p. 4.* Fauentem ſibi haec ſententia, praeter PHILONEM atque FLAVIVM IOSEPHVM, habet AVGVSTINVM, *lib. XVI.* de *ciuit. Dei, cap. XVI.* Nec obſtat, quod *Geneſ. XII. 5.* dicatur, Abrahamum ibi *ſubſtantiam adqui-*

quiſiuiſſe, & *animas feciſſe*. Vltimum enim non de generatione, vt nonnulli putant, ſed de ſeruorum & iumentorum adquiſitione, eſt intelligendum. Quodſi ergo hoc admittatur, eodem anno, quo Vre, etiam Charris, cum exiguo temporis ſpatio ibi ſubſtitiſſet, egreſſum Abrahamum; non tam gemina profectio, quam profectionis aliquantisper interruptae continuatio fuiſſe videtur. Interim, qui geminam profectionem, etſi eodem anno ſuſceptam, admittunt, geminam quoque ſtatuunt vocationem, putantque, a Stephano referri tenorem vocationis primae, a Moſe ſecundae; & verba; *exi e terra tua*, & *e cognatione tua*, etiam vocationi Charris factae conuenire; idque ex *Geneſ. XXIV. 4.* probare adnituntur, vbi innuatur, quod Nachor cum familia ſua ibi manſerit; quo pacto & terra eius & cognationis eius, dici potuerit. Quodſi poſterior profectio prioris ſaltem ſtatuatur continuatio, non videtur gemina vocatio locum habere, niſi dicamus, poſteriorem vocationem fuiſſe ſaltem repetitionem prioris ad profectionem continuandam. Quae haud difficulter admitti ſententia poteſt; cum ea ratione dubiis omnibus occurratur. Neue verba Moſis *Geneſ. XII. 1.* illis, qui vnam ſaltem vocationem ſtatuunt, obſtent, ea per ὑστερολογίαν ita explicant: *Nam dixerat Dominus Abrahamo*, *exi e terra tua*, & *cognatione tua*, & *domo patris tui*. Hinc & verſiculi quarti primum inciſum de paritione ad vocationem illam in Vr factam, accipiunt; poſteriori vero inciſo continuari, finita parentheſi, narrationem de vlteriori Abrahami e Charris poſt mortem Tharae profectione, addito etiam temporis charactere, quod nempe aetatis Abrahami LXXV facta ſit. Ita vna eademque vocatio erit Abrahami, quae a Moſe, & quae a Stephano iiſdem verbis deſcripta refertur, quam in Vr Chaldaeorum acceptam cum Thara patre ſuo & Lotho exſequutus eſt; etſi ob morbum & mortem parentis ſui ad breue tempus in Charran ſubſiſtere coactus ſit; quo defuncto eodem illo anno ex Charran, porro in terram, quam ipſi monſtrauit Dominus, profectus eſt. Hoc enim Thara iam mortuo contigiſſe, dubitari prorſus nequit; cum non tantum Moſaicae narrationis ordo hoc oſtendat, ſed Stephanus diſerte, poſt Tharae hoc factum obitum, perhibeat. Prolixe & erudite hac de re diſquirit IACOBVS VSSERIVS, in *chronologia ſacra*, *annalibus* eius addita, *cap. VII. p. 33. ſeqq.* add. ABRAHAMVS CALOVIVS, ad *Actor. VII. verſ. 4.*

*** Quo pacto Abrahamus fidem ſuam heroicam, tam promte in re oppido difficili voluntati diuinae obtemperando, demonſtrauerit, oſtendit Paulus *Ebr. XI. 8. 9.*

* Abrahamum Charrane migraturum in terram Canaan, ſubſtitiſſe Damaſci, & ibidem regnaſſe, ex NICOLAO DAMASCENO tradit IOSEPHVS, *lib. I. antiquit. iud. cap. XVIII.* Νικόλαος δὲ, inquit, ὁ Δαμασκηνὸς ἐν τῇ τετάρτῃ τῶν ἱστοριῶν λέγει οὕτως· Ἄβράμης ἐβα-

ἐβασίλευσε Δαμασκοῦ, ἔπηλυς σὺν ςρατῷ ἀφιγμένος ἐκ τῆς γῆς, τῆς ὑπὲρ Βαβυλῶνος, χαλδαίων λεγομένης, *Nicolaus vero Damaſcenus quarto hiſtoriarum ſic ait: Abrahamus regnauit in Damaſco, veniens aduena cum exercitu de terra, quae ſuper Babylonem dicitur Chaldaeorum.* Idem IVSTINVS, TROGI POMPEII epitomaſtes tradit: *Nomen vrbi a Damaſco rege inditum; poſt Damaſcum Azelus, mox Adores & Abraham, & Iſraël reges fuerunt; hiſtor. lib. XXXVI. cap. II.* Vnde quamdam huius rei apud veteres, ſed incertam, famam fuiſſe, colligas. Cui, quo minus fidem adhibeamus, ſilentium Moſis, qui tanta diligentia in Abrahami rebus deſcribendis verſatus eſt, obſtat. Certum itaque, Abrahamum ex Charrane ſtatim in Cananaeam veniſſe, perque eam regionem ad locum vsque Sichemi, ad quercum Morae perueniſſe. Ibi cum Dominus ei adparuiſſet, ſeminique eius ſe hanc daturum terram promiſiſſet, altare exſtruxit Domino, qui ei adparuerat. Poſtea tentorium refigens inde ad montana profectus eſt, verſus orientalem tractum Luzi, poſtea Bethel dicti, vbi itidem exſtructa altari nomen Domini inuocauit. Mox & inde profectus eſt, indeſinenter pergendo in meridianum regionis tractum, qui Aegyptum ſpectat. Atque haec eo ipſo, quo e Charris profectus eſt, anno contigiſſe videntur. Tum anno ſequenti, fame cogente, in Aegyptum deſcendit, vxore Sarai, quam vitandi periculi cauſſa ſororem ſuam dixerat, ob formae praeſtantiam, a Pharaone adſumta, ſed mox, cum rei veritatem reſciuiſſet, reſtituta. Et ita incolumis cum ſuis, ceſſante haud dubio fame, in Cananaeam rediit; *Gen. XII. 6. vsque ad fin.* FL. IOSEPHVM hic iterum ὡς ἐν παρόδῳ notare liceat, qui, Abrahamum in Aegyptum deſcendiſſe, ait, tum, vt Aegyptiorum copiis, audita illorum vbertate, frueretur, cum ἱερέων ἀκροατὴς ἐσόμενος, ὧν λέγοιέν τε περὶ θεῶν, *vt ſententiam ſacerdotum de diuinitate cognoſceret;* nimirum ſequuturus, vt idem addit, illorum opinionem, ſi modo recta fuiſſet, aut ipſe rectiora eis commonſtraturus; *antiquitat. iud. lib. I. cap. IX.* Scilicet!

** In hacce ſeparatione, quam aequiſſimis conditionibus Abrahamus Lotho propoſuit, pacis & concordiae ſtudium maximum, rerumque huius mundi contemtum, modeſtiamque ſingularem, virtutes merito omnibus imitandas, Abrahamus demonſtrauit. Nec ſine Numinis prouidentia ſingulari id factum, vt hac ratione Lothus, Sodomam concedens, adhortari voce & exemplo iniuſtos improboſque homines ad poenitentiam poſſet. Facta ſeceſſione, Deus Abrahamo tertia vice adparuit, repetita terrae cananaeae & numeroſae prolis promiſſione. Hinc Abrahamus e loco inter Bethel & Haium, vbi prius altare exſtruxerat, tentoria mouens, habitauit in planitie Mamrae, ibique altare exſtruxit Domino; *Geneſ. XIII. per integr.*

*** De bello pentapolitano, quod poſt ea, quae de Abrahamo diximus, Mo-

Moſes *Geneſ. XIV. 1. ſeqq.* narrat, & de cuius tempore nihil aliud conſtat, quam quod in diebus Amraphelis, regis Sinear, & reliquorum, qui ibidem commemorantur, regum, contigerit, ex inſtituto & adcurate differit IO. HENR. HEIDEGGERVS, peculiari exercitatione de *bello pentapolitano*, quae in parte ſecunda *hiſtoriae* eius *patriarcharum* quinta eſt, *p. 167. ſeqq.* Nos illud ſaltem obſeruamus, quod Abrahamus hoſtes victores, qui & Lothum abduxerant, ad *Danem* vsque *verſ. 14.* cum copiis ſuis ſequutus dicitur, variis eruditorum disceptationibus anſam praebuiſſe. Cum enim ex *Ioſ. XIX. 47.* & *Iud. XVIII. 29.* conſtet, vrbem, quae olim Lais, ſiue Leſchem dicta, a Danitis demum, a quibus capta eſt, nomen *Dan* ſortitam; fuerunt, qui & hinc argumentum peterent, quo probarent, Moſen non eſſe pentateuchi auctorem. Non enim eum potuiſſe ea vrbium commemorare nomina, quae diu poſt ipſius demum mortem orta ſunt. Vtitur hoc argumento BENEDICTVS DE SPINOZA, in *tract. theol. polit. cap. VIII.* & poſt eum IO. CLERICVS, ſub nomine *theologorum quorumdam batauorum*, ſententiam ſuam de *Richardi Simonis hiſtoria critica*, exponens; quem tamen deinceps hac in re ſententiam ſuam mutaſſe conſtat. HERMANNVS WITSIVS, contra SPINOZAM pariter ac IO. CLERICVM disputans, locum hunc inter ea, quae a ſeriore manu ſunt, referre non dubitat; *miſcellan. ſacror. part. I. lib. I. cap. XIV. §. XXXVII. p. 124.* Praeeuntem ſibi quodammodo praeter alios habuit PETRVM DANIELEM HVETIVM, qui, vocem *Dan* e limbo in contextum forte intruſam, opinatur, aut ab ipſo Esdra, dum libros ſacros recognoſceret, vocabulum Lais ſua aetate propter vetuſtatem & deſuetudinem ignotum, trita & vſitata voce mutatum eſſe. Qua reſponſione, licet SPINOZAE dubiis ſatisfactum putet HVETIVS; ipſe tamen tandem in eam ingreditur ſententiam, cum Iordanes fluuius ex duobus riuulis *Ior* & *Dan* coaleſcat, nomenque Iordanis vrbe Dan longe ſit vetuſtius; Moſen nomine Dan non vrbem, quae poſtea ita vocata eſt, ſed alterum ex iſtis riuulis, ex quibus Iordanes originem trahit, innuere; *demonſtrat. euangel. part. I. prop. IV. cap. XIV. p. m. 261.* Iordanem ex duobus eius, vt diximus, nominis riuulis oriri, certum eſt; teſtaturque id praeter alios IOSEPHVS, vbi hanc de Abrahamo hiſtoriam narrat, *lib. I. antiquitat. iud. cap. X.* Hinc & IO. CLERICVS, cum ſuam de auctore pentateuchi mentem mutaſſet, eidem ſententiae ſubſcribit, ſimulque bene obſeruat, fieri poſſe, vt locus aliquis eamdem adpellationem duabus diuerſis de cauſſis ſortiatur, indeque recte colligit, *hoc ex loco certum non poſſe duci argumentum, hoc vocabulum ſcriptum a Moſe non fuiſſe*; ad *Geneſ. XIV. 14.* Planius alii ad hocce dubium reſponderi poſſe putant, ſi dicatur, fuiſſe tempore Abrahami vrbem, cui nomen *Dan*, ſed diſtinctam ab vrbe *Lais*, quae deinceps *Dan* vocata eſt. Quod etſi ita eſſe potuit; nondum tamen

tamen rationes praegnantes video, cur haec ſententia priori ſit praeferenda, quae & IOSEPHI auctoritate nititur. Vrbem enim eius nominis tempore Abrahami fuiſſe, etſi negare nolim, certo tamen teſtimonio probari nequit. Riuulum vnum, ex quo coaleſcit Iordanes, Dan vocatum, veterum teſtimoniis conſtat. Conf. & SAL. DEYLINGIVS, *obſeruat. ſacrar. part. I. obſeruat. VI. p. 24. ſeqq.*

§. III.

Palam hac occaſione factum, praeter Lothum, Melchiſedecum quoque, Solymorum regem, verae eccleſiae membrum eſſe.* Ei enim, panem & vinum ſibi a victoria redeunti, offerenti, ** decimam omnium ſpoliorum partem Abrahamus dedit, eoque ipſum virum ſe maiorem confeſſus eſt, a quo & benedictionem accepit, *** idque haud immerito, quod ſacerdos Dei altiſſimi audiat.

* Quis ille Melchiſedecus fuerit, varie, immo anxie inter viros doctos, & olim apud veteres, & hodie, diſceptatum fuit. Inter veteres haereticos Hieracitae commemorantur, ab Hierace ſectae conditore ita dicti, qui inter alia adſeruerunt, ipſum ſpiritum ſanctum Melchiſedeci nomine venire; teſte EPIPHANIO, *haereſ. LXVII.* THEODORETO, *haeret. fab. lib. II.* AVGVSTINO, de *haereſib. cap. XLVII.* & HIERONYMO, *epiſt. CXXVI. ad Euagrium.* Cumque alias conſtet, Hieracitas, allegoriſtarum, qui ab Origene orti ſunt, propaginem eſſe; fontem & originem huius erroris facile perſpicere licet. Ex intempeſtiuo enim cuncta allegorice interpretandi ſtudio profluxiſſe videtur. Aliam viam ingreſſi Melchiſedeciani, auctore Theodoto quodam argentario orti, qui Melchiſedecum non hominem, ſed virtutem Dei arbitrati ſunt, quam Chriſto ipſo Dei filio potentiorem, auguſtiorem & feliciorem eſſe docuerunt, ad cuius imaginem & typum Chriſtus ipſe fuerit a Deo factus. Vid. AVGVSTINVS, de *haereſ. cap. XXXIV.* Cui errori cum comparatio Chriſti & Melchiſedeci, *Ebr. cap. VII.* male intellecta occaſionem praebuiſſe videatur; ex eodem ſimul loco refellitur quam rectiſſime; cum, Chriſtum Melchiſedeco longe fuiſſe ſuperiorem, ibidem apoſtolus oſtendat. ORIGENES, Melchiſedecum angelum eſſe, credidit; qua in re, vt & alias, ſuffragantem ſibi habuit DIDYMVM Alexandrinum; teſte HIERONYMO, *epiſtola* citata *ad Euagrium.* At in *prima in Geneſin homilia*, in qua hoc docuiſſe dicitur, quae hodie exſtat, nulla Melchiſedeci mentio. Vnde nonnulli, eam, quod haereſibus referta eſſet, e medio ſublatam eſſe, ſuſpicantur. Nec neceſſe eſt, vt contra eam quidquam adferamus ſententiam; cum, hominem fuiſſe Melchiſedecum, aperte ſatis apoſtolus *Ebr. VII. 3.* doceat. Et hinc etiam patet, quid de ſententia, quae longe plures propugnatores nacta eſt, ſen-

ſentiendum ſit, Melchiſedecum ipſum fuiſſe Dei filium, qui ea ipſa forma, qua deinde inter mortales verſatus eſt, Abrahamo adparuerit. Ita nonnulli apud EPIPHANIVM, *haereſ. LXVII.* nec alienus ab hac ſententia eſt AMBROSIVS, *lib. I. de Abrah. cap. III.* Eamdem recentiori aetate in ſcenam produxit, argumentisque magnam ſpeciem prae ſe ferentibus confirmauit PETRVS MOLINAEVS, tum in libro, cui titulus eſt: *vates, ſeu de praecognitione futurorum & bonis malisque prophetis, lib. IV. cap. XI. ſeqq. p. 187. ſeqq.* tum in peculiari quodam ſcripto, gallicano idiomate edito. Suffragantem is ſibi habuit iuris pariter ac elegantiorum litterarum callentiſſimum virum, PETRVM CVNAEVM *lib. III. de republ. Ebr. cap. III.* Et CVNAEVS quidem eam veterum ſententiam, quam ex EPIPHANIO antea propoſuimus, Chriſtum ea corporis forma, quam poſtea homo factus in terris geſſit, Abrahamo adparuiſſe, plane ſuam fecit; cum MOLINAEVS contra exiſtimet, *filium Dei veri hominis corpus adſumſiſſe, phantaſia illius hominis tantisper obſeſſa, & a conſuetis cogitationibus abducta.* Praeter ANDREAM RIVETVM, *comment. in Geneſ. ad h. l.* hancce MOLINAEI atque CVNAEI ſententiam ſolide profligauit IOAN. HENRICVS HEIDEGGERVS, *hiſtor. ſacr. patriarchar. part. II. exercit. II. ſ. VII. p. 45. ſeqq.* cui tamen IACOBVS GAILLARDVS librum ſub titulo: *Melchiſedecus Chriſtus vnus rex iuſtitiae, rex pacis*, iterum oppoſuit, pro iſta MOLINAEI atque CVNAEI ſententia defendenda, Lugduni Batauorum anno M DC LXXXVI, & Amſtelodami anno M DC XCIII editum. Fuerunt & alii ex recentioribus, qui in eamdem concederent ſententiam, quam denuo inuictis argumentis confecerunt IO. BRAVNIVS, *comment. ad Ebr. VII. 3.* & MELCHIOR LEIDEKKERVS, de *republ. Ebraeor. lib. II. cap. II. p. 50. ſeqq.* vti iam a me obſeruatum in diſſertatione de *peccatis typicis, ſ. XIII.* Admitti vtique ea nequit; cum Paulus apoſtolus diſerte de Melchiſedeco dicat, eum ἀφωμοιωμένον τῷ υἱῷ τοῦ Θεοῦ, *adſimilatum filio Dei; Ebr. VII. v. 3.* Nemo autem ſibi ipſi adſimilatus dici poteſt. Recte id EPIPHANIO quoque obſeruatum *l. c.* Praeterea Melchiſedecus dicitur: *ſacerdos Dei altiſſimi.* Atqui omnis ſacerdos eſt ἐξ ἀνθρώπων λαμβανόμενος, *ex hominibus adſumtus*, per carnalem nimirum generationem ex hominibus propagatus, *Ebr. V. 1.* Mitto reliqua, quibus idem euinci poteſt. Nec difficile admodum eſt, reſpondere ad ea, quae obiiciuntur. Quod cum praeclare alii praeſtiterint; non eſt, vt aliquid addamus.

Qui itaque inter ſe conſentiunt, hominem fuiſſe Melchiſedecum, in diuerſas iterum abeunt ſententias, quis aut vnde fuerit? Eumdem eum ac Semum, Noachi filium, fuiſſe, veterum Iudaeorum eſt opinio, IONATHANIS & paraphraſeos Hieroſolymitanae, aliorumque; quos plurimi ex chriſtianae eccleſiae doctoribus ſequuntur, quorum nomina ſatis nota ſunt. Nec contemnendam eam putat PETRVS IV-

RIEV,

RIEV, *loco* deinceps *citando*, *p. 69.* etſi ipſe aliam proponat, vt mox dicemus; ſaltem rationes, quibus vulgo oppugnatur, tanti non eſſe, vt eam euertant. Nec temporum obſtare rationes, quo minus Sem adhuc potuerit eſſe in viuis. Quo minus vero huic ſubſcribat ſententiae, hoc obſtare, ait, quod *Ebr. VII. 13.* alterius generis fuiſſe dicatur, qui decimas ab Abrahamo acceperit. Inde namque infert, cum Abrahamus ex poſteris Semi fuerit, non potuiſſe eum alterius generis vocari, ſiquidem Melchiſedecus ipſe fuiſſet Semus. Accedere putat, quod Sem cum poſteris in Chaldaea, non in Cananaea, habitauerit, cum Melchiſedecus contra rex fuerit Salemi. Sed, quod ad vltimam rationem attinet, etſi quidam Semi poſteri in Chaldaea habitauerint, vt ſupra oſtenſum; non tamen negandum, quosdam etiam habitaſſe in Cananaea. De Semo, vbi ipſe habitauerit, incertum. Multo minus rationibus inuictis demonſtratum, eum in Cananaea habitare non potuiſſe. Fruſtra quoque ad locum *Ebr. VII. 13.* prouocat. Vox graeca enim φυλὴ per *tribum* vertenda, ſenſusque eſt, Melchiſedecum non fuiſſe ex tribu Leui; vt recte etiam obſeruat IO. BRAVNIVS ad *h. l.* Maioris momenti eſt, quod alii vrgent, argumentationem apoſtoli, *Ebr. VII. 5.* omni neruo & fundamento priuari, ſi ſtatuatur, Melchiſedecum fuiſſe Semum, quippe qui ex decimatione Leui in lumbis Abrahami, praerogatiuam ſacerdotii Melchiſedeciani prae Aaronitico euincere velit. Huius autem argumenti nulla vis foret, ſi Melchiſedecus ipſe Semus eſſet, in cuius lumbis, vti olim Abrahamus, ita Leui quoque, ex Abrahamo oriundus, fuit. Cum ergo Semus ſub Melchiſedeci nomine non lateat; PETRVS IVRIAEVS Chamum ſub eodem inueniſſe ſibi viſus eſt. Quod vt euincat, demonſtrare ſatagit, Melchiſedecum non poſſe eſſe non vnum ex filiis Noachi. Cum ergo Semus non fuerit, nec pro Iapheto vlla probabilis ratio militet; nihil aliud ſupereſſe, concludit, quam vt Chamus Melchiſedecus eſſe ſtatuatur. Hunc etiam inter poſteros ſuos in Cananaea habitaſſe. Neue elogia Melchiſedeci parum in Chamum quadrare videantur, hunc neutiquam tam improbum, vt vulgo creditur, ſed patriarcham potius ſanctiſſimum fuiſſe, multis euincere rationibus ſatagit; *hiſtor. crit. dogm. & cult. &c. part. I. cap. X. p. 67. ſeqq.* Verum vt in hisce diſcutiendis ab vltimo ordiamur, Chamum neutiquam pro ſanctiſſimo patriarcha haberi poſſe, iam ſupra ex inſtituto euicimus. Nec admittendum, quod ſecundo loco dictum, Chamum in Cananaea ſedem habuiſſe; cum longe potius ſit veroſimilius, eum in Aegypto regnum ſibi conſtituiſſe, atque firmaſſe, quae propterea in ſcriptura dicitur ארץ־חם *terra Cham, Pſal. CV. 23. 27. CVI. 22.* quem in ſenſum & *Pſalm. LXXVIII. 51.* dicitur, Deum percuſſiſſe omnem primogenitum באהלי־חם *in tentoriis Cham.* Pluribus hoc etiam euincit LVDOVICVS BORGESIVS, in *hiſtoria critica Melchiſede-*

ſedeci, cap. IV. p. 91. ſeqq. Sed id quoque, quod primo loco ponit IVRIAEVS, neutiquam extra dubium poſitum eſt; vti iam obſeruatum in diſſertatione de *peccatis typicis*, *§. XIII.* Procul itaque hinc faceſſat Chamus. Magis adhuc ab omni veroſimilitudinis ſpecie recedit ſententia HENRICI HVLSII, quam peculiari libro, Lugduni Batauorum anno MDCCVII edito, propoſuit, & propugnare adgreſſus eſt, Melchiſedecum fuiſſe Henochum, quem Deus ex beatorum ſedibus, in quas translatus fuerat, in terram miſerit, vt regio ac ſacerdotali munere fungeretur. Cuius opinionis, vtpote omni fundamento deſtitutae, cum aliud non inueniret praeſidium, ex mythologia gentilium multa congeſſit, in quibus Henochum ſibi inueniſſe viſus eſt; nouo exemplo demonſtrans, quam dubia, quam incerta ſit fabularum iſtarum interpretatio, quamque lubrica ſint, quae iſtis ſuperſtruuntur, adeoque, quam caute in iſtis verſandum ſit, ſi quis veritates hiſtoricas inde eruere cupiat.

Propius ad veritatem accedunt, qui inter Noachi poſteros Melchiſedecum quaerunt; licet non neceſſe ſit, eum vnum fuiſſe ex illius filiis. LVDOVICVS BORGESIVS, qui diligenter in hocce argumento verſatus eſt, refutatis operoſe reliquis de Melchiſedeco ſententiis, ipſe tandem ſtatuit, eum, ſi non Semum ipſum, ex poſteris tamen eius fuiſſe, in Chaldaea natum ac educatum, ſed tractus tandem illius pertaeſum, vel a popularibus ſuis, quod idololatriae crimine ſe polluere nollet, vexatum, vel alia quadam cauſſa inductum, frequentique caterua ſtipatum, inde migrauiſſe, & tandem in terra Canaan conſediſſe, exſtructaque ibi vrbe & templo, regis & ſacerdotis officio inter ſuos functum eſſe. Neue ſine auctoritate hoc adſeruiſſe videatur, ad GREGORIVM ABVLPHARAGIVM, itemque ad FORTVNATVM ALEXANDRINVM, itidem arabicum ſaeculi decimi ſcriptorem, prouocat; *hiſtor. crit. Melchiſedeci, cap. VI. p. 247. ſeqq.* Quam parum vero in iſtis, quos laudat, ſcriptoribus praeſidii inueniat, vt moneam, neceſſe non eſt; cum id per ſe pateat. De Melchiſedeci ex Chaldaea in Cananaeam profectione altum, in ſcriptura ſacra eſſe ſilentium, ipſemet diffiteri nequit BORGESIVS. Putat autem, mirum non eſſe, ſcripturam hac de re nihil commemorare; cum & multa alia ad Melchiſedecum ſpectantia ſilentio praetermiſerit. Sed inde non ſequitur, nobis quidlibet de Melchiſedeco ſingendi conceſſam eſſe licentiam. Potuit Melchiſedecus eſſe ex Semi poſteris, etſi ex Chaldaea profectus non ſit; cum nihil obſtet, quo minus & in Cananaea quidam ex Semitis habitauerint. Potuit idem etiam ex Chami poſteris eſſe; cum maledictio iſta in Chamum pronuntiata neutiquam eo vsque extendenda ſit, ac ſi nulli inter Chamitas viri probi fuerint, idque ſalua iſta ἐξοχῇ, quae iuxta vaticinium Noachicum Semi poſteris competebat. Rectiſſime mea opinione faciunt, qui ingenue, quis Melchiſedecus

cus fuerit, ſe neſcire, profitentur, &, curioſius inueſtigare ſibi religioni ducunt, quae ſcriptura ſacra nobis non reuelauit; quod SAL. GESNERVM, FRIDERICVM BALDVINVM, aliosque facere, iam a me obſeruatum in *diſſertat.* de *peccatis typicis*, *ſ. XIII.* Hoc certum eſt, fuiſſe Melchiſedecum ex poſteris Noachi, virum iuſtitia & ſanctitate inſignem, regemque Salemi, qui ſimul pro iſtius temporis more ſacerdotis officio functus eſt; cumque Moſes nec genealogiam, nec patrem matremue eius commemoraſſet, hinc Paulo ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, καὶ ἀγενεαλόγητος dicitur; qui ſimul inter eum & Chriſtum comparationem inſtituens, huius illum fuiſſe typum, adcurate condocet, *Ebr. VII. 1. ſeqq.* add. IOAN. BRAVNIVS, *comment. ad h. l.* MELCHIOR LEIDEKKERVS, de *republ. Ebr. lib. III. cap. III.* SAL. DEYLINGIVS, *obſeruat. ſacr. part. II. obſeru. V. p. 54. ſeqq.*

** Sacrificium hic quaerunt romanenſes, inque eo typum euchariſtiae; vt adeo, & euchariſtiam ſacrificium eſſe, probare queant; cui fundamento tota errorum, quos de miſſa fouent, moles innititur. Hinc praeter commentatores eorum ad *b. l.* in eo totus eſt ROBERTVS BELLARMINVS, *lib. I. de miſſa*, *cap. VI.* & poſt reliquos NATALIS ALEXANDER, *hiſtor. eccleſ. veter. teſtam. aetate mundi III. diſſertat. III. prop. IV. p. 213. ſeqq.* At nihil profert, quop non ſaepius a noſtratibus ſit profligatum. Verbum הוציא relationem ad ſacrificium habere, ex collatione loci *Iud. VI. 18.* probare adnititur, vbi in ebraeo itidem exſtet verbum הוציא, quem locum vulgatus interpres reddiderit: *nec recedas hinc, donec reuertar ad te, portans ſacrificium, & offerens tibi.* Sed fallitur ALEXANDER. Primo enim locus ille *Iud. VI. 18.* ab eo, de quo hic nobis ſermo eſt, in eo diuerſus eſt, quod ibi addatur vox מנחתי *oblationem meam.* Deinde, ne ſic quidem verbum הוציא aliud quid ibi ſignificat, quam *proferre.* Senſus enim eſt, *ne recedas hinc, donec reuertar ad te,* והוצאתי את־מנחתי *& proferam, ſeu mecum adferam, oblationem meam.* Num hinc colligi poteſt, vocem הוציא habere relationem ad ſacrificia? Immo vox haec generalis eſt, ex obiecto determinanda. Obiectum autem *Geneſ. XIV. 18.* aperte indicatur, quod fuerit לחם ויין *panis; & vinum*, non autem ſacrificium aut oblatio. Panis vero cibum in genere ſignificat, *Geneſ. XVIII. 5. XLIII. 31. Eſa. LVIII. 7.* alibique. Eo minus vero hic de ſacrificio cogitandum, quod, Melchiſedecus Deo iſtud obtuliſſe, nullo verbo innuatur, nec vllo conſtet indicio. Immo vt Abrahamum, eiusque ſeruos, hilariter exciperet, amicitiamque ſuam & laetitiam ob reportatam victoriam teſtaretur, cibum potumque in medium attulit, vt eo, ſi vellent, aut opus eſſet, reficerentur. Sed pergit ALEXANDER ita rationes ſubducens: tres ibi narrantur a Moſe actiones Melchiſedeci, quarum duae poſteriores ſunt plane ſacerdotales, ſcilicet, quod benedixerit Abra-

brahamo, & decimas ab eo acceperit; prima igitur etiam actio, prolatio nimirum panis & vini, itidem ſacerdotalis fuit, &, vt auctori loqui placuit, *ſacrifica*. In qua ratiocinatione vim & neruum merito deſidero. Num enim ſequitur, quaedam Melchiſedeci actiones a Moſe commemoratae fuere ſacerdotales, ergo omnes? Vidit ipſemet haud dubio argumenti huius infirmitatem; hinc obiectiones ſecus ſentientium declinaturus negat, Melchiſedecum fatigatos Abrahami milites hisce muneribus reficere voluiſſe; cum ipſimet hoſtium ſpoliis onuſti rebus omnibus, ad vitam ſuſtentandam neceſſariis, abundauerint. Negat etiam, moris olim fuiſſe, ad honorem exhibendum, panem & vinum exhibere inferioribus. Sed licet Abrahami milites rebus omnibus ad vitam ſuſtentandam neceſſariis abundauerint; potuit tamen Melchiſedecus, cui forte, quantum victus & potus illis ſuppeteret, non ſatis cognitum erat, animi etiam teſtandi cauſſa panem vinumque illis offerre. In more vero hoc olim etiam poſitum fuiſſe, conſtat ex *Deut. XXIII. 4.* & *Iud. VIII. 5.* Nec, quod certa quadam ratione Melchiſedecus Abrahamo erat ſuperior, hoc obſtare potuit, quo minus hocce humanitatis illi praeſtaret officium. Inſtat ALEXANDER: cum ſcriptura ſacra pluribus in locis deſcribat ſacerdotium Melchiſedeci, vt diſtinctum ab Aaronico, & ſimillimum ſacerdotio Chriſti, conueniens eſſe, vt alicubi tradiderit, quale fuerit ſacrificium Melchiſedeci. Sine ſacrificio enim nullum poſſe eſſe ſacerdotem. Sed & hocce ipſemet facile diluere dubium auctor potuiſſet, ſi modo attento animo perlegiſſet *caput VII. epiſtolae ad Ebraeos*. Aperte ibi apoſtolus indicat, in quo ab Aaronico diſtinctum fuerit ſacerdotium Melchiſedeci, & in quo typum exhibuerit ſacerdotii Chriſti. Nulla ibi ſacrificii a Melchiſedeco oblati, mentio. Corruit hinc etiam ſua ſponte, quod vltimo loco vrget, ex verbis, quae ſtatim ſubiiciuntur: *erat enim ſacerdos Dei altiſſimi*, ſequi, actionem illam, qua panem & vinum protulit, fuiſſe ſacerdotalem. Sed falſa iterum nititur hypotheſi, ac ſi particula *Vau* hic ſit αἰτιολογική. Etſi enim ceteroquin exempla non deſint, quibus probetur, eam quandoque αἰτιολογικῶς exponendam; ordinarie tamen habet vim copulandi. A qua eius natiua ſignificatione cur hic diſcedendum ſit, nulla adparet ratio. Non itaque Moſes rationem reddit eius, quod antea dixerat, ſed ſignificat ſaltem, quis Melchiſedecus fuerit, ſacerdos ſcilicet Dei altiſſimi. Quod etiam ex eo adparuit, quod Abrahamo benedixit, & decimas ab eo accepit. Interim & alias ſacrificia Deo offerre Melchiſedecus potuit, & haud dubio obtulit; ſed hoc in loco, vbi cibum potumque Abrahamo eiusque militibus obtulit, nulla ſacrificii mentio. Rationibus, quas profligauimus, NATALIS ALEXANDER plurima patrum teſtimonia, more ſuo, quibus idem euincat, ſubiungit. Plus enim forte in his, quam in argumentis antea

ad-

adlatis, praeſidii ſibi inueniſſe viſus eſt. Agnouerunt id & alii ex romanenſibus. In ipſo concilio Tridentino GEORGIVS ATAIDES, regis Luſitaniae theologus, ingenue faſſus eſt, propoſitionem illam, *miſſam eſſe ſacrificium*, non alio niti fundamento, quam traditionis. Vid. PETRVS SVAVIS POLANVS, *hiſtor. concil. Trident. lib. VI. p. 940. ſeqq.* Nos ita ſtatuimus, quantacumque etiam patrum ſit auctoritas, eos tamen nobis perſuadere non poſſe, exſtare aliquid in ſcriptura ſacra, quod in ea non deprehendimus. Interim nec deſunt aliter ſentientibus, quae ad haecce patrum teſtimonia reponant. Conf. ANDREAS RIVETVS, *exercitat. LXXVIII. & LXXIX. in Geneſ.* MARTINVS CHEMNITIVS, in *examin. concil. Tridentin. part. II. p. 144.* IOAN. GEORG DORSCHEVS, in *miſſario miſſae, cap. II.* aliique

*** Vrget hoc, argumentumque, quo probet, ſacerdotium Chriſti multum praeſtare ſacerdotio Aaronico, inde deſumit Paulus apoſtolus, *Ebr. VII. 4. ſeqq.*

§. IV.

Interim Abrahamus, de promiſſionibus ſibi a Deo factis non dubitans, ſuam magis magisque fidem, animique integritatem, declarabat.* Quod autem ex Hagare Iſmaëlem ſuſcepit, non ideo factum, quod fides eius vacillaret,** ſed vt vxoris voluntati, rem omnem ad arcanos fines ita dirigente Numine, ſatisfaceret. Hinc noua promiſſione fidem eius corroborare, fedusque cum illo renouare Deo placuit, addito etiam federis ſigillo, circumciſione. Quae cum ſacramenti rationem habuerit, quo fedus cum Abrahamo initum, confirmatum, ſimulque poſteri eius a reliquis gentibus diſcerni debuerunt; falluntur, qui ab Aegyptiis primam eius originem repetendam cenſent.***

* Poſt bellum cum exteris regibus geſtum, Deus Abrahamo denuo in Elon Mamre, adeoque quarta vice adparuit, eum in terra aliena peregrinum, aduerſus metum iniuriarum confirmans, ſimulque promiſſionem de omni bonorum genere in Abrahamum conferendo, addens: *ne timeas*, inquiebat, *Abram, ego ſcutum tibi, merces tua multa valde, Geneſ. XV. 1.* Abrahamus mercedem quodammodo detrectare videbatur, quod herede eſſet deſtitutus, ipſe vero rebus ſuis eſſet contentus, nec amplius quid deſideraret: *Domine Iehouah, quid daturus es mihi? cum tamen abeam improles.* Addit, cum ipſe prolem non haberet, Eliezerem, ſeruum ſuum, domusque ſuae procuratorem, bonorum ſuorum fore heredem. Eliezerem hunc vocat בן־משק *oeconomum*, ſeu *procuratorem domus ſuae*; recte enim ſentiunt, qui hanc vocem ita explicant. Patria Damaſcenum eum fuiſſe, docet, dum addit דמשק hoc namque perinde eſt, ac ſi dixiſſet

מרמשק

איש דמשק מדמשק *ex Damaſco*, ſiue איש דמשק, *vir Damaſcenus*. Per בן־ביתי Abrahamus filium Elieſeris indicare videtur, vt adeo ſenſus ſit, cum Eliezer hic filium habeat, quo ego deſtitutus ſum, futurum eſt, vt ad illum eiusque poſteros omnis hereditas transeat. Cur vero, inquis, ad Elieſerem? Habebat Abrahamus conſanguineos in Chaldaea, ſupererat Lothus, fratris eius filius? Grauiſſimae ſine dubio ſanctiſſimo patriarchae fuere cauſſae, cur hos bonorum ſuorum heredes eſſe noluerit. Interim inde conſtat, errare FLAV. IOSEPHVM, dum, Lothum ab Abrahamo adoptatum fuiſſe, ſcribit; *antiquit. iudaic. lib. I. cap. VII.* Iſta cum Abrahamus ad Deum dixiſſet, Deus promiſſionem, de multiplicando in immenſum Abrahami ſemine, repetiit, cui etiam fidem ſtatim ac ſine haeſitatione Abrahamus adhibuit. Sed, ſi credidit, inquis, Abrahamus, cur a Deo petiit ſignum? cur regeſſit: *Domine, in quo cognoſcam, me eam* (terram) *poſſeſſurum?* In diuerſas hic equidem eunt ſententias patres, CHRYSOSTOMVS, *hom. XXXV. in Gen.* THEODORETVS, *in Gen. quaeſt. LXIV.* AVGVSTINVS, de *ciuitat. Dei*, *lib. XVI. cap. XXIV.* Planiſſimum eſt, ſi dicamus, Abrahamum de veritate diuinae promiſſionis neutiquam dubitaſſe, cum tamen ſuaemet ſibi conſcius eſſet infirmitatis, pleniorem factae promiſſionis confirmationem optaſſe. Idque vel inde etiam conſtat, quod hancce confirmationem a Deo impetrauerit, quippe qui ſollemni ritu, moreque ea aetate inter homines recepto, fedus cum illo iniit. Hinc vitulum, capram & arietem, triennes, turturemque & columbam iuſſu Numinis mactauit, mactatasque pecudes diſſecuit, & in loco, in quo ſacra fecerat, ita diſpoſuit, vt inter diſſecta cadauera federum ritu tranſiri poſſet, aues vero, vt moris erat, integras reliquit. Cumque ſuum ita obſequium animumque ad ſeruandum fedus paratum demonſtraſſet, dum diuinae iterum voluntatis ſignificationem exſpectat, auesque diſſectarum victimarum partes inuolantes abigit, vergente ad occaſum ſole, ſopor grauis illi obrepit, ſimulque in ſomnum reſolutum maximus timor angorque animi occupat, tumque iterum Deus eum adloquutus eſt, atque poſterorum eius fata ad occupationem vsque terrae cananaeae, luculenter expoſuit. Acceſſit deinceps ſignum, cum poſt ſolis occaſum nocte intempeſta, flammam fumo admixtam, diuinae praeſentiae ſymbolum, Abrahamus ita moueri videret, vt inter caeſas tranſiret victimas. Ita ſollemni federe de promiſſione ſibi facta certior redditus Abrahamus, promiſſionem denuo repetente Deo, & limites terrae, quam poſteri eius occupaturi eſſent, deſignante *Geneſ. XV. 8. ſeqq.* Ceterum, cum Deus fata poſterorum Abrahami expoſuit, exſilio eorum tribuit ſpatium CCCC annorum, quod non ſatis conuenire videtur cum *Exod. XII. 40.* vbi exſilio & ſeruituti Iſraëlitarum in Aegypto, tribuuntur anni CCCC XXX.

Sed

Sed hac de re in ſequentibus ſuo loco dicetur, ad *period. II. ſect. I. §. XIV.* Nec praetermittendum, quod terminus regionis ab Iſraëlitis occupandae deſignaturus Deus dicat: *ſemini tuo dabo terram hanc a flumine Mizraim vſque ad flumen illud magnum, flumen Prath;* vbi per *flumen Mizraim*, alii quidem Nilum, alii brachiolum Nili Rinocorurae vicinum, intelligunt. Sed, an brachiolum Nili *flumen Mizraim* dici potuerit, merito dubites. Ipſe Nilus ita dici potuit. Hunc ergo ſi intelligas, in ſenſu laxiori fluuium hunc regionis Iſraëlitis deſtinatae terminum conſtitui, dicendum erit; quia ad deſerta, quae ad eum extendebantur, Iſraëlitarum pertinebat regio. Quidquid huius ſit, experientia docuit, Iſraëlitas numquam hereditario iure omnes terras inde a flumine Aegypti, vsque ad fluuium magnum, hoc eſt, Euphratem, poſſediſſe. Immo *Num. XXXIV. 8.* terra ab Iſraëlitis poſſidenda non extenditur vltra Emath, adeoque longiſſime citra Euphratem. Nonnulli itaque, vt hinc ſe expediant, promiſſionem hancce Dei conditionatam fuiſſe, putant, ſi ſcilicet obedientia ſua & pietate Iſraëlitae dignos ſe ampliori eius liberalitate praeſtiterint. Duplicem namque velut promiſſionem Dei ſtatuunt, vnam abſolutam, de terra iſtis terminis circumſcripta, quae reuera Iſraëlitis obtigit; alteram conditionatam, de amplioribus terminis ad Euphratem vsque, ſi voluntati eius in omnibus morem geſturi eſſent. Ita ex patribus HIERONYMVS, *epiſt. CXXIX. ad Dardanum*, cumprimis autem ANDREAS MASIVS, *comment. in Ioſ. cap. I.* quem & ſequitur, prolixe hac de re diſceptans, NATALIS ALEXANDER, *hiſtor. eccleſ. vet. teſtam. aetat. mundi III. diſſert. IV. prop. I. p. 217.* Verum conditionis, in hac promiſſione Abrahamo facta, nullum eſt veſtigium: ſique ſupponenda ſit, ad totam promiſſionem, non ad partes eius, aut ampliores poſſeſſionis terminos aliquando concedendos, fuerit referenda: & ita fides Abrahami hac promiſſione parum fuiſſet confirmata; ſiquidem ipſe de poſterorum ſuorum obedientia neutiquam certus eſſe poterat. Rectius igitur AVGVSTINVS, *quaeſt. XXI. in Ioſ.* abſolutam fuiſſe promiſſionem, agnoſcit, & impletam etiam, ſed non vno eodemque tempore, nec vno eodemque modo. Etſi enim vniuerſum illum tractum hereditario iure Iſraëlitae non poſſederint, quod nec Abrahamo Deus promiſit; eam tamen etiam partem, quae a Berſeba vsque ad Euphratem porrigitur, tempore Dauidis & Salomonis vectigalem factam, ex *II. Sam. VIII. 3. 5. 6.* & *I. Reg. IV. 21.* recte colligitur. Conf. FLAV. IOSEPHVS, *antiquit. iudaic. lib. VI. cap. II.* Denique nec illud difficultate caret, quod decem hic commemorentur gentes, a poſteris Abrahami ſubiugandae, *Gen. XV. 19. 20. 21.* interque eas Cenaei, Cenizaei, & Kadmonaei, quorum in diſtributione terrae cananaeae, & bello eam praecedente, nulla ſit mentio; conf. *Deut. VII. 1. Ioſ. III. 10. XXIV. 11.* quemadmodum & *Actor. XIII. 19.* ſeptem

ptem tantum gentes Numinis auxilio ab Iſraëlitis debellatae, nominantur. Sed, ſi obſeruemus, fieri potuiſſe, nec infrequens eſſe, vt gentes obſcuriores aliquando ſub magis celebrium, quibus vicinae ſunt, nominibus comprehendantur, rationem perſpiciemus, cur plures aliquando, aliquando pauciores gentes aut deletae ab Iſraëlitis legantur, aut delendae promittantur.

** FAVSTVS, Manichaeus Abrahamum ob hocce factum inſanae libidinis & incredulitatis adcuſare non dubitauit, apud AVGVSTINVM, *lib. XXII. contra Fauſtum, cap. XXX Habendae,* inquit, *prolis inſana flagrans cupidine, & Deo, qui id iam ſibi de Sara coniuge promiſerat, minime credens, cum pellice volutatus eſt, &c.* Verum iſtam hominis petulantiam ſatis caſtigauit AVGVSTINVS, *l. c.* Plerique eccleſiae patres Abrahami hocce factum, Sarae conſilio ſuſceptum, non tantum omnis labis expers, ſed laude etiam digniſſimum iudicant. Ita THEODORETVS, AMBROSIVS, AVGVSTINVS; qui praeeuntes hac in re habuerunt PHILONEM atque IOSEPHVM. Et IOSEPHVS quidem Saram *τῷ Θεῷ κελεύσαντος, Deo iubente Agarem in thalamum mariti adduxiſſe,* auctor eſt, *antiquit. iud. lib. I. cap. XI. p. 29.* Id vero ex ſcriptura non colligas. Nos Abrahamum ab omni intemperantiae aut incredulitatis ſuſpicione merito abſoluimus; quia tamen concubinatus diuinis de matrimonio legibus repugnat, vt ex ſupra dictis conſtat, non omni prorſus culpa tum Sarae ſuadentis, tum Abrahami, vxori obtemperantis, facinus vacare, exiſtimamus. Fuerunt & ſanctiſſimis hominibus naeui & imbecillitates. Legendus hac de re IO. HENRICVS HEIDEGGERVS, qui & reliqua ad Hagaris & Iſmaëlis hiſtoriam ſpectantia diligenter exſequitur, peculiari de *Hagare & Ismaële*, exercitatione, quae ſexta eſt *partis II. hiſtoriae* eius *ſacrae patriarcharum, p. 189. ſeqq.*

*** Cum Abrahamus iam nonaginta nouem annorum eſſet, nec dum ex Sara vxore prolem ſuſcepiſſet, denuo Deus illi adparuit, idque adeo quinta vice, promiſſionem de Iſaaco repetiturus, ſedusque cum eo renouaturus. Dumque eum Deus adloquitur, ſeipſum vocat אל שדי ſignificans, ſe eum eſſe, cui omnia ſufficiant, quiue nullius rei ſit indigus, qui etiam abunde praeſtare ea queat, quae hominibus promittit. Exponit hinc federis inter ſe & Abrahamum initi rationem, quidue praeſtare Abrahamus, quae contra a ſua benignitate exſpectare debeat. Et promiſſa quidem illa erant longe ampliſſima, multarum gentium eum fore patrem, reges ex eo deſcenſuros, poſteris eius in perpetuam poſſeſſionem ceſſuram terram Canaan, ſeque ipſius & ſeminis eius Deum fore. In ſymbolum huius rei & nomen Abrahami mutauit; cumque antea אברם hoc eſt, *pater altus* ſeu *excelſus*, idque merito ob ſingularem magnanimitatem vocaretur; Deus inſerta littera ה ex nomine המון eum אברהם ad denotandam progeniei, quam

quam habiturus eſſet, corporalis & ſpiritualis, multitudinem, vocari voluit. Tandem & ſacramentum ſigillumque federis addidit, circumciſionem; de cuius origine in diuerſas viri docti abiere ſententias.

Quodſi enim HERODOTVM audiamus, Iudaei morem genitalia circumcidendi acceperunt ab Aegyptiis. Μῦνοι πάντων ἀνθρώπων, inquit, Κόλχοι, καὶ Αἰγύπτιοι, καὶ Αἰθίοπες περιτέμνονται ἀπ ἀρχῆς τὰ αἰδοῖα. Φοίνικες δὲ οἱ καὶ Σύριοι οἱ ἐν τῇ Παλαιςίνῃ καὶ αὐτοὶ ὁμολογέουσι παρ' Ἀγυπτίων μεμαθηκέναι. *Soli omnium hominum Colchi & Aegyptii & Aethiopes ab initio pudenda circumciduntur; Phoenices autem & Syri, qui ſunt in Palaeſtina, ipſi fatentur, ab Aegyptiis hoc ſe accepiſſe; lib. II. cap. CIV.* Addit deinde & alia HERODOTVS, quibus confirmari poſſe putat, reliquas gentes ritum circumciſionis ab Aegyptiis accepiſſe, exceptis Aethiopibus. Id enim dubium eſſe, acceperintne Aethiopes hunc morem ab Aegyptiis, an hi ab illis. Pari ratione & DIODORVS Siculus, cum Colchos & Iudaeos ex Aegypto deriuaſſet, addit: διὸ καὶ παρὰ τοῖς γένεσι τύτοις ἐκ παλαιῦ παραδεδόσθαι τὸ περιτέμνειν τὺς γεννομένυς παῖδας, ἐξ Αἰγύπτυ μετενηνεγμένυ τῦ νομίμυ; *ideoque gentibus iſtis in vſu eſſe, per antiquam traditionem, vt circumcidant pueros apud ſe natos, ritu ab Aegyptiis ad ſe deriuato; lib. I. p. 24.* Pari ratione & STRABO, Iudaeos & originem ſuam & circumciſionis ritum Aegyptiis debere, adſerit; *geograph. lib. XVII.* Hiſce gentilium hiſtoricorum teſtimoniis nonnulli ſe induci paſſi ſunt, vt crederent, morem genitalia circumcidendi ab Aegyptiis ad Ebraeos profluxiſſe, aut Abrahamum in Aegypto eum didiciſſe, tandemque adprobante ſententiam eius per quamdam συγκατάβασιν Numine, eumdem imitatum eſſe. Iam olim ita cenſuerunt iurati chriſtiani nominis hoſtes, CELSVS, atque IVLIANVS, ille quidem apud ORIGENEM, *lib. I. contra Celſum, p. 17.* hic autem apud CYRILLVM, *lib. X. contra Iulian. p. 354.* Mirum vero, fuiſſe & inter chriſtianos, qui eamdem reducerent atque propugnarent ſententiam. Fecit vero illud, & aliis, vt facerent, exemplum praeiuit IO. MARSHAMVS, ſaltem haud obſcure huc tendunt, quae de circumciſionis origine adfert, in *can. chron. ſaec. V. p. 73. 74.* Hunc vt in aliis, ita quoque hac in re ſequutus eſt IO. SPENCERVS, rationes pro vtraque ſententiaediſſerens, & ita inter ſe contendens, vt, quid ſibi velit, lectori ſagaci ignotum eſſe nequeat; de *legib. Ebraeor. ritual. lib. I. cap. IV. ſect. IV. p. 47.* Nec procul hinc diſcedit vir doctiſſimus, IO. CLERICVS. *Fieri poteſt,* inquit, *vt conſuetudinem dudum apud Aegyptios receptam, ſeu munditiei cauſſa, quam cordi habebant prae ceteris gentibus, ſeu alia quapiam, Deus etiam Abrahamo, ſed alium in finem obſeruandam tradiderit. Sic neque Iudaei Aegyptiis, neque Aegyptii Iudaeis eam debuerint, etiamſi aegyptiaca conſuetudo diuino praecepto occaſionem praebuiſſet.* Diſtinctione quadam inter

ter vſum circumciſionis publicum & priuatum, omnem tolli difficultatem poſſe, exiſtimat vir clariſſimus HERMANNVS VON DER HARDT, in *iuris iudaeor. canonici prodromo de circumciſione, cap. I. p. 18.* Cum enim hancce quaeſtionem, nodum acuto circumciſionis ferro vix ſecandum, aut ſoluendum, dixiſſet, ſubiicit: *ſciderit hunc nodum, qui diſtinxerit inter vſum Aegyptiorum priuatum, eumque medicum, rariorem, & publicum, communem, ab omnibus receptum. Nam inter Aegyptios aliosque vicinos meridiei populos aliqui priuatim, arte medica, nullo non tempore ob memoratum naturae exceſſum, exſtiterunt circumciſi, ſicut & inter chriſtianos in hunc vsque diem medicorum conſilio circumcidi quosdam dictum eſt. Sed admiſſo priuato illo medicorum in Aegyptiis ante Abrahamum ex circumciſione praeſidio, non conſtat ſane, ante Abrahami aetatem amaſſe Aegyptios publice circumciſionem, omnibusque pueris adplicuiſſe.* Prout ergo circumciſio ad omnes pueros pertinuit, primam eius originem ab Abrahamo petendam, concludit. Sed cum ne vnico quidem teſtimonio priuatam illam, quam vocat, & medicorum conſilio peragendam circumciſionem, iam ante Abrahami tempora apud Aegyptios in vſu fuiſſe, vir doctus probauerit; haec quoque, ni fallor, fruſtra dicuntur. Certe in circumciſionis inſtitutione nullam Aegyptiorum habitam rationem, nec ab his ad Abrahamum eiusque poſteros eam translatam, variis comprobari argumentis poteſt. Debebat enim circumciſio ex intentione Dei eſſe ſacramentum foederis, quod vtique cum ſolo Abrahamo eiusque poſteris Deus pepigit. Eoque ſimul comparata erat, vt a ſemine Abrahami reliquae orbis gentes discernerentur. Vnde etiam Iacobi filii indignum familiae ſuae nobilitate exiſtimarunt, ſororem ſuam elocare praeputiato, *Geneſ. XXXIV. 14.* Hic autem qui obtineri finis potuiſſet, ſi iam tum apud alias gentes, ſpeciatim Aegyptios, in vſu fuiſſet circumciſio? Praeterea cum Chriſtus *Iohann. VII. 22.* dicit: *propter hoc Moſes dedit vobis circumciſionem, non quod ex Moſe ſit, ſed ex patribus*, aperte docet, a patribus, ſpeciatim ab Abrahamo, non autem ab Aegyptiis, eam originem ſuam trahere. Conf. & *Actor. VII. 8. Rom. IV. 11.* Nec praetermittendum, quod & aliis obſeruatum, THEODORVM, ſcriptorem ethnicum, ALEXANDRO polyhiſtori, & IOSEPHO laudatum, poſtquam Sichemi cum ciuibus ſuis circumciſionem enarraſſet, ad primam eius originem adſcendere, eamque Abrahamo ex Numinis inſtinctu imputare. Verba eius refert EVSEBIVS, *praeparat. euangel. lib. IX. cap. II.*

Quae in contrarium adferunt ſecus ſentientes, non temere a noſtra nos dimouebunt ſententia. HERODOTI vtramque apud eos facit paginam teſtimonium. Non opus eſt, vt ideo in reliquis hiſtorici antiquiſſimi ſollicitemus fidem, quod nonnulli faciunt. Salua ea & intemerata eſſe poteſt, etſi per errorem, res Ebraeorum non ſatis edo-

edoctus, de circumciſionis origine falſa tradiderit. Mirum vero, HERODOTI auctoritatem homini chriſtiano pluris eſſe poſſe, quam auctoritatem ſcripturae, quae, de fine & ſcopo iniunctae a Deo Abrahamo circumciſionis, nos erudiens, commentum illud de aegyptiaca eius origine prorſus refellit. Interim, vt conſtet, quantum hic HERODOTO tribuendum, in verbis eius antea adlatis haud vnum errorem obſeruant viri eruditi. Primo namque in eo errauit, quod, Colchos circumciſionem ἀπ' ἀρχῆς habuiſſe, adſerit. Colchos enim eosdem eſſe, quos Moſes Casluchaeos vocat, qui vt ab Aegyptiis deſcenderunt, ita originem dederunt Philiſtaeis, conſtat; quod & luculenter euincit SAM. BOCHARTVS, *Phalegi lib. IV. cap. XXXI.* Cumque iam tempore Abrahami & Iſaaci Philiſtaei in Palaeſtina habitarint, nec circumciſi fuit, ſequitur, nec Casluchaeos eo tempore, quo Philiſtaei ab iis disceſſerunt, circumciſionem habuiſſe. Fieri tamen potuit, vt Colchi deinceps poſt tempora Abrahami circumciſionem ad imitationem Aegyptiorum, aut aliis de cauſſis ſuſciperent. Praeterea in eo admodum fallitur HERODOTVS, quod Syros, qui in Palaeſtina ſunt, fateri dicat, ſe circumciſionem ab Aegyptiis & Colchis habere. In Palaeſtina enim ſoli circumcidebantur Iudaei, quibus & Idumaeos nonnulli addunt, de quibus deinceps. Hi, tantum abeſt, vt fateantur, aut vmquam faſſi ſint, circumciſionem ab Aegyptiis ſe accepiſſe, vt potius illud diſerte negent, &, Aegyptios a Iudaeis eam accepiſſe, contendant. Error denique eſt, quod, Phoenices, circumciſionem ab Aegyptiis habere, adſerit. Per Phoenices enim, a Syris, Palaeſtinae incolis, diſtinctos, vix alios, quam Idumaeos, intelligere poteſt. Hos autem ab Eſauo, qui & alias Edom dictus, ortos, ab eodem circumciſionem, ſi apud illos in vſu fuit, non autem ab Aegyptiis accepiſſe, non eſt, quod dubitemus. DIODORI Siculi atque STRABONIS, vtpote HERODOTO longe recentiorum, quorum ille & in rebus aegyptiis euehendis totus eſt, nullatenus nos mouet auctoritas. Id ſaltem moneo, ethnicos ſcriptores facile in hanc induci ſententiam potuiſſe, quod Iudaeos aegyptiacae originis eſſe crederent. Quem errorem a IO. TOLANDO, hisce auctoribus plus quam Moſi tribuente, renouatum, ſuo loco ex inſtituto profligabimus. Recte autem id etiam animaduertit IOAN. HARDVINVS, in *chronolog. veter. teſtam. oper. ſelector. p. 528.* Prouocare vero etiam ſolent, qui ſecus ſentiunt, ad verba *Ierem. IX. 24. 25. Ecce! prope adſunt dies, cum animaduertam in omnes, qui circumciſi ſunt cum praeputio.* Hinc recenſet propheta, in quos Deus ſit animaduerſurus, in *Aegyptios & in Iudaeos, in Edomitas & in Ammonitas Moabitasque.* Hic cum inter gentes circumciſas, vt illi quidem cenſent, Aegyptiis primus locus tribuatur, non aliam ob cauſſam id fieri putat IOAN. SPENCERVS, *loc. cit. p. 73.* quam quod mos pueros circumcidendi antiquior apud

apud Aegyptios fuerit, quam apud reliquas gentes, ipſos etiam Iudaeos. Quod plane friuolum eſt, & a mente etiam prophetae alienum. Verba enim: פקדתי על־כל־מול בערלה verti debent: *viſitabo ſuper omnem circumciſum & praeputiatum*, ſenſusque eſt: animaduertam tam in Iudaeos circumciſos, quam gentes non circumciſas. Solent namque gentes non circumciſae *praeputii* nomine in ſcriptura ſacra venire. Vid. *Rom. II. 26. III. 30.*

Tantum ergo abeſt, vt Ebraei ab Aegyptiis circumciſionem acceperint, vt potius longe veroſimilius ſit, ab Abrahamo in alias gentes huncce ritum deriuatum. Nimirum per Iſmaëlem Arabes & Aethiopes eum accipere potuerunt, a Kethurae filiis gentes, quae ab iis originem ducunt, per Iſaacum Edomitae pariter ac Iſraëlitae, vti per Arabes aut ipſos forte Iſraëlitas ad Aegyptios, ab his ad Colchos propagari potuit. Ab Iſmaëlitis ad Saracenos, & hinc ad Turcas eumdem perueniſſe ritum, non eſt, quod dubitemus. Nec abſonum alicui videri debet, quod & Aegyptii inter eas referantur gentes, quae ab Abrahamo circumciſionem accepiſſe dicuntur, eo, quod magnopere Iſraëlitas auerſati ſint. Namque & ARTAPANI teſtimonio apud EVSEBIVM, *lib. IV. praeparat. euangel. cap. XXVII.* conſtat, *Aethiopes, tametſi hoſtes, tam propenſo in Moſen fuiſſe animo, vt ipſius quoque circumciſionis ritum ab eo acciperent; idque a ſacerdotibus etiam omnibus* (Aegyptiorum) *praeſtitum fuerit.* Ex hoc ipſo autem ARTAPANI loco ſimul manifeſtum eſt, diſcrimen fuiſſe inter circumciſionem Aegyptiorum & Iſraëlitarum. Diſcimus enim hinc, non omnes Aegyptios, ſed ſacerdotes tantum, circumciſionem admiſiſſe. Quod & ORIGENES confirmat, *lib. II. commentar. in epiſt. ad Roman.* referens ſimul, ad myſteria Aegyptiorum nemini aditum patuiſſe, niſi fuiſſet circumciſus. Quam ob cauſſam & Pythagoram circumcidi oportuit, teſte CLEMENTE Alexandrino, *lib. I. ſtrom.* Praeterea Aegyptii, non, vt Iudaei, die octauo poſt natiuitatem, ſed, vt Iſmaëlitae, decimo tertio aetatis anno circumcidebantur, vt nonnulli autumant; vid IOSEPHVS, *lib. X. antiquitat. cap. XII. & XIII.* & ORIGENES, *lib. contra fatum*, apud EVSEBIVM, *lib. VI. praeparat. euangel. cap. X.* itemque *lib. V. contra Celſum, p. 263.* Quodſi autem hinc inferas, ergo Aegyptios circumcidendi morem non accepiſſe ab Ebraeis: ego rurſus infero, multo minus Ebraeos ab Aegyptiis: quod nobis quidem ſufficit, vndecumque etiam aut Aegyptii, aut aliae gentes, hunc morem acceperint. Nec tamen illud, quod expoſuimus, diſcrimen prorſus obſtat, quo minus ab Abrahamo hicce ritus ad alias gentes, ſpeciatim & Aegyptios, etſi quibusdam immutatis, vt fieri ſolet, dimanauerit. Quod nonnulli, HERODOTVM ſequuti, id munditiei cauſſa factum, putant, vel ex eo dubium videtur, quia tum non ſoli ſacerdotes, aut ſapientiae myſteriis initiandi, circumciſionem ſuſcepturi fuiſſent. Num enim & reliquos

Digitized by Google

quos Aegyptios munditiei non ſtudu iſſe credas? Non prorſus negarim, apud gentes orientales naturales cauſſas circumciſionis accedere potuiſſe; an vero illae ſolae admittendae, quod HERMANNVS VON DER HARDT, *loco* ſupra *citato*, *prooem. ſ. III. p. 6.* intendit, aut annon prima occaſio ab Abrahamo potius repetenda, valde dubito. Quidquid huius ſit, apud Aegyptios olim circumciſionem obtinuiſſe, tam incertum, quam certum eſt, Ebraeos eam neutiquam ab Aegyptiis accepiſſe, ſed hos potius ab Ebraeis. Quando autem hoc factum, definire non licet. Nec ex eo, quod filia Pharaonis Moſen puerulum ex aquis extractum, parentibus ebraeis genitum, ex circumciſione ſcilicet, agnouerit, firmiter probari poſſe, puto, circumciſionem eo tempore apud Aegyptios in vſu non fuiſſe; etſi me non fugiat, THEODORETVM, *quaeſt. III. in Exod.* aliosque hocce argumento vti. Eſto enim, ex circumciſione agnouerit, hunc puerulum ebraeum eſſe, quamuis & ex aliis documentis hoc ei innoteſcere potuerit: nihil aliud inde ſequitur, quam pueros Aegyptiorum non fuiſſe circumciſos. Quod illis non repugnat, qui apud Aegyptios, eos ſaltem, qui myſteriis initiandi erant, aut pueros tredecim annorum circumciſos, autumant. Sed de aliis quoque gentibus, ſpeciatim Idumaeis, res nondum adeo certa eſt, an circumciſio apud illas in vſu fuerit, aut quando coeperit. Namque Idumaeos ab Hyrcano demum ad circumciſionem adactos nonnulli ex IOSEPHO obſeruant, *antiquit. indaic. lib. XIII. cap. XVII.* Fieri autem potuit, vt olim apud eos in vſu fuerit, & deinceps in deſuetudinem abierit, quod & probabile, ſi cogitemus, Idumaeos ab Eſauo, Abrahami nepote, originem ducere. Pro noſtra, quam de origine circumciſionis expoſuimus, ſententia, militant HERMANNVS WITSIVS, *aegyptiacor. lib. III. cap. VI. p. 223. ſeqq.* THOMAS ITTIGIVS, in *ſelectis capit. hiſtor. eccleſ. ſaeculi primi, p. 146. 147.* NATALIS ALEXANDER, *hiſtor. eccleſ. veter. teſtam. diſſertat. VI. p. 222. ſeqq.* FRIDERICVS SPANHEMIVS, *hiſtor. eccleſ. veter. teſtam. p. 301* SAM. BASNAGIVS, in *exercitat. hiſtorico-critic. anti-Baronian. ad ann. XXXV. n. XXIX. p. 117. ſeqq.* MELCHIOR LEIDEKKERVS, de *republ. Ebraeor. lib. II. cap. IV. p. 70. 71.* SAL. DEYLINGIVS, *obſeruation. ſacrar. part. II. obſeruat. VI. p. 66. ſeqq.* Ceterum quis finis & ſcopus, quae efficacia fuerit circumciſionis, quae ratio & indoles, quomodo & a quibus adminiſtrari debuerit, quam diu durare, & quae reliqua ſunt eiusdem generis, theologi pluribus exſequuntur, nec ea ſunt huius inſtituti. Legi prae ceteris meretur SEBASTIANVS SCHMIDIVS, peculiari tractatu de *circumciſione.*

§. V.

Cum autem non vna occaſio, conſtantiam, obſequium, praecipue autem fidem ſuam erga Deum probandi, viro ſanctiſſimo offer-

LIVS, *lexico hiſtorico-crit.* voc. *Sarah, p. 2668.* RICHARDVS SIMON, rem non aliter expediri poſſe, cenſet, quam ſi tranſpoſitio ſtatuatur; putatque adeo, non debito loco in codicibus, qui hodie exſtant, hanc hiſtoriam collocatam; *hiſt. crit. vet. teſtam.* in *praefat.* it. *lib. I. cap. I. p. 5.* Sed, in haecce vt nos coniiciamus extrema, neceſſe non eſt. Potuerunt plures eſſe cauſſae, cur nonagenaria licet Sara minime deformis eſſet; potuerunt accedere aliae, cur eam in coniugium expeteret Abimelechus. Solius formae enim, cum eximia pietate praeditus eſſet, eum habuiſſe rationem, vix crediderim. Interim, ſi cogitemus, eam optima corporis conſtitutione praeditam fuiſſe, aut aliis incommodis, quae formam depaſcere ſolent, haud fuiſſe obnoxiam, ſi addamus, ea adhuc aetate maiorem hominum fuiſſe longaeuitatem, quam hodie eſt, vt virilis, quae hodie eſt, aetas, illorum iuuentuti, & ſenectus hodie virili iſtius temporis aetati quodammodo reſpondeat; facile intelligemus, nihil de Sarae forma dicere Moſen, quod non apud prudentiores fidem inueniat. Quaeri autem de eo poſſet, rectene egerit Abrahamus, Saram vxorem pro ſorore ſua venditando: cum duo in hocce eius facto reprehenſione digna videantur, & quod ſororem adpellauerit, quae vxor eius erat, & quod coniugem optimam adulterii periculo expoſuerit. Quod ad prius attinet, ipſe Abrahamus ſuum ita defendit factum, vt oſtendat, iure ſe eam ſororem ſuam dicere potuiſſe, cum reuera ſoror ſua fuerit, ex eodem quippe patre, non ex eadem matre nata, *Geneſ. XX. 12.* Quae verba cum aperta ſatis ſint; mirum, nonnullos in eam deueniſſe ſententiam, non ſororem Abrahami, ſed ex fratre neptem fuiſſe Saram, etſi quoque hac ratione ſoror eius dici potuerit; contra quos operoſe, at citra, vti opinor, neceſſitatem, diſputat PETRVS BAELIVS, *loc. cit.* voc. *Sara, p. 2665.* Quidquid huius ſit, etſi Abrahamus hac ratione non mentitus ſit, quod Saram ſororem ſuam dixerit; non tamen omni culpa hoc eius factum vacabit; cum eam ita ſororem dixerit, vt ſimul diſſimulauerit, eam eſſe vxorem ſuam. Cumque, quod alterum cauſſae huius caput eſt, hac ratione coniugem adulterii periculo expoſuerit; non video, qua ratione prorſus hocce Abrahami facinus excuſari queat. Hinc ſi iudicium hac de re ferendum ſit, media via tutiſſima erit, ne cum FAVSTO Manichaeo aliisque, acerbe viro ſanctiſſimo inſultemus, nec tamen cum IO. CHRYSOSTOMO, aliisque, laudemus, quae nihil aliud, quam excuſationem, ſi benigne agere velimus, promerentur, certe humanae imbecillitatis & diffidentiae cuiusdam in prouidentiam diuinam documentum, in viro cetera ſanctiſſimo, haud obſcure praebent. Legenda, ſed & expendenda, quae etiam hac de re more ſuo diſputat PETRVS BAELIVS, *loc. cit. p. 3667.* Denique nec illud praetermittendum, quod Abimelechus a Deo, quis Abrahamus, quaeue Sara eſſet, edoctus, cum Saram intemeratam Abra-

brahamo reſtituiſſet, donisque variis illum cumulaſſet, ad Saram dixerit, *ecce dedi mille ſiclos fratri tuo* הנה הוא־לך כסות עינים *ecce hoc erit tibi velamen oculorum apud omnes, qui tecum ſunt.* Diuerſimode enim haecce verba explicari & poſſunt & ſolent. Nobis proxime ad veritatem accedere videntur, qui illud *velamen oculorum* ad pecuniam Abrahamo pro vxore, ſeu, vt vxoris eſſet, datam referunt, vt documentum eſſet, integram eam ab Abimelecho dimiſſam, nec pudicitiae eius vllam vim factam. Cum enim honeſtae matronae diligenter faciem velare ſolerent, hoc ſibi vult Abimelechus: hoc tibi ſit inſtar velamenti, vnde agnoſcere omnes queant, te honeſtam matronam eſſe, nec contigiſſe tibi quidquam, quod dedecori eſſe queat. Conf. IOAN. SELDENVS, *vxor. ebr. p. 304. ſeqq.* Ita cuncta ſibi conſtant. Cohaeret & rite, quod ſequitur: ואת כל ונכחת. Quae verba licet itidem diuerſimode reddi ſoleant; rectiſſime tamen ita exponi puto: *immo omnibus eris admonitio*, vt meo exemplo diſcant, ne, te, magni prophetae vxorem eſſe intelligentes, expetant, aut vllam tibi inferant iniuriam. Rationes huius interpretationis legere licet apud IOAN. CLERICVM, ad *h. l.* Nec repugno, ſi quis ita reddere velit: *immo apud omnes* (haec munera documento erunt) *quod innocens ſis.* Reliqua in hacce hiſtoria ſatis plana ſunt, niſi quis ſine neceſſitate ſibi dubia moueat, aut ſcire cupiat, (qui multorum interpretum morbus longe grauiſſimus eſt,) quae nec Deus reuelauit, nec noſtra, vt ea ſciamus, multum refert, e. gr. qualis poena fuerit inflicta Pharaoni & domui eius? Vnde intellexerit, ob Saram diuinitus ſe percuſſum, eamque vxorem eſſe Abrahami? Quomodo tam breui tempore, quo Sara manſit cum rege Abimelecho, ſterilitas vxorum potuerit intelligi? & quae reliqua ſunt eiusdem generis.

** Cum fedus ſuum Deus cum Abrahamo renouaſſet, inſtituta circumciſione, *Geneſ. XVII. 10. ſeqq.* vti antea ad *§. praeced.* dictum, ſollemnis illa adparitio, trium angelorum, quorum vnus ipſe Dominus erat, qui promiſſionem de natiuitate Iſaaci repetiit, & excidium Sodomae indicauit, contigit, *Geneſ. XVIII.* Qua de re deinceps. Hinc cum & ipſa Sodomae & vicinarum aliquot vrbium euerſio ſequuta eſſet, *Geneſ. XIX.* Abrahamus ex planitie Mamrae ad regionem meridianam profectus, vt habitaret in loco, qui poſtea Beerſeba dictus, apud Abimelechum Philiſtaeorum regem, Gerare hoſpitatus eſt; vbi Sara vxor ad regem adducta, at mox reſtituta fuit, vt antea diximus. *Geneſ. XX. 1. ſeqq.* Tum tandem, euentu promiſſionibus diuinis reſpondente, Abrahamo centenario, & Sarae nonagenariae natus eſt Iſaacus, *Geneſ. XXI. 1.* Hoc ſecundum IACOBI VSSERII calculum contigit anno mundi MM CVIII. Ablactato Iſaaco, Abrahamus fecit conuiuium magnum, mox volente Sarah, ad-

Digitized by Google

adprobanteque ſententiam eius Numine, Iſmaëlem cum Hagare eiicere coactus eſt. *Geneſ. XXI. 9.* Occaſionem ſententiae tam durae, & ipſi Abrahamo initio parum gratae, ipſemet Iſmaël praebuit, illudendo & contumelioſe tractando, (ea enim quandoque vocis צחק vis eſt) immo perſequendo Iſaacum, vt Paulus explicat, *Gal. IV. 29.* Quodnam ſpeciatim Iſmaëlis facinus fuerit, recte ignoramus, cum ſcriptura id non expoſuerit. Varias interim & incertas, ex parte & friuolas Iudaeorum, aliorumque hac de re coniecturas, non ſine ſale, more ſuo, refert PETRVS BAELIVS, *lex. hiſtor. crit.* voc. *Agar, p. 92.* qui & in eo ingens dubium ſibi inueniſſe viſus eſt, quod Agar Iſmaëlem ceu trium quatuorue annorum puerum in humeros ſuſcepiſſe, portaſſe, in certum locum collocaſſe, cum mortem ei imminentem adſpicere non poſſet, dicatur; cum tamen conſtet, eum ad minimum ſedecim vel ſeptendecim annorum fuiſſe. Et ſane LXX interpretes verba *verſ. 14. capitis XXI.* reddunt: ἐπέθηκεν ἐπὶ τὸν ὦμον αὐτῆς τὸ παιδίον, Abrahamum ſcilicet, Iſmaëlem Agaris humeris impoſuiſſe, innuentes. Quod, ſi ſupponamus, eum iam ſedecim annorum fuiſſe, ridiculum eſt. Sed dubium omne euaneſcet, ſi modo verba textus ebraei recte transferantur; ita ſcilicet *verſ. 14. ſumſit panem* (Abrahamus) *& vtrem aquae, eaque Agarae data, humero eius impoſuit, vnaque puerum tradidit.* Nimirum vox *tradidit*, cum HIERONYMO ex ſuperioribus repetenda. Hinc & longe rectius iuxta codicem Alexandrinum in LXX interpretibus legitur: *καὶ τὸ παιδίον ἔδωκε.* Praeterea cum *verſ. 15.* dicitur: *& puerum ſub vna ex arboribus depoſuit vel abiecit*, ſenſus eſt, eam iuſſiſſe, vt puer, quem manu ducebat, feſſus & prae ſiti atque aeſtu vix animam trahens, ſub arbore quadam conſideret.

Atque haec cum contigiſſent, ſequuta tandem eſt grauiſſima illa tentatio, qua filium Iſaacum offerre in ſacrificium Abrahamus iuſſus eſt. Quo tempore, quoue aetatis Iſaaci anno hoc contigerit, non adeo liquet; hinc iterum diuerſae virorum eruditorum hac de re ſunt coniecturae. FL. IOSEPHVS, vt reliquos nunc mittam, Iſaacum annum aetatis vigeſimum quintum egiſſe, tradit; *antiquit. iud. lib. I. cap. XIV.* Hunc & IACOBVS VSSERIVS ſequitur, qui adeo hancce Abrahami tentationem refert ad annum mundi MMCXXXIII. Certe non admodum puerum, ſed adultae quodammodo aetatis Iſaacum fuiſſe, vel inde colligas, quod geſtando non mediocri lignorum in locum diſſitum faſciculo, puerilesvires non ſufficiant. Vnde ABEN ESRAE, anno aetatis Iſaaci decimo tertio hoc factum, contendenti, ſuffragari nequeo. Certe viginti circiter annorum cum fuiſſe, neceſſe eſt. Vnde ſimul intelligitur, cum patris conſilium iuſſumque Numinis intellexiſſet, eum neutiquam reluctatum, ſed ſua ſponte etiam ſe in ſacrificium obtuliſſe. Ceterum ſi & locum ſpectes, in quo Iſaacum ſibi offerri iuſſit, qui fuit ארץ מריה

 ter-

terra Moriah, quae a monte Moriah, in quo deinceps a Salomone templum exſtructum fuit, nomen accepit, & reliquas circumſtantias, omnia ita comparata deprehendes, vt & grauitatem tentationis arguant, & myſterium ſimul maximum, Meſſiae nimirum ſacrificium pro hominum expiandis criminibus, offerendum, haud obſcure indicent. In ipſa Moſis narratione nulla difficultas: argumentum rhetoribus aptum, pingendis variis adfectibus interpretibus aliisque ſcriptoribus occaſionem praebuit, nonnullis etiam, praeſertim Ebraeorum magiſtris, infinita ex foecundiſſimo ingenio ſuo commenta depromendi. His immorari non placet. Quibus talia legere volupe eſt, adeant CHRISTIANVM SCHOTANVM, *biblioth. hiſtor. ſacr. vet. teſtam. ab Abrahamo ad ingreſſum in Aegypt. p. 225. ſeqq.* IO. HENRICVM HEIDEGGERVM, peculiari exercitatione, de *tentatione Abrahami*. quae nona eſt in parte ſecunda *hiſtoriae* eius *ſacrae patriarcharum, p. 278. ſeqq.* & MELCHIOREM LEIDEKKERVM, de *repubI. Ebraeorum, lib. I. cap. VII. p. 84. ſeqq.*

Nos id ſaltem nobis datum credimus, vt paucis refellamus ſententiam IO. MARSHAMI, contendentis, ſacrificium, quo filium immolare iuſſus eſt Abrahamus, neutiquam nouum aut inauditum ea aetate fuiſſe: immo potuiſſe aliarum gentium exemplis Abrahamum, vt eo promtius hac in re diuinae voluntati obtemperaret, induci; in *can. chron. ſaec. V. p. 77. ſeqq.* Quod vt euincat, ad PHILONEM prouocat, qui in libro de *Abrahamo, p. 375.* τὸν δὲ, inquit, τί προσῆκεν ἐπαινεῖν, ὡς ἐγχειρητὴν κεκαινουργημένης πράξεως, ἣν καὶ ἰδιῶται καὶ βασιλεῖς καὶ ὅλα ἔθνη δρῶσιν ἐν καιροῖς; *quid attinet illum* (Abrahamum) *laudare, tanquam noui facinoris auctorem, quod & priuati, & reges, & gentes integrae ex occaſione faciunt.* Porro, ſacrificandi homines ritum Abrahami temporibus vetuſtiorem fuiſſe, PHILONIS BYBLII teſtimonio comprobat, qui ex SANCHVNIATONE ad ipſum eum referat Saturnum; apud EVSEBIVM. *praeparat. euangel. lib. I. cap. X.* Sed PHILONEM quoque Iudaeum *l. c. p. 293.* ritus iſtius antiquitatem agnoſcere, cuius veſtigia & apud Cananaeos deprehendantur, qui Molocho liberos ſuos igni comburendos dederint. Phoenices, Cananaeorum vicinos, nefandum illud iamdudum feciſſe ſacrificium, ex *libro primo* PHILONIS *de Phoenicum hiſtoria*, apud EVSEBIVM, *lib. IV. praeparat. euang. cap. XVI.* comprobat. Et hinc tandem colligit: *tentationem Abrahami non fuiſſe* κεκαινουργημένην πρᾶξιν, *actionem innouatam, non recens excogitatam, ſed ad priſtinos Cananaeorum mores deſignatam.* His & alia ſubiungit teſtimonia, ex quibus conſtat, tum apud Phoenices, tum apud alias gentes, ſpeciatim Aegyptios, morem homines ſacrificandi olim antiquiſſimis temporibus fuiſſe receptum. Haec vero omnia lubrica plane ſunt & facili diluenda negotio. Namque ad PHILONEM Iudaeum quod attinet, tantum abeſt, vt id dicat, quod ei adfin-

Digitized by Google

fingit MARSHAMVS, vt potius hoc ex inſtituto refellat. Dum enim in eo eſt, vt Abrahami hocce facinus eximiis laudibus extollat, non deeſſe dicit, φιλαπεχθήμονας, καὶ πάντα διαβάλλοντας, οἷς ψόγοι πρὸ ἐπαίνου τιμᾶν ἐθίζονται, *malitioſos calumniatores, vituperare potius, quam laudare ſolitos*, quibus non tam magnum ac mirificum hocce facinus videatur, vtpote cuius varia vbiuis, iam ab antiquo exſtent exempla. Hanc vero criminationem vt refellat, PHILO omnem mouet lapidem, oſtenditque, eos, qui liberos mactarunt, aut obtulerunt in ſacrificium, id aut more feciſſe, vt de nonnullis barbaris fertur, aut quod exiſtimarent, ſe magna, quae ſuis ciuitatibus incumbebant, mala, & quae humanis non poſſe ſuperari viribus, videbantur, hac ratione auertere poſſe; nonnullos praeterea inuitos ſuos ad necem exhibuiſſe liberos, coactos a potentioribus, alios, aut metu hominum, aut gloriae famaeque cupiditate inductos, idem feciſſe. Tum vero porro demonſtrat, nullam harum cauſſarum fuiſſe, quae Abrahamum permouerit, vt filium immolare ſecum ſtatueret, idque eo magis, quod nec Babylone, nec in Meſopotamia, nec apud Chaldaeos, apud quos Abrahamus educatus fuit, eiusmodi quid receptum eſſet. Tandem poſt alia, cum dixiſſet, in ea quoque regione nullam conſuetudinem, ſicut fortaſſe apud quosdam, immolandi liberos fuiſſe, addit de Abrahamo: αὐτὸς ἔμελλε πρῶτος ἄρχεσθαι καινοτάτου καὶ παρηλλαγμένου παραδείγματος, *ipſe* (Abrahamus) *primus auctor futurus erat noui & inuſitati exempli, quod mihi videtur nemo laturus fuiſſe, etiamſi ferreum aut adamantinum habeat animum.* Vnde liquido conſtat, MARSHAMI ſententiae aperte refragari PHILONEM; verba autem ab illo adlata, ea non ex mente propria, ſed illorum, contra quos diſputabat, protuliſſe. Sed PHILO tamen BYBLIVS, inquis, originem immolandi liberos ad Saturnum refert. Non diſputabo nunc, quantum aut PHILONIS iſtius, aut potius SANCHVNIATONIS teſtimonio tribuendum ſit; nec monebo, quam incerta, quam confuſa ſint mythologica omnia; quamquam hoc ſufficere poſſet: id ſaltem addo, haud inconcinne obſeruatum eſſe a nonnullis, per Saturnum hic ipſum intelligi Abrahamum. Namque de Saturno hocce SANCHVNIATON dicit, quod filium ſuum vnigenitum in holocauſtum obtulerit, & *pudenda circumciderit, & commilitones ſuos eo adegerit, vt idem praeſtarent;* apud EVSEBIVM, *praep. eu. lib. I. p. 40.* alibique; add. PETRVS DANIEL HVETIVS, *demonſtrat. euangel. part. I. prop. IV. p. 101.* Nec obſtat, quod nonnulla occurrant, quae non prorſus in hancce Abrahami hiſtoriam quadrent. Praeterquam enim, quod diſcrepantia neutiquam tanta eſt, quanta MARSHAMO eſſe videtur, id mirum etiam non eſt, cum in eiusmodi veterum relationibus vera falſis admixta eſſe ſoleant. Adeoque nec illud obſtat, quod alias ſub Saturni imagine Noachus latitare dicatur,

Digitized by Google

tur, cui & nos ſupra ſubſcripſimus ſententiae. Frequentiſſimum eſt, duos pluresue viros illuſtres confundere, & illorum facta memorabilia ſub vna tegere imagine. Ex reliquis, quae MARSHAMVS adfert, nihil aliud ſequitur, quam apud alias gentes olim morem immolandi homines fuiſſe vſitatum, quorſum & ſacra Typhonica Aegyptiorum ſpectabant, quae tamen vel hoc nomine cum facto Abrahami comparari non poterant, quod non liberos, ſed homines ſibi inuiſos, ad Oſiridis tumulum mactabant. Sed quid inde? Num ſtatim ſequitur, hunc morem aetate Abrahami fuiſſe vetuſtiorem? aut Abrahamum ad aliorum exemplum hoc feciſſe? Quis hoc credat? Refellit hanc ſententiam ipſe Moſes, qui, a Deo hoc mandatum Abrahamo, dicit, & quidem ideo, vt fidem eius exploraret, nulla gentis cuiusdam, quam imitari potuiſſet, facta mentione. Refellit eamdem & vnico ictu proſternit Paulus apoſtolus, *Ebr. XI. 17. fide obtulit Abrahamus Iſaacum, cum tentaretur, & vnigenitum offerebat &c.* Morem immolandi homines apud varias gentes vſitatum fuiſſe, notum eſt, pluribusque comprobat EVSEBIVS, *praeparat. euangel. lib. IV. cap. XVI.* conf. & LACTANTIVS, *diuin. inſtit. lib. I. cap. XXI.* Sed non minus certum eſt, poſt Abrahami tempora eum demum inualuiſſe. Videturque omnino nonnullis veroſimile, ex κακοζηλίᾳ gentium, quae de hocce Abrahami facto aliquid inaudiuerant, hocce ortum eſſe. Ita praeter alios SAM. BOCHARTVS, in *Canaan, lib. II. cap. II.* Quod nunc equidem in medio relinquo. Contra MARSHAMVM ex inſtituto etiam diſputant HERMANNVS WITSIVS, *aegyptiacor. lib. III. cap. VII. p. 228. ſeqq.* & NATALIS ALEXANDER, *hiſt. eccleſ. vet. teſtam. aetat. mundi III. diſſertat. VIII. p. 232. ſeqq.*

§. VI.

Vt autem Abrahamus fidei & pietatis, ita incredulitatis improbitatisque, eadem aetate, exemplum ſingulare praebuerunt Sodomitae & Gomorrhaei. Precibus equidem ſuis imminentem iis poenam auertere adniſus eſt Abrahamus. Sed cum perditi nimis illorum mores eſſent, nec vlla ſupereſſet ſpes emendationis; ignis caelitus delapſus omnem hancce regionem conſumſit, miſereque deuaſtauit.* Solus cum vxore & filiabus hinc euaſit Lothus, ab angelis a Deo miſſis prius eductus, quam ignis deſcenderet; etſi vxor quoque eius res ſuas inuita haud dubio deferens, indeque contra Numinis mandatum reſpiciens, ſingulari mortis genere perierit.** Sed ipſe quoque Lothus humanae imbecillitatis non vnum documentum poſteris reliquit.***

Digitized by Google

* Id iam contigerat, cum ad Abimelechum, Geraris regem, ſe reciperet Abrahamus. In ſollemni adparitione, quae *Geneſ. XVIII.* deſcribitur, Abrahamo hoc indicauerat Deus; nec intermiſerat Abrahamus pro iis intercedere, ſi qua forte ratione iram Numinis ab illis auertere poſſet. Sed cum intelligeret, harum ciuitatum ita perditas res eſſe, vt nec decem iuſti in illis reperirentur, vlterius ſuas interponere preces noluit; haud dubio coniiciens, nec vnum quidem iuſtum, qui fide ſua Deo placere poſſet, ſupereſſe; quod admodum etiam eſt veroſimile. Ad Lothum enim quod attinet, eum inde ereptum iri, haud dubio iam ſciebat Abrahamus. Vt myſteria in eo quaeramus, quod nec ſupra quinquaginta adſcenderit, nec infra decem deſcenderit, quod nonnulli faciunt, neceſſe non eſt. Sodoma & vicinae vrbes, quae eadem ruina inuolutae ſunt, ſitae erant in planitie quadam, ſeu valle ad Iordanem fluuium, erantque ob fertilitatem ſoli beatiſſimae. Id ipſe nos condocet Moſes, Lothi ab Abrahamo diſceſſum *Geneſ. XIII. 10.* deſcribens: *Lothus vero proſpiciens omnem planitiem Iordanis, cum nondum Iehouah Sodomam & Gomorrham perdidiſſet, totam, qua Tſoarem itur, inſtar paradiſi Iehouae aut aegyptiae terrae, irriguam eſſe vidit.* Hinc cum omni rerum copia & abundantia adfluerent harum vrbium incolae; luxuriae & libidini laxarunt habenas, & in omne vitiorum genus dati ſunt praecipites. Qui cogitaue rit, quam turpiter ſe geſſerint erga Lothi hoſpites, quos angelos eſſe neſciebant, non dubitabit, quin ad impietatem iniuſtitiamque horum hominum nihil amplius addi potuerit. Hic ergo res ipſa ſuffragatur FLAV. IOSEPHO, dum iſtorum hominum ita deſcribit mores: *οἱ Σοδομῖται πλέτῳ καὶ μεγέθει χρημάτων ὑπερφρονῦντες εἴς τε ἀνθρώπυς ἦσαν ὑβρισαὶ, καὶ πρὸς τὸ θεῖον ἀσεβεῖς ὡς μηκέτι μεμνῆσθαι τῶν παρ' αὐτῦ γενομένων ὠφελειῶν. ἦσαν τε μισόξενοι καὶ πρὸς ἀλλήλυς ὁμιλίας ἐκτρέπεσθαι* *Sodomitae diuitiis & magnitudine pecuniarum ſuperbientes, in homines erant contumelioſi, & erga Deum impii, vt beneficiorum ab eo acceptorum immemores eſſent. Odio hoſpites habere, & ad mutuas libidines conuerti; ant. iud. lib. I. cap. XII.* Nihil itaque ſupererat aliud, quam vt illos, aeque ac orbis primi, qui ante diluuium fuit, incolas, Deus perderet. Quod qua ratione factum ſit, Moſes ita deſcribit: *Iehouah in Sodomam & Gomorrham ſulphur & ignem ab Iehouah a caelo depluit, atque vrbes illas, totam planitiem, omnes vrbium incolas, terraeque prouentus, ſubruit; Geneſ. XIX. 24. 25.* Certum eſt, etſi duarum hic ſaltem ciuitatum Sodomae & Gomorrhae mentio fiat, Adamam tamen ſimul atque Seboim hocce incendio deflagraſſe; conf. *Deut. XXIX. 23.* Cum vero inter quatuor iſtas Sodoma & Gomorrha praecipuae eſſent; duas haſce prae ceteris nominaſſe, ſatis fuit. Ciuium autem in omnibus hiſce

ce ciuitatibus haud dubio aeque corrupti fuere mores. Auctor *libri ſapientiae* pentapolin, STEPHANVS, vrbes decem, STRABO, tredecim hac ratione periiſſe tradunt. Quibus ideo fidem denegamus, quod de quatuor tantum antea memoratis, ex certis documentis hoc conſtet. Vt autem ex diuinis litteris notum, diuinae iuſtitiae hoc fuiſſe opus, vt Sodomitae cum vicinis hac ratione perirent; ita non deſunt, qui cauſſas naturales hic in ſubſidium vocant, ne miraculum aliquod agnoſcere teneantur. In his eſt vir doctiſſimus IOAN. CLERICVS, qui in diſſertatione de *Sodomae finitimarumque vrbium ſubuerſione*, quae in adpendice *commentarii* eius *in Geneſin* prima eſt, ita procedit: primo de ſitu harum vrbium diſſerens, eas ad Iordanem in planitie quadam poſitas fuiſſe, regionemque illam *αὐλὼν vallis* dictam euincit, & cumprimis FL. IOSEPHI teſtimonio confirmat. Deinde regionis illius, quae Aulonis nomine illi venit, oram meridionalem totam, qua Tſoarem itur, vt Moſes eam deſignat, valde irriguam fuiſſe, STRABONIS, IOSEPHI, aliorumque, teſtimoniis comprobat. Neque modo Iordanis aquis irriguam fuiſſe, ſed etiam fontium ac torrentium illuc influentium. Cum autem, inquit, tot aquis nullus in mare exitus eſſet, neceſſe eſt, eas circumiacentibus arenis abſorptas; quod eo facilius fieri potuit, quod ſoleant calidarum terrarum incolae fluuios in varios riuulos deriuare, vt agros ſuos rigent. Atque eo etiam ſpectare verba Moſis putat, quibus huncce tractum, fertilitatem eius indicaturus, duobus locis irriguis confert: *vt paradiſus Iehouae, vt terra Aegypti*. Hinc porro obſeruat, in hocce tractu fuiſſe puteos bituminis, quod & Moſes docet *Geneſ. XIV. 10. vallis Siddim puteis bituminis referta erat, &c.* Vnde manifeſtum eſſe cenſet, etiam antequam lacus Aſphaltites enaſceretur, bitumen ex eo ſolo erupiſſe, & hauriri illinc ſolitum; idque cum antea ſpiſſum eſſet, aquis illuc confluentibus dilutum liquidumque factum. Quod cum PLINII, HERODOTI, aliorumque teſtimoniis illuſtraſſet, aut confirmaſſet, & de Sodomitarum moribus improbis quaedam addidiſſet; ſuam tandem de poena illis inflicta ita exponit ſententiam: *Oſtendimus antea, eum tractum bitumine plenum fuiſſe, quod cum facile flammam concipiat, fulmine accenſum eſt, flammaque non modo in terrae ſuperficie conſpecta eſt, quod non raro iis in locis euenit, ſine incolarum pernicie, ſed etiam ſubterraneas ſulphuris & bituminis venas ita peruaſit, vt abſumta ea materia terra ſubſederit, alueumque influentibus illuc aquis praebuerit.* Ad hancce comprobandam ſententiam cum varia in medium adferat; hoc tamen praecipuum eſt, quod cum *Deus depluiſſe ſulphur & ignem ab Iehoua* dicitur, hoc fulminis circumloquutionem eſſe putat, quemadmodum *Pſalm. XI. 6.* dicitur: *depluet in impios turbines, ignem & ſulphur;* & *Ezech. XXXVIII. 22. plectam*

eum

eum peſte, ſanguine; imbrem exundantem, lapides grandinis, ignem & ſulphur depluam in eum. Fulmen autem ſulphur & ignem, hoc eſt, ſulphur ignitum & accenſum, dici. Sed, cum facile videat vir doctus, etſi haec ita ſe habere concedantur, nondum tamen id Moſen dicere, quod ille eum dicere ſtatuit, ideo addit: *tametſi Moſes non adiicit, qua ratione fulmen deuotarum vrbium agros ſubuerterit, tamen, cum fulminis meminerit, vix aliter res intelligi poteſt, quam vt fulmine in puteos bituminis magna copia delapſo accenſae ſint eius materiae venae, incendiumque in intima bituminoſi ſoli viſcera penetrauerit, tremoreque & ſolo ſubſidente ſceleratas vrbes ſubruerit.* Cumque agri Iordani vicini ea ratione ſubſediſſent, fieri aliter non potuit, vt idem auctor porro coniicit, quam vt aquae illud influentes tanta copia ex paludoſis antea locis lacum efficerent: ſique aquis influentibus adiungantur bituminis latices, qui ſimul e terra eruperint, aut aquae ſeſe miſcuerint, ea inde Aſphaltitidis lacus deſcriptio orietur, quam veteres tradiderunt. Haec quidem & erudite, & magna probabilitatis ſpecie doctiſſimus CLERICVS. Quae ſi eo tendant, vt nullum in hacce Sodomitarum poena miraculum agnoſcendum ſit, ſed cuncta cauſſis naturalibus tribuenda, non temere admittenda ſunt. Sum equidem ego in ea ſententia, miracula non eſſe ſine neceſſitate ſtatuenda: nec tamen & ſine neceſſitate neganda ſunt, ſi praeſertim ipſa nos eo ducat ſcriptura ſacra. Poſſuntque ſequentia contra ſententiam antea propoſitam dubia moueri. Primo, ſi ex cauſſis mere naturalibus haec ita euenerunt, vt per fulmen ſcilicet venae bituminis accenſae fuerint, vtique haec non minus euenire potuiſſent, aut euentura fuiſſent, etiamſi vrbium harum incolae fuiſſent homines pii & ſancti. At Deus Sodomitarum ceterorumque impietatem hac ratione punire voluit, & haud dubio ita puniuiſſet, etiamſi nulla ſoli aut ad flammam concipiendam, aut ad terrae motum concitandum, fuiſſet diſpoſitio. Deinde praecipuum viri docti argumentum non ſatis mihi firmum videtur. Contendit enim, verba: *depluit Dominus ſulphur & ignem a Domino,* eſſe circumloquutionem fulminis: quod dictis quibusdam ſcripturae, antea adlatis, comprobare adnititur. Ego vero non dubito, quin in hisce ipſis ſcripturae dictis ad hancce Sodomitarum poenam adludatur: vnde ex iis, quod hisce verbis fulmen circumſcribatur, euinci nequit. Immo eo minus hac de re dubitandum, quod in aliis locis haec adluſio manifeſta ſit, vt *Deut. XXIX. 23.* vbi Moſes Iſraëlitis, ſi a lege diuina receſſerint, eadem comminatur, quae vrbibus Sodomae, Gomorrhae, Adamae & Zeboim contigerunt. Cumque ibi non tantum ignis & ſulphuris, ſed & ſalis mentio fiat; nonnulli inde colligunt, in vrbium antea memoratarum euerſione igni & ſulphuri ſalem quoque admixtum fuiſſe, qui & adustionis cruciatum augeat, & terrae alioqui fertiliſſimae pinguedinem ex-

ſugat. Cetera autem, quae vir doctiſſimus adfert, ſaltem ſunt merae coniecturae, oſtendentes, non, quo pacto euerſio iſta facta ſit, ſed quo pacto fieri potuerit. Vnde ipſe vir doctiſſimus fatetur, Moſen non adiicere, qua ratione fulmen deuotarum vrbium agros ſubuerterit. Immo nec illud dixit, quod per fulmen hoc factum ſit, multo minus, quod cetera, ita, vt vir clariſſimus putat, contigerint. Quod ſi dicas: vix tamen res aliter intelligi poteſt, reſponderim, tutiſſimum eſſe, ſi ſimplici Moſis narrationi fidem adhibeamus, Deum, cum punire Sodomitarum impietatem vellet, per ſuam omnipotentiam ignem & ſulphur e caelo depluiſſe, idque tanta copia, vt ſubito vrbes illae cum incolis omnibus fuerint conſumtae, totaque regio miſerum in modum deuaſtata. Non nego, vrbes aut integros terrarum tractus terrae motibus euerſos: non etiam nego, materiam inflammabilem a fulmine incendi poſſe: vtrumque rationes & exempla adlata ſatis docent; ſed, an cum Sodomae & vrbium vicinarum euerſione res ita geſta ſit, id eſt, de quo quaeritur. Ceterum id viris doctis recte obſeruatum, rei tam memorabilis haud obſcura in ethnicorum etiam ſcriptis, praeſertim cum in Aſphaltitidis lacus deſcriptione verſantur, veſtigia occurrere; etſi falſa ſubinde veris, vt ſolent, admiſceant. Legendus hac de re cumprimis STRABO, *lib. XVI. geograph. p. 526.* qui tamen, cum lacu Aſphaltitidis, Sirbonim confundit, & CORNELIVS TACITVS, *hiſtor. lib. V. cap. VI. & VII.* add. DIODORVS Siculus, *lib. XIX.* PLINIVS, *hiſtor. nat. lib. V. cap. XVI.* SOLINVS, *polyhiſtor. cap. XVI.*

** Etſi verba diuini ſcriptoris, quibus fata, quae Lothi vxor ſubiit, deſcribit, minime obſcura ſint; interpretes tamen, aliique viri docti, nec de peccato feminae huius, nec de poena inter ſe conueniunt. Peccatum hiſce verbis exprimitur: ותבט אשתו מאחריו *& reſpexit vxor eius retro eum;* quod nonnulli ita explicant, eam, quod ex gente Sodomaeorum orta eſſet, reſpexiſſe, vt videret, quid futurum eſſet cum domo patris ſui. Alii illud מאחריו vertentes *poſt illum*, ad Lothum hoc referunt, quo quippe vrbem, quam petebat, iam ingreſſo, vxor eius manſerit in itinere, & contra Numinis mandatum reſpectauerit Sodomam tunc, cum iam pluuia caeleſtis decideret. Neque enim, cum in itinere adhuc conſtitutus eſſet ipſe Lothus, haec accidiſſe, inde colligunt, quod angelus ſe quidquam facere prius poſſe negauerit, quam Lothus vrbem iſtam ingreſſus fuiſſet. Vlterius progreditur vir clariſſimus, HERMANNVS VON DER HARDT, cumque monuiſſet, *reſpicere*, *circumſpicere*, communi omnium hominum ſtilo, in negotio, vel via aut itinere, idem eſſe, ac *pedem retinere*, *non pergere*, *moras nectere*, *reuerti*, tandem pronuntiat, Lothi vxorem, rei familiaris deſiderio correptam, non tantum ſubſtitiſſe in via, ſed & reditum in vr-

vrbem paraſſe; in *ephemerid. philolog. diſſertat. IV. p. 68.* Ego vero nullam video cauſſam, cur non ſenſum illum ſimplicem & planum, quem ipſa Moſis verba offerunt, amplecti velimus, qui eſt, quod reſpexerit, deſiderio ſcilicet patriae, rei familiaris & cognatorum, immemor hoc ipſo mandati, quod angelus illis dederat: אל־תביט אחריך *ne reſpicias poſt te, Geneſ. XIX. 17.* Fueritne autem hocce peccatum tam graue, vt exemplo in aeuum memorando, ſtatim morte illud luere debuerit? dubitari poſſet. PETRO IVRIAEO leue vtique hocce peccatum, poena contra, peccato comparata, durior eſſe videtur. Nihil, inquit, quod non humanum ſit, commiſit, quodue non facile pro ſexus conditione facere potuerit. Leues enim natura & ad curioſitatem pronas eſſe feminas. Mitiorem itaque pro meruiſſe poenam: ſed peccatum fuiſſe typicum. Viſum ita fuiſſe diuinae prouidentiae, in ſingulare diuinae iuſtitiae exemplum eam ſtatuere, vt imaginem exhiberet illorum, qui, cum diuinae obſequi videantur vocationi, vix tamen, vt mundo ſerio valedicant, in animum inducant. Verum haec pro excuſanda Lothi vxore fruſtra dicuntur. Plurima enim, eaque grauiſſima, animi vitia in hocce feminae facinore ſe prodebant. Amor inconſultus patriae ac bonorum terreſtrium, animus ingratus & immemor tanti beneficii, quo praeſentiſſimo periculo eripiebatur, itemque mandatorum comminationumque diuinarum contemtus, &, quae cauſſa horum omnium erat, incredulitas & diffidentia in Deum, in ea conſpiciebantur luculentiſſime. Haec ita erant comparata, vt iuſtiſſima illa, quam experta eſt, cenſeri debeat poena: vnde & in exemplum diuinae iuſtitiae & ſeueritatis tum reliquis omnibus, quibus res leuis videtur, diuina transgredi mandata, tum illis maxime, qui huius ſaeculi bona pluris, quam aeternam ſalutem faciunt, proponitur; quod & ſeruator innuit, *Luc. XVII. 32.* Atque hoc pluribus a me demonſtratum in diſſertatione de *peccatis typicis, §. XXV. & XXVI.* Poenam vero, quam femina incredula ſubiit, Moſes ita exprimit ותהי נציב מלח *& facta eſt ſtatua ſalis.* Quibus verbis lectis, nihil eſt facilius, quam vt cogitemus, eam in ſalis ſtatuam fuiſſe conuerſam. Et ita plerique etiam veterum pariter ac recentiorum, Iudaei pariter ac chriſtiani, haec Moſis verba acceperunt; adeo vt de eo ſaltem fuerint ſolliciti, quam ob cauſſam iſthoc poenae genere vti Deo placuerit? pleriſque ad rationes huius rei myſticas & allegoricas ſe conferentibus; vt apud CLEMENTEM Alexandrinum, *lib. II. ſtrom. p. 387.* AVGVSTINVM, de *ciuitat. Dei, lib. XVI. cap. III.* alioſque videre licet. Antiquiſſimos Iudaeorum in hac fuiſſe ſententia, patet ex teſtimonio auctoris libri *ſapientiae, cap. X. 7.* vbi de Lothi vxore dicit, quod ſit *ἀπιστούσης ψυχῆς μνημεῖον ἑστηκυῖα στήλη ἁλὸς, incredulae mentis monumentum, ſtans columna ſalis.* Idem ex PHILONE liquet, qui

non ſemel, tum alibi, tum de *allegoriis legis*, *lib. II. p. 77.* huius rei meminit. FLAV. IOSEPHVS omnino addit, ſe in illum locum profectum, ſtatuam hanc ibi vidiſſe, *lib. I. antiquitat. cap. XII.* quod & R. ELIESER teſtatur, in *capitulis, cap. XXV.* ne quid de iis dicam, qui peregrinationes in terram ſanctam ſuſceperunt, eiusque dederunt deſcriptiones, quorum nonnulli ſe eiusmodi quid ibi vidiſſe, itidem confirmant. Suffragantur eidem ſententiae CLEMENS Romanus, *epiſt. ad Corinthios, p. m. 27.* IRENAEVS, *lib. IV. cap. LI.* aliique. Haec vero impedire non potuerunt, quo minus viri quidam docti verba Moſis paullo aliter interpretari conarentur. In his eſt HERMANNVS VON DER HARDT, qui ſupponens, vt antea dictum, vxorem Lothi reditum in vrbem paraſſe, eam igne caelitus delapſo, inconſulto impetu ad ignem feſtinantem, in flammis periiſſe, exiſtimat. In cuius rei memoriam vel Lothus ipſe poſt incendium, vel poſtea nepotes eius ex filiabus, Ammonitae ac Moabitae, auiae ſuae ex incendio ereptae, & nihilominus flammis perditae, *monumentum publicum* erexerint, quod ob materiam peculiarem, ex qua confectum ſit, נציב מלח *ſtatua ſalis*, a Moſe dicatur; in *ephemerid. philolog. diſcurſ. IV. p. 70.* IO. CLERICVS hactenus conſentit, vt itidem vxorem Lothi in ſalis ſtatuam conuerſam abnuat: at verba Moſis aliter interpretatur, eorumque hunc ſaltem ſenſum eſſe putat, quod ſubito in agro Sodomitico fuerit extincta & ibi diriguerit; in peculiari diſſertatione de *ſtatua ſalis*, quae ſecunda eſt in *adpendice commentarii* eius in *Geneſin, p. 328.* Reſpondet idem prolixe ad argumenta diſſentientium, quibus euincere volunt, in ſalis ſtatuam Lothi vxorem fuiſſe conuerſam. Idque aliquando non ſine ratione. Certe teſtimonia, aut IOSEPHI, aut aliorum, qui iſtam ſtatuam ſe vidiſſe teſtantur, rem neutiquam euincunt. Non abnuo, vidiſſe eos aliquid, quod eiusmodi ſtatuam referret, & quod hominum traditione pro iſta ſtatua venditabatur; ſed inde nondum conſtat, fuiſſe hanc ſtatuam reuera eamdem, in quam conuerſa fuit Lothi vxor. Fieri potuit, vt, qui rei tam memorabilis veſtigia in eo loco, quo hoc contigit, quaererent, cum ſtatuam ibi deprehenderent, in eam deuenirent opinionem, hanc illam eſſe, in quam Lothi vxor conuerſa fuerit. Hinc enata traditio facile IOSEPHVM, multo autem magis, qui poſtea in loca, quae vocantur, ſacra, Palaeſtinae peregrinationes ſuſceperunt, decipere potuit, vt aliquod monumentum, quod pro ſalis iſta ſtatua venditabatur, pro ea haberent. Sed patrum quoque, ſeu veterum eccleſiae doctorum, auctoritas hic in cenſum non venit. Non vno enim documento conſtat, eos in ſcriptura ſacra interpretanda ſubinde receptam quamdam opinionem potius, quam regulas hermeneuticas, ſequutos. Interim tamen illis, qui a recepta ſententia diſcedunt, nondum ſuffragari poſſumus; quia verbis Moſis vim aper-

tam

Digitized by Google

tam inferre videntur. Diſerte dicit: *& facta eſt ſtatua ſalis.* Cur, quaeſo, ita loquutus eſſet diuinus ſcriptor, ſi nihil aliud dicere voluiſſet, quam eam flammis ignis ſubito exſtinctam? aut quis haecce verba legens in eam deuenire ſententiam poſſet, monumentum aliquod a marito aut poſteris ei erectum? Si hicce ſenſus eſſet, neceſſe eſt, Moſen data opera ita loquutum, vt diuinando ſaltem mentem eius aliquis adſequi poſſet. Quae vero tandem cauſſa eſt, cur a plano & obuio verborum ſenſu diſcedere velimus? Ne miracula admittere cogamur? At, ſi Deus fecit, cur non admittemus? Interim non ſine cauſſa reiecimus antea teſtimonia illorum, qui, hanc ſe vidiſſe ſtatuam, adſeruerunt. Hiſce enim opus non eſt; cum res ipſa ex verbis Moſaicis conſtet. Nec ita neceſſe eſt, vt miracula miraculis tuendo adſeramus, per miraculum hancce ſtatuam tamdiu conſeruatam. Credere enim nobis liceat, veram illam ſalis ſtatuam dudum periiſſe: deinde vero aliud quidpiam pro iſta ſtatua venditatum. Ita & haſce ſuperare difficultates licet, vt tamen a propria & genuina verborum Moſis ſignificatione diſcedere neceſſe non ſit.

*** Primum fuit, quod filias ſuas Sodomitarum libidini, ad vim illorum ab angelis, quos hoſpitio exceperat, auertendam, obtulit. *Geneſ. XIX. 8.* Etſi enim hoc animo non malo fecerit, ſed vt hoſpitum ſecuritati conſuleret; minime tamen hoc laudandum eſt, aut excuſandum. Non enim facienda ſunt mala, vt inde eueniant bona; vt recte ipſe Paulus apoſtolus pronuntiat, *Rom. III. 8.* Et licet in naturalibus & ciuilibus res ita ſe habeat, vt ex duobus malis minimum ſit eligendum; non tamen id procedit in moralibus. Perperam itaque a nonnullis hocce Lothi excuſatur, immo laudatur facinus; quod & CHRYSOSTOMVS, ad talia in patribus excuſanda aut laudanda ſemper pronus, facit, *hom. XLIII. in Geneſ.* & AMBROSIVS, *lib. de Abrahamo, cap. IV.* aliique. Rectius hac de re pronuntiat AVGVSTINVS, *quaeſt. XLII. in Geneſin*, & in libro *contra mendecium ad Conſentium, cap. IX.* Petrus equidem apoſtolus, *II. epiſt. II. 7. 8.* Lothum vocat iuſtum; ſed inde, eum omnium infirmitatum aut peccatorum expertem fuiſſe, vel omnia eius facta recte ſe habuiſſe, colligere non licet. Alterum, quod in Lotho notamus, infirmitatis documentum eſt, quod ex timore nimio ciuitatem Zoar deſeruerit, & cum filiabus ſuis in montem vicinum ſe contulerit, ibidem cum iis in ſpelunca habitaturus, vnde grauioris lapſus occaſio. Potuiſſet ſecure in ciuitate Zoar viuere, quia hocce refugium ipſe Deus illi conceſſerat. Eam vero dum deſeruit, ſiue eam Sodomae nimis vicinam crederet, ſiue, quae HIERONYMI eſt ſententia, eam alias terrae motibus concuſſam noſſet, diffidentiam ſuam erga Deum aperte prodidit. Ita ergo dum cum filiabus in ſpelunca habitat, in peccatum longe grauiſſimum praeceps datus eſt. Sunt equidem & hic, qui de Lotho mitius ſen-

ſentiunt; immo qui & filias eius excuſant; quod ex patribus faciunt IRENAEVS, *lib. IV. cap. LI.* ORIGENES, *hom. V. in Geneſ.* CHRYSOSTOMVS, *hom. XLIV. in Gen.* AMBROSIVS, *de Abrahamo, lib. I. cap. VI.* Verum quod ad Lothum attinet, etſi per ignorantiam inceſtum commiſit; ipſe tamen ob ebrietatem, ad quam ſe induci paſſus eſt, omnino quoque huius criminis reus eſt. Sed ipſa quoque illa ebrietas iure meritoque peccatum maximum grauiſſimumque cenſetur. Eo maius vero in Lotho peccatum eſt, quod eo tempore iſto ſe commaculauit, quo iudicia diuina, quae in Sodomitis viderat, & in vxore expertus ipſe erat, ei vel maxime ante oculos verſari, & horrorem peccatorum incutere debebant. Accedebat, quod iterata vice in idem ſe induci peccatum paſſus ſit. Nec rectius excuſantur filiae eius. Error enim, in quo verſabantur, ac ſi omnes homines periiſſent, vincibilis erat. Haud neſciebant, ſupereſſe adhuc vicum Zoar. Ignorare non poterant, poenam Sodomitis, vrbiumque vicinarum incolis ob illorum peccata diuinitus inflictam, neutiquam pertinere ad omnes homines. Stulta itaque haec erat perſuaſio, qua inductae tam nefario ſe obſtrinxerunt crimine. Nec ignoraſſe eas, ſe non recte agere, vel inde etiam conſtat, quod cum patre inebriato concubuerint. Si enim ſciuiſſent, hoc, quod in animo habebant, non eſſe turpe, cur patri conſilii ſui rationem non aperuerunt? Sed res manifeſta eſt. Conf. NATALIS ALEXANDER, *hiſtor. eccleſ. veter. teſtam. aetat. mundi III. diſſertat. VII. p. 227. ſeqq.*

§. VII.

Mortua Sarah vxore,* Abrahamus ex Kethura equidem liberos ſuſcepit:** ſed heres vnicus, vt bonorum, ita cumprimis promiſſionum diuinarum permanſit Iſaacus; *** per quem & vera eccleſia in gente Eberi propagata fuit. Cum variis vero & huic calamitatibus dum confligendum fuit,* militantis eccleſiae exemplum praebuit. Vbique autem fidem conſtantiamque ſuam ſatis probauit.

* Annos nata CXXVII Sarah, Hebrone mortua eſt. Antiqua ea erat vrbs & celebris, condita ante Zoan, quae ſupponitur vrbs valde antiqua in Aegypto eſſe, *Num. XIII. 23.* Abrahamus, vt eam honeſte ſepeliret, & ita ſpem ſuam de mortuorum reſurrectione & vita aeterna teſtaretur, ſpeluncam agri Macpelae, primam in terra cananaea poſſeſſionem, ab Ephrone Hittaeo pretio adquiſiuit, *Geneſ. XXIII. 1. 2. 19. 20.* Vocem מכפלה nonnulli vertunt *ſpeluncam duplicatam:* nataque inde Iudaeorum fabula de quatuor patriarchis cum vxoribus, Adamo ſcilicet & Eua, Abrahamo & Sarah, Iſaaco & Rebecca, Iacobo & Lea, ibi ſepultis; qua de re legendus IO. HENR. HOTTINGERVS. *ſmegm. orient. p. 216. 217.* IO. LIGHTFOOTVS, *centur. chorograph. Matth.*

Digitized by Google

Matth. cap. XLIX. & MELCHIOR LEIDEKKERVS, de *republ. Ebraeor. lib. II. cap. VIII. p. 50.* Verum rectius dicitur, מכפלה eſſe nomen proprium tractus cuiusdam, qui arboribus etiam fuit conſitus, *Geneſ. XXIII. 17.* in quo fuit ſpelunca, quae ei ſepulchrum pro vxore praebuit. Hoc ordo verborum Moſis docet: *Et det mihi* את־מערת המכפלה *ſpeluncam Macpelae*, hoc eſt, quae in illo tractu eſt, cui nomen Macpelah, *quae eius eſt*, *quae eſt in extremitate agri ſui &c. Geneſ. XXIII. 9.* Dubium autem aliquod hic inde oritur, quod Abrahamus a Moſe dicatur ſpeluncam, ſeu agrum emiſſe ab Ephron filio Zoar; cum Stephanus contra *Actor. VII. 16.* innuat, quod eum emerit a filiis Emor Sichemidis. Ad quod diuerſa equidem ratione viri docti reſpondent, nonnullis etiam, ceu re deſperata, ad textus corruptionem ſe recipientibus; at rectiſſime omnium hinc ſe expediunt, qui Ephronem, a quo Moſes agrum emtum dicit, vnum ex filiis Hemor Sichemidae fuiſſe contendunt. Ita nulla inter ſcriptores ſacros pugna; cum filios Hemor memoret Stephanus, quorum vnum diſerte deſignet Moſes. Nec obſtat, quod Ephron filius Zoar dicatur; cum fieri potuerit, vt Hemor etiam Zoar dictus ſit, vel Zoar filius aut nepos Sichemi fuerit. Conf. MICHAEL WALTHERVS, *harm. bibl. p. 135.* AVG. PFEIFFERVS, *dub. vex. cent. I. loc. LIII. p. 137. ſeqq.*

** Sex ſcilicet filios, Zimran, Iakſan, Medan, Midian, Isbak & Suah, *Geneſ. XXV. 3. 4.* Varios hinc ortos Arabiae populos, praeſertim cum Iſmaëlitis coniugiis & adfinitate ſe iunxerint, dubitari nequit. Per eos etiam ritus, genitalia puerorum circumcidendi longe lateque propagari potuit, vti iam ſupra dictum. FL. IOSEPHVS auctor eſt, filios hosce, quos ex Kethura ſusceperat Abrahamus, in varias regiones deduxiſſe colonias: easque occupaſſe Troglodyticam regionem, magnam partem Arabiae felicis, quae ad mare rubrum pertinet; immo cum, qui *v. 4. Epher* vocatur, profectum eſſe cum exercitu in Lybiam, eam que occupaſſe, ac a ſe Africam denominaſſe; ϛρατεύσας ἐπὶ τὴν λιβύην κατέσχεν αὐτήν. Καὶ οἱ υἱωνοὶ αὐτȣ̃ κατοικήσαντες ἐν αὐτῇ τὴν γῆν ἀπὸ τȣ̃ ἐκείνȣ ὀνόματος, Ἄφρικαν προσηγόρευσαν, *expeditione in Lybiam ſuſcepta, eam tenuit, poſterique eius regionis incolae ab eius nomine Africam adpellauere.* Confirmat hoc teſtimonio CLEODEMI, ex ALEXANDRO polyhiſtore adlato, cuius hic eſt ſenſus: ex Chatura Abrahamo natos eſſe plures filios, interque eos Aphram, Surim, Iaphram; & a Suri quidem Aſſyrios eſſe vocatos, a duobus vero aliis Aphra & Iaphra vrbem Aphram & regionem Aphricam dictam; *antiquit. iudaic. lib. I. cap. XVI.* Quae etſi partim incerta, partim falſa ſint; demonſtrant tamen, quae Moſes de matrimonio cum Kethura, & liberis hinc procreatis, memorat, nec exteris ſcriptoribus incognita plane fuiſſe.

*** Eaedem itaque promiſſiones, quae Abrahamo factae, & Iſaaco a Deo

Deo repetitae ſunt, *Geneſ. XXVI. 3.* it. *24*

* Prima calamitas erat vxoris Rebeccae, quam poſt Sarae matris mortem, curante & proſpiciente patre, cum quadraginta annorum eſſet, *Gen. XXIV. 1. ſeqq.* duxerat, per vndeuiginti poſt nuptias annos ſterilitas, *Geneſ. XXV. 21.* Sic viſum diuinae ſapientiae fuit, eadem ratione Iſaaci fidem explorare, qua patris Abrahami explorauerat. Hinc fame ingruente, ad Abimelechum, Geraris regem, ſe contulit, prohibitus a Deo, ne in Aegyptum deſcenderet, de diuina protectione & benedictione certior redditus, *Geneſ. XXVI. 2. 3.* FL. IOSEPHVS Abimelechum hunc eumdem facit cum eo, apud quem peregrinatus fuerat Abrahamus; *antiquit. iudaic. lib. I. cap. XVIII.* Quod vix admitti poteſt. A tempore enim federis inter Abrahamum & Abimelechum initi, vsque ad aduentum Iſaaci ad Abimelechum, effluxere anni ſeptuaginta quinque. Nec in iis, quae inter Iſaacum & hunc Abimelechum geſta ſunt, vlla Abrahami mentio. Nec ex eo, quod & regi & exercitus duci idem nomen, eumdem adhuc & regem & exercitus ducem, quibuscum Abrahamus fedus pepigit, *Gen. XXI. 22.* fuiſſe, quibuscum idem fecit Iſaacus, colligere licet. Fieri enim potuit, & ſaepiſſime contingit, vt diuerſi reges in vno eodemque regno ſibi inuicem ſuccedentes, eodem inſigniantur nomine, quod & de ducibus illorum, ſeu miniſtris intelligendum. Interim Iſaacus Philiſtaeorum inſidias veritus, ad exemplum patris Abrahami, vxorem Rebeccam pro ſorore venditauit, Abimelecho mox rei veritatem edocto, cum Iſaacum *ludentem cum Rebecca*, hoc eſt, paullo familiarius liberiusque erga eam ſe gerentem, obſeruaſſet. Et Abimelechus quidem, cum eſſet vir honeſtus & probus, exinde ſecuritati Iſaaci ſatis proſpexit: hic vero cum opibus creſceret, Philiſtaeorum mox incurrit inuidiam, ipſius regis haud obſcure ab eo alienato animo, & diſceſſum, ob auctas nimis opes, ſuadente. In vallem itaque Geraris cum conceſſiſſet, ibi quoque Philiſtaeorum, ob puteos, aut reſtauratos aut effoſſos, cum eo contendentium, inimicitias expertus eſt. Sed in Berſeba cum commoraretur, Abimelech ipſe ad illum venit, amicitiae fedus cum illo initurus. *Gen. XXVI. 26. ſeqq.* Et ſane ipſa illa, quam patriarchae tenuerunt, vitae ratio, dum peregrini & hoſpites fuere in terra cananaea, taedii erat plena, multisque & magnis incommodis obnoxia. Vnde & apoſtolus inter fidei documenta illuſtria, quae Abrahamus edidit, & hoc refert, quod *ἐν σκηναῖς in tabernaculis* habitauerit, *μετὰ Ισαὰκ καὶ Ιακὼβ τῶν συγκληρονόμων τῆς ἐπαγγελίας τῆς αὐτῆς. Ebr. XI. 9.*

§. VIII.

Rebecca, quam in matrimonium Iſaacus duxerat, gemellos ei peperit, Eſauum atque Iacobum, quorum, cum adhuc in vtero mater-

materno exſiſterent, pugna, ipſaque natiuitas, vtriusque gentis, ab vtroque deſcenſurae, fata praeſignificauit. Fuitque hac de re diuino oraculo certior reddita Rebecca. * Viuente adhuc Abrahamo haec contigiſſe, temporum rationes docent. **

* Sterilitas Rebeccae cum ſollicitum haberet Iſaacum, precibus ad Deum ſe conuertit, quod eo maiori fiducia facere poterat, quod e diuinis promiſſionibus ei conſtaret, & poſteros ſuos valde eſſe multiplicandos, & mundi quoque ſeruatorem ex ſuo naſciturum ſemine. Preces itaque hasce benigne etiam exaudiuit Deus, factaque Rebecca eſt grauida. Eoque in ſtatu dum erat ויתרצצו הבנים בקרבה *collidebantur in vtero eius paruuli. Geneſ. XXV. 22.* Vehementius enim & ſupra conſuetum naturae ordinem dum commouebantur; non poterat illud ſine mutua quadam colliſione, & velut colluctatione fieri. Idque cum animaduerteret Rebecca, eiusque rei cauſſam ignoraret, perrexit לדרש את־יהוה *ad quaerendum Dominum;* quod pro iſtius temporis conditione vix aliter intelligi poteſt, quam quod aut prophetam quemdam conſuluerit, aut Deum ipſa precata ſit, vt per ſomnium vel alia ratione ſibi, quid hoc ſibi vellet, manifeſtaret. Alium enim modum rei cuiusdam euentum ſciſcitandi, ante legem fuiſſe, non conſtat. Hinc & interpretes, qui haud raro ea ſcire cupiunt, quae Deus non reuelauit, coniecturis ſuis alterutrum horum modorum, quo Numinis reſponſum expetierit, & obtinuerit, comprobarunt. THEODORETVS, *quaeſt. LXXVI. in Gen.* reiecta illorum ſententia, qui Melchiſedecum per eam conſultum putant, exiſtimat, eam ad altarium vnum a patriarchis exſtructorum, profectam, preces ibi ad Deum fudiſſe, & futura cognouiſſe. Aliis admodum veroſimile videtur, eam in locum aliquem ſecretum conceſſiſſe, & precibus ardentiſſimis ad Deum fuſis reſponſum accepiſſe, ſiue in ſomno, ſiue per vocem caelitus demiſſam, ſiue quacumque demum alia ratione. Qui prophetam quemdam ab ea conſultum putant, qua in re plures conueniunt, in eo rurſus diſſentiunt, quis ille propheta fuerit? Paraphraſtes Hieroſolymitanus, quem & alii ex Ebraeis ſequuntur, Semum fuiſſe, contendit, ſupponens, eum eumdem eſſe cum Melchiſedeco. Sed cum iuxta alios Semus iam mortuus fuerit, cum haec contingerent, id quidem admitti non poteſt; qui tamen non abnuunt, Melchiſedecum, diuerſum a Semo poſſe intelligi. Non alienus ab hac ſententia eſt IO. CLERICVS ad *h. l.* Alii rurſus Abrahamum, alii Heberum intelligere malunt. Priori ſententiae R. ABEN ESRA, poſteriori R. MOS. MAIMONIDES ſuffragatur. Quorſum vero haec omnia? Coniecturae enim ſunt, quarum cur vna praeferenda ſit alteri, ratio adferri ſolida nequit. Licet nobis ignorare, quo pacto reſponſum a Deo acceperit, cum id conſtet, quod acceperit. Recte AVGVSTINVS: *Quidquid horum eſt, & ſi*

quid aliud, quod me forte, ne commemorarem, praeterierit, mentiri tamen ſcriptura non poteſt, quae dixit, Rebeccam iuiſſe ad interrogandum Dominum, atque Dominum reſpondiſſe; quaeſt. LXXII. in Gen. Reſponſum autem Numinis ita ſe habebat: *duae gentes ſunt in vtero tuo, & duo populi de viſceribus tuis diuidentur: populus autem populo robuſtior, & maior ſeruiet minori.* Hoc euentu fuit comprobatum. Etſi enim Idumaeorum opes initio multo citius creuerint, & maiores, quam Iſraëlitarum per aliquot generationes fuerint, quin etiam reges ſuos habuerint, & in proprio ſolo habitarint, priusquam Iſraëlitae ex Aegypto egreſſi rempublicam conſtituerent; poſtea tamen ea inferiores Israëlitis fuerunt, ſubacti quippe a Dauide, *II. Sam. VIII. 14. I. Reg. XI. 15.* Frenumque cum deinde morderent Idumaei, Iſraëlitae ſubinde eos ad officium redire coëgerunt; *II. Reg. VIII. 21. XIV. 7.* Maccabaeorum in Idumaeos geſta exponit FL. IOSEPHVS, praeſertim *lib. XIII. antiquit. cap. XVII.*

** Fallitur FL. IOSEPHVS, cum, poſt mortem Abrahami Rebeccam concepiſſe, gemelloſque peperiſſe, auctor eſt; *antiquit. lib. I. cap. VIII.* Vixit enim poſt Iacobi & Eſaui natiuitatem annis adhuc quindecim, obiitque anno aetatis CLXXV, centeſimo poſt aduentum in Cananaeam, orbis autem conditi, iuxta calculum IAC. VSSERII, MM CLXXXIII, & a filiis, Iſmaële & Iſaaco, in ſpelunca Macpelae, cum Sara vxore ſua ſepultus eſt, *Geneſ. XXV. 7. 10.* Digna ſunt diuini ſcriptoris verba, quibus mortem viri ſanctiſſimi deſcribit, quae probe obſeruentur: *deficiens obiit in prouecta ſenectute, ſenexque & annorum ſatur ad populum ſuum adgregatus eſt.* Iis enim mortem placidam, beatam & exoptatam deſcribit. Nec inconcinne nonnulli obſeruant, animarum immortalitatem & ad beatorum ſedes translationem, formula iſta: *adgregari ad populum ſuum*, innui. Certe enim, cum Abrahamus in Palaeſtina & mortuus & ſepultus ſit, in loco a ſepulcris maiorum ſuorum procul remoto, de ſepultura corporis haecce phraſis intelligi nequit. Nihil itaque ſupereſt, quam vt de ſtatu animae hoc intelligamus, ſecundum quam Abrahamus ad populum ſuum, hoc eſt, ad coetum ſanctorum beatorumque hominum, adgregatus eſt. Scio, aliter hic ſentire doctiſſimum virum IO. CLERICVM, tum ad *Geneſ. XXV. 8.* tum ad *Geneſ. XV. 15.* Sed rationes eius a me, vt ſententiam mutem, non impetrant; conf. & MELCHIOR LEIDEKKERVS, de *republ. Ebraeor. lib. II. cap. VIII. p. 92.* Redargui autem hinc, aliiſque ex locis, facile poſſunt, qui, doctrinam de immortalitate animae fidelibus veteris teſtamenti ignotam fuiſſe, aut ad minimum ad religionis ſubſtantiam eo tempore non pertinuiſſe, contendunt. Vid. HVGO GROTIVS, ad *Matth. cap. X. 28.* Sed hac de re alibi.

§. IX.

§. IX.

Fratrum, Eſaui & Iacobi, diuerſa fuit indoles. * Ille ad ſaeculi huius ſtudia pronus, a patris atque aui pietate multum declinauit. Animi leuiſſimi, diuinarumque promiſſionum contemtoris, documentum dedit, dum primogeniturae ius fratri Iacobo vendidit. Hoc ipſo namque ſignificauit, carnis voluptatem pluris a ſe fieri, quam bonorum ſpiritualium, cum primogenitorum iure coniunctorum, poſſeſſionem. ** Sed patuit quoque Eſaui exemplo, coarctandam magis magisque veram eccleſiam ſeparatione improborum a piis, Deumque timentibus, itemque non ſtatim Deo gratos acceptosque eſſe, qui externa quadam inter homines ἐξοχῇ nituntur. ***

* Natiuitas vtriusque & Iacobi & Eſaui deſcribitur *Geneſ. XXV. 25.* Et de Eſauo quidem memorabile eſt, quod cum naſceretur, *fuerit rufus, & inſtar pallii villoſi*, כלו כאדרת שער, ferae inſtar, animum ferocem velut praeſignificante natura. Hinc cum adoleſceret, vitae genus indoli ſuae moribusque adcommodatum ſectatus eſt: *venator & vir agri.* Per agros itaque oberrans & feras conſectans, agreſtiores etiam mores contraxit, & ingenitam mentis ferociam multum auxit. Hoc enim illis, qui venationibus dediti ſunt, euenire ſolet: vnde &, hac ratione homines ad militiam praeparari quodammodo & aptos reddi, veteres cenſuerunt. Perſis venatio μελέτη τῶν πρὸς τὸν πόλεμον, *rerum bellicarum exercitatio*, eſſe videbatur, teſte XENOPHONTE, *lib. I. Cyropaed.* Et de Traiano PLINIVS: *olim haec experientia iuuentutis, haec voluptas erat; his artibus futuri duces imbuebantur: certare cum fugacibus feris curſu, cum audacibus robore, cum callidis aſtu; paneg. cap. CVI.* Venatorum hinc etiam vt plurimum a manſuetioribus ſtudiis, ipſaque pietate, alieni erant animi. Vnde, quod male in ſcriptura ſacra audiant, mirum non eſt. Longe alia erat indoles Iacobi. Erat enim איש תם *vir integer*, hoc eſt, *mitis*, vt nonnulli volunt, aut *manſuetus;* cum hic ea vox Eſaui aſperis ac agreſtibus moribus opponatur: nec abludit verſio germanica B. LVTHERI. Eadem fere etiam ratione vtriusque indolem exprimit PHILO Iudaeus, dum, Eſauum *ferum* fuiſſe, dicit, & *indomitum, ira & cupiditate plenum;* Iacobum autem ἥμερον καὶ φιλάνθρωπον, *manſuetum, & humanum, virtutis cultorem; lib. I. de praem. & poenis, p. 712.* conf. & 10. CLERICVS ad *h. l.* Dicitur autem porro de Iacobo, quod fuerit ישב אהלים *habitans in tabernaculis*, hoc eſt, multum in tabernaculis cum parentibus verſatus, excepto tempore, quo gregum paternorum cuſtos erat. Ebraei ad ſapientiae ſtudia hoc referunt, vnde Targum ONKELOSI hoc ita explicat, eum fuiſſe משמש בית

 אלפנא

אלפנא *miniſtrum domus doctrinae*, hoc eſt, frequentantem ſcholas, ſeu domos doctrinae, vt ſapientiam & Dei timorem diſceret. R. SAL. IARCHI tentoria Semi & Eberis frequentaſſe Iacobum exiſtimat, vt ſapientiam & notitiam rerum caeleſtium ab iis hauriret. Sed parum probabile eſt, vt recte IO. HENRICVS HEIDEGGERVS iudicat, Eberum grandaeuum hac aetate puerili inſtitutioni operam dediſſe, vel vna cum Abrahamo Euphratem transfretaſſe; in *hiſt. patriarch. part. II. exercit. XIII. §. III.* E verbis etiam Moſaicis eiusmodi quid non colligas, quippe quae nihil aliud ſignificant, quam Iacobum, vt miti ingenio fuit praeditus, ita tranquillum & ſedatum vitae genus, quale eorum eſt, qui in tentoriis ſeu tabernaculis multum verſantur, ſectatum. Interim non negamus, ſapientiae quoque ſtudio, pro iſtius temporis conditione, Iacobum incubuiſſe. Sed hac de re deinceps.

** Non disquiram, quale illud pulmentum fuerit, quod tantopere Eſauus expetierit; ſufficit enim, quod Moſi, diuino ſcriptori, illud a calore tantum deſcribere placuerit: *da mihi, vt comedam* מן־האדם האדם הזה *ex rufo rufo iſto, Geneſ. XXV. 30.* Tum repetitio vocis אדם tum verbum הלעיטני cupiditatem vehementiſſimam & feſtinationem cibo iſto potiundi, in Eſauo indicare videntur. Id potius conſiderare iuuat, quanti hicce cibus Eſauo conſtiterit, & quam graui peccato hocce facinore per ſummam animi leuitatem ſe obſtrinxerit. Pretium cibi tantopere expetiti erat בכורה *primogenitura*, hoc eſt, ius & ἐξοχή, quae primogenituram comitabatur. Iſtud autem ius ex conſuetudine iam tum recepta valde eximium erat, & ſingularem quamdam qua temporalia, qua ſpiritualia, praerogatiuam, ſingularemque parentum benedictionem complectebatur: quibus etiam nonnulli addunt ius ſacerdotii, quod proprium fuerit primogenitis, ea quidem ratione, vt parentis ſuperſtitis loco primogenitus ſacrificare potuerit; itemque, vt patre defuncto, nec dum ex eadem familia digreſſis fratribus, primogenitus ſolus ſacerdos fuerit; & denique vt fratribus in proprias familias transeuntibus, adeoque ſacerdotii ius adquirentibus, primogenitus tamen ceteris fratribus ſacerdotii dignitate anteiuerit. Non equidem deſunt, qui, ſacerdotii dignitatem inter primogenitorum praerogatiuas referendam, abnuunt; quos inter etiam eſt vir doctiſſimus CAMPEGIVS VITRINGA, qui hoc ex inſtituto agit *obſeruat. ſacr. lib. II. cap. II.* Sed idoneis eos minime niti rationibus, in ſequentibus euincemus, ad §. *XVIII.* huius *ſectionis.* Eſauum itaque ius illud primogeniturae inconſiderate nimis pro pulmento vendentem, grauiſſimo ſe obſtrinxiſſe crimine, dubitari nequit. Animum enim leuiſſimum, ingratiſſimum, diuinorum beneficiorum, terreſtrium pariter ac caeleſtium, contemtorem, aperte prodebat. Atque hoc ſatis etiam verba eius oſtendunt: *en ego vado, vt moriar*

ללמות

ולמה זה לי בכורה & *cui bono haec mihi primogenitura?* Addunt nonnulli intemperantiam eius & gulam, quae tanta fuit, vt res maximi momenti, ius ſacerdotii & adoptionis in hereditatem eccleſiae, poneret in minimis, modo cupitis potiretur. Impietatem hanc Eſaui etiam agnouerunt nonnulli ex ebraeae gentis doctoribus, ſpeciatim R. SAL. IARCHI. Thargum quoque Hieroſolymitanum diſerte: *Contemſit Eſau primogenituram* ואפם חולקה בעלמא דאתי *& flocci pendit partem futuri ſaeculi.* Addit adhuc: *negauitque reſurrectionem mortuorum.* Sed id ſine fundamento; cum ſcriptura ſacra nihil hac de re memoret. Cumprimis autem de impietate Eſaui, in hocce eius facinore vel maxime eluceſcente, teſtatur Paulus apoſtolus, *Ebr. XII. 16.* vbi eum βέβηλον *profanum* vocat, hoc eſt, impurum, pollutum, ideoque a rebus ſacris arcendum, aut, vt alii volunt, mundanum, carnalem, ventri adeo deditum, vt ſpiritualia non curet, ſed negligat, ac parui pendat. Diſſentiunt equidem inter ſe viri docti, quam ob cauſſam Eſauus apoſtolo βέβηλος audiat. Singularis plane eſt ſententia IOAN. SPENCERI, qui, apoſtolum ad idolothyta gentilium reſpicere, putat, vt ſenſus ſit: cauete, ne quis inter vos fornicator oriatur, aut ethnice profanus, qui vt Eſau ἀντὶ βρώσεως μιᾶς, propter eſcam aut diſcum vnum, in epulo ſcilicet idololatrico, iure caeleſtis hereditatis excidat; *diſſertat. in Actor. XV. 20.* quae *lib. II.* de *legibus Ebr. ritualibus*, ſubiuncta eſt, *cap. III. ſect. I. p. m. 724.* Quae etſi ſpeciem quamdam prae ſe ferant, & ingenii laudem auctori pariant; adcuratius tamen examen non ſuſtinent; vti a me iam oſtenſum in *diſſertat. de peccatis typicis*, *§. XXIV. p. 77.* Alii equidem alias cauſſas adferunt, cur Eſauus ab apoſtolo βέβηλος vocetur; ſed melior, ni fallor, adferri nequit, ea, quam ipſa Eſaui hiſtoria ſuppeditat. Ob venditum namque pro pulmento ius primogeniturae, ſpretumque ſacerdotium, & bona ſpiritualia cum iſto iure quodammodo connexa, iure meritoque βέβηλος vocari poterat. Hoc pluribus etiam praeter alios confirmat IOAN. BRAVNIVS, *comment.* ad *Ebr. XII. 16.* Sed occurrit nobis hic iterum PETRVS IVRIAEVS, peccatum hocce Eſaui valde extenuans, vt, illud ſaltem typicum fuiſſe, euincat. Eſauum βέβηλον *profanum* dici, quod fuerit typus hominum profanorum; quemadmodum ſacrificia veteris teſtamenti dicantur *propitiatoria*, non, quod per ſe vim propitiandi, placandique iram Numinis habuerint, ſed quod typi eſſent magni iſtius ſacrificii propitiatorii, quod pro nobis ſemel obtulit Chriſtus. Nec aliud quid in animo habuiſſe Eſauum, cum primogenituram ſuam venderet, quam quod ore profeſſus eſt, moriendum ſibi eſſe, quid ſibi tum prodeſſet primogenitura? Qui eius ſermo etſi ineptus ac ridiculus fuerit, dum ſibi perſuaſiſſe videatur, ac ſi cito moriturus eſſet; nihil tamen pro-

Digitized by Google

profani in eodem deprehendi. De iure ſacerdotii forte tum ne cogitaſſe quidem Eſauum. Haec aliaque pro Eſauo IVRIAEVS. Peccatum Eſaui typicum voce βέβηλος deſignari, exiſtimat etiam SEB. SCHMIDIVS. Vocem enim βέβηλος cum de religionis contemtu expoſuiſſet; ea peccatum in ſpiritum ſanctum deſignari, contendit, quo quis contra conſcientiam fidem veram atque religionem contemnit, repudiat, perſequitur atque blaſphemat. Cumque de Eſauo, quod in ſpiritum ſanctum peccauerit, adfirmari nequeat; non de ipſo, ſed de illis, quorum typus fuerit, hoc intellectum cupit; *commentar.* ad *Ebr. XII. 16.* Verum, ſi vel maxime concedatur, in facinore hocce Eſaui fuiſſe τυπικόν τι, qua de re nunc non diſquiram; non minus tamen ipſi, quam iis, quorum typus fuiſſe perhibetur, βεβηλότητος notio conuenire debet; immo de Eſauo praecipue, quod apoſtolus dicit, intelligendum eſt; cum ſubiuncta ratio prorſus ad illum pertineat: *qui pro cibo vno vendidit primogenituram ſuam.* Nec rationes a IVRIAEO adlatae id, quod cupit, euincunt. Errat etiam magnopere, cum Eſauum non alia ratione βέβηλον vocari putat, quam qua ſacrificia quaedam veteris teſtamenti dicta ſint propitiatoria. Etenim cum ſacrificia illa propitiatoria per ſe nullam vim propitiandi placandique Numen habuerint; ſequitur, & peccata typica, ſpeciatim iſtud Eſaui, reuera non eſſe peccata, quod abſonum eſt. Nec ſermo ille Eſaui: *En ego vado, vt moriar, & cui bono haec mihi primogenitura?* ineptus ſaltem ac ridiculus, vt viro docto videtur, ſed omnino profanus eſt ac impius. Indicat enim aperte, de futura vita ſe parum ſollicitum, promiſſiones benedictionesque diuinas in minimis ponere, nec alienum eſſe ab illorum moribus, quorum ſymbolum eſt: *edamus & bibamus, cras enim morituri ſumus.* Mitto reliqua, quae ſatis iam diſcuſſa ſunt, in diſſertatione antea citata, de *peccatis typicis, §. XVII. ſeqq.*

** Immo Paulus apoſtolus quoque Iacobi & Eſaui exemplo oſtendit *Rom. IX. 10. ſeqq.* ſi homines quidam, qui ceteroquin prae aliis ἐξοχήν quamdam habeant, illis rurſus poſtponantur, id non illorum meritis, ſed vnice diuinae gratiae tribuendum. Quod neutiquam eo extendendum, ac ſi ex abſoluto quodam decreto electus ad vitam aeternam Iacobus, & Eſauus hinc excluſus ſit. A mente enim apoſtoli hoc prorſus alienum eſſe, alibi oſtenditur.

§. X.

Et reuera quoque Iacobus cum primogeniturae iure promiſſionum diuinarum, quibus patriarcharum maxima felicitas abſoluebatur, factus eſt particeps. Et licet alia mens Iſaaco patri eſſet, qui, benedictionem filiis imperiturus, Eſauum praeferre Iacobo ſecum conſtituerat; Rebecca tamen, cuncta ita diſpenſante prouida Numi-

Numinis cura, Iacobum in Eſaui locum ſubſtituens, effecit, vt ille benedictionem ſibi debitam, nec a patre, licet rem omnem deinceps edocto, reuocandam, acciperet.*

* Primo de ipſo Iſaaco hic quaeri poſſet: quo iure Eſauum praeferre Iacobo ſecum conſtituerit? Nec enim credibile, diuinum oraculum, quo Iacobum Eſauo praeferendum Rebecca edocta fuit, illum latuiſſe. Quod ſi ergo ſciuit, num ſine peccato diuinae reluctari voluntati potuit? Sed, ſi ponamus, quod etiam non abnuerim, oraculi huius conſcium fuiſſe Iſaacum, fieri tamen potuit, vt eius ſenſum non recte teneret, crederetue, euentum ei reſponſurum, etſi vel maxime in benedictione impertienda Eſauum Iacobo praeponeret. Forte ex humana etiam imbecillitate eius non ſatis memor fuit, accedente cumprimis adfectu naturali, per quem fortiori propenſione ad Eſauum inclinabat, quam ad Iacobum. Naeuorum omnium patriarchas expertes fuiſſe, non credimus. Fieri itaque potuit, vt Iſaacus quoque hic humani quid pateretur. Rebecca ad oraculi ſenſum attentior, in Iacobum quoque naturali adfectu pronior, adcuratiori ſtudio eidem morem geſſit, Iacobo matris haud difficulter obtemperante conſiliis: quamquam nec id ſine labe. Ipſum conſilium, Iacobo impetrandi benedictionem paternam datum, culpari nequit. Modus vitio non caret. Sunt equidem antiquorum pariter ac recentiorum diuerſae hac de re ſententiae. Nonnulli, ideo Rebeccae atque Iacobi mendacia non eſſe vituperanda, putant, quod non proceſſerint e ſtudio nocendi, ſed maximum potius bonum promouendi. Tribuitur haec ſententia ORIGENI, HIERONYMO, CHRYSOSTOMO, aliisque. Adſtipulantur eidem plurimi ex doctoribus ſcholaſticis. Repugnant autem, qui, omne mendacium in ſe & ſua natura illicitum eſſe, contendunt: qui AVGVSTINVM maxime auctorem ſequuntur, in *libro de mendacio ad Conſentium*, qui & ſpeciatim tum *ibidem cap. II.* tum in *epiſt. ad Hieronymum* hocce Rebeccae & Iacobi facinus ex hocce capite defendi poſſe, abnuit. Alii aequiuocationum reſeruationumque, quas vocant, mentalium, egregium hic ſibi inueniſſe exemplum viſi ſunt: & cum Iacobus dixit: *Ego ſum primogenitus tuus Eſau*, perinde hoc eſſe, putant, ac ſi dixiſſet: *primogeniti tui Eſaui vices ſuſtineo, & loco ipſius ſum; feci, ſicut praecepiſti mihi, nempe in perſona Eſaui, quam refero &c.* His iam ex Ebraeis quidam exemplum praeiuerunt; vt patet ex iis, quae R. SAL. IARCHI atque ABEN ESRA ad *h. l.* commentantur. Nihil vero aliud agunt iſti, quam vt impudentiam ſuam pariter ac imperitiam prodant, gloriam inuentarum fallendi artium ſibi ipſi aut ſuis maioribus praeripientes, dum, earum Iacobum iam haud rudem fuiſſe, exiſtimant. Alii rurſus ad typos & allegorias ſe recipiunt, vt Iacobi hocce atque Rebeccae facinus excuſent.

Digitized by Google

Huc AVGVSTINI redire videtur ſententia, qui in *libro de mendacio ad Conſentium*, *cap. X.* hac de re ita pronuntiat: *Quod Iacob matre fecit auctore, vt patrem fallere videretur, non mendacium eſt, ſed myſterium, cognitioneſque & actiones hae fuerunt propheticae, ad ea, quae vera ſunt, intelligendum referendae.* Eamdemque calculo ſuo adprobat NATALIS ALEXANDER, etſi in ſenſu litterali ſpectatum hocce facinus, crimine non carere, non diffiteatur. Mentem ſuam ita exprimit: *Si litterali ſcripturae ſenſui inhaereamus, Iacob a mendacio vix & nullo modo excuſari poteſt. At ſi ſenſus figuratus attendatur, & grauiſſimorum patrum auctoritati hac in quaeſtione cedendum ſit, magisque communi ſacrorum interpretum & theologorum ſententiae, aſſerendum eſt, Iacob paternam benedictionem accepiſſe absque fraude & mendacio; hiſtor. eccleſ. vet. teſtam. aetat. III. diſſert. IX. pag. 237.* Sed iſtud quidem eiusmodi adſertum eſt, quod ſecum pugnare videtur. Si enim ſecundum ſenſum litteralem Iacobus peccauit, a peccato abſolui nequit. Et prius quidem recte variis rationibus comprobauit ALEXANDER. Quod autem ad poſterius attinet, ſenſus figuratus, ſi modo is admittendus ſit, proprium euertere nequit. Praeterea de ipſo facto Iacobi non ſecundum ſenſum figuratum, ſed ſecundum ſenſum proprium iudicandum. Fruſtra denique dicitur, quidquid hic de ſenſu figurato dicitur. Auctoritas patrum, & communis conſenſus ſacrorum interpretum atque theologorum, rationibus iuſtis & euidentibus merito poſtponitur. Nihil itaque aliud ſupereſt, quam vt tandem concludamus, Rebeccae hocce atque Iacobi factum excuſari prorſus non poſſe. Mentitus eſt, dum patri interroganti, *quis es tu fili mi?* reſpondit: *ego ſum primogenitus tuus, Eſau;* item, dum dixit: *ego feci, ſicut praecepiſti mihi*, cum tamen nihil illi pater praeceperat; item, cum dixit: *comede de venatione mea.* Immo tota illa ſcena ad fallendum Iſaacum fuit comparata. Non omnes quidem fictiones, ſimulationes & diſſimulationes ſunt illicitae; quod pluribus comprobatum, *inſtit. theol. mor. part. II. cap. III. ſect. V.* ad *§. IX.* At iſta Iacobi fictio vel hoc nomine illicita erat, quod ad benedictionem Eſauo praeripiendam ſpectabat, adeoque in eius cedebat damnum. Nec obſtat, quod ſciuerit, eam ſibi iam a Deo deſtinatam. Exſpectare enim a Deo tempus & modum debuiſſet, quo ipſemet deſtinata exſequi voluiſſet. Diuino etiam oraculo ſua conſtitiſſet veritas, ſi vel maxime Iſaacus contra voluntatem Numinis benedictionem primariam Eſauo impertiuiſſet. Interim non nego, diuinam hic interceſſiſſe prouidentiam & directionem, eaque factum, vt ad oraculi diuini complementum vergerent, quae non malo equidem conſilio ſuſcepta, vitio, ſi modum ſpectes, non carebant. Diuinam iſtam vel inde cognoſcas directionem, quod Iſaacus fraudem Iacobi

cobi

Digitized by Google

cobi edoctus, neutiquam benedictionem retractauerit, quod, ſi voluiſſet, ei ceteroquin facere licuiſſet; cum iis, quae per errorem geſta ſunt, nemo teneatur. Sed tantum abeſt, vt retractauerit, vt confirmauerit potius, ſiue mentem linguamque ita direxerit diuinus ſpiritus, ſiue vim oraculi diuini, quod penſi non habuerat hactenus, paullo adcuratius ſecum expenderit, animaduerteritque, diuinae ſibi neutiquam reluctandum eſſe voluntati, ſiue vtrumque ſimul acciderit.

Iam ſi ipſam benedictionem vtrique impertitam ſpectes, quae Iacobo adprecatus eſt, tam eximia erant, vt nihil amplius addi poſſet. Precatus enim Deum eſt, *vt illi daret de rore caeli, de pinguedinibus terrae, & abundantiam frumenti & vini noui;* quo ipſo rerum omnium, quae ad hancce vitam iucunde & beate tranſigendam pertinent, copia & adfluentia ſignificatur. Euentuque hoc comprobatum fuit, poſteris Iacobi in terra collocatis, quae melle & lacte abundaret, cuiusque fertilitatem felicitatemque paſſim ſcriptura ſacra praedicat. Non deſunt equidem homines profani, qui vt quaeuis ſcripturae adſerta in dubium vocant; ita nec illud, quod de praeſtantia & fertilitate terrae cananaeae dicitur, admittunt, ſed hinc inde, quae, ſecus ſe rem habuiſſe, euincant, conquirunt; quos inter IO. TOLANDVS agmen ducit, in *originib. iud. §. X. p. 139. 140.* Sed, quam turpiter errent, in ſequentibus demonſtrabimus ex inſtituto. Interim, cum benedictio haec fuerit prophetica, in quibus ſub bonorum temporalium ſchemate caeleſtia & ſpiritualia proponi ſolent; nullus dubito, quin & hic ad ſublimiora ſimul reſpiciatur, & copia illa benedictionum ſpiritualium, qua Iſraëlem, tum eum, qui eſt ſecundum carnem, tum maxime eum, qui eſt ſecundum ſpiritum, Deus cumulauit, indicetur; idque vel ideo, quod ex Iacobi poſteris ille fuit, qui de ſe ipſe dixit: *veni, vt vitam haberent,* καὶ περισσὸν *& abundantiam; Io. X. 11.* De altera benedictionis Iacobo impertitae parte, pariter cenſendum. Dicit Iſaacus: *Seruiant tibi populi, & incuruent ſe tibi nationes: eſto dominus fratribus tuis, incuruentque ſe tibi filii matris tuae.* Verum quidem eſt, Iacobi poſteros a tempore Dauidis, vicinis gentibus imperitaſſe. Idumaeos quoque iis ſubinde paruiſſe, iam ſupra ad *§. VIII.* obſeruauimus. Auguſtius tamen quid verba patriarchae indicant, & vim ſuam tum demum plene exſerunt, ſi de Chriſto cogitemus, ex ſemine Iacobi oriundo, cui gentes omnes, finesque terrae, Deus in hereditatem dedit, *Pſal. I. 8.* cuius regni non erit finis, *Luc. I. 33.* in cuius nomine ſe incuruare & genua flectere debet, quidquid eſt caeleſtium, & terreſtrium, & ſubterraneorum, *Phil. II. 10.* Quod ad Eſauum attinet, cum querelis, lacrimis, eiulatu, patris animum iam ceteroquin ſatis perturbatum, magis commouiſſet, nec vt benedictionem Iacobo impertitam retractaret, obti-

 nuiſſet,

nuiſſet; tandem vt & ſibi benediceret, impetrauit. Hinc Iſaacus dixit: *Ecce! in pinguedinibus terrae erit habitatio tua, & de rore caeli deſuper, & gladio tuo viues, & fratri tuo ſeruies, cum autem incipies dominari, franges iugum eius a collo tuo, Gen. XXVII. 30. 40.* Primum huius benedictionis caput ſi ſpectes, Eſauo eadem promittere videtur, quae Iacobo promiſit, nec diſcrimen inter vtriusque benedictionem intercedere. Hinc nonnulli verba ebraea aliter vertunt, vt ſenſus plane contrarius inde reſultet, hunc in modum: *a pinguedine quidem terrae (remota erit) ſedes tua, neque rore caeli ex alto foecundabitur.* Ita IOAN. CLERICVS; qui ea in re iam praeeuntem ſibi habuit SEBASTIANVM CASTALIONEM. Verum cum aliis dura nimis & coacta haec videatur interpretatio; diſcrimen nihiloſecius ingens inter Eſaui & Iacobi benedictionem intercedere putant, etſi vel maxime prior expoſitio, quae & HIERONYMI eſt, retineatur. Comparate namque benedictionem Eſauo impertitam intelligendam eſſe, vt ſenſus ſit: *Equidem & tua habitatio erit in pinguedinibus terrae,* continget & tibi, poſteriſque tuis, terra haudquaquam ſterilis, nec deerunt, quae ad huius vitae felicitatem pertinent: ſed fratris tui, eiusque poſterorum, in his omnibus melior erit conditio. Confirmari videtur haec interpretatio ex eo, quod ſequitur: *& gladio tuo viues.* Indicatur nimirum, Idumaeos latrociniis quaeſituros opes, quod & poſtea fecerunt, teſte IOSEPHO, *lib. IV. de bello iud. cap. XV.* Et ita ſermo Iſaaci optime cohaeret: *erit equidem & tua habitatio in pinguedinibus terrae, & de rore caeli deſuper dabitur tibi:* ſed cum poſteri tui terram felicitate Cananaea multum inferiorem poſſeſſuri ſint; ad bella & latrocinia ſe conuertent, vt inde opes adquirant. Addunt nonnulli, diſcrimen inter benedictionem Iacobi & Eſaui, in eo quoque conſtituendum, quod in illa ad ſpiritualia ſimul bona, ſpeciatim ad ſemen benedictum, ex Iacobi poſteris naſciturum, reſpiciatur; cum in hac terreſtrium tantum habeatur ratio. Conf. B. IOAN. GERHARDVS ad *h. l. p. 534.* Addit denique Iſaacus: *& fratri tuo ſeruies,* quo ipſo confirmat, quod antea Iacobo praedixerat: *cum autem incipies dominari, franges iugum eius a collo tuo:* hoc nonnulli ita capiunt, ac ſi non tantum iugi excuſſio, ſed imperium etiam in Iſraëlitas his verbis ſignificetur. Hinc de euentu huius vaticinii ſolliciti ſunt, tandemque in eam ingrediuntur ſententiam, impletum illud fuiſſe, cum ſumma rerum apud Iudaeos ad gentem Herodum tranſiit, quos origine Idumaeos fuiſſe, conſtet. Non tamen videtur hic verborum Iſaaci ſenſus eſſe: ſed tantum, quod Idumaei, excuſſo ſeruitutis iugo, ſui iuris futuri ſint. Nec enim dicitur, Eſauum fratri imperaturum, aut Iacobum fratri ſeruiturum, ſed tantum: כאשר תריד *cum dominaberis,* ſeu cum tui iuris eſſe inceperis, *franges iugum eius a collo tuo.* Hunc

Hunc in modum & vulgatus interpres ſenſum iſtorum verborum ita exprimit: *tempus veniet, cum excutias & ſoluas iugum eius de ceruicibus tuis.* Conſentiunt LXX interpretes, Targum ONKELOSI, aliique. Vaticinio huic etiam reſpondit euentus. A Dauide enim licet ſubacti Idumaei, non ſemper tamen paruerunt Iudaeis. Namque iam ſub Salomone iugum quatere coepere, *I. Reg. XI. 14.* etſi tum nondum illud excuſſiſſe videantur; quae eſt ſententia FL. IOSEPHI, *antiquit. iudaic. lib. VIII. cap. II.* Poſtea vero ſub Ioramo plane illud excuſſerunt, regemque ſibi conſtituerunt, *II. Reg. VIII. 20.* & *II. Paralip. XXI. 8.* Videnturque deinde per aliquot ſaecula ſuae gentis regibus paruiſſe, donec ab Hyrcano ſubacti, iudaicae gentis ſacra ſuſciperent; vid. IOSEPHVS, *antiquitat. iudaic. lib. XIII. cap. XVII.*

§. XI.

Iacobus, vir fide, pietate, ſapientia ſingulari praeditus, vt fratris iram euitaret, conſilio matris ad auunculum ſuum Labanem ſe recepit. * In itinere memorabili ſomnio de Numinis in ſe voluntate, & cura, ſimulque de ſalute per Meſſiam conſequenda, certior redditus, ** felicibus auſpiciis ad Labanem peruenit. Apud quem cum fidem ſummam & integritatem in ſeruitio eius comprobaſſet; duas eius filias in matrimonium accepit, hoc velut laboris referens praemium. Nec deinde ſeruire pro certa mercede Labani deſiit: qui cum, ſtimulante inuidia, Iacobum quoque opibus creſcere aegre ferret, ac eo tandem diſceſſit, ex Meſopotamia in terram Canaan reuerſurus. ***

* Contigit id anno aetatis Iacobi LXXVII; quod rationibus luculentis comprobari poteſt; quas in compendio legere licet apud MELCHIOREM LEIDEKKERVM, de *republ. Ebraeor. lib. II. cap. XI. p. 101.* Reſpondet annus ab orbe condito MM CCXLV. Vid. IAC. VSSERIVS, in *annalib. p. 7.*

** Praeter eam, quam indicauimus, ſuſcepti conſilio matris itineris cauſſam, vt fratris ſcilicet iram euitaret, alia etiam acceſſit, quod parentum ſuaſu inter filias Labanis coniugem quaereret, *Geneſ. XXVII. 41. ſeqq. XXVIII. 1. 2. 3.* In itinere conſtituto memorabile illud ſomnium oblatum eſt. Scalam nempe vidit, quae ad caelum pertingeret, deſcendentibus & adſcendentibus in ea angelis: ſimul in eius faſtigio Dominum conſpexit, promiſſionibus pulcherrimis animum eius erigentem. Cum vero dubitari nequeat, quin ſcala iſta alicuius rei fuerit ſymbolum, nec id a diuino ſcriptore expreſſum ſit; variis hominum coniecturis & opinionibus ſuppeditata fuit occaſio. Plerique Ebraeorum, vt ex *Pirke* ELIESERIS, *cap. XXXV.* conſtat, ortum atque occaſum quatuor monarchiarum hacce ſcala adumbratum fuiſſe,

iſſe, putant. Scilicet hac de re ſollicitus erat Iacobus, vt per ſomnium de ea a Deo eſſet erudiendus. R. LEVI BEN GERSON ad philoſophicas & ſublimes adſurgit meditationes, per *ſcalam iſtam vnitatem eſſentiarum, ita, vt vna quaſi connexa ſit alteri, & omnia ſint quaſi vnum quid*, ſignificari contendens. Hinc, quod ſcala iſta conſtituta dicatur in terra, eo putat innui generationem & corruptionem, quae principium ſit omnis cognitionis & contemplationis: quod autem caput eius in caelum pertigiſſe dicitur, eo doceri, quod res inferiores influxu ſuperiorum ſuſtententur, & ſic porro. Anxium ſcilicet & ſollicitum Iacobi animum metaphyſicis ſpeculationibus erigi atque confirmari potuiſſe, homo ineptus ſibi perſuaſit. Quam autem vellem, vt ſoli Iudaei hic deſiperent! Sed non meliora ſunt ORIGENIS commenta, qui ad *μετεμψύχωσιν*, ſeu migrationem animae ex corpore in aliud corpus, ſcalam hancce refert; apud HIERONYMVM, *epiſt. CLXI.* R. ISAAC ABARBANEL, apud quem & reliquae Ebraeorum ſententiae legi poſſunt, *comment.* ad *h. l.* templum Hieroſolymitanum ſub hocce ſchemate ſibi inueniſſe viſus eſt. Et licet ſpecie quadam non deſtituantur, quae hac de re diſſerit; lubrico tamen fundamento, immo ridiculo errore, & ei cum aliis Ebraeis communi, cuncta innituntur, quod locus, in quo tum dormiuit Iacob, fuerit mons Moriah. Propius ad rem accedunt, ſed eam nondum acu tangunt, qui diuinam prouidentiam ſcala iſta adumbratam volunt; in qua ſententia ex Iudaeis ABEN ESRA, ex chriſtianis THEODORETVS verſatur. Haud inepte namque huc cuncta adplicari poſſunt, quod diuina prouidentia e caelo ad terram pertingat, & terreſtria quoque cuncta ſapienter dirigat, & diſpenſet, quod in ea angelorum quoque ſubinde intercedat miniſterium, & denique, quod varii ſint diuinae prouidentiae modi, vt diuerſi ſcalae Iacobaeae gradus. Accedit, quod ipſius Iacobi vel maxime intererat, de prouidentia iſta Numinis certiorem reddi, quorſum & ipſae promiſſiones diuinae haud obſcure tendunt. Verum, etſi omnino huc quoque viſio illa Iacobo in ſomno oblata comparata fuerit; ſcala tamen ſublimius quid, nempe Meſſiam, ceu fundamentum omnis ſalutis & prouidentiae iſtius ſpecialis, quae circa fideles verſatur, denotat. Atque hoc vel ex ipſa Dei promiſſione, Iacobo in eodem ſomnio facta, patet; quippe in qua primo praecipuoque loco ponuntur promiſſiones iam Abrahamo factae, & nunc Iacobo repetitae, quarum praecipua eſt illa de ſemine benedicto; vnde & ſpeciatim additur: *in te & ſemine tuo omnes benedicentur terrarum gentes.* Tum vero ſubiungitur promiſſio de prouidentia Dei ſpeciali, qua Deus eum cuſtoditurus, & eum ſaluum incolumemque ad patrios lares reducturus ſit. Atque haec quidem etiam ad conuincendos Iudaeos ſufficere poterant. Chriſtianis enim hac de re dubitare nefas, ob ipſam Chriſti ſeruatoris

ris interpretationem, *Ioan. I. 51.* Quo pacto autem ſingula commode ad Chriſtum adplicari queant, iam ab aliis oſtenſum. Conf. ABRAHAMVS CALOVIVS, ad *Ioan. I. 51.* item AVGVSTVS PFEIFFERVS, *dub. vexat. cent I. loc. LVII.* & IO. MICHAEL LANGIVS, peculiari diſſertatione, aliique. Experrectus ex ſomno exclamauit Iacobus; *Vere eſt Iehouah in loco iſto: ego vero non noueram!* Vix videtur veroſimile, Iacobum ignoraſſe, Deum vbique eſſe, & vbique eſſe inuocandum. Hoc itaque ſibi velle videtur, ſe non cogitaſſe, Deum ſe iſthoc in loco ſpecialiori quadam ratione ſibi manifeſtaturum. Non equidem, ac ſi ignorauerit, Deum ſe vbique manifeſtare poſſe, ſed quod ſibi non perſuaſerit, eo in loco Deum hoc facturum. Poſſent haec verba ita capi, vt ſaltem Iacobus iis indicaret, aliquid praeter opinionem ſibi accidiſſe, niſi ſequentia obſtarent: *Quam terribilis eſt locus iſte! Non eſt locus iſte aliud, quam domus Dei, & iſte porta caeli eſt.* Haud obſcure enim inde colligitur, quod ipſi loco ſanctitatem quamdam ſingularem tribuerit; non aliam ob cauſſam, quam quod forte crediderit, Deum ibi quandoque praeſentiam ſuam ſpecialiori quadam ratione manifeſtare. Iudaeorum enim, ad templum aliquando ibi aedificandum reſpici contendentium, commenta, nos non morantur; cum omnia lubrico fundamento, eoque antea iam exploſo, innitantur, contigiſſe hoc in monte Moriah. Neque ſatis Iacobo fuit, ſumma animi deuotione iſtam Numinis patefactionem venerari, ſed etiam externum aliquod ſuae pietatis exſtare voluit monumentum. *Tulit* enim *lapidem, quem poſuerat ſub capite ſuo, & poſuit eum in titulum, & effudit oleum ſupra ſummitatem eius.* Vbi quidem nonnulli obſeruant, morem conſecrandorum lapidum, eosque oleo inungendorum, fuiſſe apud gentes orientales antiquiſſimum, a quibus ad Graecos atque Romanos tranſierit. Confirmari hoc poſſe, putant, ex eo, quod de Vſoo, antiquiſſimo Tyriae orae incola, refert SANCHVNIATON, conſecraſſe eum duos cippos igni & vento, eosque adoraſſe, & ſanguine ferarum, quas ceperat, libaſſe; apud EVSEBIVM, *praep. euang. lib. I. cap. X. p. m. 35.* De Graecis quoque CLEMENS Alexandrinus, πάντα λίθον, τὸ δὴ λεγόμενον, λιπαρὸν ἐπϱοσκύνουν, *omnem lapidem pinguem, vt dicitur, adorabant; ſtrom. lib. VII. p. 713.* Atque hinc porro colligunt, Iacobum hoc ex conſuetudine apud gentes orientales iam tum recepta feciſſe. Ita quidem vir clariſſimus IO. CLERICVS, ad *Geneſ. XXVIII.* qui praeeuntem hac in re ſibi habuit HVGONEM GROTIVM. Aliis autem veroſimilius videtur, ex hocce ipſo Iacobi facto, morem conſecrandi vngendique lapides ad gentes alias dimanaſſe. Certe ex teſtimoniis antea adlatis non liquet, iam ante Iacobi aetatem hunc morem apud orientis gentes receptum fuiſſe. Immo a Iacobo eum ad alios profluxiſſe, inde conſtare videtur, quod Phoenices lapides eiusmodi vnctione numini conſecratos, βαιτύλια vocauerint;

uerint; rei huius memoriam aperte conſeruantes; cum a loco, cui deinceps Bethelis nomen fuit, & vbi Iacobus lapidem huncce vnxit, βαιτύλια dicta, manifeſtum ſit. Teſtis huius rei eſt SANCHVNIATON, apud EVSEBIVM, *l. c.* ἐπενόησε Θεὸς οὐρανὸς βαιτύλια· λίθους ἐμψύχους μηχανησάμενος; *inuenit Deus Vranus baetulia, lapidibus animatis factis.* Quid autem lapides animati? Recte, ni fallor, conicctat SAM. BOCHARTVS, ſcriptum a SANCHVNIATONE fuiſſe אבנים נשפים *lapides vnctos*, vnde in vltima voce per litterarum quarumdam transpoſitionem factum ſit, נפשים, hinc PHILONEM BYBLIVM tranſtuliſſe: ἐμψύχους; *Phaleg. lib. II. cap. II.* Baetuliorum etiam DAMASCIVS meminit in *vita Iſidori*, apud PHOTIVM, *cod. CCXLII.* Nec hoc noſtrae ſententiae obſtat, quod credibilius ſit, Iacobum morem gentium ſequutum, quam gentes ampliſſimas exemplum vnius viri. Non enim dicimus, ſtatim gentes hoc exemplum imitatas: ſed fieri potuit, vt initio nonnulli, apud quos Iacobi quaedam fuit veneratio, iſtud imitarentur, per quos facile ad alios hoc propagari potuit; quemadmodum & alias ſuperſtitio ſubito incrementa ſumit. Interim non adſerimus, Iacobum omnium primum fuiſſe, qui eiusmodi quid fecerit; aut quod non ſimile quid apud alios homines ſanctos viderit; licet lapidis ab eo erecti & vncti tanta cumprimis celebritas eſſe potuerit, vt alios ad imitationem induceret. Ad minimum illi notum erat, externis actibus, aut ſymbolis, homines pios ſuam erga Deum ſubinde teſtatos venerationem, aut etiam res certas Nomini conſecraſſe. Namque quo fine lapidem oleo perfuderit, itidem non plane conſtat: num, vt loco ſacrificii haec effuſio eſſet, cui ceteroquin eo in loco non aliud quid ſuppetebat; an, quod veroſimilius, vt lapidem illum ve'ut inſtrumentum futurum diuini cultus conſecraret. Oleum autem haud dubio ex domo paterna in varios vſus, more gentium orientalium, ſecum ſumſerat, vt non neceſſe ſit, cum Ebraeorum doctoribus fingere, hoc e caelo delapſum eſſe. Loco, vbi haec contigerunt, Bethelis nomen inde a Iacobo impoſitum; quod & deinceps inualuit, cum antea Luza vocaretur. Quamquam nonnulli dubitent, an iam eo tempore vrbs aliqua ibi fuerit; cum, ſi fuiſſet, ratio non adpareat, cur in ea potius, quam extra eam pernoctauerit Iacobus. Sed cauſſas etiam certas habere potuit, cur eam vrbem non ingrederetur, & non procul ab ea pernoctaret; vnde factum, vt proprie quidem locus, in quo ſomnium hoc Iacobo obtigit, hinc vero ob vicinitatem etiam ipſa vrbs Luza Bethelis nomine veniret. Quod ſi obſeruetur, ratio reddi poteſt, cur aliquando a Bethele diſtingui videatur Luza vel Bethel-Luza, aliquando vnus idemque locus cenſeatur. Conſtat ceteroquin, Bethel fuiſſe in tribu Beniamin ad Hieroſolymae ortum, haud procul a finibus Ephraim. Celebritatem etiam hicce locus inde con-

conſequutus eſt, quod Ierobeamus, vt Iſraëlitas a templo Hieroſolymitano auerteret, alterum vitulorum aureorum in eo collocauerit; haud dubio, quod ob memoriam eius, quod Iacobo hic contigerat, multi iam ceteroquin veneratione quadam, vt fieri ſolet, eumdem proſequerentur. Sed hoc *ὡς ἐν παρόδῳ*. Tandem & votum Iacobus addidit, quo, ſi ſaluus incolumisque reuerteretur, vouebat primo quidem lapidem illum, quem erexerat & conſecrauerat, fore בית־אל *domum Dei*, non ac ſi lapis ille futurus eſſet domus Dei, aut ac ſi ex eo templum eſſet exſtructurus, ſed quod locum, in quo lapis ille poſitus erat, precibus ſacrisque rite faciendis, eſſet deſtinaturus; deinde, omnium eorum, quae illi Deus daturus eſſet, decimam partem ſe Deo redditurum, vt animum gratum beneficiorumque in ſe collatorum memorem, hac ratione teſtaretur. An vero hinc ſequatur, miniſtris eccleſiae iure naturali decimas deberi, alibi disquiremus.

*** Varia & plane ſingularia Iacobi, quamdiu apud Labanem commoratus eſt, fuere fata, quae Moſes deſcribit *Geneſ. XXIX.* & *XXX.* In his memorabilis eſt Iacobi polygamia, de qua in ſequentibus ad *§. XIX.* dicetur. Labanis quoque ingenium fraudulentum, iniquitas porro & auaritia, non minus & ſuperſtitio cum auaritia plerumque iuncta, eluceſcit. Hinc fraudulenter pro Rachele ſubſtituta Leah, & merces Iacobi non ſemel mutata, *Geneſ. XXXI. 7.* Diuinae autem benedictionis vis in Iacobo fuit conſpicua, qui, dum ſingulari artificio naturae viribus ad varios colores in ouibus efficiendos vtitur, peritiam ſuam rerum naturalium, ſolertiamque, demonſtrauit; nec tamen quidquam, quod reprehendi debeat, admiſit. Nihil aliud enim ſocero ademit, quam quod iure ſibi vindicare poterat. De artificio autem iſto Iacobi itidem in ſequentibus adhuc nonnulla monebuntur. Creſcente tandem indies Labanis & filiorum eius inuidia, diuinitusque in patriam redire iuſſus Iacobus, re omni cum vxoribus communicata, dum oues ſuas tonderet Laban, clam eo cum facultatibus ſuis omnibus & tota familia diſcedens, transactis in eius ſeruitio annis viginti, Euphratem traiecit. Ex vxoribus atque concubinis tum ſuſceperat praeter filiam, cui Dina nomen fuit, filios vndecim. Cum enim *Geneſ. XXXV. 22. 26.* duodecim filii in Meſopotamia nati dicuntur, excipiendus eſt ex eo numero Beniamin, quippe quem in Cananaea natum eſſe, conſtat. Laban die tertio Iacobum fugiſſe audiens, cognatis ſuis ſecum adſumtis, itinere ſeptem dierum eum perſequutus, tandemque adſequutus eſt in monte Gilead, qui ab euentu huius congreſſus nomen adeptus eſt. Laban enim durius quid in Iacobum ſtatuere diuinitus prohibitus, cum eo amice ſaltem expoſtulauit, Iacobo innocentiam ſuam paullo acrius tuente, cum Laban fruſtra idola ſua, (de quibus in ſequentibus) apud eum quaeſiuiſſet, lite omni, federe tandem inito, fini-

finita, in cuius teſtimonium cumulus lapidum adgeſſus, quem Laban ſyro ſermone יגר שהדותא Iacobus autem ebraeo גלעד adpellauit. Contigit hoc ſecundum eam, quam ſequimur, ſupputandi rationem, anno mundi MMCCLXV.

§. XII.

In itinere conſtituto filius Dei in hominis forma adparuit, & cum eo colluctatus eſt, benedictionemque, quam expetebat, impertiuit.* Cum fratre etiam Eſauo, ei obuiam facto, reconciliatus, tandem eo, quorſum tendebat, venit.** Vbi dum rerum ſuarum ſatagebat, cultuique Numinis intentus erat,*** varias & ipſe calamitates expertus eſt, mox liberis, quae non decebat, deſignantibus,* mox coniuge ſuauiſſima Rahele morte erepta.**

* Federe ita cum Labane inito, vt antea diximus, Iacobo iter ſuum continuanti, occurrerunt angeli Dei, vt de diuino iterum auxilio hac ratione certior redderetur, vt redditus fuerat per ſomnium, cum in Meſopotamiam tenderet, in quo itidem angelos in ſcala adſcendentes deſcendentesque viderat. Sed nunc quidem non in ſomnio, ſed a vigilante angelos ab eo conſpectos, credibile: nec aliud quid ex verbis Moſis colligas. Cumque plures eſſent, quos videbat, angeli, vt inſtar exercitus ei ſe exhiberent, qui pro ipſo pugnare paratus eſſet, hinc locum illum *Mahanaim* vocauit; quod nomen etiam vrbi ibidem conditae deinceps haeſit. Ita a Deo quidem confirmatus, non tamen intermiſit, fratris, quem valde adhuc ſibi iratum credebat, animum placare, priusquam in conſpectum eius veniret. Ideoque non tantum ex Peraea, priusquam Iordanem traiiceret, legatos ad Eſauum miſit, qui ei, quod omni opum genere auctus ex Meſopotamia rediret, nec tam inopem eſſe, vt paternae hereditatis partem praecipuam concupiſceret, ſignificarent, adeoque fratris animum hac ratione ei conciliarent; ſed cum ex legatis illis ad ſe reuerſis intellexiſſet, quadringentis viris ſtipatum fratrem ſibi obuiam venire, metu eius, quod fratris conſilium ignoraret, mirifice inde aucto, precibus primum ardentiſſimis, Numinis auxilium implorauit, tum dona fratri, priusquam ſibi occurreret, offerenda praeparauit, cumque haec ſe praecedere iuſſiſſet, ipſe cum familia inſequutus eſt, tandemque ad Iabokki vadum vsque progreſſus eſt. Torrens hicce ſeptentrionalis terminus eſt regionis Ammonitarum, quem transgreſſi non ſunt Israëlitae. Familiam & omnia ſua, cum torrentem transmiſiſſet, ipſe ſolus manſit, vt eo intentiores, a reliquis remotus, preces ad Deum funderet. Tum vero contigit, vt vir quidam cum eo luctaretur, donec oriretur aurora: qui cum ſe Iacobo ſuperiorem non eſſe videret, acetabulum femoris eius feriit, id-

idque inter luctandum luxatum eſt; a Iacobo vero prius dimiſſus non eſt, quam ab eo benedictionem impetraret. Qui, non reuera, ſed in ſomnio hoc contigiſſe, putant, nullas, quae id euincant, adferre rationes poſſunt: & vel ideo audiendi non ſunt, quod a Moſe non aliter haec lucta narretur, quam res vere geſta narrari ſolet. FL. IOSEPHVS Φάντασμα vocat, *lib. I. antiquit. iudaic. cap. XIX.* Φαντάσματι συντυχὼν διεπάλαιεν, *in phantaſma cum incidiſſet, luctatus eſt, eo pugnam incipiente, vicit autem phantaſma*, (ἐκράτει δὲ Φαντάσματος) *quod voce vtitur & verbis ad eum, gaudere hoc facto iubens, &c.* Deinde tamen Θεῖον ἄγγελον *angelum diuinum* vocat. Nonnulli Iudaeorum, Sammael ſeu angelum malum fuiſſe, volunt: non expendentes ſecum, quod Iacobus benedictionem ab eo, quocum luctatus eſt, petierit. Vid. IO. CHRISTOPHORVS WAGENSEILIVS, in *Sota*, *p. 480.* In eo fere Ebraeorum doctores conueniunt, fuiſſe angelum Eſaui; licet, num proprius, an toti eius poſteritati communis, item, bonusne an malus fuerit, inter ſe diſſentiant. Legendus hac de re ISAAC ABARBANEL, *comment.* ad *h. l.* Fuerunt etiam ex chriſtianis, qui angelum hunc creatum fuiſſe, pertenderent; quibus praeter alios ſuffragatus eſt THEODORVS HACKSPANIVS, ad *Hoſ. XII. 4.* it. *miſcellan. adpend. de cabbala*, *p. 396.* In eamdem quoque ingreſſus eſt ſententiam vir doctiſſimus, IOAN. CLERICVS, qui contra eos, qui angelum increatum, ſeu filium Dei, qui adſumta humana ſpecie cum Iacobo luctatus ſit, fuiſſe contendunt, ſequentibus rationibus pugnat: *praeterquam, quod non conſtat, an vsquam Deus ipſe angelus ſui dicatur, (nam obſcurus eſt locus Malach. III. 1.) certe parum reuerenter de Deo cogitant, qui tantillam ob rem, vt ſcilicet cum homine mortali velut per ludum luctaretur, & ab eo vinci ſe ſimularet, eum humanam formam adſumſiſſe cenſent. Nec ſi quidquam eiusmodi crediſiſſet Paulus, vsque adeo filii Dei extuliſſet amorem in genus humanum, quo factum, vt ſemetipſum exinanierit, formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus & habitu inuentus vt homo, Philipp. II. 7. cum ſaepe humani corporis phantaſma, ſi nonnullis credimus, ſine graui vlla cauſſa induiſſet. Et tantum quidem abeſt, vt lucta hominis cum creatore, immo hominis victoris cum triumphato Deo concoqui poſſit, vt vix angelum ab homine victum feramus. Profecto, niſi omnia haec ita narrarentur, vt vigilanti Iacobo accidiſſe manifeſto intelligantur, libenter, ſomnium hoc fuiſſe, atque haec in ſomniis acta crederemus.* Patres vero antiqui plerique, & plurimi quoque recentiorum, virum hunc ipſum fuiſſe Deum, & quidem Chriſtum in forma humana adparentem, docent, & quidem rectiſſime mea opinione. Qui enim cum Iacobo luctatus eſt, non angelus, ſed aliquoties diſerte Deus vocatur. Sic Iacobus ſuperior & princeps fuiſſe dicitur: עם אלהים *cum Deo*, *verſ. 28.* & loco, vbi hoc contigit, nomen indi-

 tum

tum פניאל *Pniel*, addita ratione, quod viderit *Deum a facie ad faciem.* Praeterea Iacobus ab eo, quocum colluctatus fuerat, benedictionem petit, *v. 26. 29.* & quidem vt a tali, in cuius poteſtate poſitum erat, benedicere hominibus. Quod Deo quidem, non autem angelo creato, conuenit. His argumentis praeter alios & THEODORETVS vtitur, *quaeſt. XCI. in Gen.* qui & duo alia adhuc addit, quorum vnum inde deſumtum eſt, quod colluctator Iacobi nomen ſuum ei indicare detrectauerit, quippe quod θαυμαστὸν *mirabile* ſit, in quod curioſius inquirere mortalibus fas non eſt; alterum inde, quod vir ille nomen Iacobi mutauerit, & in eo victoriam haud obſcure promiſerit. Nec rationes a viro clariſſimo in medium adlatae ab iſta quemquam temere dimouebunt ſententia. Chriſtum enim ſubinde angeli nomine venire, non tantum ex *Malach. III. 1.* qui locus neutiquam obſcurus eſt, ſed & ex *Geneſ. XVI. 7. XXII. 11. XXXI. 11. 13. Exod. III. 2. XIV. 19. XXXII. 34.* aliisque locis, conſtat. Quae licet forte non admittantur a viro doctiſſimo, etiam in hisce angelum creatum intelligente; poſſet tamen demonſtrari, in hisce omnibus increatum angelum intelligendum, ſi ad ſingula deſcendere huius loci eſſet. Nec parum reuerenter, vt ille autumat, de Deo cogitant, qui, tantillam ob rem, vt cum homine mortali velut per ludum luctaretur, & ab eo vinci ſe ſimularet, eum humanam formam adſumſiſſe, cenſent. Qui enim ſummam Numinis φιλανθρωπίαν hac in re ſumma animi ſubmiſſione venerantur, num illi parum reuerenter de Deo cogitant? praeſertim cum conſtet, delicias eius eſſe cum filiis hominum, *Prou. VIII. 31.* Paulus autem iure optimo amorem ſeruatoris, quod forma ſerui adſumta ſemetipſum eo vsque exinaniuerit, vt mortem quoque, eamque ignominioſiſſimam, ſubiret, maximopere extollere potuit, etiamſi crediderit, (quod eum crediſſe nulli dubitamus) Chriſtum humana ſpecie ſanctis veteris teſtamenti viris quandoque adparuiſſe. Praeterquam enim, quod iſtae adparitiones velut praeludia quaedam fuerunt eius, quod deinceps fieri debebat; iſta humanae naturae adſumtio, qua filius Dei homo factus eſt, longe amplius quid eſt, quam adparitiones illae in humana forma; eoque magis extolli ab apoſtolo poterat, quod ita homo factus eſt, vt ſe ipſum ad mortem quoque exinaniuerit; quod de adparitionibus illis, patriarchis factis, dici nequit. Quid vero tandem abſoni eſt, quod Deus cum homine luctando, eique cedendo, ſuam declarare voluerit φιλανθρωπίαν, Iacobique animum erigere, & ad quaeuis aduerſa confirmare? Eſto vero, rationem hoc concoquere non poſſe: ideo quod aperte ſatis Moſes narrat, in dubium vocandum non eſt. Non autem in ſomnio, ſed reuera hancce luctam contigiſſe, iam ſupra euicimus. Id adhuc memoratu dignum, quod angelus ille colluctator nomen Iacobi mutauerit, eum-

eumque Iſraëlem vocauerit, quod perinde eſt, ac ſi *principem* ſeu *victorem Dei* dicas, iuxta interpretationem ab ipſo ſuppeditatam. FLAV. IOSEPHVS aliter interpretatur: *σημαίνων τοῦτο κατὰ τὴν ἑβραίων γλῶτταν τὸν ἀντιστάντα ἀγγέλῳ θείῳ*: *quod Ebraeis reluctantem diuino angelo ſignificat*; *antiquitat. iud. lib. I. cap. XIX.* Quo ipſo illorum confirmare ſuſpicionem videtur, qui eum linguae ebraeae non ſatis gnarum fuiſſe exiſtimant. Idem de antiquis eccleſiae doctoribus cenſendum, qui, Iſraël idem ſignificare, putant, ac *virum videntem Deum* איש ראה אל, VT ORIGENES *περὶ ἀρχῶν*, *lib. IV. cap. IV.* EVSEBIVS, *demonſtrat. euangel. lib. V. cap. XI.* aliique. Sed hoc *ὡς ἐν παρέδῳ*.

** Orto ſole, Iabokkum torrentem & ipſe transgreſſus Iacobus, familiam ita diſponit, vt animum Eſaui eo facilius ad miſericordiam flecteret, & ita obuiam illi factus, benigne ab eo excipitur, vixque precibus, vt munera illi deſtinata acceptaret, impetrat; *Geneſ. XXXIII. 1. ſeqq.* Ita cum ad Sehirem montem reuerſus eſſet Eſauus; Iacobus in locum venit, qui deinceps *Succoth* dictus eſt; eo quod ſibi domum, gregibus autem ſuis tuguria ibidem exſtruxiſſet. Deinde ſuperato Iordane Cananaeam repetiit, & tentoria ſua fixit iuxta Salemum vrbem Sichemitarum, in portione agri, quam emit a filiis Hamoris, patris Sichemi centum nummis. Vocem enim קשיטה, qua Moſes vtitur, certum nummi genus denotare, viris doctis iampridem obſeruatum eſt. Vid. SAM. BOCHARTVS, *hierozoic. part. I. lib. II. cap. XLIII.* IO. HENRICVS HOTTINGERVS, *diſſertat. de nummis orient. p. 110.* AVGVST. PFEIFFERVS, *dub. vexat. centur. I. loc. LXII. p. 160.*

*** Exſtruxit namque ibi altare, quod vocauit אל אלהי ישראל *Deus, Deus Iſraël.* In more enim tum poſitum erat, altaribus eiusmodi nomina imponere. Nec ita hoc capiendum, ac ſi Iacobus ipſi altari diuinitatem tribuerit; ſed ſenſus eſt, hoc altare ſacrum eſſe debere Deo, vero ſcilicet Deo, qui eſt Deus Iſraëlis. Conf. *Exod. XVII. 15.* Legat, qui plura hac de re cupit, CAMPEGIVM VITRINGAM, *obſeruat. ſacrar. lib. III. cap. XXIII. p. 804. ſeqq.* Nimirum eodem in loco hoc contigit, vbi Abrahamus primum ſuum altare exſtruxerat, *Geneſ. XII. 6. 7.* & fons Iacobi erat in conſpectu montis Garizim, de quo *Ioan. IV. 5. 6. 12. 20.* Eum enim in agro Sichemitano poſitum fuiſſe, ex *Iud. IX. v. 7.* liquet.

* Huc Dinae raptus pertinet, & hinc ſequuta Sichemenſium caedes, perfide a Simone & Leui, filiis Iacobi, perpetrata, *Geneſ. XXXIV.*

** Cum ob Sichemenſium caedem diutius ibi commorari conſultum non duceret Iacobus, metuque anxius eſſet; diuinitus admonitus Bethelem ſe conferre ſtatuit, ibique exſtructo altari ſacra Deo facere; votum ita exſoluturus, quo Eſauum fugiens ſe obſtrinxerat. Dumque in eo eſt, vt diuinae voluntati morem gerat, ſuis imperat, vt de-

deos alienos remoueant, corpora aqua abluant, & alias veſtes induant, *Geneſ. XXXV. 4.* Vnde intelligimus, in ipſa viri ſanctiſſimi familia idololatriam gliſcere coepiſſe, ſiue inter ſeruos eius ex aliis gentibus adſcitos alienorum deorum cultores fuerint, ſiue forte ipſa Rahel paternorum Penatum nondum depoſuerit cultum. In ſignum autem purae mentis corpora etiam aqua abluere, & mutare veſtes iubet; cum a ratione haud alienum ſit, externis actibus animi puritatem teſtari. Ad exemplum idololatrarum hoc Iacobum feciſſe, non eſt veroſimile, & a ſanctitate viri prorſus abhorret; etſi ita exiſtimet IOAN. CLERICVS ad *h. l.* qui praeeuntem ea in re ſibi habuit IOAN. SPENCERVM, de *legib. Ebraeor. ritualib. lib. III. diſſert. III. cap. III. ſect. II.* Omnibus probe purgatis, Bethelem tandem venit Iacobus, quae antea Luza dicebatur, ibique altare Deo exſtruxit, qui ibidem, cum ex Meſopotamia rediret, altera vice ei adparuerat. Ita enim verba Moſis *Gen. XXXV. 9. 10. ſeqq.* intelligenda videntur. Ad rem ipſam quod attinet, perinde eſt, ſiue ad illud tempus, de quo in antecedentibus ſermo eſt, ſiue ad praeterlapſum, cum Iacobus ex Meſopotamia rediret, haec adparitio referatur. Repetita autem in ea fuit promiſſio iam antea tum ipſi Iacobo, tum Abrahamo & Iſaaco facta. Cum Bethele Iacobus cum ſuis profectus eſſet, nec procul ab Ephratah abeſſet; Rachel ex difficili partu, cum Beniaminum enixa eſſet, obiit. Illud terrae ſpatium a loco, vbi funeſtus Rachelis partus contigit, ad Ephratam vsque, Moſes exprimit per כברת־הארץ, cumque vox כברת admodum obſcura ſit, plurimum negotii interpretibus faceſſiuit. Quidquid autem ſit de vocis iſtius origine, ſufficit ad ſenſum rite adſequendum, non adeo magnum terrae ſpatium eadem denotari. Et haec quidem omnia vitam Iacobi ſatis acerbam reddebant: ad quae etiam Rubenis, filii primogeniti, inceſtus acceſſit, *Gen. XXXV. 22.* quem magnopere adflixiſſe patrem, non eſt, quod dubitemus; conf. *Gen. XLIX. 4.* Addit Moſes, Iacobum tum Hebronem veniſſe ad Iſaacum patrem, *Geneſ. XXXV. 27.* Nec tamen prima vice, vt credere par eſt, poſt eius ex Meſopotamia reditum; niſi, quod aliis placet, dicere velis, ordinem temporis hic non obſeruatum. Idem dicendum de morte Iſaaci, quae ſtatim ſubiicitur, at tum demum contigit, cum iam Ioſephus a fratribus venditus & in Aegyptum abductus eſſet. Obiit autem Iſaacus anno aetatis CLXXX, mundi MM CC LXXXVII, a filiis Eſauo & Iacobo ſepultus; *Geneſ. XXXV. 29.*

§. XIII.

Inde cum aliquod temporis ſpatium effluxiſſet, noua eum calamitas, reliquis longe grauior, excepit, Ioſepho filio, quem vnice in oculis ferebat, a fratribus clam intercepto, & ab Iſmaëlitis in Aegy-

Aegyptum, patre ignaro, delato.* Sed Ioſephi ita in Aegypto enituit pietas ſapientiaque, vt variis ſuperatis caſibus, ipſi Aegypto ſummus rerum adminiſtrator a Pharaone praeficeretur.** Tandem fratribus, dum altera vice in Aegyptum emendi frumenti cauſſa deſcenderunt, ſe agnoſcendum praebuit: patremque cum tota familia, vt in Aegypto rerum ſuarum ſedem figeret, inuitauit. Quod & factum eſt.***

* Odii grauiſſimi, in tantum ſcelus erupturi, quo fratres Ioſephum proſequebantur, tres a Moſe commemorantur cauſſae. Prima fuit, quod infamiam fratrum, ſeu quae ſcelerate ab illis agebantur, patri retulerit. Nonnulli interpretum, & graeci etiam quidam patres, verba Moſis ita capiunt, ac ſi fratres Ioſephum detulerint apud patrem. Sed hoc textui ebraeo aperte repugnat. Nec in eo peccauit Ioſephus; cum eo hoc fecerit animo, vt reprehenſi a patre, rectius ſeſe gererent. Altera cauſſa erat, amor ſingularis, quo pater Ioſephum prae reliquis fratribus proſequebatur. Rationem reddit Moſes, quod fuerit בן זקנים *filius ſenectutis*, hoc eſt, in ſenectute ab eo genitus. Poſt reliquos enim fratres, excepto Beniamine, natus erat. Accedere & aliae cauſſae poterant, quod ſcilicet ex Rahele, vxore ſibi dilectiſſima, eum ſuſcepiſſet, & indole ingenua eum praeditum videret. Signum itaque etiam externum ſui erga illum amoris exſtare voluit, dum illi fecit כתנת פסים, *tunicam particularum*, *tunicam polymitam*, vt vulgatus habet, χιτῶνα ποικίλον, iuxta LXX interpretes, hoc eſt, variam, variegatam & multicolorem. Hinc fratrum in eum magis incendebatur inuidia. Accedebant tertio ſomnia, diuinitus Ioſepho oblata, eiusque ſortem futuram adumbrantia, animoque ſimplici narrata patri & fratribus, ſed ab his in peſſimam partem accepta. Hinc conſilia iſta fratrum ſanguinolenta, intercedente Rubene ſuſpenſa, ſed oblata occaſione eo deducta, vt Iſmaëlitis venderetur, ab iis in Aegyptum deportandus. Midianitarum etiam dum iniicitur mentio, non ita hoc eſt capiendum, ac ſi Iſmaëlitis primum, & ab his Midianitis ſit venditus, quae quorumdam eſt ſententia, vel quod mercatores fuerint Midianitae, cameli autem Iſmaëlitarum, vt alii exiſtimant, ſed quod ſub generali nomine Iſmaëlitarum etiam Midianitae comprehendantur. Quae hactenus dicta ſunt, vt & reliqua, quo pacto patri Iacobo perſuaſerint, a fera beſtia diſcerptum Ioſephum, conſtant ex *Gen. XXXVII.*

** In Aegyptum ab Iſmaëlitis deductus, Potiphari venditur, magnae dignitatis in aula Pharaonis viro. Vocatur enim סריס, quae vox etſi ceteroquin *eunuchum* ſignificet, vt hic quoque a LXX interpretibus & vulgato interprete vertitur; hoc tamen loco pro aulico, ſeu praefecto regio, rectius

ctius accipitur; cum, vxorem ei fuiſſe, ex ſequentibus conſtet. Sollemne nimirum erat gentibus orientalibus, eunuchos non tantum gynaeceis, ſed & aliis muneribus praeficere, vnde contigit, vt nomen dignitatis tandem fieret. Idem vero etiam שר טבחים *princeps mactatorum* vocatur; quod cum & de coquis, qui pecudes mactant, & de militibus, quorum eſt homines occidere, immo etiam de carnificibus intelligi queat; in diuerſas viri docti abierunt ſententias; ex quibus quam eligas, perinde eſſe videtur. Cum autem receptior reliquis ſit ſententia HIERONYMI & ONKELOSI, per טבחים milites intelligentium, eo facilius haec admitti poteſt, quod non video, opponi eidem quidquam poſſe, quod momentum trahat. In eius itaque domum receptus liberaliter ei ſeruiuit, omniaque tam proſpere geſſit, vt ipſe Potiphar, Deum iuueni huic adeſſe in omnibus, fateri cogeretur, qui & ideo eum totius rei domeſticae procuratorem eſſe voluit. Forma autem praeſtanti cum Ioſephus eſſet, in ipſo praeterea adoleſcentiae flore conſtitutus; ab vxore Potipharis ad illicitos amores ſollicitari coepit. Cuius voluntati cum morem gerere nollet, quod Deum timeret; mutato in furorem amore, apud maritum tentatae per vim pudicitiae ſuae eum adcuſauit, obtinuitque haud difficulter, vt in carcerem compingeretur, vbi, quos rex in vincula coniiciebat, ſeruabantur. Adfuit autem & ibi innocenti iuueni Deus, praefectique carceris animum flexit, vt bene ei cuperet, haberetque mitius, & captiuorum omnium, qui ibi detinebantur, curam ei committeret. Quamdiu in domo Potipharis, & deinde in carcere manſerit, incertum eſt. Hoc certum, eum ſeptemdecim fuiſſe annorum, cum a fratribus venderetur, triginta autem annorum, cum libertatem recuperaret: vnde conſtat, a tempore, quo venditus fuit, vsque ad tempus liberationis eius, tredecim effluxiſſe annos. Sed quot annos in domo Potipharis transegerit, (aliquot transegiſſe, non dubitandum, cum ſucceſſus laborum eius hoc ſuadeat) quot in carcere, definiri nequit. Dum vero adhuc in carcere degit, captiuorumque curam gerit, ſomnia pocillatori & piſtori regis oblata exponit, euentu interpretationem eius comprobante. Occaſio hinc enata, vt tandem libertas ei redderetur, cum & Pharaoni ſomnium oblatum eſſet, cuius ſignificationem apud ſapientes Aegyptios, qui rerum arcanarum periti videri volebant, fruſtra quaeſiuerat. Tum enim tandem pocillator, quae ſibi contigerant, in memoriam ſibi reuocat, eumque Pharaoni commendat; cuius cum expoſuiſſet ſomnium, tantam in eo ſapientiam deprehendit, vt eum Aegypti pro-regem ſolemni & magnifica inauguratione conſtitueret. Memoratu digna ſunt Pharaonis verba: *an inueniemus virum huic ſimilem, in quo ſit Deorum ſpiritus? Geneſ. XLI. 38.* Vbi nonnullis veroſimile videtur, per רוח אלהים *ſpiritum Dei*, vel *Deo*

Deorum, intelligi *mundi ſpiritum*, ψυχὴν τοῦ κόσμου, quem ab Aegyptiis acceperit PLATO; putantque, doctrinam de ſpiritu ſancto hac ratione apud Aegyptios fuiſſe corruptam. Ita vir clariſſimus, MELCHIOR LEIDEKKERVS, de *republ. Ebraeor. lib. III. cap. VI. p. 158.* Sed neſcio, quibus hoc nobis perſuadere velit rationibus. Propius, ni fallor, ad rem accedunt, qui adflatum ſeu inſpirationem diuinam hac voce deſignari autumant; quemadmodum & paraphraſtes chaldaeus haec verba ita transtulit: *Num quid inueniemus talem virum, in quo* רוח נבואה *ſpiritus prophetiae a facie Dei eſt?* Nec id ab opinione gentilium, qualem Pharaonem fuiſſe ſupponimus, alienum: iuxta quam cum haud dubio loquutus ſit; non errant, qui vocem אלהים hic in plurali numero reddendam exiſtimant. Sollemnia inaugurationis diſtincte & adcurate deſcribit Moſes *Gen. XLI. 42. 43.* inter quae illud praecipue notandum, quod currum, quo vehebatur, praecedere iuſſerit, qui clamaret אברך. Cuius quidem vocis cum diuerſae ſint interpretationes; vt ex B. IO. ERNESTI GERHARDI noſtri *duabus* de ea *diſſertationibus*, vt alios taceam, videre licet; non tamen video, quid obſtet, quo minus idem ſignificare cenſeatur, ac הברך *flecte genua*; cum & alias inſolens non ſit, vt pro ה ponatur א, & ſpeciatim ex indole ac genio linguae aegyptiacae hoc fieri potuerit. Nouum quoque nomen Ioſepho impoſuit Pharao, vt, nouum ſe habere dominum, intelligeret, eumque adpellauit צפנת פענח. De cuius vocis origine, ſitne ex aegyptiaca, an ebraea lingua petenda, cum iterum diſſentiant interpretes; in eo tamen plerique conſentiunt, quod *occultorum indicem* ſeu *reuelatorem* ſignificet, eaque adpellatione ad ſomniorum ſibi oblatorum interpretationem reſpexerit Pharao. Ita praeter alios & FLAV. IOSEPHVS: σημαίνει τὸ ὄνομα κρυπτῶν εὑρέτην, *nomen ſignificat occultorum inuentorem; antiquitat. iudaic. lib. II. cap. VI.* conf. AVG. PFEIFFERVS, peculiari diſſertatione de *Zophnath Paneach*, quae inter ſelectas exercitationes, *dubiis* eius *vexatis* additas, quinta eſt, *pag. 99. ſeqq.* item EDVARDVS BERNARDVS, in *notis ad Ioſephi loc. cit. p. 97.* Ioſephus vero ad iſtud dignitatis culmen euectus, cum inſuper Asnatham, Potipherae ſacerdotis Oniorum filiam, in matrimonium duxiſſet, nihil eorum, quae eo, vt ſpem Pharaonis de ſe conceptam impleret, faciebant, intermiſit; *Gen. XLI.* per integrum.

*** Iſta, quae diximus, dum in Aegypto euenerunt, Iacobus famis, quae terrae cananaeae incumbebat, grauitate permotus, filios deſcendere in Aegyptum, vt frumentum ibi emerent, iubet. Hinc occaſio Ioſepho enata, fratribus ſe patefaciendi, & tandem patrem cum tota familia transferendi in Aegyptum. Quod vero initio ſe diſſimulauerit, ſeque aſperum & auſterum erga fratres demonſtrauerit, non alium in finem ab eo factum,

Digitized by Google

factum, quam vt fratres ad criminum admiſſorum agnitionem perduceret. Immo in omnbus iis, quae cum fratribus geſſit, ſumma eius prudentia elucefcit: quod, ſi inſtituti hoc permitteret ratio, euidenter demonſtrari poſſet. Vid. PHILO, *tract. de Ioſepho, p. 555.* & FL. IOSEPHVS, *antiquit. iudaic. lib. XII. cap. III.* Dum autem cum fratribus loquitur Ioſephus, per vitam Pharaonis iurat, *Geneſ. XLII. v. 16.* Quo nomine nonnullis male audit, ac ſi ad mores & conſuetudinem gentilium ſe adcommodando, peccato ſe obſtrinxerit. Sed non plane nefas eſſe, per ſalutem ſeu vitam aliorum, qui nobis chariſſimi ſunt, iurare, alii obſeruant. Dictum hac de re *inſtitut. theol. moral. part. II. cap. III. ſect. V.* ad *ſ. XI. p. 720.* Non minus & illud offendere aliquem poſſet, & Ioſephum in ſuſpicionem, ac ſi non omni idololatriae labe immunis fuiſſet, adducere, quod *Gen. XLIV. 5. 15.* ei, neſcio quae diuinatio per ſcyphum tribui videatur. Vnde non defuerunt, qui vehementer eum reprehendendum cenſerent, ſiue reuera ſcypho ad artes magicas vſus ſit, ſiue hoc ſaltem prae ſe tulerit, cum etiam iſta ſimulatio grauiſſimo vitio non careat. Sed melius de Ioſepho ſentient, qui verba ebraea paullo adcuratius conſiderant. Licet enim verbum נחש idem ſit, ac *augurari*, vnde & LXX interpretes habent ὀιωνισμῷ ὀιωνίζεται ἐν αὐτῷ, & vulgatus, *in quo augurari ſolet;* non tamen ſtatim illicitum aliquod & ſuperſtitioſum augurium intelligendum, ſed generatim de quauis diuinatione etiam licita capi poteſt; quemadmodum latina vox *augurari* eadem ratione accipitur. Conf. *Geneſ. XXX. 27. I. Reg. XX. 33.* Praeterea, cum particula ב non tantum inſtrumentum ſignificet, ſed & obiectum; ſenſus verborum planus hinc reſultat; *annon hic eſt ille ſcyphus, e quo bibere ſolet dominus meus, & nonne diuinando facile coniectaret de eo, furto ſcilicet eum ſibi ablatum, & a quo ſeu a quibus id factum?* Ita reſpondent adcurate quoque verba Ioſephi, *verſ. 15. Cur ſic agere voluiſtis? annon noſtis, quod diuinando diuinet vir, qui eſt ſimilis mei?* h. e. annon noſtis, virum tali prudentia praeditum coniectando facile cognoſcere, a quonam ſibi aliquid furto ablatum ſit? Et quem vero etiam in finem oeconomus Ioſephi fratribus eius commemorare debuiſſet, dominum ſuum hocce ſcypho in diuinationibus vti? Num ad facinus exaggerandum? At qui ſcire fratres Ioſephi hoc potuiſſent? Recte autem illis imprudentiam exprobrat, quod crediderint, virum tam prudentem & ſagacem non ſtatim furtum illorum deprehenſurum. Scriptura ſacra etiam diuinationis, quae ſcyphi aut paterae opera fieret, non meminit. Quae ex ſcriptoribus profanis de eiusmodi diuinationum generibus adferuntur, huc nihil faciunt.

Ceterum Iacobus de vita & dignitate Ioſephi filii certior redditus, deſcendere ad eum in Aegyptum cum omni familia ſua decreuit. Hinc Beerſebam initio profectus, Deo ſacra fecit, ab eoque

Digitized by Google

eoque in nocturna viſione mirifice confirmatus eſt, ne in Aegyptum deſcendere dubitaret, cum haec omnia nutu ſuo fiant, foreque tempus, cum eius poſteri inde iterum ſint adſcenſuri. Dum vero Moſes cenſum eorum, qui cum Iacobo in Aegyptum migrarunt, init; occurrunt iterum nonnulla, quae aliquem remorari poſſent. Primo namque *Geneſ. XLVI. 15.* filii & nepotes ex Lea prognati dicuntur numero fuiſſe triginta tres. At adcurate ſi omnes numeraueris, tantum triginta duos deprehendes. Mira, vt hinc ſe expedirent, Ebraeorum doctores excogitarunt commenta. Fuerunt, qui ad complendum numerum ipſum Deum addendum cenſerent, eo quod ad Iacobum dixerat *verſ. 4. Ego deſcendam tecum in Aegyptum.* Sed huc deueniendum non erat: ſaltem ipſe Iacobus hic connumerandus eſt, & tunc omnia in vado ſunt. Id aperte etiam conſtat ex *verſ. 8. haec ſunt nomina filiorum Iſraël, venientium in Aegyptum, Iacobus & filii eius.* Sed grauius adhuc ex eo dubium oritur, quod tum *h. l. v. 27.* tum *Deut. X. 22.* omnes animae domus Iacob, quae Aegyptum ingreſſae ſunt, dicuntur fuiſſe ſeptuaginta; cum Stephanus protomartyr, eos numero ſeptuaginta quinque fuiſſe, perhibeat, *Act. VII. 14.* Quam difficultatem vt tollerent viri docti, non vnam iterum viam ingreſſi ſunt. Errorem in numero *Actor. l. c.* commiſſum, nonnulli cenſent, eumque ex marginali nota ortum trahere, contendit HVGO GROTIVS ad *h. l.* Alii contra pro πέντε legendum putant πάντες; qua in ſententia THEODORVS BEZA verſatur, & ex noſtratibus SAL. GLASSIVS, *phil. ſacr. lib. I. tract. II. p. 168.* Sed cum ita vniuerſalis quaedam omnium codicum admittenda eſſet corruptio; duriſſimum hoc eſſe, nemo non videt. Certe diligentiſſimus variantium lectionum collector IO. MILLIVS, nullam codicum diſcrepantiam ad *h. l.* notauit. Alii Lucam, vt alias, ita hic quoque LXX interpretes ſequutum exiſtimant, qui non proprie eos deſignare voluerint, qui cum Iacobo in Aegyptum deſcenderunt, ſed progeniem Iacobi, poſtquam illic ſedem fixerat, cuius quia maxima pars cum eo illuc venerit, ab ea omnium petitam denominationem. Conf. HENR. HAMMONDVS, ad *Act. l. c.* Et habent vtique LXX interpretes ἑβδομήκοντα πέντε, immo diſerte nomina trium nepotum & duorum pronepotum Ioſephi poſt *verſ. 20.* ex *I. Chron. VII.* repetunt. Sed cum hoc ipſo, quod ita a textu ebraeo receſſerint, reprehendendi veniant, & praeterea illorum calculus alias hac in re ſibi non conſtet; Lucam hic eos ſequutum, quod ceteroquin facere ſolet, aliis minime probabile videtur. Poteſt etiam commode omnis difficultas tolli, ſi dicamus, aliter Stephanum, aliter Moſen eorum, qui ad Iacobi familiam pertinebant, numerum inire. Stephanus namque de iis loquitur, qui in Aegyptum accerſiti ſunt, totamque Iacobi cognationem, ſingulaque eius capita, connumeratis etiam quatuor Iacobi vxoribus, & duobus Iudae filiis,

 quos

quos in terra Canaan Deus exſtinxerat, expuncto interim ipſo Iacobo, complectitur; Moſes autem catalogum liberorum Iacobi ita texit, vt vxores filiorum, duosque Iudae filios, in terra Canaan iam mortuos, omittat, ipſum autem Iacobum connumeret, vnde omnino omnium illorum, qui ex lumbis Iacobi egreſſi, ſiue cum ipſo, ſiue ante ipſum in Aegyptum venerunt, ipſo Iacobo connumerato, numerus ad ſeptuaginta exſurgit. Pluribus hoc euincit ABRAHAMVS CALOVIVS, in *critico ſacro*, *p. 746. ſeqq.* qui ex antiquis iam praeeuntem ſibi habuit EPIPHANIVM, *tom. I. oper. lib. I. p. m. 10. & 17.* Laudat quoque hanc ſententiam IO. SELDENVS, de *ſynedr. lib. II. p. 409. ſeqq.*

Iacobus itaque, vt reliqua perſequamur, cum in Aegyptum veniſſet, non tantum a Ioſepho filiali adfectu exceptus eſt, ſed &, cum Pharaonem ſalutaſſet, ſedem ſibi ſuisque a Ioſepho, volente Pharaone, deſtinatam, occupauit in terra Goſen, de cuius ſitu viri docti non ſatis inter ſe conſentiunt. Celebratur autem terra Goſen non tantum ceu regio pinguibus paſcuis in Aegypto inſignis, adeoque alendis gregibus adcommodata; ſed non procul etiam ab ea vrbe, vbi aula Pharaonis fuit, ſita fuiſſe videtur; cum *Geneſ. XLV. 10.* ideo Iacobus cum ſuis in terram Goſen immittendus dicatur, vt propinquus Ioſepho, qui in aula regis erat, habitaret. Regia autem iſta vrbs haud dubio fuit Zoan; cum *Pſal. LXXVIII. 12. 43.* miracula Moſis in agro Zoan facta dicantur. Zoan autem ſecundum graecos & chaldaeos interpretes eſt Tanis. Si ergo in Tani Ioſephus fuit, ſequitur, Goſen itidem in inferiori Aegypti parte fuiſſe, primumque nomon Aegypti, quem ex Cananaeis venientes ingrederentur. Conf. *Geneſ. XLVI. 28.* Confirmari idem poſſe videtur ex verſione LXX interpretum, qui *Gen. XLV. 10.* & *XLVI. 34.* vertunt ἐν γῇ γεσὲμ Ἀραβίας, *in terra Geſem* (Goſen) *Arabiae*, quaſi nomon non e regione Tanitae nomi ſitum, denotarent, quem veterum quidam arabicum dixere. Sed dubium iidem LXX interpretes hic faciunt, dum *Geneſ. XLVI. 28. 29.* vbi Ioſephus patri in Goſen obuiam iuiſſe dicitur, verba ebraea ita reddunt: συναντῆσαι αὐτῷ καθ' Ἡρώων πόλιν, εἰς γῆν Ραμεσσῆ, *vt ipſi occurreret ad Heroopolin in terram Rameſſe.* Sic & FLAVIVS IOSEPHVS, *antiquit. iudaic. lib. II. cap. IV.* Heroopolis autem cum oppidum fuerit ad intimum arabici ſinus poſitum, ſequitur inde, terram Goſen multo auſtraliorem fuiſſe, quam regio Taniticae vrbi oppoſita. Cumque non neceſſe fuiſſet, patriarcham ſinum arabicum adire, niſi in vlteriora illa a Ioſepho ei promiſſa deſtinauiſſet progredi; nonnullis, obſeruato hoc itinere, haud improbabile videtur, circa On ſiue Heliopolin terram Goſen & Raëmſe ſeu Rameſſe eſſe, quae etiam IOSEPHI *l. c.* eſt ſententia. Nec obſtare putant, quod LXX interpretes Goſen vertant Γεσὲμ Ἀραβίας; cum non tantum nomus ille, qui veteribus arabicus

cus

Digitized by Google

cus dicitur, ſed totus ille tractus, qui inter Nilum eſt & ſinum arabicum, Arabiae nomine venerit, etſi eſſet pars Aegypti. A priori tamen ſententia aliis forte vel ideo non diſcedendum videbitur, quod & nullis difficultatibus prematur, & LXX pariter ac IOSEPHI apud Heroopolin Ioſephum patri occurriſſe, adfirmantium, tanta non ſit auctoritas, vt morari quemquam debeant. Non minus dubium eſt, cur terra Goſen etiam Raëmſes ſeu Rameſſes dicta fuerit. Oppidum enim Raëmſes ſiue Rameſſes ab Iſraëlitis demum in ſeruitute conſtitutis, longe poſt Ioſephi obitum conditum eſt, *Exod. I. 11.* Fieri tamen potuit, vt pars terrae Goſen Raëmſes ſeu Rameſſes etiam ante diceretur, quam vrbs Rameſſes ibi aedificaretur; niſi dicere velis, reſtauratam potius ab Iſraëlitis vrbem, quam conditam, aut nomen eius per πρόληψιν hic a Moſe commemorari. IOAN. MARSHAMVS, Rameſſes nomen regis eſſe, putat, cum hic a Moſe *terra Rameſſes* memoratur, qui eo tempore regnauerit; *can. chron. ſaec. VII. p. 108. ſeqq.* Sed quam incerta ſint, quae vir doctus de regum aegyptiacorum ſucceſſione tradidit, aliunde conſtat. De iis, quae hactenus de terra Goſen diximus, conferendus CHRISTOPHORVS CELLARIVS, *geograph. antiqu. lib. IV. cap. I. p. 51.* Cum vero *Geneſ. XLVII. 11.* dicitur, datam Iacobo אחזת ארץ *poſſeſſionem in terra Aegypti*, non ita hoc capiendum, ac ſi poſſeſſio perpetua & hereditaria illi data ſit, quam Iacobus, de poſterorum in terram Canaan reditu ex diuina promiſſione certus, ne optabat quidem, ſed quod terra iſta Iacobo, eiusque liberis, ad tempus ſaltem fuerit conceſſa. Septemdecim autem adhuc annos in illa Aegypti regione Iacobus transegit, diuino haud dubio cultui vacans. Nec enim quidquam de eius in terra Goſen ſtudiis aut geſtis ſcriptura commemorat, ſi diſceſſeris ab iis, quae circa finem vitae eius contigerunt.

§. XIV.

Ita ergo Iacobus filio ſuo Ioſepho, quod non ſperauerat, iterum iunctus, ſupremum tandem diem in Aegypto obiit, praeclaro prius de poſterorum ſuorum, ipſiusque adeo eccleſiae fatis, edito vaticinio. * Idem quoque ſuos ex Ioſepho nepotes, Ephraimum atque Manaſſem, filiorum loco haberi, iam antea voluerat, eodemque iure & cenſu venire. Vnde inter duodecim Iſraëlis tribus, Ephraimi & Manaſſis, numerari conſtat.

* Cum vltima ſibi inſtare fata ſentiret Iacobus; filium Ioſephum ad ſe vocatum iureiurando obſtrinxit, vt non in Aegypto, ſed in terra Canaan, in ſpelunca illa, in qua ſepulti erant Abrahamus, Sarah, Iſaacus, Rebecca, Lea, ſe ſepeliri curaret. Hac enim ratione liberos ſuos condocere voluit,

Digitized by Google

de diuina promiſſione, qua terram Canaan ſibi ſuisque promiſerat, ſe neutiquam dubitare, tempusque fore, quo in illam terram nutu Numinis ſint transferendi. Recte ita THEODORETVS cenſet, *quaeſt. CVIII. in Geneſ.* Quae enim Iudaei de cauſſis, cur Iacobus in terra Canaan ſepeliri voluerit, comminiſcuntur, indigna prorſus ſunt, quae hic a nobis referantur. Iureiurando autem Ioſephum obſtrinxit, non, ac ſi ipſi diffideret, ſed vt illum condoceret, maximi momenti illud eſſe, quod ab eo exigeret. Cum ergo Ioſephus iusiurandum praeſtitiſſet, Iacobus *ſe incuruauit ad caput lecti*, *Geneſ. XLVII. 31.* hoc eſt, in extremitate lecti ſedens ſe inclinauit, ſiue vt Ioſepho recedenti honorem exhiberet, animumque venerabundum ob nouum in ſe collatum beneficium demonſtraret, ſiue vt ipſi Deo gratias ageret pro tot tantisque, quibus hactenus ſe cumulauerat, beneficiis. Non enim de adorationis iſtius cauſſa ſatis inter ſe viri docti conueniunt; cum alii ad Deum eam referant, quibus adeo religioſa fuiſſe videtur, alii ad Ioſephum, qui illam pro ciuili habent. Prior haud dubio praeferenda eſt ſententia; cui etiam ex Ebraeis R. ABEN ESRA, itemque R. SAL. IARCHI ſubſcribunt; quia Paulus apoſtolus hanc adorationem, aeque ac benedictionem filiis Ioſephi impertitam, fidei Iacobi tribuit; *Ebr. XI. 21.* Nimirum fidem ſuam Iacobus demonſtrauerat, petendo a Ioſepho, vt in terra Canaan ſepeliretur. Hoc ipſo enim, vt antea diximus, ſignificauerat, ſe de promiſſionibus diuinis neutiquam dubitare. Iſta fide plenus Deo pro beneficiis tum collatis ſibi, tum poſteris adhuc conferendis, gratias egit. Interpretes LXX habent, προσεκύνησεν ἐπὶ τὸ ἄκρον τῆς ῥάβδου αὐτοῦ, *adorauit ſuper faſtigium baculi ſui*, quam verſionem etiam ſequitur Paulus, *Ebr. XI. 21.* Nec, ſi ſenſum ſpectes, a textu ebraeo vlla eſt diſcrepantia; cum omnino probabile ſit, Iacobum in lecto ſedentem, inclinato paullisper corpore, baculo ſe ſuſtentaſſe. Difficultatem hic ſine omni neceſſitate auget vir doctiſſimus, IO. CLERICVS, verba ebraea vertendo: *atque ad lecti ceruical reclinauit ſe*, vt homines aegri, poſtquam aliquamdiu in lecto ſederunt, cum feſſi ſunt, reclinare caput in ceruical ſolent. Quae ſi admittatur interpretatio, & LXX interpretes, & cum iis Paulum apoſtolum a vero verborum Moſis ſenſu, toto, quod aiunt, aberraſſe caelo, vt dicamus, neceſſe eſt. Quod qua ratione cum θεοπνευστίᾳ Pauli apoſtoli conciliari queat, non video. Cum vero ipſe vir doctiſſimus vſitatiſſimam verbi שחה eſſe ſignificationem, fateatur, qua corporis incuruationem ſeu inclinationem denotat; cur quaeſo ea hic non admittenda? aut quid abſoni eſt, ſi dicamus, Iacobum in lecto ſedentem, innixum baculo, adoraſſe Deum? Vulgatus interpres verba apoſtoli infeliciter reddendo, *& adorauit faſtigium virgae eius*, romanenſibus quibusdam ridiculi erroris occaſionem praebuit,

ac

ac ſi Iacobus ſceptrum Ioſephi adorauerit, vel neſcio quam imagunculam in ſuperiori ſceptri eius parte ſculptam. Vnde porro argumentum pro imaginum adoratione ducunt. Quae quam inepta ſint, nemo non videt. Recte itaque & RICHARDVS SIMON errorem vulgati interpretis correxit, in verſione huius loci gallica, & ſubiuncta adnotatione; conf. & IO. BRAVNIVS ad *Ebr. XI. 21.* Et haec quidem geſta ſunt, cum prima vice Ioſephus Iacobum patrem inuiſeret.

Mox cum nuncium accepiſſet, patrem grauius decumbere, ad illum vna cum filiis Manaſſe & Ephraimo rediit, benedictionem ab illo excepturus. Iacobus commemoratis diuinis promiſſionibus, ſibi in terra Canaan factis, Ephraimum atque Manaſſen adoptauit, filiorumque loco eſſe voluit, vt in hereditate herciſcunda ex aequo partem acciperent, & peculiares tribus conſtituerent, eodem tamen iure denegato reliquis Ioſephi filiis, qui forte poſthac naſcituri eſſent. Cauſſas grauiſſimas Iacobo, vt hoc faceret, fuiſſe, non eſt, quod dubitemus; etſi nobis alia non conſtet, quam quod amorem ſuum ſingularem hac ratione declarare voluerit. Neue quis exiſtimaret, eos pari loco cum fratribus Ioſephi non futuros, eos Rubeni & Simeoni, primum inter eius filios locum tenentibus adaequat. Quae tum porro de Rachele, eiusque ſepultura, ſubiicit, eo pertinere nonnulli credunt, vt Ioſepho eiusque filiis hereditas adſignetur in ea terra, in qua Rachel Ioſephi mater ſepulta eſt, putantque, ſermonem Iacobi *verſ. 7.* interruptum continuari *verſ. 21. & 22.* Alii autem, haec ideo a Iacobo commemorari volunt, vt Ioſepho locus, in quo mater eius ſepulta eſſet, conſtaret, ſi forte oſſa eius in ſpeluncam duplicem, ſollemne illud patriarcharum ſepulcrum, inferre velit. Tum ſequuta eſt ipſa benedictio, ita peragenda, vt manus decuſſatim, dextram Ephraimo, ſiniſtram Manaſſi imponeret. Quod etſi Ioſepho diſpliceret, mutare tamen noluit, ſpiritu prophetico edoctus, numeroſiorem ex Ephraimo, quam ex Manaſſeh, deſcenſurum populum. Prima hic χειροθεσίας ſeu impoſitionis manuum in ſcriptura mentio; cuius deinceps apud Ebraeos vſus longe frequentiſſimus fuit, vt alibi exponitur. In ipſa vero hacce benedictione, luculenta trinitatis in vna eſſentia diuina, ſimul continetur confeſſio. *Deus*, inquit, *in cuius conſpectu ambulauerunt patres mei, Abraham & Iſaac; Deus, qui pauit me a tempore meo vsque ad diem hunc; angelus ille, qui vindicauit me ab omni malo, benedicat pueris iſtis &c.* Vbi nihil pronius, quam vt per Deum, cuius prouidentiam in ſui ſuſtentatione agnoſcit, Deum patrem, per Deum, in cuius conſpectu patres eius ambularunt, quiue adeo eos ſanctificauit, ſpiritum ſanctum, & per angelum redemtorem, filium Dei intelligamus. Pia haec eſt meditatio B. MARTINI LVTHERI noſtri, *comment. ad h. l.* quam pluribus etiam confirmat ABR. CALOVIVS, *ſyſtem. theol. tom. III. p. 82.* De *ange-*

angelo redemtore non vna equidem omnium eſt ſententia. Creatum enim tum romanenſes, tum qui ex Socini ſchola prodierunt, intelligunt: illi vt ἀγγελοθρησκείας hinc argumentum capere queant, hi, ne quid admittere cogantur, quo diuinitas Chriſti demonſtretur. Fuit & in eadem ſententia IO. CHRYSOSTOMVS atque BASILIVS, quibus etiam GEORGIVS CALIXTVS, ad *h. l.* & THEOD. HACKSPANIVS ad *h. l.* itemque IO. CLERICVS ad *h. l.* adſtipulantur. Sed praeferenda omnino illorum ſententia, qui angelum increatum, ſeu filium Dei, intelligunt. Namque primo Iacobus hunc angelum vocat גואל ἀγχιστεύοντα, *adſertorem, vindicem*, qui velut iure cognationis eum ſibi adſerat, qui dicere poſſit: *hic meus eſt*, *Eſ. LXIII. 8.* Quod vt de angelo creato nullatenus dici poteſt; ita, quis ille גואל adſertor Iacobi ſit, diſerte idem vates Eſaias *cap. XLIV. 6.* docet: *Sic dixit Iehouah rex Iſraëlis, adſertor eius, Iehouah, Deus exercituum.* Deinde Iacobus angeli huius non meminit, vt miniſtri a Deo mittendi; non enim dicit, Deus, qui miſit angelum ſuum, idem eumdem porro mittat; ſed eadem prorſus ratione, qua de Deo loquutus erat, etiam de angelo hocce adſertore loquitur, vt cuſtodiam & benedictionem eidem ceu cauſſae principali, vt loqui ſolent, tribuat. Id quod documento eſt, angelum hunc ipſum reuera eſſe Deum, Deique filium. Praeterea benedictionem re ipſa alicui impertire, id non angeli creati, ſed ſolius Dei opus eſt. Non itaque ab angelo, ſed tantum a Deo hoc expetere poterat Iacobus. Quod ſi angelus creatus intelligeretur, ſenſus eſſet, quod pro nepotibus ſuis intercedere apud Deum, & ita benedictionem impetrare iis debeat. At eiusmodi interceſſionem ab angelis expetendam, non tantum probari ſcripturae teſtimoniis nequit, ſed eidem prorſus aduerſatur; cum viam ad idololatriam muniat. Nec praetermittendum, quod eum angelum adſertorem ſeu vindicem *ab omni malo* vocet. Si ab *omni malo* eum vindicauit, ergo etiam a peccato & poteſtate diaboli, quod profecto ſolius Dei opus eſt. Denique non de pluribus, ſed de vno angelo loquitur, quem ἐμφατικῶς הגואל *illum redemtorem* adpellitat, digitum velut intendens ad beneficia quaedam inſignia, quae ab illo acceperat. Illum nimirum angelum adſertorem indicare cupit, qui in ſomnio illi dixerat: *vidi omnia, quae tibi fecit Laban*, quiue fuit verus Deus, *Geneſ. XXXI. 12. 13.* illum, quocum colluctatus eſt, & a quo benedictionem petiit & impetrauit, *Geneſ. XXXII. 24. 26.* quemue ipſum Dei filium fuiſſe, ſupra iam demonſtrauimus; illum, qui ei adparuit, promiſſionemque patribus eius factam de terra Canaan repetiuit, ſeque verum Deum eſſe, teſtatus eſt, *Geneſ. XXXV. 7. 9. 10.* Antiquis eccleſiae doctoribus, qui ſecus ſentiunt, vel ſolus opponendus ATHANASIVS, qui *orat. IV. contra Arianos, tom. I. oper. p. 464.* rem omnem luculenter euicit. Ad rationes a IO. CLERICO pro ſententia con-

contraria adlatas, iam reſpondit SALOM. DEYLINGIVS, *obſeruation. ſacrar. part. II. obſeruat. VII. p. 74. ſeqq.* Benedictione finita, Iacobus Ioſepho eiusque filiis certam hereditatem in terra Canaan adſignat, denuo hac ratione & fidem ſuam, quam diuinis promiſſionibus habebat, & adfectum erga Ioſephum ſingularem teſtaturus. Cum vero Iacobus dicat, ſe eam portionem *accepiſſe e manu Emoraei gladio ſuo & arcu ſuo;* haud exigua hinc interpretibus creata eſt difficultas. Nonnulli enim ad factum filiorum Iacobi, qui Sichemitas contrucidarunt, hoc referunt, ac ſi hac ratione illa terrae portio velut iure belli ceſſerit Iacobo. Verum cum vir ſanctiſſimus hocce filiorum facinus maximopere deteſtatus ſit; non eſt credibile, eum ſub vitae finem hoc velut pro ſuo venditaſſe, & ita aperte illud adprobaſſe. Nec ex facto longe iniquiſſimo, Iacobo aut filiis eius, vllum ius in iſtam regionem adquiri potuit. Quodſi moribus gentium aliquando inualuit, vt hoſtibus quocumque modo erepta victoribus cederent, eos tamen ceu impios & iniquos Iacobum imitatum, a pietate viri prorſus alienum eſt. Neque hinc te expedias, ſi vel maxime per *arcum* & *gladium* preces & orationem cum ONKELOSO & HIERONYMO intelligas; cum nec precibus a Deo expetere fas ſit, quae iure nobis vindicare non poſſumus; ne dicam, quod ſine neceſſitate ad allegoricas eiusmodi explicationes non ſit recurrendum. Miſſis itaque reliquis ſententiis, proxime ad veritatem illos accedere exiſtimo, qui Iacobum prophetice de re futura quaſi iam facta loqui exiſtimant, & ſibi tribuere, quod liberi olim facturi erant, propter ſanguinis nominisque communionem. Ex ebraeis doctoribus hanc etiam ſententiam calculo ſuo adprobant R. A. BEN ESRA, & R. LEVI BEN GERSON. Atque haec quidem poſtquam Iacobus cum Ioſepho egiſſet, reliquos etiam ad ſe vocauit filios, bene & iis precaturus, ſimulque futuram poſterorum pariter ac eccleſiae, ex ſingulari Numinis inſtinctu, ſortem praedicturus, *Geneſ. XLIX.*

Illuſtre autem inter reliqua maxime eſt illud de ſceptro a tribu Iudae non aufferendo, vaticinium *verſ. 10.* de quo nonnulla obſeruare, ab inſtituti ratione non erit alienum. Primo dicitur: לא יסור *non recedet;* ſcilicet, poſtquam ſemel ſummam illam dignitatem obtinuerit tribus Iuda, ab ea non aufferetur. Non itaque qualiscumque reipublicae concuſſio aut debilitatio hac voce indicatur, ſed plena euerſio & deſtructio, qua ſummum imperium prorſus amittit, & respublica eſſe deſinit. Eodem ſenſu de Aegypto *Zach. X. 11.* dicitur: ושבט מצרים יסור & *ſceptrum Aegypti amouebitur.* Explicationem hanc euentus comprobauit, vt deinceps demonſtrabimus. De voce שבט, ex qua haud exigua pars ſenſus huius oraculi pendet, variae ſunt interpretum ſententiae. Conſtat, eam proprie *virgam*, ſeu *baculum*, ſignificare, quae

acceptio cum hic locum non inueniat; nihil aliud ſupereſt, quam vt metonymice pro regimine ſeu ſummo imperio, ſiue per reges, ſiue alia ratione adminiſtretur, hic capiatur; idque prout actu ſeu ipſo exercitio, non ſaltem potentia ſeu iure, penes populum ſeu magiſtratum exſiſtit. Falluntur enim citra controuerſiam, qui virgam caſtigationis hic intelligunt; quod Iudaeorum quorumdam eſt ſubterfugium, apud IO. CHRISTOPHORVM WAGENSEILIVM, in *confutat. carmin. Lippmann. p. 327.* conf. & BASNAGIVS, *hiſt. iud. lib. IV. cap. XXI. p. 302.* Mira eſſet haec benedictio, quae virgas & flagella promittat. Praeclarum quid & valde eximium, quod tribus Iudae ſe prae ceteris efferre queat, inſinuari, res ipſa docet. Calamitates equidem etiam varias ſua culpa experti ſunt Iudae poſteri; non minus tamen & reliqui Iſraëlitae experti ſunt. Accedit, quod paraphraſtae chaldaei, veteresque Ebraei huic interpretationi repugnent. Nec qualiſcumque ſaltem praerogatiua, qualis forte rectorum ſcholae eſt, aut forma & ratio tribulis, hac voce deſignatur; quorum illud R. ISAAC ABARBANEL, in *pentateuch. fol. 121.* hoc, poſt MENASSEH BEN ISRAEL, IAC. ALTINGIVS, de *Schilo, lib. III. cap. II. p. 142* intelligunt. Amplius enim quid & longe nobilius ſceptri voce indigitatur, quam vmbraticum aliquod ſcholae regimen; vnde prior ſententia corruit. Poſterior autem cum per tautologiam ſenſum plane ineptum gignat, itidem admitti nequit. Nec vero in alterum extremum ita procurrendum, vt in ſpecie per ſceptrum ἀξίωμα βασιλικὸν intelligatur, quippe quod cum euentu itidem conciliari nequit. Regia enim dignitas in tribu Iudae cum Zedekia, adeoque diu ante aduentum Meſſiae, deſiit. Vnde Iudaeis in difficultates inextricabiles nos coniiciendi occaſionem ſuppeditant, qui ita ſentiunt. Nec hinc te expedias, ſi vel maxime cum PETRO DANIELE HVETIO diſtinguas inter *poſſeſſionem & vſurpationem; demonſtrat. euangel. prop. IX. cap. IV. §. VIII. p. 623.* Nihil enim Iudaeis pronius tum erit, quam inde concludere, hodie adhuc penes ſe ſummum imperium poſſeſſione & iure eſſe, etſi actu & vſurpatione illud non habeant. Felicius equidem hinc emergunt, qui particulam ו in voce מחקק disiunctiue accipiunt; ſed quid & hac de re cenſendum ſit, mox dicemus. Nunc id ſaltem addo, non deeſſe exempla, quibus probari poteſt, ſceptri nomine generatim ſummum imperium ſeu τὸ κύριον in republica denotari; vt patet ex *Iud. V. 14. Eſa. XIV 5. Ezech. XIX. 11. 14.* Conſentiunt ONKELOS, LXX interpretes, & SYMMACHVS, generatim imperium ſeu ſummam dignitatem intelligentes; etſi Hieroſolymitanus paraphraſtes & IONATHAN de regia dignitate hoc capiant. Cum vero porro dicitur; מיהודה ſpeciatim tribum Iudae a ceteris diſtinctam deſignari, palam eſt. Huic enim benedictio haecce deſtinatur. Vnde errant, qui

qui vniuerſum populum Iſraëliticum intelligunt; quibus exemplum praeiuit EVSEBIVS, *lib. III. demonſtrat. euangel. cap. I. ſeqq.* add. ISAACVS CASAVBONVS, in *exercit. I. ad adparat. Baronii, num. II. III.* Conſtat equidem, poſt captiuitatem Babylonicam tribui Iudae Beniaminitas & Leuitas fuiſſe admixtos, immo & Iſraëlitas plurimos ex aliis tribubus; ſed hoc non obſtat, quo minus penes tribum Iuda ſpeciatim imperium fuiſſe dicatur. Voce מחקק legislatorem ſeu magiſtratum, qui non tantum habet ius leges ferendi, ſed & latas interpretandi, & ſecundum eas ius dicendi, denotari, plerorumque eſt ſententia. Cumque iſta vox ἐξηγητικῶς voci שבט addatur, vt itidem ſummum imperium, ſed prout per facultatem legislatoriam & iudiciariam ſe exſerit, ſignificet; particula ו vim ſuam & ſignificationem ordinariam, quae copulatiua eſt, retinet, vt ſenſus ſit: *neutrum, neque ſceptrum, neque legislator, a tribu Iudae recedet.* Neque fruſtra iſta vox additur. Etſi enim vtraque τὸ κύριον ſeu ſumma poteſtas ſignificetur; hoc tamen intercedit diſcrimen, quod prior ipſam adminiſtrandi rempublicam facultatem, poſterior, facultatem legislatoriam & iudiciariam ſignificet. Quae licet in ſummo imperio coniuncta ſint; ſeorſim tamen ſpectari poſſunt, interdum etiam ſeorſim a diuerſis in vna eademque republica adminiſtrantur. Atque haec cum ita ſint; fruſtra excipiunt Iudaei, licet ſceptro deſtituantur, eſſe tamen ſibi adhuc hodie מחקקים legisperitos, interpretes, doctores. Etenim perperam ſupponunt, haec disiunctiue poni; cum potius coniunctiue accipienda ſint. Deinde vox מחקק non interpretem ſeu doctorem legis, ſed legislatorem & iudicem ſignificat, adeoque facultatem cum ſummo imperio coniunctam, ſeu ex eo fluentem, certe talem, quae ſine ſummo imperio eſſe nequit. Singularis eſt ſententia IO. CHRISTOPHORI WAGENSEILII, cuius peculiaris de loco *Gen. XLIX. 10.* exſtat diſſertatio ad CHRISTOPHORVM ARNOLDVM, in *faſciculo quinto opuſculorum ad hiſtoriam & philologiam ſacram ſpectantium, p. 205. ſeqq.* Exiſtimat enim, voce מחקק ducem in republica regulumque ſignificari, non ſummum principem, ſceptro vtentem, gaudentemque abſoluta poteſtate, ſed talem, qui ab altera poteſtate dependet, eamque venerari cogitur, quales duces ab omni memoria multi fuerint. Proinde R. SALOMONEM IARCHIVM ſequutus, τὸ שבט de *magiſtratu ſummo*, τὸ מחקק autem de *inferiori* ſeu *dependente* exponendum eſſe, cenſet. Hinc etiam particulam ו disiunctiue potius explicandam exiſtimat; cum vno eodemque tempore Iudaeorum tota reſpublica, vel nobilior eius pars, iudaica ſcilicet tribus, cum ſociis, & a regibus & a ducibus gubernari non potuerit. Quae quidem viri doctiſſimi ſententia, ſi adplicationem, de qua deinceps, ſpectes, concinna ſatis atque ingenioſa eſt. Facitque ad eam confirmandam, quod LXX interpretes

Digitized by Google

vocem מחקק reddiderint per *ἡγέμενον*; quemadmodum & vulgatus interpres per *ducem*. Nec exempla deſunt, quibus probari poteſt, particulae ו vim eſſe diſiunctiuam. Sed vt hoc loco eam diſiunctiue capiamus, nulla nos cogit neceſſitas. Et licet inferiores magiſtratus interdum facultatem legislatoriam & iudiciariam, ſed dependenter habeant, & hoc ſenſu מחקקים dici queant; non tamen de ducibus bellicis, mea opinione, aeque haec vox capi poteſt. Non tantum enim origo eius & deriuatio a verbo חקק, quod ſignificat *ſtatuere, decernere*, ſed & vſus earum quoque vocum, quae ab eadem radice deſcendunt, repugnat. Rectius itaque receptam retinemus ſignificationem, qua talem denotat, qui facultatem legislatoriam, ſeu iudiciariam habet. Cum autem, vti dictum, talis facultas vel dependenter vel independenter penes aliquem eſſe ſoleat; qualis hic intelligenda ſit, ex adplicatione patebit. Plus negotii interpretibus faceſſiuit, quod ſequitur: מבין רגליו *a pedibus eius*. Nonnulli, ad eam reſpici conſuetudinem, putant, qua diſcipuli in ſcholis Ebraeorum ad doctorum pedes ſedebant, ac ita erudiebantur; vid. *Act. XXII. 3.* vt ſenſus ſit: *non deerunt doctores inter Iudaeos, ad quorum pedes diſcipuli ſedeant, donec veniat Meſſias.* Alii per רגליו pedites, ſeu exercitum pedeſtrem, quo plurimum valuerint Iudaei, intelligunt, ac ſi ſenſus eſſet: *non receſſurum eſſe ducem belli ex medio militum eius.* Quibus expoſitionibus quid opponi queat, cum per ſe pateat; non eſt, vt iis conuellendis immoremur. Fateor autem, facilius eſſe, hic aliorum ſententias reiicere, quam talem proferre, quae omnibus ſatisfaciat. Nonnullis res tam deſperata viſa eſt, vt, non aliter, quam textus correctione, ſenſum commodum erui poſſe, exiſtimauerint. Occaſionem illis praebuit codex Samaritanus, qui habet דגליו, vt ſenſus ſit: *non auſſerendum belli ducem de vexillis eius, inter quae verſari ſolet, donec venerit Schilo.* Placuit haec interpretatio ſummo quondam viro IOBO LVDOLPHO, qui eruditis eamdem examinandam propoſuit; eamdemque calculo ſuo comprobauit IOAN. CLERICVS, ad *h. l.* Eo magis etiam ſe commendat, quod vnius litterae ſaltem ſtatuatur mutatio, quae inter litteras forma inter ſe fere conuenientes, facile contingere poteſt. Sed quantumuis ingenioſa haecce videatur coniectura, nec auctore ſuo ſit indigna; religioni merito nobis ducimus, ebraei textus integritatem vlla ratione ſollicitare, lectionemque conſtanti codicum manuſcriptorum fide & antiquiſſimorum interpretum conſenſu firmatam, vocare in dubium. Qui ſemel hoc licitum putat, impedire nequit, quin fiat ſaepius. Quanta etiam Samaritici codicis ſit auctoritas, aliunde conſtat. IOAN. CHRISTOPHORVS WAGENSEILIVS, dum rationibus variis oſtendit, cur iſta mutatio textus admitti nequeat, & aliorum quoque expoſitiones refellit, ipſe tandem

in

Digitized by Google

in eam ſententiam ingreditur, pedes per translationem pleriſque gentibus familiarem ſignificare id, quod in re qualibet vltimum, ſeu, quod eſt rei finis, ſeu quod poſtremum poſt aliud ſequitur, id quod ex locis *Exod. XI. 8. II. Reg. III. 9.* comprobat. Repraeſentari itaque in hoc oraculo, ait, ſtatum futurum reipublicae iudaicae inſtar perſonae, quae manu ſceptrum geſtet, quae pedibus conſiſtat, & iuxta eos duces & ἄρχοντας habeat. Per pedes itaque non minus hic, quam in illa Nabuchodonoſoris ſtatua, vltima & poſtrema tempora intelligit, vt adeo a pedibus Iudae ii aufferendi dicantur, quibus ſeri illius nepotes cariturí erant, ſeu quos vltima reipublicae aetas luxit, deſiderauitque; *loc. cit. p. 231.* Quae quidem expoſitio nititur hypotheſi, ac ſi generatim fata reipublicae iudaicae hocce vaticinio exhibeantur; quae quouſque admitti queat, deinceps videbimus. Hinc vero ſi diſcedas, longe nimis hanc explicationem petitam, nemo non intelligit. Idem cenſendum de illorum ſententia, qui verbis מבין רגליו morem ac habitum leonis exprimi cenſent, dum incubat praedae ſuae, quam adcubando inter pedes ſuos ita ſeruat, ac tenet, vt nemo eam ipſi facile eripiat. Etſi enim, quae *verſ. 9.* praecedunt, huic interpretationi fauere videantur; nullum tamen ceteroquin indicium adparet, huc ea verba referenda. Nec enim aut ſceptrum, aut legislatoria poteſtas, praedae inſtar cenſenda erant, nec omni tempore inimicis ſuis Iudaei talem incuſſerunt timorem, vt cum leone comparandi veniant. Mihi maxime probantur, qui has voces de natiuitate naturali explicant, vt ſenſus ſit: *non recedet ſceptrum de Iehudah, nec legislator (natus) ab inter pedes eius,* hoc eſt, ſemper erunt iudices, & legumlatores, interpretesque ex tribu Iudae orti, donec veniat Schiloh. Suffragatur huic interpretationi D. SEBAST. SCHMIDIVS, qui addit: *τὸ eſſe ab inter pedes alicuius eſt elegans & modeſta deſcriptio natiuitatis eius, non tantum a matre, ſed etiam a patre, ſicut alias filii e femoribus patrum exire dicuntur; comment.* ad *h. l.* Nec dubitabit de hac interpretatione, qui genuinam ſignificationem & emphaſin particulae מבין recte ſecum expenderit. Accedit, quod magno conſenſu antiquiſſimi interpretes ONKELOS, IONATHAN, paraphraſtes Hieroſolymitanus, LXX interpretes, & vulgatus, has voces ita expoſuerint; quorum in re dubia atque obſcura minime ſpernenda eſt auctoritas. Eamdem interpretationem ſequitur IOAN. HARDVINVS, etſi alia ratione ſenſum oraculi Iacobaei prorſus peruertat. Ita enim hoc explicat: *Erunt ex Iuda reges, principes, duces, nec defuturi ſunt ex ea regum ſtirpe primogeniti maſculi ex maſculis eiusdem familiae nati, qui ſint propterea hereditario iure, etſi non ſemper facto, vt iurecouſulti loquuntur, reges ac duces populi, donec veniat, appareatque is, qui mittendus eſt, vt ſit dux & ſaluator populi ſui &c.* in

 chro-

chronolog. veter. teſtam. p. 523. Verum duo fruſtra ſupponit HARDVINVS: alterum, per duces de femore eius, intelligendos primogenitos e familia Dauidis, alterum, per ſceptrum ius ſaltem ad coronam intelligi, quod nulla mutatione nullaue praeſcriptione auferri queat. Sed in adplicatione quoque iſta HARDVINI ſententia non recte ſe habet; quod cum ab aliis iam oſtenſum ſit, hiſce diſcutiendis non immorabimur. In ipſo potius oraculo explicando pergimus, deque verbis, quae ſequuntur: עד כי־ יבוא obſeruamus, ea cum latitudine quadam intelligenda. Non enim id ſignificant, eo momento, quo Schiloh venerit, repente & quaſi vno ictu deiiciendum regimen & ſynedrium iudaicum; ſed ſenſus eſt: circa illud tempus, quo Schiloh venerit, inſtare reipublicae iudaicae ruinam, vltimamque perniciem, ita vt ſi penitus deſtructa peſſundataque fuerit, hoc ſignum ſit certiſſimum, Schiloh ſeu Meſſiam iam veniſſe. Perinde eſt, ſiue vocem יבוא explices per *veniat*, an per *venerit*. Poſterior expoſitio illis inſeruit, qui per totalem euerſionem reipublicae iudaicae ſceptrum demum ablatum cenſent, quod factum, cum iam veniſſet Chriſtus; prior autem illis, qui a Pompeio, paullo ante Chriſti natiuitatem, ſceptrum ablatum putant. Qua de re deinceps. Iudaeorum ineptiae, qui, vt cauſſae peſſimae conſulant, particulam עַ־ כי diſſoluunt, & priorem vocem de *aeternitate* explicant, alteram per *quando* reddunt, vt ſenſus ſit: *ſceptrum a Iuda non auferetur in aeternum; quando venerit Schiloh*, ne dignae quidem ſunt, quae refutentur.

Quis vero tandem eſt ille, ante cuius aduentum non eſt deſtruenda reſpublica Iudaeorum? Schiloh vocatur Iacobo. Quod nomen quid ſignificet, inter ſe prorſus non conueniunt viri eruditi. Illos plane non moramur, qui vocem hanc corruptam ſibi perſuadent, legendumque putant שילוח; cum ſuae ſententiae non aliud adferre argumentum poſſint, quam vulgati interpretis auctoritatem. Nec, a Iudaeis textum corruptum, dici poteſt, cum ex antiquiſſimis huius gentis doctoribus nonnulli aperte fateantur, hic de Meſſia ſermonem eſſe. Multo minus in gratiam LXX interpretum recepta lectio ſollicitanda, qui habent: *τὰ ἀποκείμενα αὐτῷ*, vel, vt alii codices legunt: *ᾧ ἀπόκειται*, vnde nonnulli colligunt, eos legiſſe שֶׁלּוֹ Quamquam alii contendunt, ita eos vertere potuiſſe, etiamſi legerint שילה. Sed cum reuera in illa LXX interpretum verſione nullus ſenſus ſit; cur non hanc potius, quam textum ebraeum, corruptam ſtatuamus? Valde namque placet mihi illorum coniectura, qui LXX interpretes eodem circiter modo, quo Chaldaeus, hanc vocem expreſſiſſe, ſuſpicantur. Chaldaeus autem ita vertit: עד דייתי משיחא דדיליה הוא מלכותא *donec veniat Meſſias, cuius eſt regnum.* Veroſimile itaque LXX ſimile quid dicere voluiſſe, donec ſcilicet veniat

ὁ χρι-

ὁ χριστὸς, ᾧ ἀπόκειται ἡ βασιλεία. Quidquid huius ſit, de ebraei textus integritate cum dubitandum non ſit; id ſaltem ſupereſt, quid iſta vox tandem ſibi velit? Inter varias, quae hac de re exſtant, ſententias, duae prae reliquis celebres ſunt. Prima illorum eſt, qui vocem שילה exponunt, per *filium eius*, prouocantes ad vocem cognatam שליה, *ſecundina*, *Deut. XXVIII.57.* quamquam non deſint, qui & ibi foetum recens editum, & a ſecundinis denominatum, a Moſe deſignari, contendant. Interim inde colligunt, שיל per ſynecdochen denotare foetum vel filium, quod inſuper ex cognata voce שליל probant, quae apud ſcriptores talmudicos embryonem ſignificat. Patronos haec ſententia habet ALPHONSVM TOSTATVM, RAYMVNDVM MARTINI, & IOSEPHVM VOISINIVM, PETRVM quoque GALATINVM, aliosque. Altera non minus celebris illorum eſt, qui hanc vocem deriuant a שלה *tranquillus*, *pacificus*, *proſper fuit*, vt adeo שילה idem ſit, ac *tranquillator*, *pacificator*, *ſaluator*; paucis שר שלום *princeps pacis*. Subſcribunt ei HIERONYMVS AB OLEASTRO, FRANCISCVS VATABLVS, SEB. CASTALIO, & alii. Eaque reliquis omnibus mihi praeferenda videtur. Nec deſunt eiusdem formae nomina in lingua ebraea, vt קיטור *Geneſ. XIX. 28.* קימוש *Hoſ. IX. 6.* פישון *Geneſ. II. 11.* פינן *Geneſ. XXXVI. 41.* & ne quis circa ה quieſcens in fine dubium moueat, ipſa vox שלמה. Quod autem res ipſa in Meſſiam quadret, eum ſcilicet principem pacis eſſe, adeo manifeſtum eſt, vt ſuperuacaneum foret, id probare velle. Haec ſententia, quae dubio fere carere videtur, minime IO. CLERICO ſe probauit, qui, שילה poſitum eſſe pro שילו exiſtimat, huiusque vocis ſignificationem eſſe *finis eius*. Quod vt probet, שיל iuxta linguae ebraeae analogiam deduci poſſe a radice שול, contendit, hoc autem verbum conuenire cum שלה, quod apud Chaldaeos ſignificet *ceſſare*, *deſinere*. Quae quam longe petita ſint, nemo non videt. Quid enim obſtat, quo minus a verbo שלה, quod vſitatiſſimum eſt in lingua ebraea, deriuetur? Quae nos neceſſitas cogit, vt a שול potius, quam שלה hanc vocem deriuemus, idque ea ratione, vt nihilo ſecius verbi שול ſignificatio a Chaldaeorum שלה ſit repetenda? Anologiam grammaticam non obſtare, ex antea dictis conſtat. Sed nec ſenſus commodus reſultat, ſi viri doctiſſimi ſententia admittatur. Siue enim hunc ſenſum ſtatuas: *Semper erunt reges in Iuda, donec eius erit finis;* ſiue illum: *donec Iudae tribus incolumis erit, numquam regnum amittet, ſemel ſibi in Dauidica familia collatum*, neuter admitti poteſt. Prior enim reuera abſonus eſt; poſterior cum euentu pugnat; cum diu antea reges ex tribu Iuda eſſe deſierint, quam reſpublica deſtructa fuit. Et certe nihil eximii Iacobus hic Iudae pollicitus eſſet, ſi nihil aliud ſibi voluiſſet, quam regnum in Iuda ad tribus interitum vsque permanſurum. Nec operae profecto pretium

eſt,

eſt, tam operoſe aliquid comminiſci, non alium in finem, quam vt praeſidia firmiſſima chriſtianae religionis contra Iudaeorum incredulitatem deſtruantur. IACOBVS GVSSETIVS itidem nouam vocis huius originem commentus eſt, in *comment. linguae ebraeae*, *p. 425.* Contendit namque שילה eum ſignificare, *qui laboribus grauiſſimis premitur, & cui purificatio gentium competit.* Vocem שילה enim a verbo להה deſcendere putat, quod ſignificat *languere, moleſtia & aegritudine deficere, miſerrime laborare, Geneſ. XLVII. 13.* Quae vocis שילה interpretatio etſi a re ipſa non ſit aliena, ſed muneri & officio Chriſti optime conueniat, vel ideo tamen locum non inueniet, quod non ſine magnis ambagibus ex להה fieri poſſit שילה. Nulla itaque ratio eſt, cur eam, quam antea propoſuimus, vocis huius a verbo שלה deriuationem deferamus. Id ſaltem ſupereſt, vt disquiramus, quis itaque ille ſit, qui nomine שילה hic deſcribitur? Meſſiam eſſe, non tantum chriſtiani plerique magno conſenſu credunt, ſed ex ipſis Iudaeis longe praeſtantiſſimi, etſi hi circa adplicationem in diuerſa abeant. Idque comprobari luculenter poteſt; primo quidem ex deſignatione temporum, quia Iacobus praedixit, quae באחרית הימים erant euentura, qua phraſi tempora Meſsiae exprimi ſolent; conf. *Eſa. II. 2. Mich. IV. 1. Ebr. I. 1.* Deinde ex concinna totius oraculi adplicatione, quae ita ſe habet, vt abunde conſtet, in neminem rectius & plenius cuncta quadrare, quam in Meſsiam. Accedit introitus ad hoc vaticinium ἐμφατικότατος, quo de Iuda ea ſe dicturum Iacobus profitetur, ob quae omnibus ſaeculis ſit ab omnibus fratribus praedicandus; ne quid de eo dicam, quam adcurate euentus haec omnia comprobauerit. Iudaeorum per שילה Meſsiam intelligentium teſtimonia iam ab aliis adlata ſunt, nec profecto in re tanti momenti parui facienda. Vid. IO. CHRISTOPHORVS WAGENSEILIVS, *diſſertat. cit. p. 231. 232.* Ipſe quoque IO. CLERICVS haec teſtimonia agnoſcit, ſimulque obſeruat, vnum fere ex celebrioribus ebraeae gentis doctoribus huic ſententiae aduerſari, ſcilicet R. ABEN ESRA, qui Dauidem ex tribu Iudae regem deſignari contendat; cuius ipſe ibidem refellit ſententiam. Fruſtra autem idem vir doctus horum teſtimoniorum eleuare pondus adnititur; cum eorum potius vis ſit longe maxima, inde potisſimum aeſtimanda, quod Iudaeorum cauſſae prorſus aduerſentur. Nec reliqua, quae idem contra communem ſententiam adfert, nos morabuntur; cum ea ab aliis iam diſcuſſa meminerimus. Vltima denique illuſtris huius oraculi verba haec ſunt: ולו יקהת עמים *& illi erit adgregatio populorum.* Quae itidem diuerſimode explicantur. LXX interpretes ea reddunt: καὶ αὐτὸς προσδοκία ἐθνῶν, quos ſequutus vetus interpres latinus tranſtulit: *& ipſe erit exſpectatio gentium.* Huic interpretationi illorum fauet ſententia, qui vocem יקהת a verbo

קוה

קוה *exſpectare* deriuant, mutato ו in ה. Adprobat etiam eamdem ſuo calculo vir doctiſſimus IO. CLERICVS, at ea ratione, vt vocem iſtam rectius per *conuentum* verti exiſtimet; quia radix קוה in coniugatione Niphal *adgregari* ſignificet. Ad rem ipſam vero quod attinet, *conuentum & adgregationem Iſraëlitarum*, in agrum tribus Iudae intelligit, ſcilicet ad iudices regios Hieroſolymitanos, aut ad regem ipſum, ſi quid litis difficilioris inter eos eſſet, aut ſimilem ob cauſſam. Verum cum poſt Salomonis tempora eiusmodi conuentus Israëlitarum ad tribum Iudae non fuerint; haec omnia fruſtra dicuntur. Nititur praeterea haec ſententia praua interpretatione vocis שילה, quam cum iam reiecerimus, & haec ſua ſponte corruit. Mitto reliqua, quae opponi poſſent, & ab aliis iam oppoſita ſunt. IACOBVS GVSSETIVS nomen יקהה deducit a נקה *mundum, purum eſſe*, in Niphal: *innocentem adſeruit ſe, inſons fuit vel declaratus eſt*, vnde nomen: יקהה *purgatio*, vt ſenſus ſit: *& ipſi purgatio vel purificatio populorum competit.* Quae interpretatio cum re ipſa bene equidem conuenit, cum Chriſtus omnino ſit purificatio omnium gentium; at deriuatio iſta vocis repugnat analogiae grammaticae. Propius itaque ad verum accedunt, qui ONKELOSI & Hieroſolymitani paraphraſtarum veſtigia legentes, vertunt: *& ei erit obedientia populorum*, vt ſenſus ſit: eius praeceptis ac mandatis morem gerent & obtemperabunt. Namque etiam *Prouerb. XXX, 17.* vbi ſemel adhuc vox יקהה occurrit, nihil obſtat, quin *obedientiam* ſignificet; quae etiam R. KIMCHI in *libro radicum* eſt expoſitio; conſentientibus & aliis ebraeae gentis doctoribus. Accedit, quod nonnulli, praeeunte LVDOVICO DE DIEV, vocem יקהה a radice יקה deriuant, quae apud Arabes *obedire, reuereri* ſignificat.

Iam ergo cum de ſenſu oraculi Iacobaei, ſingulorumque verborum, conſtet; de complemento eius paucis aliquid addendum eſt; vt ita difficultates, in adplicatione occurrentes, remoueamus. Nimirum iam pridem recte obſeruarunt viri eruditi, perpetuum imperium tribui Iudae in hocce vaticinio promitti, temporale quidem ad certum tempus, ſed finito temporali, ſpirituale ad finem vsque mundi duraturum. Non enim dicitur: *cum venerit Schiloh, tunc omni modo ceſſabit;* ſed: *& huic erit obedientia populorum:* Conf. SEB. SCHMIDIVS, in *colleg. bibl. priori, p. 179.* Nec diſſentit PETRVS DANIEL HVETIVS, *demonſtr. euangel. prop. IX. p. m. 619.* etſi in eo calculum noſtrum non ferat, quod putat, hiſce verbis: *non auferetur ſceptrum de Iuda*, aeternam ſceptri poſſeſſionem Iudae promitti. Falli in eo doctiſſimum praeſulem, partim ex dictis intelligitur, partim ex dicendis conſtabit. Senſus namque oraculi diuini eo redit: ex eo tempore, quo ſummum imperium temporale per Dauidem in tribum Iudae conferendum ſit, numquam illud, etſi varia ratione labefactetur, auferendum eſſe,

Digitized by Google

donec veniat Schiloh, per quem idem imperium, ſed modo ſpirituali, ſit continuandum. Qui ſenſus, vt ex verbis huius vaticinii hactenus explicatis ſua ſponte reſultat; ita in adplicatione ſequentes ſe offerunt difficultates: (I) quod in Zedekia regnum Iudae deſierit; (II) nec in captiuitate babylonica duraſſe, dici poſſit; (III) poſt captiuitatem babylonicam ſub Perſarum & hinc Syrorum regum iugo conſtituta reſpublica iudaica ſupremi imperii fuerit expers; (IV) immo in ipſa Iudaeorum republica ſumma poteſtas ad Haſmonaeos fuerit translata, ex tribu Leui oriundos; (V) ab his vero ad Herodem tranſierit, ἀλλόφυλον, vt plerique putant, gente quippe Idumaeum; (VI) & tandem diu adhuc ante Chriſtum natum ad Romanos, quorum quippe imperio iam pridem ſubiecti erant Iudaei, cum Chriſtus naſceretur. Has difficultates vt tollerent, varias viri docti ingreſſi ſunt vias. Ingenioſa prae reliquis videtur ſententia IO. CHRISTOPHORI WAGENSEILII, *diſſ. cit.* per שבט regiam dignitatem, per מחקקים autem duces, ſeu magiſtratum inferiorem, ac dependentem, intelligentis. Hinc enim concludit, vniuerſam reipublicae iudaicae, quatenus ex Iudae maxime poſteris conſtabat, faciem & fata velut in tabella quadam in hocce vaticinio repraeſentari. Primo a Dauide regiam dignitatem in tribum Iudae illatam, continuatam in ea iuſto ordine fuiſſe vsque ad Zedekiam. Sequuta hinc captiuitate babylonica, Iudaeos ſceptrum ſeu regiam dignitatem non recuperaſſe, at habuiſſe מחקקים duces, dependentes ſcilicet mox a Perſis, mox a Syris, tandem ab ipſis Romanis, atque adeo magiſtratus inferiores. Et hoc quidem tribui Iudae hic promitti, quod primo reges, deinde duces habitura ſit; nec reſpublica adeo Iudaeorum penitus ſit euertenda, donec venerit Schiloh, ſeu Meſſias. Quae cum concinne ſatis ita dicantur; non aeque firmis nituntur fundamentis, vt ex antea dictis patet. Et poteſt res omnis ſecundum explicationem antea adlatam facile expediri, modo obſeruemus, ſummum imperium, ſpeciatim regiam dignitatem, a Dauide in tribum Iudae illatam; & licet in Zedekia regia dignitas deſineret; non tamen ipſum imperium cum eo deſiit, aut reſpublica penitus euerſa fuit aut deſtructa. Abducti ſane ſunt Iudaei in captiuitatem babylonicam, ſed non diſſipati prorſus & diſperſi: vnde in ipſa babylonica captiuitate vnam gentem, peculiaremque rempublicam, conſtituerunt: nec dubium, quin & magiſtratus ſuos & iudices habuerint; licet ipſum ſummum imperium impeditum fuerit, quo minus actu ab illis exerceretur. Terra quoque iudaica populo huic reſeruabatur, nec alii populi in eius poſſeſſionem mittebantur, quod factum, cum decem tribus iſraëliticae ab Aſſyriis in captiuitatem abducerentur: vnde & terra iudaica tantum ſua habuiſſe *ſabbatha* dicitur. Poſt LXX annorum exſilium in auitas ſedes reuerſi, non quidem regiam dignitatem, reuera tamen imperium, facultatemque rempublicam

Digitized by Google

cam ſecundum ſuas leges & inſtituta adminiſtrandi obtinuerunt, & prout in captiuitate babylonica impedita & quodammodo labefactata erat, recuperarunt. Et licet Perſarum reges adhuc aliquid auctoritatis in Iudaeos ſibi vindicauerint, deinceps etiam hi, deſtructo Perſarum regno, variis Aegypti & Syriae regum iniuriis fuerint expoſiti; ipſa tamen reipublicae adminiſtratio pariter ac facultas legiſlatoria, penes ipſos ſemper permanſit, habueruntque adeo & שבט *ſceptrum*, & מחקקים *legumlatores*. Nomine reipublicae autem imperium adminiſtrarunt duces ſeu principes, quorum primus Zorobabel Salathielis filius, fuit, quem Esdras, Nehemias, aliique exceperunt, donec ad Hasmonaeos ſeu Maccabaeos ſumma rerum transiret. Et hi quidem non ex tribu Iudae, ſed ex tribu Leui fuerunt. Sed hoc nobis non conſtat. In oraculo enim Iacobaeo hoc ſaltem dicitur, quod ſceptrum ſeu facultas adminiſtrandi rempublicam penes Iudaeos ad Meſſiae aduentum vsque permanere debeat; non autem, quod illi, qui reipublicae nomine ſummae rerum praefuturi erant, ex tribu Iudae eſſe debuerint. Reuera itaque imperium penes Iudaeos ſeu tribum Iudae fuit; etſi nomine reipublicae ab illis, qui e tribu Leui erant, adminiſtraretur. Cum vero poteſtas adminiſtrandi rempublicam ad familiam Herodum transiret, vrbe antea & templo a Cn. Pompeio, ciuilibus Iudaeorum diſcordiis excito, occupatis, & Antipatro, qui primus Herodum gentem ad altiorem fortunam euexit, Iudaeae & Syriae procuratore conſtituto, tum demum magis adhuc ſceptrum imminutum, & poteſtas populi labefactata eſt; vnde nonnulli haud ſine ratione initium ablationis ſceptri, ſeu totalis reipublicae iudaicae deſtructionis, hinc accerſunt. Interim ſiue reges tum Iudaea, etſi a Romanis conſtitutos, haberet, ſiue a procuratoribus adminiſtraretur, ipſa reſpublica iudaica adhuc ſubſiſtebat, parsque haud exigua ſummae poteſtatis penes populum iudaicum erat, etſi eam independenter haud exerceret. Profitentur equidem Iudaei, *Ioann. XVIII. 31. nobis non licet interficere quemquam*, vnde ſequi videtur, eos illo tempore non amplius habuiſſe ius ſuppliciorum capitalium. At habuerunt adhuc alias partes ſummi imperii; nec aliud inde ſequitur, quam poteſtatem, quam habuerunt, admodum fuiſſe imminutam. Sed nec id euictum, quod ius ſuppliciorum capitalium prorſus non habuerint. Namque & Pilatus ad eos dixit: *accipite eum vos, & ſecundum legem veſtram iudicate eum*, ſupponens, habere eos poteſtatem, ſecundum legem patriam aliquem iudicandi. Quod & patet ex capitali ſententia, quam aduerſus Stephanum tulerunt, & exſequutioni mandarunt, *Act. VII. 59.* Hoc enim ex impetu ſaltem, aut iudicio zeli factum eſſe, quae quorumdam eſt ſententia, dici nullatenus poteſt. Vnde, vt haec inter ſe concilientur, dicendum, licuiſſe Iudaeis omnino etiam capitali ſupplicio adficere (nam de poenis mi-

noribus nullum eſt dubium) eos, qui contra leges patrias, ſpeciatim in iis, quae ad religionem ſpectabant, peccauerant. Sed ſi quis aliquid commiſerat, quo ſtatus & quies reipublicae turbabatur, aut imperatorum violabatur maieſtas, eius rei cognitionem ad Romani praeſidis pertinuiſſe tribunal, & hoc quidem ſenſu dixiſſe Iudaeos: *nobis non licet* (in tali caſu) *interficere quemquam.* Et haec quidem omnia, quae huc vsque diximus, ſi probe obſeruentur, ad difficultates antea propoſitas facile reſpondere licet. Nimirum I) in Zedekia regia quidem dignitas, non autem imperium, ſeu ſceptrum, in tribu Iuda finem accepit, nec deſiit eſſe reſpublica; II) immo nec in captiuitate babylonica reſpublica eſſe deſiit, vt antea demonſtrauimus; III) multo minus poſt captiuitatem babylonicam, etſi quodammodo Perſarum regibus aliquando paruerit, aut a Syriae ac Aegypti regibus grauiter fuerit adflicta; IV) retinuit ipſa tribus Iudae ſummum imperium, etſi hoc per Haſmonaeos ex tribu Leui oriundos adminiſtraretur; V) idem dicendum de eo tempore, quo reges ex gente Herodum, ſummam rerum ex Romanorum conceſſione obtinuerunt; VI) per ipſos vero Romanos etſi imperium Iudaeorum valde imminutum ſit, praeſertim poſtquam tandem ſynedrium omni poteſtate capitales poenas infligendi excidit, hactenus tamen ipſa reſpublica vtcumque manſit, donec tandem exciſa & euerſa a Tito vrbe Hieroſolyma, reſpublica Iudaeorum prorſus diſſolueretur, Iudaeis hinc inde per vniuerſum terrarum orbem diſpergendis. Idque cum factum ſit, cum iam Ieſus Nazarenus natus eſſet, in quem & reliqua Meſſiae, patribus veteris teſtamenti promiſſi, κριτήρια quadrant; hunc verum illum Meſſiam, vnicumque hominum ſeruatorem eſſe, luculenter inde ſequitur. Atque id nobis demonſtrandum erat. Plura de illuſtri hocce vaticinio dabunt RAYMVNDVS MARTINI, in *pugione fidei*, *part. II. cap. IV.* & IOSEPHVS VOISINIVS, ad *h. l.* PETRVS GALATINVS, de *arcanis catholicae veritatis, lib. IV. cap. IV. ſeqq.* IACOBVS ALTINGIVS, in *Schilo*, *ſeu de vaticinio patriarchae Iacobi, quod Geneſ. XLIX. 10. exſtat, libris quinque, quibus vera interpretatio redditur, ex euentu demonſtratur, & ad Iudaeorum conuictionem adſeritur;* Franecquerae M DC LIX. 4. WOLFGANGVS FRANZIVS, in *ſchola ſacrificiorum, disputat. XI. & XII.* PETRVS DANIEL HVETIVS, *demonſtrat. euangel. prop. IX. p. 600. ſeqq.* IOAN. VORSTIVS, in *diſſertatione de ſceptro & magiſtratu non receſſuris a Iuda &c.* quae exſtat in *faſciculo IV. opuſculorum ad hiſtoriam & philologiam ſacram ſpectantium*, *p. 221. ſeqq.* IO. CHRISTOPHORVS WAGENSEILIVS, in *diſſertatione* ſaepe iam laudata *de loco Geneſ. XLIX. 10.* quae in eorumdem *opuſculorum faſciculo V.* exſtat, *p. 205. ſeqq.* AVG. PFEIFFERVS, in *exercit. de Schiloh filio Iehudah*, quae ſexta eſt inter exercitationes, *dubiis* eius *vexatis* adnexas, *p. 121. ſeqq.* item in *dubiis vexatis* ipſis, *cent. I. loco LXXX. p. 202. ſeqq.*

ſeqq. CAMPEGIVS VITRINGA, *obſeruat. ſacrar. lib. IV. cap. V. p. 901. ſeqq.* CHRISTOPHORI CELLARII *diſſertatio*, de *Cn. Pompeii M. expeditione iudaica, ſiue initio ablati a Iuda ſceptri*, BASNAGE, in *hiſtoria iudaica*, gallice ſcripta, *lib. IV. cap. XXI. p. 296. ſeqq.* SALOM. DEYLINGIVS, *obſeruation. ſacrar. part. II. obſeruat. VIII. p. 79. ſeqq.* aliique. Ad Iacobum vt paucis reuertamur, cum benedictionibus finem impoſuiſſet, *collegit pedes ſuos in lectum, & obiit, adgregatusque eſt ad populos ſuos, Geneſ. XLIX. 33.* Qua loquendi ratione quid indicetur, ſupra iam expoſuimus. Ioſephi autem erga mortuum parentem pietatis officia, & quo pacto eius cura ex voto apud Kiriatharbah, in parentum monumento ſepultus ſit, conſtant ex *Geneſ. L. 1. 2. ſeqq.* Annos autem, cum moreretur, Iacobus natus erat CXLVII.

§. XV.

Pari ratione Ioſephus, * vir inſignis, & pietate ac ſapientia praeſtantiſſimus, cum ad tertiam vsque generationem poſteros ex ſe vidiſſet, in Aegypto tandem mortuus eſt, cum prius Iſraëlitas iure iurando ſibi obſtrinxiſſet, ſe oſſa eius ſecum in terram Canaan adſumturos, ſi eo iterum, quod certo fore confidebat, commigraturi eſſent. Interea autem Iſraëlis progenies, in Aegypto habitans, admodum creſcebat numero, & valde multiplicabatur. **

* Quod ad reliquos Iacobi filios, qui vna cum Ioſepho duodecim patriarchas populi iſraëlitici conſtituunt, attinet, non adeo multa de illis, ſi Iudam exceperis, memoratu digna occurrunt. Interim haec omnia ex Moſaica narratione ſatis ſuperque nota ſunt Mentionem duodecim tribuum Iſraëlis iniicit DIODORVS Siculus, ſed ita, vt adpareat, quae de rebus Ebraeorum gentiles acceperunt, variis commentis ab iis fuiſſe obſcurata. Moſen enim in duodecim tribus hunc populum diuiſiſſe, auctor eſt, *διὰ τὸ τὸν ἀριθμὸν τοῦτον τελειότατον νομίζεσθαι, καὶ σύμφωνον εἶναι τῷ πλήθει τῶν μηνῶν τῶν τὸν ἐνιαυτὸν συμπληρούντων, eo quod exiſtimaret, hunc numerum eſſe perfectiſſimum, & anno duodecim menſibus completo perſimilem;* apud PHOTIVM, *cod. CCXLIV. p. 1151.* Sed aliam diuiſionis huius cauſſam eſſe, adeoque magnopere falli DIODORVM, ex ſcriptura ſacra, cui longe rectius fides adhibetur, conſtat. Nimirum duodecim populi israëlitici fuere tribus, quod duodecim eſſent filii Iacobi. Et licet ille ſuos ex Ioſepho nepotes Ephraimum ac Manaſſen filiorum loco eſſe voluerit, vt ſupra diximus; manſerunt nihilofecius deinceps ſaltem tribus duodecim, eo quod tribus Leui, cultui Numinis conſecrata, peculiarem tribum non conſtitueret. Propius ad veritatem accedunt, quae de Iacobi liberis DEMETRIVS tradit, apud EVSEBIVM, *praeparat. euangel. lib. IX. cap. XXI. p. 422. ſeqq.* recteque ſe habet,

& cum Moſis narratione prorſus conuenit, quod dicit, liberos omnino duodecim Iacobo, ſeptem annis, quibus poſt initum matrimonium apud Labanem vixerat, natos fuiſſe. De libro, cui titulus: *teſtamentum duodecim patriarcharum*, in quo varia ad hiſtoriam & fata horum patriarcharum ſpectantia, deinceps dicemus. Ad Ioſephum quod attinet, fama ſapientiae eius, tantopere in ſcriptura ſacra celebratae, ad exteras gentes etiam perуaſit, vt vel ex TROGI POMPEII epitomaſte, IVSTINO, conſtat; *hiſtor. lib. XXXVI. cap. II.* Sed hac de re deinceps. Quae fata eius ad Iacobi patris obitum vſque fuerint, ex dictis conſtat. Quae autem poſtea ei euenerint, tacente diuino ſcriptore, nos latet, niſi quod fratres mortuo patre ſibi timentes, bono animo eſſe, & optima quaeque de ſe ſperare iuſſerit, addita ratione, ſe eum minime eſſe, qui ſe Deo aequiparare audeat, (ההתחת אלהים אני) ſed potius ſe agnoſcere, diuino ſe non minus, quam illos, ſubiectum imperio, nihilque adeo ſe facturum, quo Numen laedi poſſet. Dicitur etiam *Geneſ. L. 22.* habitaſſe cum domo patris ſui, quod nonnulli ita capiunt, ac ſi non ſeorſim, ſed coniunctim cum fratribus vixerit, vnde porro colligunt, eum vitae aulicae valedixiſſe. Sed verba Moſis hoc ſaltem innuere videntur, quod cum fratribus in Aegypto manſerit: vnde illud minime inde ſequitur. Reliqua, quos ſcilicet ex filiis viderit nepotes, & quae de oſſibus ſuis in terram cananaeam transferendis mandauerit, leguntur *ibid. verſ. 23. ſeqq.* Obiit natus annos CX.

** De gentis iſraëliticae ſtatu, cum in Aegypto commorata eſt, parum aut nihil nobis conſtat. Nec enim Moſes aliud quid, quam quo pacto duriſſima ſeruitute preſſa ſit, commemorat. Fuerunt, qui contenderent, Iſraëlitas aegyptiacos omni ſuiſſe ingenio & cultura deſtitutos, rudesque & rerum omnium ignaros, ſtupidos & tantum non barbaros; praeterea Aegyptiorum exemplo abreptos, idololatriae prorſus deditos. Hanc fere in modum eos depingit IOAN. SPENCERVS, de *legibus Ebraeor. ritualib. lib. I. cap. I. ſect. I. p. 30.* *Iſraëlitas*, inquit, *ſub prima incolatus aegyptiaci tempora ſcientiae diuinae lampada a patribus acceptam habuiſſe, & religionem auitam integram & illibatam tenuiſſe, nobis facile perſuademus. At lumen illud ſaeculis labentibus obſcuratum fuiſſe, plerosque omnes a patrum ſuorum fide tandem deſciuiſſe, & ſuperſtitionis aegyptiacae faeces imbibiſſe, nihil dubitationis apud conſultos habere poteſt.* Nec aliud quid ex dura illa & diuturna ſeruitute conſequi potuiſſe, autumat; quam cum deſcripſiſſet, addit: *Tam ſeruilis autem & infelix viuendi conditio hominum animos anguſtos reddere ſolet, rerum caeleſtium cura vacuos, & in dominorum ſuorum mores & ingenia pronos.* Immo etiamſi in iſta ſeruitute non fuiſſent conſtituti Iſraëlitae, non tamen meliora de illis potuiſſe ſperari, exiſtimat: *Sed ſi conди-*

Digitized by Google

ditionibus aequioribus in Aegypto viuere licuiſſet Iſraëlitis, fieri tamen vix potuit, quin barbaris Aegyptiorum moribus adſueti, mores & ipſi barbaros haurirent, & ab Aegyptis tandem ſolo nomine diſcreparent. Deinde, ſub ea tempora nox coeca & horribilis terrarum orbi incubuit, & idololatria (tamquam peſtis in tenebris ambulans) mortalium pene omnium animos perua ſit; nec facile credi poteſt, Ebraeorum imbecillitatem peſti illi tam late graſſanti reſiſtere potuiſſe. Quod vero de idololatria vltimo loco dixit, id variis ſcripturae ſacrae, ſed & EVSEBII, *lib. VII. de praeparat. euangel. cap. VIII.* teſtimoniis comprobare adnititur. De Iſraëlitarum in Aegypto idololatria deinceps dicemus. Quod ad ingenii culturam & eruditionem attinet, qui eam Iſraëlitis in Aegypto conſtitutis denegant, non vno hoc faciunt conſilio; ſed alii, vt religionem Moſaicam omnium ludibrio exponant, alii, vt oſtendant, Moſen in rebus philoſophicis ad genium & captum populi rudis, & ſublimium non capacis, ſe adcommodaſſe. Vt autem vtrique a ſumma impietate prope abſunt; ita, quae de ruditate & barbarie populi israëlitici eo tempore dicunt, neutiquam admittenda ſunt. Non enim omnis culturae, ſiue eruditionem & ſapientiam, ſiue artes varias ad huius vitae vſum pertinentes, ſpectes, eos expertes fuiſſe, probari facili negotio poteſt. Abrahamum, Iſaacum & Iacobum, rerum diuinarum humanarumque fuiſſe peritos, pro ſaeculi nimirum iſtius conditione, nemo forte negauerit. Etſi enim vera non ſint, quae ſpeciatim de hac aut illa eruditionis parte, in qua excelluerint, a quibusdam veterum dicuntur; qua de re deinceps diſceptabimus; generatim tamen ſapientiae ſtudio eos deditos fuiſſe, res ipſa docet. Quis vero dubitet, quin eam, quam ſibi compararauerant, notitiam ad poſteros ſuos propagauerint? De Ioſepho etiam, ſapientiae praeſtantia, Aegyptiorum omnium oculos animosque in ſe conuertente, hoc eſt certiſſimum. A Ioſepho rurſus, quin filii, & ex reliquis Iſraëlitis multi, varia ad animi culturam ſpectantia acceperint, quis ambigeret? Refertur huc etiam a nonnullis, quod de Iſaſcharis poſteris *I. Paral. XII. 32.* dicitur, quod *fuerint eruditi cognitione temporum,* (יורעי בינה לעתים) *ita vt ſcirent, quid Iſraëli faciendum eſſet,* hoc eſt, vt non male nonnulli interpretantur, quod aſtroromiae fuerint periti, ita, vt neomenias, menſesque digerere & tempora etiam ſollemniorum feſtorum, paſchatis, pentecoſtes, & ſcenopegiae, indicare potuerint. Id vero cum de Iſaſcharis poſteris, qui Dauidis tempore fuerunt, dicatur; dubito valde, an inde quid de ingenio aut ſtudiis Iſraëlitarum aegyptiacorum colligi queat. Quidquid huius ſit, cum apud ipſos Aegyptios litterarum ſtudia iam tum floruerint, vt vel ex *Actor. VII. 22.* conſtat; qua de re & in ſequentibus dicetur; quis credat, Iſraëlitas omnes tam rerum omnium incu-

incurios fuiſſe ac negligentes, vt non ſaltem aliqui hac occaſione fuerint vſi, & ſapientiae aegyptiacae myſteriis animum imbuerint? Non enim de omnibus, quae diſputamus, ſunt intelligenda; cum, vt vbique, ita & apud Iſraëlitas in Aegypto conſtitutos, haud dubio magna ingeniorum fuerit diuerſitas, maior quoque opportunitas quibusdam litterarum ſtudiis ſe dedendi adfuerit, quam aliis. Quosdam itaque excellentiori ingenio praeditos ſtudiis litterarum mentem excoluiſſe, non eſt, quod dubitemus, cum reliquis ſatis eſſet, ea diſcere, quae ad ſummam religionis, quam a maioribus ſuis acceperant, ſpectabant. Artes praeterea varias, ad vitae huius vſum ſpectantes, in hac gente viguisſe, artificum peritiſſimorum numerus, tam ex feminis, quam viris ſeligendus, cum tabernaculum in deſerto conficiendum eſſet, nos neutiquam dubitare ſinit. Praecipuum, quod noſtrae ſententiae obiici poteſt, eſt ſeruitus illa, qua ingenii cultura impedita, vis animi eneruata & oppreſſa, & ſumma tantum non inducta fuerit barbaries. Verum ſi cogitemus, ſeruitutem iſtam non adeo fuiſſe diuturnam, ſed tum demum ortam, cum omnes, qui tempore Ioſephi vixerant, mortui eſſent, *Exod. I. 6.* & rex rerum ſummae praeeſſet, qui rerum a Ioſepho geſtarum plane ignarus erat, *ibid. verſ. 8.* praeterea eam initio leuiorem tolerabilioremque fuiſſe, quam deinceps, *Exod. V. 6. 7. 8.* fuiſſe etiam in gente iſraëlitica iam tum quosdam honoratiores, qui ab operibus ſeruilibus fuere exemti, iisque exigendis praefecti, *Exod. V. 14.* facile patet, ex ſeruitute aegyptiaca non poſſe illud probari, quod diſſentientes ex ea probare cupiunt. Legi omnino merentur, quae hac de re eleganter diſſerit EDMVNDVS DICKINSONVS, in *phyſica veteri & vera, cap. XIX. p. 270. ſeqq.* vbi hac de re ex inſtituto agit. Ad religionem Iſraëlitarum quod attinet, non negauerim, quosdam ſaeculi contagio infectos, & exemplo Aegyptiorum ad idololatriam & ſuperſtitionem abreptos eſſe; quod & haud obſcure ſcriptura ſacra teſtatur, *Ioſ. XXIV. 14.* & *Ezech. XXIII. 3.* Id vero vt de omnibus Iſraëlitis dici nequit; ita veram religionem in hac gente prorſus oppreſſam aut exſtinctam fuiſſe, inde non recte colligitur. An autem & quousque hinc aliquid ſequatur, quod IOAN. SPENCERI, de cauſſis legum Moſaicarum ſententiae corroborandae inſeruiat, ſuo loco diſpiciemus.

§. XVI.

Referendus etiam ad hocce temporis interuallum eſt Iobus,* vir integritatis, ſanctitatis, ac patientiae ſingularis laude inclytus. Etſi enim difficile ſit, de eius aetate certi quid ſtatuere; dubio tamen fere caret, ſaltem rationibus luculentis probari poteſt, eam in illud tempus, quo Iſraëlitae in Aegypto commorati ſunt, cadere.

Digitized by Google

cadere. At liber, in quo fata eius ae ſermones cum amicis deſcribunrur, poſtea demum, incertum a quo auctore, compoſitus videtur.** Ex quanam gente oriundus fuerit, non ſatis conſtat. Recepta equidem multorumque ſuffragiis adprobata eſt ſententia, eum ex Eſaui fuiſſe poſteris: at aliis probabilius videtur, aut a Nachore, Abrahami fratre, aut ipſo Abrahamo, eiusque vxore ſecunda Kethura, eum originem ducere. *** Quidquid huius ſit, id eius exemplo conſtat, hinc inde inter reliquas gentes veri Numinis ſuperfuiſſe cultores, nec in Iacobi tantum progenie veram eo tempore ſubſtitiſſe eccleſiam. Fidem autem ſuam in Meſſiam Iobus tum alia ratione, tum maxime luculenta de eo edita confeſſione, teſtatus eſt. *

* Prima hic ſtatim occurrir quaeſtio, an omnino Iobus aliquis vmquam exſtiterit? Non enim defuerunt, qui exiſtimarent, in libro, qui Iobi nomen praefert, non hiſtoriam veram narrari, ſed parabolam aut drama exhiberi. Ita talmudici doctores in tractatu, *Baua Batra*, & alii ex eadem gente. Haeſitat quoque R. MOSES MAIMONIDES, in *more neuochim*, *part. III. cap. XXII.* Eamdem ſententiam BENEDICTO SPINOZAE, homini impio, & ad labefactandam hiſtoriae ſacrae veritatem omnes ingenii vires conuertenti, arriſiſſe, mirum non eſt. Vnde librum Iobi cum gentilium poëtarum commentis comparare non veretur, in *tractatu theologico-polit. cap. X.* Sed nec ex chriſtianis defuere, qui eamdem ſententiam aut adprobarenr, aut non prorſus reiicerent. Habuerunt hi etiam omnes, quod ſententiae ſuae obtenderent, eique quamdam veroſimilitudinis conciliarent ſpeciem. Apud FL. IOSEPHVM, aeque ac PHILONEM, nulla Iobi mentio. Tempus incertum, quo haec omnia geſta ſunt, nec certior locus. Sed longe fortior, quae hiſtoriae huius veritatem euincant, praeſto ſunt rationes, nec ad priores reſpondere haud adeo difficile. Iobi enim, ceu viri iuſti & ſancti, pasſim ſcriptura ſacra meminit, eiusque patientiam commendat, & ad imitandum nobis proponit. Conf. *Ezech. XIV. 14. Iacob. V. 11.* Praeterea omnes verae hiſtoriae hic conſpiciuntur characteres. Nomen proprium viri exprimitur, addito etiam nomine regionis, in qua vixerit; quod in parabolis fieri non ſoler. In parabolis enim dicitur: *Erat vir quidam &c.* ſed cum hiſtoria deſcribitur, nomen ſimul exprimitur, vt *Iud. XIII. 2. Fuit vir quidam nomine Manoah.* Sic & de Iobo: *Vir erat Iobi nomine &c.* Pari ratione & liberorum eius numerus & nomina, itemque nomina & patria amicorum, qui ad eum venerunt, adcurate exprimuntur, vt in veris hiſtoriis, non autem in parabolis, fieri ſolet. Accedit, quod veteres, ipſi etiam Ebraei, paucis illis, quos antea indicauimus, exceptis, itemque antiquiſſimi ſcripturae interpretes, Chaldaeus, LXX, THEO-

THEODOTION, itemque orientales ſcriptores, vnanimi conſenſu ſtatuant ac fateantur, reuera Iobum aliquem fuisſe, cui iſta omnia euenerint, quae de illo in ſcriptura ſacra commemorantur. Immo cum ad ethnicos fama huius viri pertranſierit, vt ex ARISTAEAE teſtimonio, quod ex ALEXANDRO polyhiſtore refert EVSEBIVS, *lib. IX. praeparat. euangel. cap. XXV.* abunde conſtat, reuera eum exſtitiſſe, recte inde colligitur. Auctor autem eſt ARISTAEAS, *Eſauum ex Baſſara coniuge Iobum in Idumaea filium genuiſſe, ſedemque ſibi in Auſitide, regione ad ipſum Idumaeae & Arabiae confinium, delegiſſe. Eumdem aequitate praeſtantem, ac pecore inprimis abundantem fuiſſe: quippe ouium ſeptem millia, camelorum tria millia, paria boum quingenta, gregalesque aſinas totidem numeraſſe. Copiam agrorum haud abſimilem. At Iobum quidem Iobamum antea nominatum eſſe &c.* Subiicit deinde de calamitatibus nonnulla, quae Iobum exceperunt, de amicis eius, qui eum inuiſerunt, deque horum cum illo colloquio, & denique de eius reſtitutione, haud abſimilia iis, quae de his omnibus in libro Iobi dicuntur. Et licet quaedam ſubleſtae fidei huic ARISTAEAE narrationi intermixta ſint; de ipſa tamen rei veritate haec nos dubitare non ſinit. Nec obſtat noſtrae ſententiae ſilentium PHILONIS & IOSEPHI. Cur enim ille Iobi mentionem neceſſario facere debuerit, nulla adparet ratio: huic autem Ebraeorum ſaltem deſcribere res geſtas conſtitutum fuit; cui cum Iobum non eſſe adnumerandum cenſeret, mirum non eſt, quod nullam eius mentionem fecerit. Accedere potuit, quod Ioſephus in tanta rerum Iobi obſcuritate ignoraret, ad quodnam tempus hiſtoria eius eſſet referenda. Nec ex eo tamen, quod tempus, quo haec contigerint, obſcuram aut incertum ſit, colligendum, haec reuera non contigiſſe. Ita enim plurium factorum, de quibus non dubitatur, in dubium vocanda eſſet veritas. Nec ita hic omnia obſcura, vt non ex quibusdam circumſtantiis, quando Iobus vixerit, colligi queat. Qua de re deinceps. Locus incertus fruſtra obiicitur. Iobum enim in terra Vz habitaſſe, in ipſo hiſtoriae limine dicitur. Vbi autem terra Vz ſita fuerit, deinceps disquiremus. Reliqua, quae disſentientibus aut abſona, aut ab indole hiſtoriae aliena videntur, minime talia ſunt, ſi conſiderentur paullo adcuratius. Quae de concilio angelorum, Sathanaeque cum Deo colloquio dicuntur, ſi modo Deo & ſpiritibus conuenienti intelligantur, nihil obſtat, quo minus reuera contigerint. Nec dubitabit, Deum ex turbine Iobum, eiusque amicos, adloquutum, qui ſecum cogitauerit, eo, quo patriarchae vixere, aeuo, non infrequens fuiſſe, vt Deus per viſiones, ſomnia, aliaque ratione ſe hominibus piis manifeſtaret. Πολυμερῶς enim & πολυτρόπως ad eos loquutus eſt, teſte Paulo *Ebr. I. 1.* Quod ſupereſt, lubentes fatemur, librum ipſum poëtica qua-

quadam ratione conſcriptum eſſe; at inde non ſequitur, non deſcribi veram hiſtoriam. Namque nihil frequentius, quam vt poëtae quoque veras hiſtorias deſcribant. Sic, vt alios taceam, EZECHIELEM poëtam tragicum, hiſtoriam eductionis Israëlitarum ex Aegypto carmine dramatico complexum, ſupra in *prolegomenis* diximus. Vnicum adhuc, idque ὡς ἐν παρόδῳ obſeruare liceat. Auctoribus, qui veritatem hiſtoriae Iobi in dubium vocarunt, etiam B. LVTHERVM noſtrum adnumerat ROBERTVS BELLARMINVS cardinalis, *lib. I. de verbo Dei, cap. V.* idque ideo, quod in *conuiualibus ſermonib.* tit. de *patriarchis & prophetis*, adſerat, *ſe non credere, ita omnia eſſe geſta, vt in libro Iobi narrantur:* item quod tit. *de libr. vet. teſtam.* dicat, *librum Iobi eſſe velut fabulae argumentum, ad proponendum exemplum patientiae.* BELLARMINVM ſequutus eſt NATALIS ALEXANDER, cuius in *hiſtoria eccleſ. vet. teſtam. aetat. mundi III. diſſert. III. p. 262.* haec eſt propoſitio: *vera eſt Iobi hiſtoria, non fabuloſa vel parabolica, vt talmudiſtae, Maimonides, R. Schem Tob, Anabaptiſtae & Lutherus, impie delirarunt.* Sed ſi ALEXANDER legiſſet, quae iam pridem pro defenſione B. LVTHERI ſcripſit D. IO. GERHARDVS, in *loco de ſcriptura ſacra, cap. VII. num. CXXXIII. p. m. 58.* ipſe ita non deliraſſet, & illam ſententiam abſolute LVTHERO tribuiſſet. Ceterum ad rem ipſam quod attinet, pluribus de ea legendus FRIDERICVS SPANHEMIVS, in *hiſtoria Iobi*, quae *operum* eius *tomo II.* exſtat, *cap. I.*

** Variae antiquorum pariter ac recentiorum de Iobi aetate ſententiae ad tres commode reuocari claſſes poſſunt: quarum prima illos ſiſtit, qui Iobum ante Moſis tempora vixiſſe, contendunt; altera eorum eſt, qui eum Moſi σύγχρονον faciunt, eoque tempore vixiſſe putant, quo populus iſraëliticus in deſerto peregrinatus eſt; tertia denique eorum, qui poſt Moſen ſub iudicibus, aut ſequiori aetate, tempore Dauidis, (quae & IO. HARDVINI, more ſuo paradoxa ſectantis, eſt ſententia, in *chronologia vet. teſtam. p. m. 533.*) aut Salomonis, aut omnino captiuitatis babylonicae, vixiſſe autumant. Qui in eo conſentiunt, quod aut ante Moſen, aut poſt Moſen vixerit, rurſus inter ſe non conueniunt, ſed in varias ſcinduntur partes. Haec omnia diſcutere adcuratius, noſtri non eſt inſtituti, feceruntque id iam pridem alii. Satis igitur fuerit, rationes praecipuas commemorare, quibus luculenter euinci poteſt, vixiſſe Iobum ante Moſen, eo circiter tempore, quo Iſraëlitae in aegyptiaca ſeruitute fuere conſtituti. Hoc enimuero patet, primo, quod non alia cultus diuini ratio in eius hiſtoria commemoretur, quam quae tempore patriarcharum fuit vſitata. Sacrificiorum namque tantum ſit mentio, ab ipſo Iobo, tamquam familiae principe, oblatorum. Sacrificia ſubinde patriarchas, hominesque pios ante legem a Moſe latam obtuliſſe, ex dictis abunde conſtat. Eius autem cultus, qui

deinceps iuſſu Numinis a Moſe introductus fuit, in tota Iobi hiſtoria nullum exſtat veſtigium. Deinde miraculorum in Aegypto patratorum, cum Deus manu forti populum ſuum inde educeret, nulla itidem in toto Iobi libro mentio; cum tamen non temere illuſtrioribus exemplis, iisdemque in recenti memoria poſitis, roborare ſua dicta vel Iobus vel amici potuiſſent, de iuſtitia diuina, potentiaque, & vindicta erga peccatores diſputantes, ſi iam tum haec contigiſſent. Etſi enim a nonnullis huc loca quaedam trahantur, vt *cap. XXI. 29. XXVI. 12. XXXIV. 12. 19. 20.* perperam tamen hoc fieri, res ipſa docet. Argumentum praeterea antiquitatis praebet antiquiſſimum idololatriae genus, cuius tantum, ſed cum deteſtatione, apud Iobum mentio; cultus nimirum ſolis & lunae, manu ori admota, per modum oſculi, iis exhiberi ſolitus, *Iob. XXXI. 26. 27.* Antiquiſſimum hoc fuiſſe idololatriae genus, apud orientis populos vſitatum, ſupra iam a nobis demonſtratum eſt. Diuinarum quoque reuelationum frequentia & modus, per ſomnia, viſiones, adloquia, quorum hinc inde in hacce hiſtoria mentio, *cap. IV. 16. ſeqq. XXXIII. 15. ſeqq. XXXVIII. ſeqq.* prorſus in hancce aetatem quadrat. Sed ipſa quoque aetas Iobi huius rei argumentum praebet. A tempore enim reſtitutionis, poſt exactam vitae haud contemnendae partem, annos inſuper CXL vixiſſe memoratur. Ad annos itaque circiter ducentos eum vitam protraxiſſe neceſſe eſt: quae longaeuitas longe rectius hominibus ante Moſen viuentibus, quam poſtea, tribuitur. Conf. *Pſalm. XC. 10.* Accedit denique magnus veterum, cum Ebraeorum, tum chriſtianorum conſenſus; qui cum in reliquis ad Iobi hiſtoriam ſpectantibus in diuerſa abeant; in hoc vel maxime inter ſe conueniunt, Moſe eum eſſe antiquiorem. De eo ſaltem inter eos ipſos, qui ita ſtatuunt, ſupereſt diſſenſus, an iam Abrahami tempore, vt nonnulli volunt, vixerit, an, quae aliorum eſt ſententia, Iacobo σύγχρονος fuerit, an denique tempore ſeruitutis iſraëliticae in Aegypto floruerit? Vltimum autem veritati conuenientiſſimum videtur. Etenim, vt alia taceam, ſi aut Abrahami, aut Iacobi tempore vixiſſet, fieri vix potuiſſe videtur, vt non Moſes aliquam eius mentionem iniiceret. Confirmabitur etiam hoc ex iis, quae mox dicentur. Interim haec omnia prolixius & ex inſtituto exſequitur FRIDERICVS SPANHEMIVS, in *hiſtoria Iobi, cap. VIII. & IX.* conf. & ABRAHAMVS CALOVIVS, in *adnot. ad praefat. Grotii ad librum Iobi.* De libro Iobi, vt iam diximus, non perinde cenſendum, eadem illum aetate ſcriptum eſſe. Sunt equidem plurimi, qui, ipſum Iobum eius auctorem eſſe, exiſtimant; quam ſententiam prae reliquis ſibi defendendam ſumſit IOAN. DE PINEDA, *praefat. comment. ad Iob. p. 7. ſeqq.* Infirmioribus autem pugnat rationibus, quam vt ab omnibus ſibi adſenſum polliceri queat. Sic ex eo, quod liber iſte Iobi dicatur, non ſequi-

ſequitur, cum ab illo ſcriptum; cum inde potius, quod de rebus eius agat, denominationem ſortitus ſit. Alii contra Moſen libri huius auctorem faciunt, qui ad ſolatium gentis israëliticae, cum ſeruitute aegyptiaca premebatur, eum ſcripſerit. Huius ſententiae patrocinium erudite in ſe ſuscepit PETRVS DANIEL HVETIVS, *demonſtrat. euangel. prop. IV. p. 376.* Praecipuum pro ea argumentum ex ſimilitudine ſtili Moſaici & eius, qui in libro Iobi conſpicitur, deſumitur. Sed hanc ſe deprehendere poſſe negant alii: immo, vtriusque, & Moſis & auctoris libri Iobi, ſtilum diſſimillimum eſſe, contendunt. Interim & B. IOAN. GERHARDVS noſter adſerit, Iobum lingua arabica hiſtoriam ſuam vtcumque adnotaſſe, & prima iſtius libri rudimenta tradidiſſe, Moſen vero librum, vt hodie eſt, ebraico idiomate elaboraſſe; in *exegeſi loc. de ſcriptura ſacra*, *ſ. CXXXVII.* Cui ſententiae id opponi nequit, quod inde ſequatur, nos hodie carere textu originali ſcripti cuiusdam canonici. Textus enim originalis eſt is ipſe, qui a Moſe, aut quicumque libri huius auctor eſt, qui vir ſane θεόπνευςος fuit, eſt profectus; non autem ille, quem commentarii, ex quibus liber ille compoſitus eſt, exhibebant. Facile itaque haec admitti ſententia poſſet, ſi aliunde conſtaret, aut rationibus probabilibus euinci poſſet, a Moſe librum huncce compoſitum fuiſſe. Alii, Dauidis aut Salomonis tempore, aut poſteriori adhuc, librum Iobi conſcriptum autumant. Salomonem ipſum libri huius auctorem eſſe, audacter pronuntiat IOAN. HARDVINVS, in *chronologia veter. teſtament. p. 533.* Rationes praecipuae, quibus ſuam ſententiam firmat, ſunt: quod in bibliis ebraicis liber Iob inter prouerbia & canticum canticorum medius inferatur, in quibusdam aliis inter pſalmos & prouerbia medius locetur, & in aliis denique vtrisque poſtponatur; itemque, quod Iobi liber multas cum ſcriptis Salomonaeis communes habeat ſententias; porro, quod terra Hus Dauidi & Salomoni fuerit vectigalis, nomenque habuerit ab Hus, filio Diſan, filii Seir Horraei, habitatoris terrae Edom, *Geneſ. XXXVI. 20. 28.* Quae omnia quam lubrica, quamue imbecilla ſint, vel me non monente quilibet intelligit. Miſſis autem aliorum ſententiis, quas omnes aut referre, aut diſcutere, prolixum nimis foret, ita exiſtimo, de auctore huius libri nihil certi definiri poſſe. Quod ſi admittamus, arabismos plurimos in libro hocce occurrere, quod viris eruditiſſimis iam pridem obſeruatum; veroſimile omnino, ab ipſo Iobo vel eius amicis conſcriptos commentarios, Iobi fata & colloquia cum amicis continentes, ex quibus deinde ſcriptor aliquis θεόπνευςος, quicumque etiam fuerit, librum huncce, quem hodie habemus, confecerit. Adeoque nondum me eorum poenitet, quae hac de re ſcripſi in *introd. ad hiſtor. philoſ. Ebr. p. 26.* Plura qui de auctore libri Iobi ſcire cupit, is adeat GEORGII SERPILII *perſonalia*, quae vocat, *Iobi,*

cap. I. qui & *cap. VII.* de tempore, quando Iobus vixit, & *cap. XII.* de lingua, in qua liber Iobi ſcriptus ſit, agit, & in toto hocce opere reliqua, ad Iobi hiſtoriam ſpectantia, ita perſequitur, vt aliorum ſententias diligenter collectas exhibeat.

*** De gente & origine Iobi non minor ſententiarum eſt diſcrepantia, quam de tempore, quo vixit. Res plane confecta foret, ſi Iob ille, Iſſcharis filius, & Iacobi patriarchae nepos, qui *Geneſ. XLVI. 13.* commemoratur, idem eſſet cum Iobo noſtro. Ingreſſus in eam ſententiam eſt IOAN. BENEDICTVS, theologus Pariſienſis, in *notis ad I. Paral. VIII.* Et licet MICHAEL WALTHERVS, in *officina biblica, p.972. eam nihil habere probabilitatis*, iudicet; denuo tamen eam in ſcenam produxit, atque exornauit vir clariſſimus HERMANNVS VON DER HARDT, in *ephemeridibus philolog. diſcurſ. V. p. 76. ſeqq.* Nec temporum, fateor, ratio abludit. Sed obſtant alia. Non vrgebo, quod Iſſcharis filius יוב vocetur, cum noſter contra איוב audiat. Hoc enim non magni forte momenti alicui videri poterit. Manifeſtum eſt, quae de ſede Iobi, eiusque amicis, memorantur, aperte huic repugnare ſententiae. Quis vero ſibi perſuadeat, Iſſcharis filium a reliquis Iſraëlitis in Aegypto commorantibus diſceſſiſſe, ſeque contuliſſe in terram Vtz? Vnde hoc probabitur? Certe ſi Iſraëlitae inter ſe non coniuncti manſerunt, promiſſio de terra Canaan illis danda, ad omnes non pertinuit. Quae de Moſe ad hanc Iſſcharis familiam diuertente, Iobique vtente conſiliis dicuntur, lepide ſatis finguntur, ſed omni deſtituuntur fundamento. Receptiſſima ceteroquin eſt ſententia, Iobum ex Eſaui fuiſſe poſteris; cui etiam calculum ſuum adiiciunt ORIGENES, AVGVSTINVS, CHRYSOSTOMVS, THEODORETVS, GREGORIVS M. aliique; ſpeciatim ex recentioribus, quorum plurimi eidem ſuffragantur, eam defendit THOMAS HYDE, in *notis ad R. Abrahami Perizol itinera mundi*, anno M DC XCI a ſe edita, qui & Belam Iobabi, quem eumdem cum Iobo eſſe ſupponunt, in Idumaeo regno anteceſſorem, non alium, quam Bileamum, magum ac pſeudoprophetam illum famoſum, fuiſſe adſerit. Rationes praecipuae illorum, qui ita ſentiunt, ſunt: Iobum eumdem eſſe cum Iobabo, Idumaeae rege, *Geneſ. XXXVI. 33.* Elipham Themanitam, cognatum & amicum Iobi, citra controuerſiam fuiſſe ex Edomitarum gente; reliquorum etiam Iobi cognatorum nomina, aut iis ſimilia, inter Edomitas occurrere; terram Vtz, Iobi patriam, in Idumaea inueniri, iuxta *Thren. IV. 21.* & quae reliqua ſunt eiusdem generis. Sed haec nondum ita comparata ſunt, vt rem prorſus euincant. Inter איוב & יובב, ſiue litteras, ſiue originem vtriusque vocis, ſiue ſignificationem ſpectes, maximum eſt diſcrimen. Eum rebus florentibus atque ſecundis, יובב, deinde autem, cum ei cum calamitatibus maximis confligendum eſſet, איוב dictum eſſe, facilius dicitur, quam probatur. Tempo-

porum praeterea repugnant rationes. Cum enim Iobabus ſecundus fuerit ex octo regibus, qui ante Moſen in Edom regnarunt, *Gen. XXXVI. 31. ſeq.* ad minimum Iobabi mors toto ſaeculo Moſis legationem anteceſſit. Iam ſi ſupponamus, quod nonnulli volunt, Iobum annos CCXL vixiſſe, (certe vltra annos ducentos, eum vitam protraxiſſe, dubitari nequit) ſequetur, Iobabi natiuitatem, ſi is Iobus fuerit, aut praeceſſiſſe natiuitatem Eſaui, aut cum illa fere coincidere quod vtique abſonum; cum Iobabus quartus demum ab Eſauo fuerit, eius ſcilicet ex Zara pronepos. Accedit diuerſitas locorum, vbi habitaſſe dicuntur. Iobabi enim ſedes Bazra fuit, in confiniis Idumaeae & Moabitidis, *Geneſ. XXXVI. 33.* Iobi vero ſedes Vtz fuit, de cuius ſitu deinceps dicemus. Iobabus denique vt rex Edomiticae regionis deſcribitur, *Geneſ. XXXVI. 31. 33.* at Iobum regem fuiſſe, non tantum non conſtat, ſed nec vlla ratione, ſi, quae de eo narrantur, rite expendantur, eſt veroſimile. Opinioni autem huic inueteratae haud dubio occaſionem dedit lacinia illa verſioni LXX interpretum adiecta, in qua diſerte dicitur, nomen ei antea fuiſſe Iobab. Sed nec illorum hodie interpretum tanta eſt auctoritas, vt eorum fide hic ſtandum ſit; nec probatum ſatis, ab ipſis hanc laciniam profectam; cum haud infrequens ſit, gloſſemata quaedam huic verſioni addita, in textum deinceps irrepſiſſe; quod exemplis pluribus oſtendit IAC. VSSERIVS, *ſyntagm. de verſ. LXX. interpret. cap. VIII.* Et ita praecipuum fundamentum ſua ſponte corruit, cui illorum innititur ſententia, qui, Iobum ex Eſaui gente fuiſſe, exiſtimant. Reliqua enim, quae pro eadem adferuntur, non magni ſunt momenti. Si enim Eliphas Themanita ex Eſaui poſteris fuit, non ſtatim ſequitur, ex iisdem etiam fuiſſe Iobum; & ſi inter Eſaui poſteros eadem aut ſimilia nomina occurrunt, quibus gauiſi fuerunt Iobi cognati, nondum inde inferre licet, hos etiam ex eadem gente fuiſſe. Quodſi etiam concedatur, quod negare nolim, *Thren. IV. verſ. 21.* terram Vtz ſignificare Idumaeam; non ſtatim negandum, & alias eiusdem nominis fuiſſe regiones. Aliis itaque longe probabilius viſum, Iobi originem ex Nachore fratre Abrahami, deriuandam, cui filii fuerunt *Vtz, Butz, Cheſed*, *Gen. XXII. 21. 22.* Praeter Ebraeos doctores, Idumaeis ἀλλοφύλοις virum hunc ſanctiſſimum inuidentes, praeeuntem ſibi habent HIERONYMVM, *epiſt. CXXVI. ad Euagr.* & in *tradit. Ebr.* in *Geneſ. XXXVI.* Rationes ſunt, quod terra Vtz Iobi ſedes, ab Vtzo, Nachoris primogenito, & familiae principe, citra omnem controuerſiam fuerit denominata. Terram Vtz autem eſſe Auſitidem, Arabiae deſertae prouinciam, in parte eius ſeptentrionali verſus Euphratem & Meſopotamiam collocandam, rationibus minime contemnendis euicit FRIDERICVS SPANHEMIVS, in *hiſtoria Iobi, cap. IV.* Hinc vero colligere pronum eſt, virum in terra Vtz primarium, eodem Vtzo, a quo terra nomen habet, vna aut altera

ra generatione ſatum eſſe. Praeterea ex eodem Nachore genitum eſſe conſtat Butz, fratrem Vtzi, a quo itidem ſeu terra, ſeu ciuitas Butz adpellationem accepit, ex qua Elihu Buzites, *Iob. XXXII. 2.* qui & Arabiae deſertae incola, & vicinitatis ac ſanguinis vinculo cum Iobo coniunctus fuit. Ex eodem etiam Nachore, Milcha coniuge, natus eſt Cheſed, *Geneſ. XXII. 22.* e quo videntur Chasdim, memorati *Iob. I. 17.* Omnes denique circumſtantias, in hiſtoria Iobi occurrentes, itemque, quae de eius amicis ac cognatis dicuntur, adcurate cum hacce hypotheſi conuenire, contendunt, & demonſtrare ſatagunt, qui eidem fauent. Non minus tamen probabilibus argumentis pugnare ſibi videntur, qui, ex Kethura, altera Abrahami coniuge, Iobi originem deriuant. Bildad namque Suchites, alter amicorum & cognatorum Iobi, Arabiae itidem incola, ex Suacho vel Sucho, Abrahamo genito, *Geneſ. XXV. 2.* haud obſcure originem ducit. Ex Iakſane, Abrahami ex Kethura filio, Seba vel Scheba, *Geneſ. XXV. 3.* a quo Sabaei illi praedatores, *Iob. I. 15.* Sed de reliquis Kethurae filiis non minus certum, & ſupra iam nobis obſeruatum, variis Arabiae populis eos originem dediſſe. Interim quemadmodum de Kethuraeis diſerte dicitur, eos plagam orientalem occupaſſe, *Geneſ. XXV. 6.* ita non minus Iobus in oriente habitaſſe, & omnium orientalium florentiſſimus fuiſſe perhibetur, *Iob. I. 3.* Sed haec & reliqua, quae adferri ſolent, ne quid diſſimulem, id quidem probant, inter Kethuraeos, adeoque in Arabia, habitaſſe Iobum, ex Kethuraeorum numero fuiſſe, non euincunt. Sed in priori quoque ſententia, vt & reliquis omnibus, res tandem ad meras coniecturas redit. Tutiſſimum forte fuerit, miſſis incertis, tenere certa: virum ſcilicet quemdam nomine Iobum, inter orientales ſeu Arabiae incolas nobiliſſimum, florentiſſimumque, ea aetate, qua gens israëlitica in Aegypto commorabatur, vixiſſe, cui haec omnia contigerint, quae in libro Iobi narrantur: ſiue autem ex Nachoris, ſiue Eſaui poſteris fuerit, ſiue ab Abrahamo per Kethuram originem duxerit, hoc certum eſſe, eum non fuiſſe Israëlitam; indeque rectiſſime colligi, Deum praeter Israëlitas in veteri teſtamento & reliquas gentes ad fidem & ſalutem vocaſſe: fuiſſeque hinc inde extra eccleſiam israëliticam viros pios & ſanctos, qui fidem ſuam in Meſſiam demonſtrauerint. Huc fere redeunt, quae hac de re diſſerit SEBAST. SCHMIDIVS, in *commentar. in Iobum*, *p. 7.* conſ. & IOAN. MOLLERVS, in *homonymoſcopia*, *p. 169. ſeqq.* vbi varias eruditorum de Iobo, quis & vnde fuerit? ſententias in compendio exhibet. Cetera, quae ad Iobi hiſtoriam ſpectant, ex ipſo, qui de eo agit, libro ſatis conſtant; prolixius etiam ea, praeter interpretes explicant, qui ex inſtituto de vita Iobi agunt, vt FRIDERICVS SPANHEMIVS, & ex noſtratibus, GEORGIVS SERPILIVS, *locis iam laudatis.*

* Etſi

* Etſi Iobus non fuerit ex gente iſraëlitica, non tamen fuit religione gentilis, ſeu naturalem tantum religionem edoctus, vt praeter Ebraeos quosdam, CHRYSOSTOMVS, aliique, perperam ſibi perſuaſere. Vndecumque enim originem traxerit; hoc certum, eum religione iſta, quae per reuelationem traditionemque patriarchis obtigerat, & per eos propagabatur, quaeue federe gratiae innitebatur, fuiſſe imbutum. Hinc in colloquiis eius cum amicis, non tantum prouidentia diuina validiſſime fortiſſimeque adſeritur, ſed talia paſſim attinguntur, quae vt rationis captum ſuperant, ita reuelationem omnino ſupponunt. Sic peccati originalis, quocum hodie omnes naſcimur, non ſemel in libro Iobi mentio. *Quis dabit* (hominem) *purum ex impuro?* inquit Iobus ipſe *cap. XIV. 4.* & Eliphazus hominem *ad aerumnam* natum profitetur; quia ſcilicet natura irae filius eſt, atque ſub maledictione conſtitutus, *cap. XV. 14.* Pari ratione & Bildadus: *quid iuſtus eſſet homo mortalis cum Deo, & quid mundus eſſet natus muliere? cap. XXV. verſ. 4.* De iuſtificatione etiam, quod ea ex operibus minime ſperanda, non ſemel in hocce libro verba fiunt. Immo in ea caput fere defenſionis ſuae contra amicos Iobus conſtituit, ex operibus neminem coram Deo iuſtificari, vnde, ſi ideo, quod peccator ſit, talia ſibi euenerint, neminem mortalium fore, qui non prorſus a Deo ſit reiiciendus. Hinc diſerte, *hominem non iuſtificari cum Deo, ſeu coram Deo,* profitetur, *cap. IX. 2.* nec hominem Deo iudicanti, aut eius innocentiam exquirenti, quidquam reſpondere poſſe, *ibid. verſ. 32.* & quae reliqua ſunt eiusdem generis, paſſim obuia. Cumprimis autem illuſtris eſt illa Iobi de redemtore ſuo, ac reſurrectione mortuorum, confeſſio, *cap. XIX. 25. 26.* ex qua, quaenam veterum in hisce capitibus fides fuerit, luculenter intelligitur. *Et ego noui*, inquit, גאלי חי *redemtorem meum, quod viuat. Ego noui*, hoc eſt, *certa & firma fide hoc teneo:* hoc enim & rei ipſi, & adfectui loquentis, qui ex antecedentibus conſtat, plane eſt conueniens. De voce גואל iam pridem viri docti obſeruarunt, ea proprie talem denotari adſertorem, vindicem, liberatorem, & redemtorem, qui iure conſanguinitatis motus, cauſſam propinqui ſui interfecti adſerit, eiusque ſanguinem vindicat. Hinc & THEODOTIO vertit ἀγχιστεύς, *proximus eorum*, qui conſanguinitatis iure eos vindicaturus erat. Quaeritur autem, quis ille ſit *redemtor Iobi?* Iudaei, & qui cum his faciunt Sociniani, & alii, Deum patrem intelligunt. Sed rectius Dei filium, qui & Meſſias ſeu redemtor & ſeruator hominum eſt, intelligi, ſequentes rationes euincunt: I) redemtor ſeu גואל abſolute hic vocatur, qui ex quibusuis malis & calamitatibus eripit, adeoque & a peccatis homines liberat, ſuo ſanguine ea expiando, quod Meſſiae vtique eſt proprium; II) redemtorem hunc ceu θεάνθρωπον deſcribit: primo ſcilicet tamquam hominem,

minem, dum eum vocat אחרון *poſteriorem*, poſtremis diebus compariturum; deinde dum dicit: *ſuper pulu̓erem ſurget*, reſurrectionis eius a mortuis iniiciens mentionem. Eumdem vero redemtorem ſimul Deum eſſe agnoſcit, dum eum diſerte ita vocat: *& de carne mea videbo* אלוה *Deum.* Accedit III) quod vera ac genuina ſignificatio vocis גואל antea indicata, quam adcuratiſſime in Chriſtum quadret; vti praeter alios ABRAHAMVS CALOVIVS, ad *h. l.* itemque in *Socinianiſmo profligato*, *p. 485.* pluribus oſtendit. Addit autem Iobus de redemtore ſuo, quod *viuat;* indicaturus, quod non tantum ipſemet redemtor vita diuina viuat, ſed quod auctor omnis vitae ſit, temporalis, ſpiritualis & aeternae. Ideo vero hoc commemorat Iobus, quod ab amicis ſuis pro homine impio habebatur, qui omnem ſpem ſuam in hac vita poneret. Profitetur itaque, aliam omnino ſe ſperare vitam, ad quam per Chriſtum reſurrecturus ſit. De voce ואחרון, quae ſequitur, non vna equidem omnium eſt ſententia. Exiſtimo autem, commode eam verti per *poſtremum*, ipſumque intelligi Meſſiam, qui *poſtremus*, ſeu *poſterior* dicatur, non quidem, quod poſtremus omnium hominum futurus eſſet, ſed quod poſt Adamum, humani generis corruptorem, ille venturus eſſet in poſtremis diebus, humani generis redemtor. Certe cum promiſſiones de Meſſia in ſcriptura ſacra proponuntur, formulam לאחרית ימים ſaepius occurrere, conſtat. Iam quod ſequitur, על־עפר יקום nullam difficultatem habet. Quemadmodum enim vox עפר non tantum *puluerem*, ſed & *terram* ſignificat; ita verbum קום non tantum eſt *ſtare*, ſed & *ſurgere;* vnde ſenſus eſt: ſurget ſuper terram, qui prius in terra iacuit. Cum etiam *quieſcere ſuper puluerem*, *Iob. XVII. 16. cubare ſuper puluerem*, *cap. XX. 11. XXI. 26.* idem ſit, ac *mori;* vi contrariorum *ſtare* vel *ſurgere ſuper puluerem* idem erit, ac *reſurgere.* Cuncta ita optime cohaerent. De redemtore enim ſuo cum dixiſſet, quod viueret, vitaeque auctor eſſet; merito addit: & licet moriturus ſit, ab hoſtibus ſuis pro noſtris peccatis occidendus; mox tamen ſua virtute reſurget, & ita ſe vitam habere, vitaeque auctorem eſſe, demonſtrabit. De redemtore autem ſuo poſtquam fidem ſuam profeſſus erat Iobus; iam, quid de ſua etiam reſurrectione credat, addit: ואחר עורי נקפו זאת; quorum verborum ſenſus cum diuerſimode ab interpretibus reddatur; nobis prae ceteris ſententia B. SEB SCHMIDII placet, אחר עורי explicantis per *poſt cutem meam*, hoc eſt, poſteaquam cutis mea eſſe deſierit, ſeu quando cutis mea non amplius erit. Hinc ſenſus totius commatis huc redibit: *poſt cutem meam deſtructam, & in puluerem redactam, ex mortuis ſum reſurrecturus, futurumque, vt haec mea omnia*, (quae digito velut monſtrauit) *oſſa*, *caro*, *corpus denique totum eadem cute mea circumdentur.* Rationes huius interpretationis apud ipſum auctorem *comment.* ad

ad *h. l.* legi poſſunt. Quae denique ſequuntur: *& ex carne mea videbo Deum*, effectum ſeu conſequens reſurrectionis piorum indicant; quae cum & nulla difficultate laborent, iis ediſſerendis non immorabimur. Non equidem neſcio, eſſe hodie, quibus haecce oraculi huius praeſtantiſſimi explicatio non placeat, qui in Iudaeorum potius & Socinianorum gratiam mallent illud non de reſurrectione a mortuis, ſed de liberatione temporali Iobi interpretari. Quorum argumentis cum iam alii abunde ſatisfecerint, id ſaltem generatim obſeruari velim: I) eximium quid & ſingulare eſſe, quod hic profitetur Iobus, tum ipſa verborum maieſtas euincit, tum illud, quo praefatur, prooemium, optans, *vt ſermones hi ſui ſcriberentur & ſculperentur in libro, & ſtilo ferreo atque plumbo in perpetuum in rupe inciderentur*. Temporalis autem liberatio non vtique tanti momenti erat, vt, ea ratione memoriam eius ad poſteros transferri, optare debuiſſet. II) Noſtrae interpretationi connexio cum antecedentibus egregie fauet. In eo enim erat Iobus, vt innocentiam ſuam aduerſus criminationes amicorum vindicaret, qui eum traduxerant vt iniquum, & talem, qui *Deum fortem non agnoſcat*, *cap. XVIII. 21.* Tantum itaque abeſt, inquit, vt talis ſim, qualem vos me eſſe dicitis, vt contra ſpe iuſtorum plenus & Deum nouerim, & redemtorem meum, & maiora ab ipſo bona exſpectem, quam quae vitae huius ambitu contineantur. III) Loquitur Iobus de tali liberatione, de qua plane certus erat. At de temporali liberatione certus eſſe non poterat. Nec enim illi promiſſum, de reſtitutione in integrum in hac vita, factum erat. Immo IV) nec pietati Iobi conſentaneum fuiſſet, talem liberationem abſolute a Deo aut expetere, aut exſpectare. Sed V) omne dubium eximitur, ſi cogitemus, eum de tali liberatione loqui, quam ipſa viſio Dei ſequutura ſit; quod vtique de temporali dici nequit. Fruſtra obiicitur, vt hoc vnicum addam, receptam ſententiam, quae & noſtra eſt, antiquitatis ſaltem & interpretum niti auctoritate: primumque fuiſſe CLEMENTEM Romanum, qui hunc locum de reſurrectione mortuorum explicauerit, quem deinceps reliqua interpretum turba magno agmine ſit ſequuta: CLEMENTEM autem, vtpote Graecum, interpretationem LXX interpretum ſequutum, quae ſaepiſſime a veritate ebraica diſſentiat. Haec & PAVLI COLOMESII eſt ſententia, qui in *notis ad Clementis Romani epiſtolam, p. m. 66.* ſcribit: *Hunc Iobi locum ad reſurrectionem primus traxit B. Clemens, quem alii poſtea ſequuti ſunt.* Verum noſtra ſententia nec CLEMENTIS, nec LXX interpretum nititur auctoritate, ſed ipſo textu originali, vt ex hactenus dictis liquet. Hinc CLEMENTEM primum huius ſententiae auctorem eſſe, dici nequit; idque eo minus, ſi ex LXX interpretibus hanc ſententiam hauſit; quamquam CLEMENTIS verba non prorſus cum verſione LXX interpretum conueniant. Licet vero LXX interpretes aliquando a tex-

textu ebraeo aberrauerint, num ideo ſemper aberrant? Num & hic aberrarunt? Sed hoc demonſtrandum erat. Plura de hoc oraculo praeter reliquos interpretes ABR. CALOVIVS, & SEB. SCHMIDIVS, *locis citatis* dabunt. De theologia Iobi ex inſtituto etiam agit FRID. SPANHEMIVS, in *hiſtoria Iobi, cap. XIII.* & PETRVS IVRIEV, *hiſtor. crit. dogm. & cult. part. I. cap. II. & III. p. 8. ſeqq.*

§. XVII.

Quaenam Abrahami, eiusque poſterorum, vt & reliquorum, quos hactenus commemorauimus, virorum ſanctorum fuerit religio, ex federe gratiae, quod poſt lapſum Deus cum hominibus iniit, cuiusue ſummam ſupra exhibuimus, conſtat. Spem omnem ſalutis in ſemine benedicto, primis parentibus promiſſo, collocabant, diuinisque promiſſionibus habere fidem, praecipuum pietatis reputabant opus. Hinc & licet animum diuinis mandatis obſequentem omni virtutum genere demonſtrarent; non ex operibus tamen, ſed ex fide iuſtificati ſunt, vt vel maxime Abrahami exemplo patet. Fidem vero iſtam ſacrificiis teſtabantur; quippe quae confeſſionem ſacrificii, a Meſſia pro vniuerſi orbis peccatis aliquando offerendi, continebant. *

* Sparſim equidem iam hinc inde, quae ad fidem & religionem patriarcharum, fideliumque huius interualli, declarandam pertinent, indicauimus; iuuabit tamen ex inſtituto hic quaedam addere. Niti autem eam federe gratiae, a Deo cum primis parentibus poſt lapſum inito, res ipſa docet. Eadem enim promiſſio ſaepe repetita fuit Abrahamo, *Geneſ. XII. 3. XVIII. 18. XXII. 18.* itemque Iſaaco & Iacobo. Vnde & Abrahamo ac ſemini eius factae ſunt promiſſiones, *Gal. III. 16.* & Abrahamus Chriſti diem vidiſſe dicitur, *Ioan. VIII. 56.* Ex ipſo itaque hocce federe gratiae, qualis Abrahami religio fuerit, intelligitur; ſed iuuat hoc documentis ex hiſtoria Abrahami petitis, qua capita praecipua, ſpeciatim comprobare.

Sponſorem huius federis Chriſtum θεάνθρωπον eſſe, conſtat: quem adeo & verum Deum & hominem eſſe, Abrahamus & reliqui patriarchae crediderunt. Vnde ſimul colligitur, myſterium trinitatis illis non fuiſſe ignotum. Et hominem quidem futurum Meſſiam eo minus dubitare poterant, quo frequentiores acceperant promiſſiones, ex poſteris ſuis eum proditurum. Paucis itaque, quod eum & Deum fore crediderint, ſimulque myſterium trinitatis agnouerint, demonſtrandum. Patet id inter alia ex ſollemni illa adparitione Dei Abrahamo facta, quae *Geneſ. XVIII.* deſcribitur; vbi quidem Iu-

Iudaei, & qui cum illis faciunt, per hoſpites illos Abrahami tres angelos creatos, Dei legatos, intelligunt; quibus & nonnulli hactenus ſuffragantur, vt trinitatis ſymbolum aliquod aut imaginem in tribus iſtis angelis quaerant. Patres quidam, ipſam adorandam trinitatem ſpecie viſibili Abrahamo adparuiſſe, contendunt; quae ſententia ATHANASIO, *dial. III. de trinitate*, AMBROSIO, *lib. II. de ſpiritu ſancto*, aliisque, tribuitur. Vid. IO. FORBESIVS, *inſtruction. hiſtor. theol. lib. I. cap. XIV.* Eamdem quoque ſententiam calculo ſuo adprobauit HERMANNVS WITSIVS, *de oecon. feder. Dei, lib. IV. cap. III. §. IV. ſeqq. p. 589. ſeqq.* Et hic quidem eam etiam tribuit AVGVSTINO, qui *lib. II. de trinit. cap. XI. & XII.* itemque *lib. III. contra Maximin. cap. XXVII.* & de *ciuitat. Dei*, *lib. XVII. cap. XXIX.* hac de re verba fecit. Adcuratius autem ſi iſta AVGVSTINI loca expendantur, non haec eius mens fuiſſe videtur, quod ipſa trinitas Abrahamo adparuerit, ſed quod in tribus angelis ſymbolum aut imaginem trinitatis Abrahamus conſpexerit; aut quod Abrahamus in tribus iſtis angelis, vt Lothus in duobus, Dominum, qui in illis fuerit, vt in prophetis eſſe conſueuerit, adloquutus & veneratus ſit; quo ſenſu AVGVSTINI ſententiam ſuam etiam fecit IO. CLERICVS, *comment. ad Gen. XVIII. 1.* conf. & CHRISTIANVS SCHOTANVS, *biblioth. ſacr.* in *hiſtoria Abrah. p. 162. ſeqq.* Verum quod ad illos attinet, qui, ipſam trinitatem Abrahamo adparuiſſe, cenſent; etſi pie ita exiſtiment, ſolido tamen ſuae ſententiae deſtituuntur fundamento. Angeli praeterea nomen ſaepius filio, numquam patri, aut ſpiritui ſancto, in ſcriptura ſacra tribuitur. Inaequalitas quoque inter angelos, qui Abrahamo adparuerunt, aperte innuitur; cum reliquis duobus diſcedentibus, coram praecipuo conſtiterit Abrahamus, pro Sodomitis interceſſurus. Atque hinc ſolide reſpondere licet ad id, quod ſecus ſentientes praecipue vrgent, Abrahamum hoſpites tamquam vnum adloquutum. Id enim ideo factum, quod ex diuino indicio illi conſtaret, vnum illum ipſummet eſſe Dei filium: qui cum praecipuus inter angelos, immo dominus reliquorum eſſet; hunc & merito ſolum adloquutus eſt. Multo autem minus altera admitti ſententia poteſt, quippe quae ſupponit, omnes tres fuiſſe angelos creatos. Vnus enim eorum conſtanter יהוה vocatur, *v. 13. 17. 20. &c.* quod nomen cum abſolute & in caſu recto, nemini niſi vero Deo tribuatur, *Exod. VI. 3. Num. VI. 24. Eſa. XLII. 8.* ſequitur inde inuicto argumentandi genere, vnum illum, verum ſummumque & aeternum fuiſſe Deum. Atque id inde etiam conſtat, quod intimos cordium receſſus illi perſpectos fuiſſe intelligatur ex *Geneſ. XVII. 12. 13. 15.* quod ipſemet poteſtatem Saram foecundam reddendi ſibi tribuat, *v. 14.* ſeque iudicem ferat, qui peccata mortalium punire, aut iis etiam parcere queat, *v. 20. ſeqq.* Quae omnia non niſi vero

ro Deo conueniunt. Quod vero filius Dei fuerit, vel inde palam eſt, quod illi ſoli ſubinde in ſcriptura ſacra angeli nomen imponatur, non autem patri aut ſpiritu ſancto; vt iam antea obſeruatum. Idque illi etiam vel maxime conuenit, qui per pactum cum patre in ſe receperat, hominum redimere genus, mittendus hunc in finem ſuo tempore in huncce mundum, *Gal. IV. 4.* Vnde hocce intuitu velut legatus Dei ad homines conuenienter admodum & Abrahamo ſub angeli ſpecie adparuit, Iſaaci proxime inſtantem natiuitatem, ex quo & ipſe carnem adſumturus erat, eidem denuntians. Impios etiam Sodomitas dum ob crimina atrociſſima ſeueriſſime punit; demonſtrauit, veriſſimum eſſe, quod ipſemet poſtea dixit, omne iudicium ſibi a patre traditum eſſe, *Ioan. V. 22.* Id ὡς ἐν παρόδῳ addimus, veteris eccleſiae doctores adeo non dubitaſſe, vnum ex tribus angelis, qui Abrahamo adparuerunt, Deum fuiſſe, vt variis conciliorum, vt Antiocheni, Sirmienſis & Ancyrani decretis hoc ſancitum ſit, & confirmatum. Conf. IO. GEORG. DORSCHEVS, *collat. ad concil. Sirm. p. 140.* Mirifice, quae diximus, confirmantur, ſimulque nouum argumentum, quo fides patriarcharum de filio Dei comprobetur, ſuppeditatur ex verbis, *Geneſ. XIX. 24. & Dominus pluit ſuper Sodomam & Gomorrham ſulphure & igne a Domino e caelo.* Luculenter hic namque יהוה pluens, diſtinguitur a יהוה, a quo pluit. Quod non aliter intelligi poteſt, quam יהוה qui deſcendere pluuiam fecit, fuiſſe Dei filium, cui iudicandi homines facultatem commiſſam, antea diximus; eum vero, a quo pluuiam deſcendere fecit, fuiſſe itidem יהוה patrem ſcilicet. Similem vero loquendi rationem deprehendere licet *Exod. XXXIII. 19. Dan. IX. 17.* alibique. Qui enim ſenſum verborum illorum eſſe volunt: *pluit a ſe ipſo Dominus*, aut: *demiſit pluuiam copioſiſſimam*, idoneas ſuae interpretationis adferre nequeunt rationes. Ecquid enim hoc ſibi vult: Dominum deſcendere feciſſe pluuiam a ſe ipſo? Vocem autem יהוה in tali conſtructione nihil aliud ſibi velle, quam vt ſignificationem intendat, nullo exemplo comprobari poterit. Sed, vt reliqua addamus, per angelum illum, qui cum Iacobo colluctatus eſt, *Geneſ. XXXII. 24.* itemque per angelum redemtorem, *Gen. XLVIII. 15. 16.* non alius, quam filius Dei, intelligi poteſt; vt iam ſupra demonſtrauimus ad *ſ. XII.* item ad *ſ. XIV.* Sed huc quoque ſpectant, quae de redemtore Iobi ad *ſ. XV.* diximus. Hinc itaque tuto colligere licet, patriarchas, Abrahamum, Iacobum, Iſaacum, plures in trinitate perſonas agnouiſſe; ex adparitionibus illis intellexiſſe, filium Dei humani generis fore redemtorem; adeoque Meſſiam ex ſemine ſuo oriundum, verum Deum pariter ac verum futurum hominem. Et quis hac de re dubitaret, cum diſerte Chriſtus adferat, Abrahamum diem ſuum vidiſſe, *Ioan. VIII. 56.* quod non aliter, quam de

Digitized by Google

de iſtis adparitionibus intelligi poteſt. De ſponſore ergo foederis gratiae cum conſtet, indeque ſatis pateat, quid homines a Deo exſpectare debeant; nunc, quid a parte hominum requiratur, vt tanti beneficii participes fiant, paucis exponendum. Id enimuero nihil aliud, quam fides eſt, qua meritum, ſponſoris adprehenditur, qua ratione homines coram Deo iuſtificantur, ſpemque certiſſimam, aeternam obtinendi ſalutem, conſequuntur. Cuius quidem rei exemplum longe illuſtriſſimum Abrahamus praebet, (ne quid de iis dicam, quae de Iobo iam ſupra ὡς ἐν παρόδῳ commemorata ſunt) qui ideo ceu pater credentium omnium, omnibus proponitur a Paulo, *Rom. IV. 1. ſeqq.* Fides autem Abrahami qualis fuerit, obſcurum eſſe nequit, ſi obiectum eius ſpectemus, quod hic non tantum generatim bona iſta temporalia atque ſpiritualia ſunt, quae Deus Abrahamo promiſit; ſed cumprimis ſemen illud benedictum, quod in promiſſis antecedentibus praecipuum erat, & quorſum vel maxime deſiderium Abrahami de prole habenda ſe referebat. In Chriſtum itaque, ſemen illud benedictum, fontem & cauſſam omnis benedictionis, fides Abrahami ferebatur. Atque id diſerte docet Paulus apoſtolus, dum promiſſum Abrahamo ſemen de ipſo Chriſto interpretatur, *Gal. III. 16.* Haec ergo de Chriſto promiſſio praecipuum erat Abrahamiticae fidei obiectum. Praeterea idem apoſtolus *Rom. IV. 5.* fidem hanc Abrahami explicans, eum credidiſſe dicit δικαιοῦντι τὸν ἀσεβῆ, *iuſtificanti impium.* At impium Deus non iuſtificat, niſi propter meritum Chriſti, ſi vera fide illud adprehenderit. Sed porro idem apoſtolus docet, promiſſionem Abrahamo obtigiſſe διὰ δικαιοσύνης πίστεως, *per iuſtitiam fidei, Rom. IV. 13.* Quae vero eſt illa iuſtitia fidei, niſi ea, quam per meritum Chriſti impetramus? Nec praetermittendum, quod nonnulli obſeruant, cum Moſes dicit: *& credidit* ביהוה *Domino* ſeu *in Dominum*, iſta adpellatione ſpeciatim filium Dei, cuius meritum fides Abrahami adprehendit, deſignari; vt adeo & promittens eſſet Dominus, & idem ſimul obiectum, ſeu id praecipue, quod promittebatur. Qui enim hic cum Abrahamo loquitur, eſt Dominus ille, qui eduxit illum de Vr Chaldaeorum, *verſ. 7.* qui in Bethel viſus ipſi, cui etiam aedificauit altare, *Geneſ. XII. 8.* Dominus autem in Bethel eſt angelus ille גאל ſeu *redemtor;* vt patet ex collatione *Geneſ. XXXI. 1.* cum *XLVIII. 16.* adeoque filius Dei, Dominus eccleſiae, cuius ſymbolum בית־אל *Bethel*, hoc eſt, domus Dei, praebet. Probari etiam facili negotio poſſet, quae hic de Domino tam egregia Abrahamo promittente dicuntur, ſpecialiori quadam ratione in filium Dei quadrare, ſi his immorari fas eſſet. De obiecto itaque fidei cum conſtet; quo pacto ipſa Abrahami fides ſe habuerit, facile intelligitur. Optimus rei totius interpres interum eſt Paulus, quem de fide iuſtificante ita loqui, notum

Digitized by Google

tum eſt, vt ea voce cumprimis fiduciam, quam in re aliqua collocamus, deſignet. Idque vox האמן qua Moſes vſus eſt, ſatis indicat, quae idem ſignificat, ac *firmum ſe facere*, *firmiter alicui inniti*. Sunt, qui putant, intendi hanc ſignificationem, ſi conſtruatur cum particula ב, vti h. l. ביהוה. Quod etſi alii non admittant, quod promiſcue mox cum ל mox cum ב verbum hocce conſtruatur, & hominibus etiam, non ſoli Deo aliquis credere dicitur, quando vel maxime cum ב conſtruitur: SEBASTIANVS tamen SCHMIDIVS, quod diſcrimen ſignificationis ex diuerſa conſtructione ortum, neutiquam contemnendum ſit, ex inſtituto euincit, in *colleg. bibl. priori*, *loc. XIII. p. 300.* Id aliunde conſtat, ſatisque ab aliis euictum, fidem iuſtificantem vel maxime fiducia abſolui. Vnde non recte de fide Abrahami cum ſuis, quos ſequutus eſt, ducibus, cenſuit vir doctiſſimus IO. CLERICVS, quando eam in ſolo adſenſu, quem diuinis promiſſionibus, quod ex Sara vxore filium adhuc ſuſcepturus eſſet, praebuerit, conſtituit; ad *Geneſ. XV. 6.* Addit idem vir doctus: *Fides autem vsque adeo laudatur, non quod firmis rationibus fidem adhibere per ſe ſit res tanta laude digna: multo minus ſine ratione credere, quod ſtultitiae adfine eſt: ſed quia animo probe adfecto is ſit neceſſe eſt, qui eiusmodi rationes videt, iisque adſentitur.* Immo potius ideo tantopere laudatur fides, quod diuinis promiſſionibus firmiter homo adquieſcit, etſi ratio, quo pacto hoc aut illud fieri queat, nullo modo capiat. Hoc vel ex vndecimo epiſtolae ad Ebraeos capite conſtat. Nec obiectum Abrahamiticae fidei recte vir doctiſſimus conſtituit; quippe quod non promiſſionem de natiuitate Iſaaci, ſed de ſemine benedicto, eſſe, antea demonſtrauimus.

Et per iſtam quidem fidem iuſtificatus eſt Abrahamus; quod Moſes diſerte dixit: ויחשבה לו צדקה *&* *imputauit hoc ei in iuſtitiam.* Nimirum non Abrahamus Deo, vt nonnulli ex Ebraeis ineptiunt, ſed Deus Abrahamo hoc imputauit. Sunt equidem nonnulli, qui abnuunt, vocem חשב recte verti per *imputare*, cum potius ſignificet *cogitare*, *reputare*. IOAN. CLERICVS poſt HVG. GROTIVM, aliosque, obſeruauit, hanc vocem proprie dici de eo, quod in rationes, *Leuit. XXV. 27. 50. 52.* & *XXVII. 18. Num. XXIII. 9.* aut etiam in cenſum aliquem refertur, vt *Gen. XXXVIII. 15. Deut. II. 11. 20.* Quod prorſus pro nobis eſt. Deus enim hominem iuſtificaturus, rationes velut omnium ab eo admiſſorum init, hinc, cum ſoluendo non ſit, intuitu meriti Chriſti, quod vera fide adprehendit, ei peccata remittit, & hoc eſt : imputare. Eſto etiam, ſignificet vox חשב generatim *putare*, *cogitare*; ex obiecto, qualis cogitatio aut putatio intelligatur, aeſtimandum. Hinc aliquando omnino per *imputare* hanc vocem vertere decet, vt *II. Sam. XIX. 20.* אל־יחשב־לי אדני עון *ne imputet mihi dominus meus*

Digitized by Google

meus peccatum. Vnde & vulgatus interpres (quod contra romanenſes vel maxime hic ſecus ſentientes obſeruandum) etſi hoc loco vtatur verbo *reputare*, vocem tamen λογίζεσθαι, qua Paulus vſus eſt, mox per *reputare*, mox per *imputare* reddidit. Recte vtique; cum & verbum λογίζεσθαι, quod ſimplex eſt, cum dandi caſu conſtructum, vim habeat compoſiti, ἐλλογεῖν. Res adhuc clarior fiet, ſi porro conſideremus, quidnam Deus Abrahamo imputauerit? Dubium equidem videtur, quorſum pronomen relatiuum in verbo ויחשבה referendum ſit. Plerique referunt illud ad vocem אמונה *fidem*, quae in verbo האמן includatur, vt ſenſus ſit: *credidit Abrahamus in Domino, & Dominus imputauit fidem hanc illi iuſtitiam, vel in iuſtitiam;* hoc eſt, fidem Abrahami Deus adeo beneuole & gratioſe reſpexit, vt Abrahamo ex mera gratia imputauerit iuſtitiam ſine operibus. Ne vero quis hinc inferat, fidem ceu praeclaram actionem, vel ceu bonum opus, vt loqui ſolent, Abrahamo imputatam, nonnulli porro contendunt, per μετάληψιν Chriſtum eiusque meritum, ceu fidei iuſtificantis obiectum, hic intelligi, quod Abrahamo imputatum fuerit in iuſtitiam. Sed haud ſine ratione ab hac ſententia ſibi diſcedendum ratus eſt SEBAST. SCHMIDIVS, *l. c.* exiſtimans, pronomen relatiuum in verbo ויחשבה non referri ad actum fidei Abrahami, ſeu ad verba: *& credidit Abraham*, ſed ad promiſſionem diuinam praecedentem, ſeu id, quod promittebatur in hiſce verbis; *ſic erit ſemen tuum.* Quae promiſſio, cum, vt a nobis quoque antea dictum, Meſſiam includat; hinc Meſſiam, eiusque ſatisfactionem & meritum, quorſum promiſſio illa vel maxime ſe referebat, Abrahamo in iuſtitiam imputatum, autumat. Nec refragatur huic expoſitioni, ſed eamdem potius confirmat Paulus apoſtolus, quando Abrahamum per fidem, non per opera iuſtificatum docens, inter alia ita loquitur: *credenti in eum, qui iuſtificat impium, imputatur fides eius in iuſtitiam, Rom. IV. 5.* Ex tota enim apoſtoli tractatione liquido conſtat, vocem fidei hic non pro *actu*, ſed pro *obiecto* fidei ſumi. Atque haec cum ita ſe habeant; falluntur, qui actum fidei Abrahamo in iuſtitiam imputatum contendunt, vt vel inuito & aperte contradicente Paulo apoſtolo, Abrahamum per opera iuſtificatum euincant. Falluntur itidem, qui dicunt, fidem, licet inſufficiens ſit iuſtitia, haberi, quaſi eſſet ſufficiens. Patet etiam, quid de interpretatione IOAN. CLERICI cenſendum ſit, verba: *& imputauit hoc ei iuſtitiam*, ita explicantis: *fidem, quam Abrahamus promiſſis ſuis adhibuit, pro egregio religionis ſpecimine habuit;* & iterum: *hiſce diligenter expenſis, dubium non erit, quin hoc ſibi voluerit Moſes, adſenſum illum animi Abrahami, de quo hic ſermo eſt, inſtar probae actionis a Deo reputatum.* Quam admitti interpretationem neutiquam poſſe, intelliget, qui ſecum expenderit, quae de vera ratione fidei, &

Digitized by Google

quod cumprimis fiducia abſoluatur, deque eius obiecto, quod ſit meritum Chriſti, deque imputatione ipſa, hactenus diſputauimus. Addimus ſaltem, vocem צרקה hic generatim non pro actione aliqua iuſta, ſed pro iuſtitia & innocentia tali ſumi, qua homo iuſtus, innocens, & ob imputatam iuſtitiam & ſatisfactionem Chriſti, peccatorum expers cenſetur. Et eo modo meritum Chriſti Abrahamo hic in iuſtitiam imputatum dicitur.

Ceterum, vt iſta, quam hactenus delineauimus, religionis ſumma, quae federe gratiae continetur, Abrahamo cum fidelibus omnibus eſt communis; ita nonnulla etiam acceſſerunt, quae ei, eiusque poſteris, fuere propria, & federe iſto ſpeciali, quod Deus cum Abrahamo inierat, nitebantur. Huius federis conditio ſpecialis ex parte Abrahami erat conſeruatio doctrinae de futuro ſeruatore, *Geneſ. XII. 8.* ſeu praedicatio nominis diuini, *Geneſ. XIII. 18.* alibique. Quam doctrinam publice quoque profiteri ac propagare diligenter tenebatur, *Gen. XVIII. 19. Rom. IV. 13. ſeqq.* Cumprimis autem circumciſio, ſigillum & ſacramentum federis, eo modo, quo Deus praeſcripſerat, ab omnibus Abrahami poſteris ad Meſſiae aduentum vsque ſuſcipienda, acceſſit, *Geneſ. XVII. 10. ſeqq.* Ex parte Dei praeter promisſiones vniuerſales, omnibus fidelibus cum Abrahamo communes, accedebant ſpeciales, de terra Canaan poſteritati eius, quae numeroſiſſima futura eſſet, in poſſeſſionem concedenda, *Gen. XV. 18. XXVIII. 4.* alibique; cumprimis de Meſſia, a quo omnibus populis benedictio futura, ex ſemine eius naſcituro, *Gen. XVIII. 18. 19. XXII. 18. Gal. III. 8. 16.* Et iſta quidem religionis patriarchalis vera & genuina fuit facies. Legi vero etiam de toto hocce argumento prae reliquis meretur IOAN. HENRICVS MAIVS, in *oeconomia temporum veteris teſtament. cap. X. XI. XII.* vbi itidem de oeconomia & doctrina gratiae ſub Abrahamo, Iſaaco & Iacobo ex inſtituto agit.

§. XVIII.

Et in eo quoque cultus externus patriarcharum conſiſtebat, quem ſimpliciſſimum, rituumque & caerimoniarum multarum expertem fuiſſe, ex iſtorum temporum indole facile colligas.* Veroſimile autem, ſabbathi maxime die ſacrificia eos obtuliſſe, & peregiſſe reliqua, quae ad pietatem ſuam demonſtrandam, doctrinamque ſalutarem de Meſſia ad poſteros propagandam, pertinebant. In Abrahamitica gente accedebat circumciſio, federis ſpecialis, quod Deus cum Abrahamo inierat, firmamentum, de cuius origine ſupra dictum.

* Ad cultum externum patriarcharum huius temporis referre licet praeter *ſacrificia*, *preces externas*, *vota*, *iuramenta*, *ritusque ac caerimonias* quasdam, quas circa ſacra facienda adhibuerunt. De ſacrificiorum origine

gine iam ſupra dictum, ad *ſect. I. ſ. XXX.* Cum vero poſt legem a Moſe latam magna ſacrificiorum fuerit varietas, an patriarcharum tempore ea vnius fuerint generis? quaeri poſſit. Certe holocauſtorum tantum diſerte in hacce hiſtoriae parte inicitur mentio. Sic ſacrificium, quod loco filii Iſaaci Abrahamus Deo obtulit, holocauſtum fuit, *Geneſ. XXII. 13.* conf. & *Iob. XLII. 8.* Sed euchariſtica etiam ſacrificia, quae ab holocauſtis in eo diuerſa erant, quod illis conuiuium addi ſoleret, in vſu fuiſſe, nonnulli exemplo Iacobi, eiusmodi ſacrificium poſt fedus cum Labane initum, offerentis, comprobare volunt; vid. *Geneſ. XXXI. 54.* add. PETRVS IVRIEV, *hiſtor. critic. dogm. & cult. &c. part. I. cap. XIII. p. 89. ſeqq.*

Preces externas, cum viri ſancti ſacrificia offerrent, iis additas fuiſſe, non videtur dubitandum eſſe; etſi ceteroquin externarum precum hic non occurrat mentio. Illae enim, quibus Abrahamus pro Sodomitis & Gomorrhaeis interceſſit, plane ſingulares fuerunt, in illuſtri quippe adparitione illa, qua Dominus cum eo loquutus eſt, factae, *Geneſ. XVIII. verſ. 22. ſeqq.* De Iſaaco equidem dicitur, quod circa veſpertinum tempus ad *orandum* in campum proceſſerit, *Geneſ. XXIV. 63.* Sed in ebraeo eſt, eum egreſſum לשוח, cuius vocis varia eſt interpretatio. LXX interpretes vertunt: καὶ ἐξῆλθεν Ισαὰκ ἀδολεσχῆσαι εἰς τὸ πεδίον; vocem ἀδολεσχεῖν, vt alias, ita & hic in bonam accipientes partem; cum alias apud ſcriptores graecos in malam accipiatur; vt iam SVIDAS monuit. Apud Atticos enim idem eſt, ac *garrire, blatterare.* Nec deſunt, qui ebraeam vocem de *deambulatione*, aut alia ratione, interpretantur. Propria tamen & genuina eius ſignificatio eſt *cogitare, ſecum loqui, meditari;* cumque Iſaacum de rebus friuolis cogitaſſe, credibile non ſit, immo potius res diuinas eum agitaſſe animo, a ſanctitate viri minime alienum ſit, plurimumque cum tali meditatione oratio & deuotio mentis ad Deum coniuncta ſit; non errant, qui Iſaacum meditandi vel orandi cauſa, in agrum exiuiſſe putant. Et hunc in modum etiam ONKELOSVS reddidit: ונפק יצחק לצלאה *& egreſſus eſt Iſaacus ad orandum in agro.* Id vero vt haud dubio de interna mentis oratione intelligendum eſt; ita, quod tum caſu quodam fecit, id eum ſemper ita feciſſe, vt ſtatas orandi horas habuerit, etſi ceteroquin pietati & Abrahami & Iſaaci ſatis ſit conueniens, ex hoc tamen loco probari nequit.

Nec *vota* ea aetate inuſitata fuiſſe, exemplo Iacobi condocemur, vti iam ſupra ad *ſ. XI.* ὡς ἐν παρόδῳ obſeruauimus. Votum autem iſtud Iacobi ita ſe habet: *Si fuerit Deus mecum, & cuſtodierit me in via iſta, per quam ego ambulo, dederitque mihi panem ad veſcendum & veſtimentum ad induendum; reuerſus quoque fuero in pace ad domum patris mei,* והיה יהוה לי לאלהים *& erit* (vel, *& fuerit*) *Iehouah mihi in Deum: & lapis iſte,*

quem poſui in titulum, erit domus Dei; praeterea ex omnibus, quae dederis mihi, decimas prorſus dabo tibi; Geneſ. XXVIII. 20. ſeqq. Vbi dubium occurrit circa verba: *& erit Iehouah mihi in Deum*, pertineantne illa ad conditionem, ſeu id, quod Iacobus a Deo exſpectabat, an ad promiſſum, ſeu id, quod praeſtare conditione impleta volebat. Vtraque ſententia ſuos habet patronos. Quod ſi ad conditionem referantur, res vtique multis modis erit planior. Ita enim conditiones a Iacobo poſitae, concinne complectentur promiſſiones Abrahamo & Iſaaco, immo ipſi iam Iacobo factas. Praeterea tum ceſſat dubium, quod ceteroqui moueri poterat & ſolet, ſi Iacobus incolumis ad ſuos non rediiſſet, vel etiam alimentorum aut veſtimentorum defectum expertus eſſet, an tum Iehouam pro ſuo Deo non habiturus fuiſſet? Ad quod nihil ſolidi reſponderi poteſt, ſi iſta verba ad promiſſum, ſeu alteram voti partem, referantur. Quodſi durum etiam videatur, ad conditiones voti ea referre, eo, quod Iacobus ob diuinas promiſſiones dubitare non poterat, Iehouam Deum ſuum fore, is cogitet, etiam eum ob easdem promiſſiones dubitare non potuiſſe, nihil eorum, quae ad victum & amictum neceſſaria ſunt, ſibi defuturum. In votis autem eiusmodi conditiones poni ſolent, non vt dubitationem indicent, ſed vt animum ad ſpecialem Numinis gratiam beneficia iſta referentem, ſignificent. Vnde nec hocce votum pro pacto quodam mercenario, ac ſi Iacobus ſaltem pro certa mercede Deo ſeruire voluerit, accipi poteſt. Quamquam & non deſint, qui particulam conditionalem hic per *quia*, aut *cum*, aut *poſtquam*, reddere malint, ne per modum conditionis, ceu incertum, ponatur, de quo Iacobo nullatenus dubitare fas erat. Conf. IOAN. HENR. HEIDEGGERVS, in *hiſtor. patriarchar. part. II. exercitat. XVI. §. XXII.* Sequitur vero etiam, ſi verba eo, quo diximus, modo explicentur, hocce exemplo vota, quae de rebus neceſſariis fiunt, comprobari non poſſe. Nec vtique ſatis pietati hominis conueniens videtur, voto demum ad ea praeſtanda ſe obſtringere, ad quae alias & ſine voto obligatus eſt.

Ad vota proxime accedunt *iureiuranda*, quorum itidem exempla in patriarcharum hiſtoria occurrunt. Sic Abrahamus, ſeruum ſuum Eliezerem iurare voluit, per *Iehouah Deum caeli & Deum terrae*, quod non aliam, quam ex cognatione ipſius, filio ſuo vxorem quaerere vellet, *Geneſ. XXIV. 3.* Quo ipſo etiam docuit, per verum tantum Deum iusiurandum concipiendum eſſe, quod ipſa quoque eius natura & indoles poſtulat. Praeterea ritu ſingulari, ſed tum recepto, ſeruus manum ſuam ſub femore heri ſui ponere iuſſus eſt; quemadmodum & eadem ratione Ioſephus patri ſuo Iacobo iurauit. FLAV. IOSEPHVS, mutuam manuum ſuppoſitionem adhibitam fuiſſe, innuit, *antiqu. iud. lib. I. c. XVI.* quod tum forte fieri potuit, cum mutua

mutua eſſet promiſſio: ſed hic a narratione Moſis nobis minime eſt diſcedendum. Dubium non eſt, quin iſte ritus rei cuiusdam ſymbolum fuerit, licet nobis, quid eo ſibi voluerint, certo non conſtet. Plerique Ebraeorum, quod iam HIERONYMVS obſeruauit, in eam ingreſſi ſunt ſententiam, factum id intuitu circumciſionis, quae erat ſigillum federis cum Abrahamo initi. At chriſtiani doctores veteres hunc ritum ad Meſſiam, qui ex lumbis Abrahami proditurus erat, reſpexiſſe, autumant. Vnde AVGVSTINVS, in illo ritu fuiſſe *magnam prophetiam*, ait, *quod ſcilicet Chriſtus dominus caeli & terrae in ea carne venturus eſſet, quae de illo femore propagata eſt;* de *ciuitat. Dei*, *lib. XVI. cap. XXXIII.* Eumdem fere in modum HIERONYMVS, AMBROSIVS, aliique. At ea ſententia doctiſſimo viro IOAN. CLERICO, vel hoc nomine diſplicet, quod inauditum putat, *iurari per eum*, *qui nondum natus erat*, *nec per plura ſaecula naſciturus erat;* addita ratione: *eſt enim hic ſermo non de Numine*, *quod ſemper fuit*, *ſed de Meſſia, vt homine ex Abrahami poſteris aliquando naſcituro.* Sed cum fideles veteris non minus, quam noui teſtamenti, per Meſſiam, qui ex ſemine Abrahami natus eſt, ſalutem conſequi debuerint; ſenſus huius ritus eſſe potuit, ſe non participes fore ſalutis per Meſſiam, qui ex ſemine Abrahami & deinceps Iacobi naſciturus eſſet, obtinendae, niſi ſancte, quae iuraſſent, ſeruauerint; & tum nihil profecto obſtabit, quo minus per Meſſiam, etſi nondum natum, iurare potuerint. Fateor tamen, haec ſententia, vti & reliquae omnes, de ritus huius ſignificatione, mera coniectura nititur. Satius ergo fuerit, in eo ſubſiſtere, quod eo tempore conſuetudine quadam, cuius ratio non conſtat, receptum fuerit, ita iurare. Ita & CHRYSOSTOMVS, *hom. XLVII. in Geneſin*, ABEN ESRA ad *h. l.* aliique.

Sed vt reliqua perſequamur, nunc de *locis*, vbi ſacra fecerint patriarchae, aliquid dicendum. Eos in locis, vbi commorati ſunt, altaria exſtruxiſſe, in quibus ſacrificia obtulerunt, ſatis conſtat exemplo Abrahami, *Geneſ. XII. 7. 8. XIII. 4. 18. XXI. 33.* Iſaaci, *Geneſ. XXVI. 25.* Iacobi, *Geneſ. XXXIII. 20.* alibique. Cumque, vbi altaria exſtruxerant, etiam nomen Domini inuocaſſe, paſſim perhibeantur; haec loca ſacris quoque conuentibus deſtinata fuiſſe, non negauerim. Conf. IO. ANDREAS QVENSTEDTIVS, in *antiquit. bibl. cap. VIII. p. 706.* Templa autem habuiſſe patriarchas, aut exſtruxiſſe, nullo fundamento dicitur; cum nullum huius rei in ſcriptura ſacra exſtet veſtigium; immo nec cum vita ambulatoria patriarcharum ſatis conueniebat. Muhammedanorum enim fabulae de templo ab Abrahamo exſtructo, memoratae ED. POKOCKIO, in *not. in ſpecim. hiſtor. arab. p. 115.* non eſt, vt nos morentur. Immo an omnino etiam inter gentes iam eo tempore templa fuerint, haud ſine ratione dubites. LVCIANO equidem ſi fides habenda, ad ipſum Noachum templorum origo referenda

fuerit. Templum enim deae ſyriae ſacrum memorans, ἐι μὲν πολλοὶ, inquit, Δευκαλίωνα τὸν Σκύθεα τὸ ἱερὸν ἐνταῦθα λέγουσι· τοῦτον Δευκαλίωνα ἐπὶ τοῦ τὸ πολλὸν ὕδωρ ἐγένετο, *plerique a Deucalione ſtructum dicunt hoc templum; eo ſcilicet Deucalione, cuius aetate vis aquarum fuit maxima; de dea ſyr. tom. II. p. 660.* Deucalionem autem vulgo pro Noacho haberi, conſtat. Sed de Noacho certiora nos Moſes docet, aram quidem poſt diluuium eum exſtruxiſſe, in qua ſacrificium Domino obtulit, minime autem templum. *Geneſ. VIII. 20.* Veteres Aegyptios primas diis aras & ſimulacra & templa ſtatuiſſe, refert HERODOTVS, *lib. II. cap. IV.* idemque teſtatur LVCIANVS, *l. c. p. 657.* Sed an iam ante aetatem Moſis, aut patriarcharum tempore, hoc factum? horum teſtimoniis non euincitur. IVLIVS FIRMICVS auctor eſt, Aegyptios IOSEPHO poſt mortem, patrio gentis ſuae inſtituto, templa feciſſe; de *error. profan. relig. p. 18.* ARTAPANVS teſtatur, cum Aegyptii grandine & terrae motu adfligerentur, *domos vniuerſas* τῶν τε ναῶν τοὺς πλείστους, *& templorum pleraque corruiſſe;* apud EVSEBIVM, *praeparat. euang. lib. IX. cap. XXVII.* Sed fieri potuit, vt hi, aliique, de rebus antiquis Aegyptiorum, ſecundum mores ſui temporis loquerentur. Vnde lubricum eſt, quod in hisce ſimilibusque veterum teſtimoniis praeſidium quaerit IO. SPENCERVS, vt euincat, templa iam ante tabernaculum a Moſe iuſſu Numinis confectum, apud alias gentes in vſu fuiſſe; de *legib. Ebraeor. ritual. & ear. rationib. lib. III. ſect. I. p. 1189. ſeqq.* Maiorem ſpeciem habent, quae pro antiquitate templorum ex ſcriptura ſacra profert: ſed adcuratius conſiderata, atque dubia ac incerta deprehenduntur. Primo adfert locum *Leuit. XXVI. 30. & diſſipabo excelſa veſtra & ſuccidam* את־חמניכם *templa veſtra ſolaria.* Per vocem enim חמנים templa ſoli dedicata intelligi; qua in re praeeuntem ſibi ex Ebraeis habuit ABEN ESRA, ex chriſtianis SAM. BOCHARTVM, in *Phaleg. part. II. lib. II. cap. XVII.* At alii per חמנים *ſimulacra*, ſeu *ſtatuas ſubdiales*, intelligunt, quae iuxta R. SAL. IARCHI, ſuper tecta ponebantur, & ita vocabantur, quia ſoli erant expoſita. Certe deriuatio vocis a verbo חמם *calefactus fuit, caluit, concaluit*, poſteriori vocis ſignificationi non minus fauet, quam priori. Alter locus, quem producit, exſtat *Num. XXXIII. 52. diſperdite cunctos habitatores terrae illius, confringite titulos, ſtatuas comminuite, atque omnia excelſa vaſtate.* Vocem משכית vulgatus interpres per *titulos* expreſſit, at Chaldaeus per בית סגדא *domum adorationis* ſeu *templum;* quae poſterior interpretatio magis arriſit SPENCERO, quia eius inſtituto magis conueniebat. Sed ſine ratione. Vox משכית enim proprie ſignificat *imaginem, figuram, imaginationem, cogitationem;* vnde *Leuit. XXVI. 1.* dicitur. אבן משכית *lapis effigiei*, i. e. figuratus. Reliqua, quae vir ille doctus pro ſua ſententia in medium adfert, multo minus euincunt, ante Mo-

ſis

Digitized by Google

ſis aetatem templa apud ethnicos in vſu fuiſſe. Hinc alii contendunt, templorum in ſcriptura ſacra apud gentiles diſerte ante iudicum tempora mentionem non fieri. Quod pluribus euincere conatur PETRVS IVRIEV, *hiſt. crit. dogm. & cult. &c. part. II. cap. I. p. 205.* Sequitur vero ex dictis, quod nec Iſraëlitae, cum in Aegypto commorati ſunt, templa habuerint; quod adſeruit EDMVNDVS DICKINSONVS, in *phyſica veteri & vera, cap. XIX. §. XXIV. p. 297. ſeqq.* qui pro iſta ſententia meras ſaltem coniecturas attulit, eadem facilitate reiiciendas, qua ab illo in medium ſunt adlatae. Quidquid vero tandem huius ſit, patriarchas templa non habuiſſe, aut in iis ſacra feciſſe, poſitum eſt extra controuerſiam.

Conſiderandum nunc porro, penes quos eo tempore ius & poteſtas ſacra publice faciendi fuerit. Primogenitorum nimirum ſingularem hanc fuiſſe ἐξοχὴν, recepta multorum fert ſententia, vti iam ſupra ad §. *IX.* obſeruauimus. Ad eos enim & regnum, & ſacerdotium, & duplicem in hereditate portionem ſpectaſſe, ebraei doctores tradunt; vt vel ex chaldaeo paraphraſte ONKELOSO ad *Geneſ. XLIX. 3.* conſtat. De ſacerdotio, de quo nobis nunc ſpeciatim diſpiciendum, diſputari ſolet, fueritne illud ante legem a Moſe latam primogenitorum proprium, nec ne? Adfirmant illud communi fere conſenſu doctores ebraei, teſte HIERONYMO, *tradit. in Geneſ. p. 98.* His etiam praeter alios ex chriſtianis adſtipulantur HVGO GROTIVS, *adnot. ad Luc. II. 32.* IO. SELDENVS, qui & ebraeorum doctorum ſuffragia profert, *lib. de ſucceſſ. in bon. def. cap. V. & lib. I. de ſucceſſ. in Pontif. cap. I.* SAM. BOCHARTVS, *hierozoic. part. I. col. 575.* & ex noſtratibus IO. ANDREAS QVENSTEDTIVS, in *antiquitatib. biblic. cap. I. num. II. p. 13. ſeqq.* Negant contra CAMPEGIVS VITRINGA, *obſeruation. ſacrar. lib. II. cap. II.* IO SPENCERVS, de *legibus Ebraeor. ritualib. lib. I. cap. VI. ſect. II. p. 205. ſeqq.* aliique. Qui adfirmatiuam ſententiam defendunt, his maxime nituntur rationibus, quod *veſtimenta* illa *deſiderabilia* Eſaui, quorum mentio *Gen. XXVII. 15.* fuerint inſignia ſacerdotii; quod Eſauus hoc maxime nomine ob ſpretam primogenituram βέβηλος vocetur, quia cum ea coniunctum fuerit ius ſacerdotii; quod primogeniti Iſraëlitarum paullo ante exitum ex Aegypto diuina lege ſacri declarati fuerint, *Exod. XIII. 2.* item, quod poſt exitum ex Aegypto memorentur נערי בני ישראל — כהנים *ſacerdotes iuuenes filiorum Iſraël*, quibus oblationem pecudum Moſes demandauit, *Exod. XIX. 22.* & *XXIV. 5.* qui vix alii eſſe poſſint, quam primogeniti, quia his, vt Deo ſacris, opera ſacerdotii optime conueniebant; denique, quod Leuitae deinceps adſumti fuerint in locum primogenitorum, vnde conſtet, primogenitos ante id tempus ſacris religionis adminiſtrandis fuiſſe admotos. At non eiusdem hae rationes ſunt generis, nec deeſt diſſentientibus, quod ad ſingulas reponant. Quod de veſtimen-

mentis ſacerdotalibus Eſaui dicitur, ridiculum eſt, & commenta rabbinica redolet. Animumque mirari ſubit, fuiſſe viros eruditos, qui ſerio ſibi perſuaderent, primogenitos ſeu ſacerdotes eius aeui peculiares habuiſſe veſtes ſacerdotales, quibus vſi ſint, cum ſacris operarentur. Eſauus, fateor, βέβηλος dici potuit, etſi cum iure primogeniturae non coniunctum fuerit ius ſacerdotii: interim cum hoc reuera cum illo coniunctum fuerit, vt mox oſtendemus, minime hoc contemnendum eſt argumentum. Conferenda, quae iam ſupra ad §. *IX.* diximus. Quod primogeniti Iſraëlitarum ante exitum Deo conſecrati dicuntur, *Exod. XIII.* 2. CAMPEGIVS VITRINGA *l. c.* ita explicat, vt contendat, eos non in *ſacerdotes*, ſed velut in *ſacrificia* Deo conſecratos eſſe; eaque plane ratione in illorum locum ſubſtitutos fuiſſe Leuitas, qui non ſacerdotes fuerint, ſed ſacerdotum ſaltem famuli atque miniſtri, & quibus prae reliquis Iſraëlitis nulla in templo fuerit praerogatiua. Per *ſacerdotes* denique & *iuuenes filiorum Iſraël*, *Exod. XIX. 22. XXIV. 5.* non intelligendos primogenitos, ſed honoratiores in populo, & ſeniores, & Moſi proximiores in regimine. Sed etſi haec omnia concedantur, firmo tamen adhuc nititur talo ſententia, quae primogenitis ante legem ius ſacerdotii tribuit, modo recte capiatur ac explicetur. Nimirum externam ſacrorum directionem penes eum eſſe, qui caput aut familiae aut populi eſt, vel ipſa recta ratio quemlibet condocet. Hinc olim, qui reges principesque fuerunt, ſemper etiam ius habuerunt ſacerdotii, vt vel Melchiſedeci exemplo patet. Prout enim ἐξοχὴν quamdam & ius ſacra, qua actus externos, dirigendi infert, a principatu non poteſt ſeparari, ſed eius quaedam pars eſt. In qualibet itaque familia vt principatus familiae, ita & ius ſacerdotii eſt penes patrem familias, quod & exempla Abrahami, Iſaaci, Iacobi demonſtrant. Quod ſi patrem familias mori contingat, primogenitus vtique eſt princeps & caput familiae, & hoc ipſo etiam habet ius ſacerdotii. Et quemadmodum fratres eius, quamdiu in eadem familia manent, imperio eius, tamquam capitis familiae, quodammodo ſunt obnoxii; ita, cum ex familia diſcedunt, & proprias familias, independentes quidem, conſtituunt, cum principatu etiam ius ſacerdotii ad eos tranſit. Ita ſi res concipiatur, nemo profecto negare poteſt, primogenitos habuiſſe olim, quamdiu patriarchae in familiis ſeorſim vixerunt, ius ſacerdotii, niſi ſimul adſerere velit, omni prorſus ἐξοχῇ & praerogatiua eos fuiſſe deſtitutos. Pluribus hoc ediſſerui in *diſſert. de peccatis typicis*, §. *XXI.* add. PETRVS IVRIEV, in *hiſtor. crit. dogm. & cult. &c. part. I. cap. IX. p. 56. ſeqq.* Patet vero hinc, quantopere illi fallantur, qui hocce primogenitorum ius ideo in dubium vocant, vt euincant, certum ſacerdotum ordinem iam ante legem a Moſe latam fuiſſe, eumque ipſo iure naturali niti, quod nonnulli ex hierarchiae eccleſiaſticae defen-

Digitized by Google

fenſoribus apud Anglos faciunt. Sed hoc ὡς ἐν παρόδῳ.

Ceterum lege Moſaica ad viros ſacro cultui dicatos alendos, deſtinatae fuerunt *decimae*, quarum tamen itidem iam ante legem Moſaicam vſus inualuit. Abrahamum namque ex omni praeda hoſtibus erepta decimam partem dediſſe Melchiſedeco, conſtat, *Geneſ. XIV. 20.* quemadmodum & Iacobus decimam bonorum partem Deo promittit, ſi voti damnatus fuerit, *Geneſ. XXVIII. 22.* Vnde iam Abrahami aetate in more poſitum fuiſſe, colligere licet, decimas aliquando ſoluere: quod & Ebraeorum doctores agnoſcunt, dum negant, decimas ab Abrahamo inſtitutas, ap. IOAN. SELDENVM, *de ſynedr. lib. I. cap. II.* Videntur autem decimae olim partim in ſignum ſubiectionis, partim ad grati animi declarationem perſolutae. Prius fiebat, cum a ſubditis decimae darentur regibus. Vnde & Paulus apoſtolus ſuperioritatem quamdam Melchiſedeci & ἐξοχὴν ſupra Abrahamum, inde colligit, quod hic illi decimas dederit, *Ebr. VII. 4.* quamquam praecipue id ſpectauerit Abrahamus, vt animum gratum hac ratione erga Melchiſedecum oſtenderet. In decimis, quae Deo dicabantur, vtrumque coniungi potuit, vt ſcilicet & obſequium ſuum erga eum, ſimulque animum gratum, declararent. Deus autem ab Iſraëlitis, ceu rex ſupremus huius populi, decimas quoque poſtulauit; ſed eas ſacerdotibus & Leuitis deinceps adſignauit. Nec errant mea opinione, qui hac in re documentum aliquod iuris regii, quod Deus ſpecialiori quadam ratione in hac gente exercuit, ſibi inueniſſe viſi ſunt. Patet etiam ex dictis, non alia, quam aut grati animi, aut obſequii lege, ſi a legibus diuinis ſpecialibus diſcedas, decimas niti. Vt vero gratus animus alia etiam ratione declarari poteſt, & quod nonnulli eum olim libere per decimas declarauerint, ex ſaeculi more ac conſuetudine factum eſt; ita obſequii lege illi tantum exigere decimas poſſunt, qui imperium habent. Vnde porro ſequitur, verbi diuini miniſtris in nouo teſtamento iure diuino decimas non deberi; vt nonnulli ex hierarchiae eccleſiaſticae defenſoribus anglicanis ſibi aliisque perſuadere voluerunt. Imperium enim illis non competit. Labores illorum compenſandi equidem ſunt, gratusque erga eos declarandus animus; ſed, vt per decimas hoc fiat, neceſſe non eſt. Leges autem particulares Iſraëlitis datae nos hodie non obligant. Sed plura de decimis dabit IOAN. SELDENVS, peculiari diſſertatione, quam ex lingua anglicana in latinam translatam, & notis illuſtratam, *commentario* ſuo *in pentateuchum* ſubiunxit IOAN. CLERICVS. Lectu etiam digna ſunt, quae erudite de decimis diſſerit IOAN. SPENCERVS, de *legib. Ebraeor. ritualib. lib. III. diſſertat. I. cap. X. ſect. II. p. 907. ſeqq.* etſi cuncta ad ſuam de cauſſis legum ritualium hypotheſin adcommodet, qua de re in ſequentibus.

Reliqua, quae hic adhuc dici poſſent, vnico complectemur faſce. Ad

ritus nimirum ſacros huius aeui referri etiam poſſet *lapidum & ſtatuarum per vnctionem conſecratio*, ipſius Iacobi exemplo confirmanda, *Geneſ. XXVIII. 18.* qua de re abunde ſupra ad §. *XI.* dictum; legique etiam de ea meretur ANDR. CHRISTIANI ESCHENBACHII diſſertatio, de *vnctionibus gentilium*, quae exſtat in *diſſertationib.* eius *acad. p. 389. ſeqq.* itemque purificatio per corporum ablutionem, a Iacobo ſuis iniuncta, *Geneſ. XXXV. 2.* ſed itidem iam ſupra ad §. *XII.* memorata, & paucis explicata. Praeterea χειροθεσίας in hac hiſtoriae parte prima mentio, *Geneſ. XLVIII. 13. 14.* cuius deinceps vſus apud Ebraeos longe fuit frequentiſſimus, vti iam ad §. *XIV.* obſeruauimus. Nimirum & illis, quibus munus aliquod demandabatur, manus imponebantur, *Num. VIII. 10. XXVII. 18. 20. Deut. XXXIV. 9. Actor. VI. 6. I. Tim. IV. 14.* & illis etiam, quibus impertienda erat benedictio. Immo obſeruant nonnulli, in vſu fuiſſe apud Ebraeos, ad eos, qui ſanctimonia praeſtare ceteris credebantur, pueros deferre, vt benedictionem per impoſitionem manuum ab iis impetrarent. Cuius moris veſtigium luculentum deprehendimus, cum & Chriſto paruuli oblati ſunt, vt manum iis imponeret, & oraret. *Matth. XIX. 13.* Circa ritus huius ſignificationem in varias equidem ſententias abeunt viri docti: ſed mihi planiſſimum videtur, gratiae diuinae collationem eodem ſignificatam. Ipſa enim impoſitio collationis cuiusdam habet indolem; quemadmodum & manibus dare & conferre aliis aliquid ſolemus. Hinc recte adhibebatur, cum hômines muneribus publicis admouendi eſſent, vt ſignificaretur, a Deo dona ad iſtud munus adminiſtrandum neceſſaria conferri, idque precibus impetrandum eſſe. Sic & qui aliis benedicebant, diuini Numinis dona affatim illis conferri cupiebant. Quin vero prima ritus huius origo a Iacobo, ſuis ex Ioſepho nepotibus hac ratione benedicente, repetenda ſit, nullum eſt dubium. Denique & de *ſepultura* hoc addendum, eius omnino adcurate hac aetate habitam rationem, vt Abrahami, Iſaaci & Iacobi exemplo conſtat. Ritus autem certos iam tum adhibitos non legimus, ſi diſcedas ab iis, quae circa Iacobum & Ioſephum, Aegyptiorum more, obſeruata fuere. Horum enim corpora condita fuiſſe a medicis, ſeu artis condiendi peritis, legimus *Geneſ. L. 2. ſeqq.* Quem condiendi corpora apud Aegyptios morem pluribus exponunt HERODOTVS, *lib. II. cap. LXXXV. ſeqq.* & DIODORVS Siculus, *lib. I. p. 81. ſeqq.* Iacobum etiam mortuum ſollemni luctu Ioſephus & Aegyptii proſequuti ſunt, & ſingulari pompa corpus eius in Cananaeam deduxerunt, & ſpeluncae, in qua Iſaacus & Abrahamus ſepulti erant, intulerunt. *Geneſ. L. 4. 5. ſeqq.* De origine autem ſepulturae, & quis eius apud veteres finis fuerit, legendus praeter alios IO. ANDREAS QVENSTEDTIVS, in *tractat.* de *ſepultura veterum*, *antiquitatibus* eius *biblicis* & *eccleſiaſticis* addito, *cap. I.*

§. XIX.

§. XIX.

Circa matrimonia, ſaeculi vitio factum, vt etiam viri pii & ſancti, diuinae inſtitutioni non ea, qua par erat, ratione inhaererent. Id Abrahami cum Hagare concubinatus, & Iacobi polygamia teſtatur, conniuente & tolerante iſta Numine, quod non ex libidine aut intemperantia, ſed ex innocenti ſtudio prolem ſuſcipiendi iſta fierent. * Ius etiam leuiratus patriarcharum tempore iam vſitatum fuiſſe, exemplo filiorum Iudae condocemur. ** Qui vero ſcortationem iſta aetate licitam fuiſſe putant, ſe vim indolemque legum diuinarum minime perſpectam habere, demonſtrant. ***

* Polygamiam contra primaeuam matrimonii inſtitutionem eſſe, conſtat ex iis, quae ſupra ad *ſect. I. ſ. XIX.* & *XXVI.* obſeruauimus. Vnde & patriarcharum polygamia vitio non caruit, etſi Deus eam ob cauſſas grauiſſimas ſanctiſſimasque tolerauerit. Repetenda, quae ſupra ad *ſ. IV. huius ſectionis* de Abrahamo diſputauimus, & quae diximus in *inſtitut. theol. mor. part. II. cap. II.* ad *ſ. XIV.* & *cap. III. ſect. VI.* ad *ſ. XI.*

** Cum Ger, filius Iudae, ob malitiam ſuam a Deo interfectus eſſet; dixit Iudas alteri filio ſuo Onano: *ingredere ad vxorem fratris tui, & leuiri iure ducito eam, & ſuſcita ſemen fratri tuo; Gen. XXXVIII. 7. 8.* Ex quo ſermone facile colligas, iam vſitatum fuiſſe iſtum morem, nec tum demum primum introductum. Hinc de origine eius enata quaeſtio. IOAN. MARSHAMVS eam in Aegypto ſibi inueniſſe viſus eſt. *Opinio autem iſta,* inquit, *in Aegypto nata eſt. Etiam apud Aegyptios leuiri ius illud ex priſcis illorum legibus ad vsque Zenonis Auguſti tempora deriuatum eſt.* Hoc vt probet, prouocat ad legem Zenonis imperatoris, quae exſtat in codice Iuſtinianaeo, *lib. V. tit. VI. leg. VIII. Aegyptii*, inquit Zeno, *idcirco mortuorum fratrum ſibi coniuges matrimonio copularunt, quod poſt illorum mortem manſiſſe virgines dicebantur; arbitrati ſcilicet, quod certis legum conditoribus placuit, cum corpore non conuenerint, nuptias non videri eſſe contractas.* Ita quidem MARSHAMVS hancce legem refert, in *can. chron. ſaec. IX. p. 173.* Verum, lex illa ita incipit: *Licet quidam Aegyptiorum idcirco mortuorum fratrum ſibi coniuges matrimonio copularint &c.* Nimirum nihil minus ex hacce Zenonis lege probari poteſt, quam id, quod cupit MARSHAMVS. Non enim imperator dicit, quid ex iure patrio ue inſtituto apud Aegyptios factum ſit, ſed quid quidam Aegyptiorum fecerint. Deinde hosce Aegyptios tum demum mortuorum fratrum coniuges ſibi copulaſſe, cum corpore non conueniſſent, adeoque virgines manſiſſe dici poterant. At ius leuiratus apud Ebraeos in eo conſiſtebat, quando quis fratris ſui vxorem, quae cum illo

matrimonio iam iuncta fuerat, in matrimonium ducebat. Denique ex eo, quod quidam Aegyptiorum tempore Zenonis imperatoris fecerunt, colligi nequit, quid in Aegypto tempore patriarcharum fuerit vſitatum. Sed adcurate iam & erudite hanc MARSHAMI ſententiam profligauit HERMANNVS WITSIVS, in *aegyptiacis*, *lib. III. cap. VIII. p. 237. ſeqq.* PHILO Iudaeus, in libro de *nobilitate*, *p. 909.* ex lege ciuili Cananaeorum hocce leuiratus ius deriuat; nec procul hinc diſcedunt alii Ebraeorum magiſtri, qui ius leuiratus pro capite iuris ciuilis habent, quod pro gubernantium placito iuri Noachidarum adiectum ſit. Vid. IOAN. SELDENVS, de *iure natur. & gent. iuxta diſciplin. Ebraeor. lib. VIII. cap. III.* Alii a Deo ipſo hoc patriarchis reuelatum contendunt; idque duplicem ob rationem, politicam alteram, alteram typicam; politicam quidem, vt hereditas paterna in eadem familia conſeruaretur; typicam vero, vt ius primogeniturae, additaque illi benedictio in familia continuaretur, ad Meſſiae venturi ſignificationem, qui eſt *primogenitus in multis fratribus; Rom. VIII. 29.* Vid. NATALIS ALEXANDER, *hiſtor. eccleſ. vet. teſtam. aetat. mundi III. diſſert. XI. prop. I. p. 242. ſeqq.* Sed haec omnia incerta, totaque res ad meras coniecturas redit. Hoc certum, tempore Iudae eiusmodi quid iam vſitatum fuiſſe: videturque hoc inſtitutum animo non malo introductum, quicumque demum eius auctor ſit: hinc &, licet aliquid, quod cum legibus diuinis de gradibus conſanguinitatis & adfinitatis, in ipſa primaeua matrimonii inſtitutione fundatis, pugnat, contineat; a patriarchis tamen & gente israëlitica receptum, tandemque ob cauſſas grauiſſimas a Deo ipſo confirmatum & adprobatum fuit, *Deut. XXV. 5. ſeqq.* conf. & SEBAST. SCHMIDIVS, ad *Geneſ. XXXVIII. 8.*

*** Fuiſſe, qui ſcortationem ſimplicem ante legem a Moſe latam haud illicitam contenderent, iam ſupra ad §. *XXVI. ſect. I.* obſeruauimus; MAIMONIDEMque huius ſententiae patronum eſſe diximus, cui & alii ex eadem gente doctores adſtipulantur. Vid. IOAN. SELDENVS, de *iure natur. & gent. iuxta diſcipl. Ebraeor, lib. V. cap. IV.* Nec deſunt ex chriſtianis, qui in eadem verſantur opinione. Speciatim IOAN. MARSHAMVS, diſerte, *ante legem*, inquit, *Ebraeis innuptis licitum fuit, corporis copiam pro lubitu facere;* in *can. chron. ſaec. IX. p. 173.* Nituntur autem cumprimis exemplo Iudae, cuius ſcortatio cum Thamare narratur *Gen. XXXVIII. 13. ſeqq.* Cumque ſupponant, Iudam fuiſſe virum ſanctum & pium, eiusmodi quid eum non facturum fuiſſe, inde colligunt, ſi credidiſſet, ſcortationem eſſe illicitam. Verum falluntur hi omnes turpiter. Illicitam enim eſſe & ſimplicem ſcortationem, ratio ipſa docet: quippe ex qua facile intelligitur, inſtinctum illum ad coniunctionem cum ſequiori ſexu ideo inſitum eſſe, vt humani generis propagationi inſeruiret. Scortatio autem ad libidinis expletionem,

non

non autem ad humani generis propagationem, eſt comparata. Vnde & ſapientiores ex ipſis ethnicis agnouerunt, turpem ac illicitam eſſe ſcortationem. Conf. HVGO GROTIVS, ad *Matth. V. 28.* Idem euincitur ex primaeua coniugii inſtitutione, eo extra controuerſiam comparata, vt ſecundum ordinem a Deo praeſcriptum humani generis propagatio inſtitueretur. Quo ipſo vagi omnes atque promiſcui concubitus damnantur. Sed apoſtolus Paulus quoque eiusmodi contra ſcortationem *I. Cor. VI.* pugnat rationibus, quae ſatis euincunt, eam lege naturali eſſe prohibitam. Immo ipſi Iacobi filii, qui ſtuprum ſorori ſuae Dinae a Sichemo illatam immani Sichemitarum caede vlti ſunt, agnouerunt, ſcortationem eſſe illicitam, quando, vt facinus apud patrem excuſarent, dixerunt: *num quid vt ſcorto abuti debuerunt ſorore noſtra? Geneſ. XXXIV. 31.* Nec ignorauit hoc ipſe Iudas, qui maluit, arrhas ſuas amittere, quam inquirere in ſcortum vlterius, poſtquam Thamar ſe ſubduxiſſet, & priſtinum habitum reſumſiſſet, ne ſe aliorum ludibrio & contemtui exponeret. Et hinc etiam, quid de ipſo Iudae ac Thamaris facto cenſendum ſit, liquet. Sunt ex Ebraeis, qui & hanc & illum excuſant, vt MOS. MAIMONIDES, R. ISAAC ABARBANEL, aliique; vid. IOAN. SELDENVS, *loc. cit. lib. VII. cap. V.* Idem & ex antiquis eccleſiae doctoribus faciunt CHRYSOSTOMVS, *homil. XLII. in Geneſ.* AMBROSIVS, *comment. in Luc. lib. III.* & THEODORETVS, *quaeſt. XCIV. in Geneſ.* Sed Ebraei quidem ex praua hypotheſi Iudam defendunt, ac ſi ſcortatio ante legem Moſaicam fuerit licita; quam iam profligauimus. CHRYSOSTOMVS, qui ſibi ipſi non ſatis conſtat, hoc vtitur argumento, quod & Iuda & Thamar diſpenſationi Dei inſeruierint. Sed licet iuxta prouidentiae diuinae diſpenſationem aliquid boni inde conſequutum ſit; ex eo concludere non licet, ipſum factum fuiſſe bonum. Thamarem excuſant, quod intentio eius non fuerit mala, ſed quod deſiderio prolis, & ad iniuriam a Iuda ſibi illatam propulſandam, illud fecerit. Verum ex ſola intentione bona actionem per ſe malam non fieri bonam, ſapientum ſcitum eſt, extra omnem dubitationem poſitum. Dicendum potius, & Iudam & Thamarem graui ſe obſtrinxiſſe crimine. Illi enim conſtitutum erat illicito concubitu explere libidinem. Haec, ſocero inſidias ſtruendo, reuera in inceſtum conſenſit, & Iudae, vt eo ſe pollueret, occaſionem dedit. Conf. & NATALIS ALEXANDER, *hiſt. eccleſ. vet. teſtam. aetat. mundi III. diſſertat. XI. prop. II. & III. p. 243. ſeqq.*

§. XX.

Coaluerant ea aetate gentes pleraeque in ciuitates & reſpublicas, & imperia conſtituerant. Patriarchae vero cum ſuis ſeorſim degebant, nec rerum ſuarum certam fixamque habebant ſedem. * Regimen itaque illorum tale fuit, quale patrum familias eſſe ſolet,

Rr 3 pote-

poteſtas autem paullo amplior, cum extra ciuitates vixerint, nec ipſimet aliorum imperio fuerint obnoxii: non tamen regia aut monarchica, vt nonnulli perperam ſibi perſuaſere. **

* Quod exemplo Abrahami, poſtquam ex paterna familia egreſſus erat, itemque Iſaaci & Iacobi, ſatis conſtat.

** Ingreſſus in eam ſententiam eſt ADRIANVS HOVTVYNVS, iureconſultus Batauus, in libro anno M DC LXXXV, Lugduni Batauorum edito, cui titulus: *Monarchia Ebraeorum, quae eſt de imperio monarchico in populum ebraeum probatio, ab Abrahamo ad diſperſam gentem, cap. I.* Vt autem hoc euincat, partim ſcripturae ſacrae, partim profanorum auctorum teſtimoniis vtitur. Nam Hetitarum filii Abrahamum principem Dei ſalutarunt, *Geneſ. XXIII. 6.* & PHILONI *princeps vniuerſi Iudaeorum generis* audit, in *vita Moſis, lib. I. init.* Apud IVSTINVM quoque legitur: *poſt Damaſcum Abraham, & Iſraël reges fuere; lib. XXXVI. cap. II.* Teſtimoniis his rationes ſubiungit HOVTVYNVS, ex eo regiam Abrahami dignitatem euicturus, quod iuribus praecipuis ſummi imperii fuerit gauiſus, poteſtate ſcilicet legiſlatoria, iure bella gerendi, & pangendi federa. *Praecipiendi*, inquit, *ius familiae ſuae Deus illi confirmat. Scio enim, quod praecepturus ſit filiis ſuis, & domui ſuae poſt ſe, Geneſ. XVIII. 19. Quae praecepti vox & legiſlatiuam & interpretandae legis naturalis ſignificationem habet. Imperii ius & exigendae obedientiae generatio ei tribuit. In ſeruos ius ex conſenſu fuit. Exercitum aduerſus reges quatuor eduxit, Geneſ. XIV. Et in federe cum Eſchol, Aner & Mambre fuit, Geneſ. XIV. 13. Sic iura principatus in familia exercuit.* Interim ipſe diffiteri HOVTVYNVS nequit, quod Abrahamus territorium non habuerit. *Territorium*, ita pergit, *non habuiſſe, cum, quod peregrinatus & hoſpitatus in alieno dicitur, tum facta ei terrae promiſſio, probat, Gen. XI. 32. it. XII. XX. 1. 2. XXI. 34. XXIII. 4. XXVI. 1. & alibi. Princeps igitur in familia ſua: ſubiectus, quod in alieno conſiſteret. Idem de Iſaaci & Iacobi iure & peregrinatione ſit iudicium. Geneſ. XXVI. per tot. XXVIII. 2. 10. 13. &c.* Sed haec eiusmodi ſunt, vt vocibus ſaltem puerorum more ludere voluiſſe, aut vmbram principatus, quae in patribus familias conſpicitur, cum regia dignitate data opera confundere, vir doctus videatur. Hetitarum filii Abrahamum principem Dei ſalutant, quod eminentioribus in populo viris titulus hicce olim tribueretur. Inde non ſequitur, quod eum pro rege habuerint. PHILONI recte princeps vniuerſi Iudaeorum generis audit, quia Iudaei omnes ex eo originem ducunt. IVSTINI ſi nobis hic ſtandum ſit auctoritate, tum pari ratione reliquae, quas de Moſe & gente iſraëlitica conſignatas reliquit, fabulae, fidem inuenient. Nec rationes, quibus pugnat, melioris commatis ſunt, quam teſtimonia. Cum Deus dicit, quod filiis ſuis & domui ſuae poſt ſe praecepturus

cepturus ſit, ſermo eſt de iis doctrinae capitibus, quibus religio Abrahami, iuxta fedus ſpeciale a Deo cum illo initum, conſtabat. Haec dum ſuis diligenter inculcauit, doctoris potius, quam regis aut principis functus eſt munere. Ceterum cum patriarchae iſti in ſtatu naturali vixerint, & nullius imperio fuerint ſubiecti; amplior omnino illorum poteſtas fuit, quam illorum eſt, qui in ſtatu ciuili degunt. Habuerunt itaque omnino poteſtatem, armata manu ſe ſuosque, aut cognatos & amicos etiam defendendi, & iniuriam illis illatam repellendi, quod & Abrahamum feciſſe conſtat, itemque federa ſuae ſecuritatis cauſſa cum aliis ineundi. In eo vmbra quaedam ſummi imperii conſpicitur, regiam dignitatem inde colligere non licet. Deum vero ratione territorii patriarchas aliorum poteſtati obnoxios fuiſſe, fatetur, ſimul concedit, eos non habuiſſe ſummum imperium, nec fuiſſe reges proprie ſic dictos. Recte etiam ſe habent, quae de populo iſraëlitico in Aegypto conſtituto ſubiicit, eum terram Goſen iure proprietatis, in quam dominium plenum ſibi competeret, non poſſediſſe. Id enim & nobis iam ſupra obſeruatum eſt. Concedo etiam, Iſraëlitas, quamdiu in Aegypto commorati ſunt, ratione territorii Pharaoni ſeu Aegypti regibus fuiſſe ſubiectos. Sed in eo iterum errat, quod putat, Pharaoni fuiſſe ius Iſraëlitas in Aegypto retinendi, eosque, poſtquam inde egreſſi erant, perſequendi & reducendi, etſi ſimul fateatur, Iſraëlitas obligatos fuiſſe, iuſſu Numinis inde diſcedere, cum Deo magis parendum ſit, quam hominibus. Non diſputabo, quo pacto haec ſecum conſiſtere queant, Pharaoni fuiſſe ius retinendi Iſraëlitas, & his nihiloſecius fuiſſe ius inde diſcedendi; ſaltem hoc adſero, Pharaoni neutiquam fuiſſe ius Iſraëlitas retinendi, aut, poſtquam egreſſi erant, eos perſequendi vel reducendi. Non enim eo animo in Aegyptum Iſraëlitae deſcenderant, vt Aegyptiorum imperio ſe ſubiicerent, ſed vt ibi tantiſper tamquam hoſpites commorarentur. Quamdiu itaque ibi commorati ſunt, ratione territorii Aegyptiorum regibus ſubiecti erant, cum autem illis conſtitutum eſſet illinc abire, Pharaoni nihil amplius in eos iuris erat. Sed pluribus haec viri docti commenta explodit ADAMVS RECHENBERGIVS, theologus Lipſienſis celeberrimus, in *diſſertat. de ficta Ebraeorum monarchia ante regem Saulum, Adriano Houtuyno oppoſita*, quae inter *diſſertationes* eius *hiſtorico-politicas* exſtat, *part. I. num. XIII. p. 314. ſeqq.*

§. XXI.

Abrahamum pariter ac Iſaacum & Iacobum fuiſſe viros ſapientiſſimos, rerumque diuinarum, quodammodo & naturalium, pro iſtius temporis conditione, peritiſſimos, non eſt, quod dubitemus. * Idemque & de Iobo, ** & aliis cenſendum. Non tamen temere

temere, quae de philoſophica illorum eruditione, ſtudiisque, a nonnullis referuntur, vtpote certo fundamento deſtituta, admittenda ſunt, multo minus, quae de ſcriptis ab illis editis paſſim traduntur. *†* Pietas quoque ſanctorum iſtorum virorum nos dubitare non ſinit, quin liberos, aliosque domeſticos, ad ſapientiam & honeſtatem erudiuerint: an vero iam ſcholae iſto tempore inſtitutae fuerint, non ſatis liquet. *

* De diuinarum rerum ſcientia, quam theologiam vocare ſolemus, in praeſenti non dicemus; cum nemo dubitet, quin ea, pro ſaeculi iſtius conditione, admodum inſignis in patriarchis, Abrahamo, Iſaaco, Iacobo, fuerit. Qualis etiam ea fuerit, ex hactenus dictis, praeſertim §. *XVII.* vbi horum patriarcharum theologiam in compendio exhibuimus, abunde liquet. De naturalium itaque rerum ſcientia, partibusque, quibus humana eruditio abſoluitur, paucis aliquid commemorabimus. Et ad Abrahamum quidem quod attinet, eum arithmeticae & aſtronomiae fuiſſe peritum, multi veterum, nec pauci recentiorum, memoriae prodiderunt. FL. IOSEPHVS, cum fata Abrahami in Aegypto retuliſſet, & diſputationes eius cum Aegyptiorum ſapientibus inſtitutas, quibus religionis, cui addicti erant, vanitatem demonſtrauerit, ſubiicit: θαυμασθεὶς οὖν ὑπ' αὐτῶν ἐν ταῖς συνουσίαις ὡς συνετώτατος καὶ δεινὸς ἀνὴρ, οὐ νοῆσαι μόνον, ἀλλὰ καὶ πεῖσαι λέγων περὶ ὧν ἂν ἐπιχειρήσειεν διδάσκειν, τήν τε ἀριθμητικὴν αὐτοῖς χαρίζεται καὶ τὰ περὶ ἀστρονομίαν παραδίδωσι. *Ob has diſſertationes in pretio habitus, vt qui magnam tam intelligendi, quam eloquendi docendique facultatem prae ſe ferret, & numerorum ſcientiam & ſiderum benigne illis communicauit.* In hiſce verbis IOSEPHVS Abrahamum vt egregium diſputatorem, philoſophum ſummum, praeſtantiſſimum oratorem, & excellentem mathematicum ſiſtit. De arithmetica & aſtronomia addit, ante Abrahami aduentum Aegyptios eiusmodi diſciplinarum fuiſſe rudes, quae a Chaldaeis ad Aegyptios profectae, hinc ad Graecos tandem peruenerint; *antiquit. iudaic. lib. I. cap. IX.* Idem *cap. VIII.* comprobauerat teſtimonio BEROSI, de cuius aetate ſupra dictum. Μνημονεύει δέ, inquit, τοῦ πατρὸς ἡμῶν Αβραάμου Βηρωσσὸς, οὐκ ὀνομάζων, λέγων οὕτως· μετὰ δὲ τὸν κατακλυσμὸν δεκάτῃ γενεᾷ παρὰ Χαλδαίοις τις ἦν δίκαιος ἀνὴρ, μέγας καὶ τὰ οὐράνια ἔμπειρος; *meminit autem patris noſtri Abrahami Beroſus quoque, non tamen eum nominans, his verbis: poſt diluuium autem decima aetate apud Chaldaeos erat quidam iuſtitiae cultor, vir magnus & ſideralis ſcientiae peritus.* Idem BEROSI teſtimonium laudat EVSEBIVS, *praeparat. euangel. lib. IX. cap. XVI.* apud quem & *cap. XVII.* ALEXANDER polyhiſtor, ex EVPOLEMO refert, quod Abrahamus Phoenices ſolis lunaeque conuerſiones, ac reli-

reliqua id genus omnia, docuerit. Huc etiam faciunt, quae tum IOSEPHVS, tum PHILO, in libro de *Abrahamo, p. 359. ſeqq.* de prima Abrahami educatione referunt, eum ſcilicet apud Chaldaeos ſiderali ſcientiae innutritum, patrio more aſtra pro diis coluiſſe, donec acriori mentis intentione cuncta contemplatus, errorem huncce magno animo excuſſerit. Conf. & MOSES MAIMONIDES, de *idololatria, cap. I. §. V. VI.* PETRVS LAMBECIVS, cum itidem varia veterum de Abrahami peritia aſtronomica teſtimonia attuliſſet, in eo totus eſt, vt demonſtret, hoc non de aſtrologia, ſpeciatim ita dicta, ſed de aſtronomia, quae hodie ab aſtrologia adcurate diſcernitur, intelligendum eſſe; in *prodromo hiſtor. litterar. p. 48.* Hinc & IVLIANVM apoſtatam reprehendit, qui Abrahamum aſtronomiae ἀποτελεσματικῇ deditum fuiſſe, ex *Geneſ. XV. 5.* probare voluerat; quem & CYRILLVS Alexandrinus iam confutauit, *lib. X. contra Iulian.* circa finem; & multo magis EVPOLEMVM, qui omnino Abrahamum aſtronomiae diuinatricis inuentorem facit, apud EVSEBIVM, *loco* iam *citato, lib. IX. cap. XVII.* Rectiſſime ſane, ſi aſtrologiae nomine ars quaedam vana, inanis & ſuperſtitioſa intelligatur, quippe quae Abrahamo prorſus indigna eſt. Interim, nonnulla circa hanc LAMBECII ſententiam moneri poſſe, iam indicaui in *introd. ad hiſtor. philoſ. Ebraeor. p. 18.* Quidquid huius ſit, poſtquam omnia paullo adcuratius mecum penſitaui, omne iſtud, quod de peritia Abrahami aut aſtronomica, aut aſtrologica dicitur, infirmo adhuc niti fundamento deprehendi. IOSEPHI & PHILONIS, non eſt, vt hic nos moueat auctoritas. De ſapientia Abrahami conceptus ſecundum genium ſui ſaeculi ſibi formare, ab ingenio vtriusque non abhorret. Nec video, quid obſtet, quo minus & BEROSO & EVPOLEMO idem contingere potuerit. Accedit, quod facili ratione in eas cogitationes, etſi erroneas, deuenire potuerint. Acceperant, Abrahamum fuiſſe virum ſapientem, quod tamen de ſapientia diuina intelligendum erat: acceperant, eum fuiſſe ex Chaldaea: nouerant, ſuo tempore Chaldaeos ob ſtudium aſtronomicum maxime celebrari. Hinc colligere pronum erat: ergo Abrahamus aſtronomiae erat peritiſſimus. Ad minimum mirum eſſet, ſi tanta peritia aſtronomica praeditus fuiſſet Abrahamus, cur Moſes ne verbo quidem huius rei meminerit. Qui enim in loco *Geneſ. XV. 5.* aliquod huius rei veſtigium ſibi deprehendiſſe videntur, quid dicant, quidue ſtatuant, parum penſi habent. A SVIDA etiam Abrahamo tribuitur inuentio τῆς ὀνειροκριτικῆς, voc. *Abraham;* immo addit, conſcriptos ab eo ſomniorum interpretandorum libros, quos acceperint Graeci, eosque poſtea ſibi vindicauerint. Et fuit quidem oneirocritica apud gentes antiquiſſimas inter philoſophiae partes relata; vt itidem a me iam obſeruatum *introd. ad hiſtor. philoſ. Ebraeor. p. 19.* Sed ea cum reuera vanis & ſuperſtitioſis artibus adnume-

numeranda ſit; exiſtimationi & ſanctitati Abrahami labem adſpergunt, qui inuentionem eius illi tribuunt. Deus equidem viris ſanctis in ſomniis nonnulla reuelauit; ſed ſignificationem quoque ſomniorum iis aliquando manifeſtauit, vt de Ioſepho atque Daniele nouimus: ſed vel hoc ipſo conſtat, ſomniorum interpretationem certis neutiquam niti principiis, nec inter artes, quae humano ſtudio condiſci queant, referendam eſſe. Rectius conſeruatio ac propagatio linguae ſanctae, & litterarum ebraearum, Abrahamo tribuitur. Falluntur enim citra controuerſiam, qui Abrahamum, quamdiu in patria vixit, chaldaice loquutum, exiſtimant, in terra autem Canaan *cananaeam* didiciſſe linguam, & hanc eam eſſe, qua ſacrae litterae conſcriptae ſint, quamuis nos hodie ebraeam adpellitemus. Enimuero ſecus ſe rem habere, & ebraeam, quam vocamus, primigeniam illam linguam eſſe, quam Adamus a Deo accepit, quaeue deinceps in Eberi familia conſeruata, & per Abrahamum propagata fuit, iam ſupra ad *ſect. II. ſ. XI.* euicimus. Vlterius progreditur SVIDAS, dum non tantum conſeruationem & propagationem linguae ſanctae, ſed eius, vt & litterarum ebraearum, inuentionem Abrahamo tribuit. ἦτος, inquit, de Abrahamo verba faciens, εὗρεν ἱερὰ γράμματα, καὶ γλῶσσαν ἐμηχανήσατο, ἧς Ἑβραίων παῖδες ἐν ἐπιστήμῃ ἐτύγχανον ὡς ὄντες τούτου μαθηταὶ καὶ ἀπόγονοι. *Hic ſacras litteras inuenit, & linguam excogitauit, cuius notitiam habebant Ebraeorum filii, quod eſſent huius diſcipuli & poſteri;* in *voc.* Ἀβραάμ. Addit deinceps, Graecos litteras ſuas ab Ebraeis accepiſſe. At non ſatis ſibi SVIDAS conſtat. Alibi enim, ſcilicet in voc. Ἀδάμ, artium & litterarum inuentionem ipſi Adamo tribuit. De Abrahamo etiam nullo fundamento id adſerere potuit. Et licet de litterarum inuentione nihil certi nobis conſtet; non omni tamen probabilitatis ſpecie deſtituuntur, qui eam Adamo tribuunt; vt iam ſupra ad *ſect. I. ſ. XXVII.* a nobis obſeruatum eſt. Quae de graecarum litterarum origine tradit, forte rectius ſe habent; cum a Phoeniciis, qui ab Ebraeis ſuas habere potuerunt, eos litteras accepiſſe, virorum eruditorum ſit ſententia. Qua de re ſuo loco. Quod autem antiquus quidam poëta anonymus apud PETRVM CRINITVM, de *honeſta diſciplina, lib. XVII. cap. I.* ebraearum litterarum Moſi, Abrahamo autem ſyriacarum & chaldaicarum inuentionem tribuit, ne dignum quidem eſt, quod refellatur. Denique, vt abſoluamus, quae de Abrahami ſtudiis dicere incepimus, Iudaei quoque, kabbalae eum peritiſſimum fuiſſe, autumant, eumque ab angelo quodam eam edoctum fuiſſe perhibent, apud IO. REVCHLINVM, de *arte kabbaliſtica, lib. I.* Quo kabbalae nomine ſi intelligerent veram de Deo deque Meſſia doctrinam, quae orali traditione eo tempore per viros ſanctos propagabatur, veriſſimum eſſet, eius peritiſſimum fuiſſe Abrahamum. Sed ſi recentiorum Iudaeorum com-

commenta, eaque & ἄγραφα & ἀντίγραφα hoc nomine deſignentur, nefas fuerit, de viro ſancto eiusmodi quid cogitare. Sed angeli quoque, patriarcharum praeceptores, reliquis Ebraeorum fabulis adnumerandi ſunt. Dictum hac de re a nobis ex inſtituto eſt alibi. Iſaacum in iis, quae ad verum Numinis cognitionem pertinent, adcurate a patre Abrahamo inſtitutum, non eſt, quod dubitemus. De reliquis vero eius ſtudiis nihil nobis conſtat.

Iacobum a prima ſtatim aetate manſuetius vitae genus ſectatum, iam ſupra ex *Geneſ. XXV. 27.* obſeruauimus; Ebraeorum vero traditionem, eum aut Semi aut Eberi ſcholam frequentaſſe, autumantium, & eo illud, quod a Moſe dicitur, eum in *tentoriis verſatum*, trahentium, ibidem exploſimus. Interim de inſigni eius diuinarum rerum peritia ex iis, quae ſupra prolixe de illo diſputauimus, argumentum capi poteſt. Philoſophiae eum non fuiſſe rudem, ex artificioſa eius foetura, *Geneſ. XXX. 37. ſeqq.* deſcripta, nonnulli colligunt. Et indicat ſane hoc, ſollerti ingenio Iacobum fuiſſe praeditum. Interim, quae imaginationis, etiam in pecudibus, vis eſſet, facile ex obſeruatione illi innoteſcere poterat: quemadmodum & paſtoribus talia, quae ad naturam & indolem pecoris pertinent, ex quotidiana obſeruatione longe perſpectiora eſſe ſolent, quam viris eruditis, etſi illis ideo philoſophorum nomen tribui haud ſoleat. In verum autem & genuinum verborum Moſis ſenſum, quibus hoc Iacobi artificium deſcribit, adcurate inquirit GOTHOFREDVS VOCKERODT, in peculiari de *foetura Iacobi artificioſa* diſſertatione, quae inter *exercitationes* eius *academicas* exſtat, *p. 328. ſeqq.* Ex filiis Iacobi maxime nobis commemorandus eſt Ioſephus, qui tantam ſapientiae famam conſequutus eſt, vt eius memoriam IVSTINVS quoque, TROGI POMPEII epitomaſtes, nobis conſeruauerit; licet ſcriptorum gentilium more veris falſa admiſcuerit. *Minimus aetate*, inquit, *inter fratres Ioſephus fuit, cuius excellens ingenium veriti fratres clam interceptum peregrinis mercatoribus vendiderunt: a quibus deportatus in Aegyptum, cum magicas ibi artes ſollerti ingenio percepiſſet, breui ipſi regi percarus fuit. Nam & prodigiorum ſagaciſſimus erat, & ſomniorum primus intelligentiam condidit, nihilque diuini iuris humanique ei incognitum videbatur; hiſtor. lib. XXXVI. cap. II.* Quod dicit, eum excellenti fuiſſe ingenio, cum ſcriptura ſacra ſatis conuenit. Sed quod porro refert, eum apud Aegyptios *magicas artes* ſollerti percepiſſe ingenio, tum demum admitti poteſt, ſi de arcanis naturae hoc accipiatur; quamquam & hac de re ex ſcriptura ſacra nihil conſtet. At ſi magicarum artium nomine vanas quasdam, illicitas, & ſuperſtitioſas intelligas, ab iis Ioſephum toto potius abhorruiſſe animo, pietas viri nos credere iubet. De ſeipſo equidem dicit: *nonne nouiſtis, quod augurando augurabitur vir, qui*

ſicut ego? Geneſ. XLIV. 15. Sed hoc de diuinatione, quae ex prudentia oritur, non autem magica quadam, intelligendum eſſe, patet ex iis, quae ſupra hac de re diximus. Inuentionem praeterea ὀνειροκριτικῆς Ioſepho IVSTINVS tribuit, cum dicit: *ſomniorum primus intelligentiam condidit.* At id quoque perperam. Etſi enim non tantum ipſi ſomnia diuinitus oblata ſint; ſed &, quae aliis, ſpeciatim Pharaoni, obtigerunt, interpretatus ſit; hoc tamen non ex artis cuiusdam regulis fecit, ſed diuinae hoc imputandum eſſe reuelationi, ipſemet agnouit, *Geneſ. XLI. 16.* Nec veriora nobis narrant, qui Ioſepho primam litterarum ac matheſeos inuentionem ac translationem in Aegyptum tribuunt, ſupponentes, antiquiſſimum Aegyptiorum Mercurium, qui & alias Theuth dicitur, non alium, quam Ioſephum eſſe. Qua de re quid ſentiendum ſit, ex infra dicendis patebit. Eodem loco habenda, quae de medicae artis peritia nonnulli perhibent, eo praecipue argumento inducti, quod *Geneſ. L. 2.* dicitur, eum praecepiſſe ſeruis ſuis medicis, vt defunctum in Aegypto patrem Iacobum aromatibus condirent. Hinc enim colligere equidem licet, medicae artis vſum iam tum apud Aegyptios floruiſſe, immo adeo communem fuiſſe, vt medici ſeruorum loco fuerint; quod prorſus cum eo conuenit, quod de medicorum in Aegypto frequentia memoriae prodidit HERODOTVS, *lib. II. cap. LXXXIV.* ipſum autem Ioſephum huius artis fuiſſe peritum, inde non ſequitur. Sed miſſis hisce, quae omni fundamento deſtituuntur, certiora conſectemur. Inſigni prudentia Ioſephum praeditum fuiſſe, res eius in Aegypto geſtae ſatis ſuperque teſtantur. Quod praeter alios recte agnouit PHILO Iudaeus, qui in libro, cui titulus: βίος πολιτικȣ̃, viri ciuilis imaginem conſummatam exemplo Ioſephi ſiſtit. Nec dubitabit hac de re, qui ſecum cogitauerit, quanta fide & dexteritate in rebus Pharaonis adminiſtrandis verſatus ſit; vnde & regis gratiam conſtantem, maximamque in Aegypto ſibi conciliauit auctoritatem. Hic autem inde ſcrupulus enaſci poterat, quod regis potius, quam ei ſubiectorum commodis conſulendo, non ſatis iuſtitiae & aequitatis habuiſſe rationem videatur, quod illorum ceteroquin proprium eſt, qui pſeudoprudentiae litantes, verae & genuinae prudentiae ſpeciem obtendunt. Sed ſi adcurate expendantur, quae hac de re Moſes refert, *Geneſ. LXVII. 13. ſeqq.* nihil feciſſe Ioſephum, quod reprehendi debeat, deprehendemus. Cum pecunia deſtituerentur Aegyptii, primo pecora, equos, boues, aſinos, mox, his deficientibus, agrum vniuerſum, cum frumento commutandum obtulerunt. Licuit Aegyptiis haec omnia vendere, cur non licuiſſet Ioſepho, nomine Pharaonis emere? Immo ſi quis in ſeruitutem conſentiat, vt conſequatur, quae ad vitae conſeruationem ſunt neceſſaria, non peccat: ſicut nec ille peccat, qui ea lege, quibus ſuſtentari poteſt, illi ſuppeditat. Ex parte Ioſephi prae-

praeterea nulla fraus, nulla vis, inſidiae nullae interceſſerunt; ſed res ita acta eſt, vt Aegyptiis facere & omittere, quod vellent, integrum eſſet. Immo ſumma in his omnibus Ioſephi eluxit aequitas, quod libertate hominibus relicta, ſubminiſtrato ſemine, & emtis agris reſtitutis, quinta ſaltem prouentus parte regi reſeruata, ſeruitutem admodum mitigauerit. *Geneſ. XLVII. 24.* Atque tanta cum eſſet Ioſephi prudentia; mirum non eſt, quod ex eius diſciplina profecerint Aegyptii; quod & Dauid, rex ſanctiſſimus indicat, *Pſalm. CV. 21. 22. Conſtituit* (Pharao) *eum* (Ioſephum) *dominum domus ſuae, & dominatorem in omni poſſeſſione ſua: vt erudiret principes, ſicut ſeipſum, & ſenes eius pudentiam doceret.* Ad iſtam vero prudentiam humana inſtitutione Ioſephus non peruenit, ſed ingenii, quod numinis beneficio illi obtigerat, ſollertiae eam omnem imputauit. Et hinc, quaenam patriarcharum ea aetate ſtudia fuerint, conſtat.

** Conferenda, quae de Iobi philoſophia & eruditione dixi in *introd. ad hiſtor. philoſ. Ebraeor. p. 23. ſeqq.* add. IO. HENR. MAII, *diſſert. de philoſophia Iobi arabica, tom. I. exercitat.* eius *ſelectior. p. 371. ſeqq.*

*** Varia patriarchis huius aetatis tribui ſolent ſcripta. Et Abrahami quidem nomine olim liber circumferebatur, *ἀποκάλυψις Ἀβϱαάμȣ* inſcriptus, isque a Sethianis haereticis confictus, teſte EPIPHANIO, *lib. I. aduerſ. haereſ. p. 121* Ab iisdem vel ſub Abrahami nomine, vel de eodem confictus videtur, alter eiusdem generis, cui titulus: *Ἀνάληψις τȣ̃ Ἀβϱαάμȣ, adſumtio Abrahami;* cuius & ATHANASIVS meminit, in *ſynopſi ſcripturae, p. 134.* An non hicce vnus idemque ſit cum priori, dubitat PETRVS LAMBECIVS, in *prodrom. hiſt. litterar. lib. III. cap. VI. p. 58.* alibi tamen, ſcilicet in *comment. de biblioth. caeſarea, lib VIII. p. 374. ſeqq.* diuerſum eſſe, euincit. Cumprimis autem hic nobis commemorandus liber יצירה, ſeu *creationis*, qui non tantum Abrahami nomen prae ſe fert, ſed & a doctiſſimis Ebraeorum Abrahamo tribuitur. Ita diſerte auctor libri *Coſri, ſerm. IV. ſect. XXIV.* qui & porro addit, quod ſit *profundus, & longam requirat explicationem, doceatque de Deo & vnitate eius, verbis reſpectu vno variis & multiplicibus, reſpectu vero altero vnitis & eodem tendentibus.* MOSEN MAIMONIDEM quoque in eadem fuiſſe ſententia, nonnulli autumant. In libro enim de *idololatria, cap. I. §. IX.* de Abrahamo verba faciens, ſcribit: *infixitque animis eorum* (virorum domus ſuae) *magnum hoc fundamentum* (vnius veri Dei cultum) וחבר בו ספרים *compoſuitque de eo libros, & filio ſuo Iſaac indicium eius fecit.* Quae verba de libro *Iezirah* intelligit DIONYSIVS VOSSIVS, in *notis* ad *h. l.* Idem vero hanc ſententiam, librum hunc ab Abrahamo conſcriptum, merito explodit, recteque addit, ab aliis eumdem tribui R. Akibbae, qui quinquaginta annis poſt deſolationem vrbis & templi martyrio vitam finiit, circa annum

Digitized by Google

Chriſti CXX in bello Adriani imperatoris contra Iudaeos. Idem in libro *Iuchaſin* innuitur, *p. 52.* & in *praefatione II.* Zohar Mantuani; immo a pluribus litteratis huius libri Abrahamum auctorem ferri, SIXTVS Senenſis, *lib. II. bibliothecae ſanctae*, iam obſeruauit. Quidquid vero huius ſit; etſi diuerſae hac de re eruditorum ſint ſententiae; de antiquitate libri vel ex eo iudicium ferri poteſt, quod iam in *Gemara, cod. Sanhedrin, cap. VII.* eius iniiciatur mentio. IO. HENR. HOTTINGERVS, occaſionem Abrahami nomen libro huic praefigendi ex diſputationibus patriarchae anti-Sabaeis ortam putat; in *enneade diſſertat. philolog. theolog. diſputat. I. p. 9.* Quod in medio relinquo. Abrahami patriarchae eum non eſſe, ſi aliunde non conſtaret, argumentum mere kabbaliſticum ſatis indicaret. Quaenam in eo pertractentur, in compendio iam indicaui in *introd. ad hiſtor. philoſ. Ebraeor. p. 106. 107.* vbi & illos, qui commentariis ſuis eum illuſtrarunt, laudaui. In *praefatione* R. ABRAHAMI BEN DAVID recenſentur XXXII נתיבות ſeu ſemitae ſapientiae, & ab eo explanantur. Has latinas fecit, & notis illuſtrauit IO. STEPHANVS RITTANGELIVS, & ſub nomine *libri Ietzirah* euulgauit, Amſtelodami, anno MDCXLII. in 4. add. IOAN. BVXTORFIVS, in *biblioth. rabbin. p. 353.* & IVLIVS BARTOLOCCIVS, in *biblioth. rabbin. magna, tom. I. p. 15.* Quod ad reliqua ſcripta, quae Abrahamo tribuuntur, attinet, ſunt ex Ebraeis, qui eum pſalmi LXXXIX auctorem faciunt, hunc & Ethanem Ezrachitem, cuius nomen pſalmus hicce praefert, eumdem cum Abrahamo eſſe, ſtatuunt. Conſ. IVL. BARTOLOCCIVS, *loc. cit. p. 15.* SVIDAE commentum, ὀνειροκριτικὴν non tantum ab Abrahamo inuentam, ſed ſcriptos etiam ab eo de hac arte libros ad Graecos perueniſſe, iam ſupra exploſimus. Non tantum autem Abrahamo, ſed & Iacobo varii libri tribuuntur; vt *ſcala Iacobi*, liber ab Ebionaeis haereticis confictus, in quo Iacobus patriarcha introducebatur, exponens ſomnium de ſcala caeli, diuinitus ſibi oblatum; meminit eius EPIPHANIVS, *haereſ. XXX.* item, *teſtamentum Iacobi*, ad imitationem prophetiae Iacobi, quae *Geneſ. XLIX.* exſtat, confictum, & a Gelaſio pontifice inter libros apocryphos relatum, *diſtinct. XV. ſancta romana;* & denique *titulus* ſeu *inſcriptio lapidis*, poſt viſionem ſcalae caeleſtis a Iacobo in Bethel erecti; forte, quod auctor aliquis occaſionem hinc eiusmodi quid comminiſcendi ſumſerit, cum in ipſo titulo, ſeu lapide, a Iacobo erecto, nulla fuerit inſcriptio, vt conſtat ex iis, quae ſupra hac de re diximus. Sed de hiſce omnibus plura dabunt SIXTVS Senenſis, *bibliothecae ſanctae lib. II.* PETRVS LAMBECIVS, in *prodromo hiſt. litterar. lib. I. cap. VI. p. 50. & cap. VII. p. 53. ſeqq.* IO. ANDREAS SCHMIDIVS, in *pſeudo-veteri teſtamento, p. 54. ſeqq.* SCIPIO SGAMBATVS, *archiu. vet. teſt. lib. II. tit. II. ſeqq. p. 190. ſeqq.* cumprimis autem IO. ALB. FABRICIVS, *cod. pſeudepigrapho vet. teſt. n. CVI. ſeqq. p. 344. ſeqq.*

Id adhuc addo, in *conſtitutionib. apoſtol. lib. VI. cap. XVI.* inter apocrypha, etiam ſub nomine *trium patriarcharum*, ſcriptum quoddam commemorari. Verba ſunt: καὶ ἐν τοῖς παλαιοῖς δέ τινες συνέγραψαν βιβλία ἀπόκρυφα Μωσέως, καὶ Ἐνὼχ, καὶ Ἀδὰμ, Ἠσαΐα τε καὶ Δαβὶδ, καὶ Ἠλία καὶ τῶν τριῶν πατριαρχῶν, φθοροποιὰ καὶ τῆς ἀληθείας ἐχθρά. *Et vero apud veteres nonnulli conſcripſerunt, Moſis, Enochi, Adami, Eſaiae, Dauidis, Eliae & trium patriarcharum libros apocryphos, exitiales & repugnantes veritati.* Vbi quidem per tres patriarchas, Abrahamum, Iſaacum, Iacobum intelligi, nullum videtur dubium. Quodnam vero ſcripti huius argumentum fuerit, non conſtat; cum alibi eius mentio non occurrat. In ATHANASII equidem *ſynopſi ſcripturae*, & NICEPHORI *canone*, itemque anonymi *indiculo ſcripturarum* inter apocryphos libros quidam refertur, cui titulus fuit: πατριάρχαι, quem eumdem cum iſto in *conſtitutionibus apoſtolicis* memorato eſſe, ſuſpicatur IOAN. BAPTISTA COTELERIVS, ad *conſtit. apoſtol. loc. cit. p. 347.* IOAN. ERNESTVS GRABIVS autem, non huncce *trium patriarcharum librum*, vtpote obſcuriorem, ſed *teſtamentum* potius, quod vocatur, *duodecim patriarcharum*, ibi deſignari, contendit, in *ſpicilegio patrum & haereticorum ſaeculi I. II. & III. tom. I. p. 137.*

Sed de hoc ipſo *duodecim patriarcharum teſtamento* quaedam adhuc commemoranda ſunt. Si enim genuinum eſſet, pro illuſtri antiquitatis monumento merito haberetur. Sed ſpurium huncce foetum eſſe, perperamque XII patriarcharum nomen, ac ſi ab iis profectus eſſet, praeferre, nemo dubitat. Interim cum iam ORIGENES *homil. XV. in Ieſuam*, ad eum prouocauerit, ante eius aetatem iam iſtum librum exſtitiſſe, colligitur. Immo & TERTVLLIANVS ex eo iam quaedam hauſiſſe videtur, *lib. V. contra Marcionem, cap. I.* & in *ſcorpiaco aduerſus Gnoſticos, cap. XIII.* quamquam id adeo non ſit euidens. Ex ORIGENIS itaque adlegatione GVIL. CAVE collegit, librum hunc ſaeculo ſecundo, & quidem exeunte, ſcriptum eſſe; *hiſtor. litterar. ſcriptor. eccleſiaſt. part. I. p. 52.* mutata autem deinceps paullisper ſententia, ad initium ſaeculi ſecundi eum referendum cenſet; *part. II. p. 29.* HENRICVS DODWELLVS, in litteris ad IOAN. ERNESTVM GRABIVM datis, ſaeculo primo haecce patriarcharum teſtamenta condita, exiſtimat, quia ſtilus plane ſit helleniſticus, qualis iam circa initium ſaeculi ſecundi in vſu eſſe deſierit. In eo autem vterque conuenit, auctorem libri Iudaeum quemdam ad chriſtianam fidem conuerſum eſſe, quia talia in eo de Meſſia & ſtatu noui teſtamenti legantur, quae notitiam Iudaeorum longe excedant, & proinde nonniſi a chriſtiana manu profecta videantur. At in aliam ſententiam abit IOAN. ERNESTVS GRABIVS, exiſtimatque, hocce ſcriptum a Iudaeo olim ante Chriſtum natum compoſitum, a chriſtiano autem interpolatum eſſe; idque fuiſſe ex numero LXXII apocryphorum libro-

librorum veteris teſtamenti, quod olim exſtitiſſe, & vna cum XXII canonicis ſcriptis, a Iudaeis ad Ptolomaeum Aegypti regem miſſos fuiſſe, referat EPIPHANIVS, *lib. de menſuris & ponderib.* §. *X.* Eo minus hac in re ſe decipi credit, quod & IOSEPHVS, *lib. I. contra Apion. p. 1036.* inſinuet, libros quosdam apocryphos veteris teſtamenti exſtitiſſe. Ex horum numero non tantum eos fuiſſe, quos adhuc hodie habemus, librum ſcilicet *Sapientiae*, *Ieſu Siracidis*, & reliquos, ſed alios quoque, qui iam ſint deperditi. Idque ab auctore *ſynopſeos ſcripturae*, quae *tomo II. oper.* ATHANASII exſtat, *p. 154.* confirmari; quippe a quo inter apocrypha ibi referantur *Enoch*, *patriarchae*, *oratio Ioſeph*, *teſtamentum Moſis*, *adſumtio Moſis*, *Abraham*, *Eldad & Madad*, *Eliae prophetae*, *Sophoniae prophetae*, *Zachariae*, *Baruch*, *Ambacum*, (*id eſt Habacuc*) *Ezechiel & Daniel*, *falſo inſcripti libri.* Hos & alios eiusdem generis recenſeri quoque ab auctore *indiculi ſcripturarum*, a IOAN. BAPTISTA COTELERIO, in *notis* ad *lib. I. conſtit. apoſtolic.* editi. Hisce itaque veteris teſtamenti apocryphis etiam *teſtamenta duodecim patriarcharum* adnumeranda eſſe. Auctorem vero eorum Iudaeum eſſe, vel inde conſtare, quod talia in iis occurrant, quae ab homine chriſtiano ſcribi non potuerint, quod aliquot exemplis comprobat. Rurſus tamen non negat, nonnulla occurrere, quae chriſtianam reuelationem ſapiant, etſi quaedam ita comparata ſint, vt a Iudaeo etiam ſcribi potuerint, quorſum inter alia illud refert, quod de poenis & adflictionibus Iudaeorum tempore Meſſiae, in teſtamento Leui §. *XV.* dicitur: ſimile quid enim in *Midraſch Tillim* Iudaeis praedici, immo duo praeciſe millia annorum adflictionis in diebus Meſſiae determinari. Quodſi quaedam occurrant, quae plane ab Iudaeo proficiſci non potuerint, quod non negat, nihil aliud tandem inde ſequi, contendit, quam a chriſtiano quodam hocce ſcriptum fuiſſe interpolatum. Haec quidem erudite GRABIVS, qui ipſemet tandem fatetur, rem omnem non eiusmodi niti fundamentis, quae plane certa & extra dubitationem poſita cenſeri queant. Quodſi etiam ponatur, poſt Chriſti aduentum librum hunc compoſitum eſſe, incertum tamen itidem dubiumque, quando hoc factum ſit. Ex ſtilo enim helleniſtico argumentum capi non poſſe, cum liber hic ebraeo primum idiomate ſcriptus, in linguam graecam deinde verſus ſit, & quidem, ſi codici cuidam manuſcripto in bibliotheca Bodleiana fides habenda, ab ipſo CHRYSOSTOMO. Sed oppido hoc incertum eſſe, cum nemini antiquorum eiusmodi quid memoretur, ipſemet agnoſcit GRABIVS, qui putat, CHRYSOSTOMVM ebraicarum litterarum ſatis peritum fuiſſe, vt eiusmodi quid ab illo fieri potuerit. Quidquid huius ſit, etſi liber ſit ſuppoſititius, eum tamen minime contemnendum, viri quidam docti iudicant. GVIL. CAVE eum tamquam *plurimis praeceptis*, *iisque melioris quidem notae*, *paſ-*

Digitized by Google

paſſim refertum commendat; *hiſtor. litter. part. I. p. 12.* GRABIVS autem non indignum obſeruatione putat, ethicis illis praeceptis non ſolum generales ſeu diuinae gratiae promiſſiones, ſeu diuinae iuſtitiae comminationes adnecti, ſed hinc inde ſpecialium remunerationum atque poenarum fieri mentionem, *quas ſancti quidam viri vel ex diuina inſpiratione hauſere, vel ex propria experientia collegere & ad poſteros transmiſere.* Huc refert, quod in *teſtamento Leui, ſ. XIII.* dicitur: *omnis, qui agnoſcit legem Dei, honorabitur, & non erit peregrinus, quocumque vadit: amicos quoque plures ſuis genitoribus habebit, & deſiderabunt multi hominum ſeruire ei, atque audire legem ex ore ipſius;* item, quod in *teſtamento Ioſephi, ſ. III.* legitur: *propter Deum ieiunantes faciei gratiam accipere.* Verum haec non ſine grano ſalis accipienda exiſtimauerim. Non aliae enim admittendae ſunt promiſſiones, quam quae in ſcriptura ſacra fundamentum habent. Ex diuina aliquid inſpiratione profectum, quod in ſcriptura ſacra non continetur, dici nequit. Experientia hic fallax eſt. Quodſi enim vnum alterumue exemplum proſtet, hanc vel illam virtutem, hoc aut illud praemium temporale conſequutum, inde non inferendum, quod Deus ſemper eadem ratione illam virtutem remunerari velit. Sed commendat GRABIVS haec teſtamenta porro ex hoc capite, quod *egregie in iis contineantur prophetiae de Meſſia ac ſtatu ſynagogae Iudaeorum & eccleſiae gentium ſub nouo teſtamento, aliisque huiusmodi, quae, quatenus quidem ex Enochi prophetiis aliisque antiquioribus ſcriptis referuntur, vel ſaltem cum antiquiorum Rabbinorum traditionibus conueniunt, & proinde a primo XII teſtamentorum auctore ante tempora Chriſti ſcripta videntur, confirmandae vacillanti chriſtianorum fidei, ac conuellendae pertinaci Iudaeorum incredulitati, apprime inſeruire poſſunt; quatenus autem a chriſtiano quopiam ſaeculi I vel II prodierunt, ad hunc quidem ſcopum non conducunt, attamen quodammodo vtiles ſunt, dum in iis genuinus canonicarum prophetiarum ſenſus, quem primi chriſtiani ab apoſtolis acceperunt, ſaepe non ſine ſpiritu ac ſingulari verborum emphaſi exprimitur, non ſolum de illis, quae iam olim prima eccleſia noui teſtamenti aetate impleta ſunt, ſed & iſtis, quae adhuc reſtant implenda, vt eſt conuerſio Iudaeorum, &c.* Sed, an & in hisce vir doctus omnes ſibi habiturus ſit ſuffragantes, valde dubito. Quodſi enim ſupponatur, auctorem eſſe Iudaeum, librumque hunc ante Chriſtum natum ſcriptum, vel hoc nomine nec Iudaei nec chriſtiani eius prophetiis fidem adhibebunt, quod neſciunt, quis auctor ille ſit, & a quo prophetias ſuas acceperit. Scripta apocrypha antiquiora Enochi, aliorumque, aut traditiones Rabbinorum, non maiorem forte his fidem conciliabunt, quam auctoritas ſcriptoris anonymi & incerti. Quodſi hic liber prout a chriſtiano quopiam ſaeculi I aut

aut ii profectus, ſpectetur, nec tum adeo magna in hoc quidem capite eius erit vtilitas. Non enim ad prophetiarum diuinarum interpretationem multum conferet, quae ſiue impletae ſint, ſiue adhuc implendae, itidem longe aliis fundamentis, quam traditione aut auctoritate ſcriptoris apocryphi, nititur. Vltimo denique loco doctiſſimus GRABIVS haecce patriarcharum ex hoc capite teſtamenta commendat, quod hiſtoriam horum patriarcharum egregie illuſtrent; cum plura de iis hic referantur, quae in Geneſi Moſis, aliisue canonicis libris, non leguntur, ob antiquitatem omnibus Ebraeorum, quos ſuperſtites habemus, hac de re commentariis ſiue commentis praeferenda, praeſertim cum pleraque veritati omnino congrua videantur &c. Vſus profecto hic admodum inſignis eſſet, ſi modo vir doctiſſimus probaſſet, ſatis tuto auctori incerto in hiſce fidem adhiberi. Eſto enim, recte ſe habeant, quae de antiquitate libri ſuſpicatus potius eſt, quam certo adſeruit, num ideo auctori ſtatim in omnibus credendum? aut num homo Iudaeus more gentis commenta ſua pro veris hiſtoriis vendere non potuit, quia ante Chriſtum natum vixit? At veritati, inquis, congrua videntur, quae narrat. Nimirum non omni prorſus iudicio deſtitutus fuit, hinc &c, ne quid contra omnem veroſimilitudinis ſpeciem diceret, operam dedit. Vera autem eſſe quis praeſtabit? Nimis itaque lubrico fundamento ſua ſuperſtruunt, qui hinc ingens ad hiſtoriae ſacrae illuſtrationem, temporumque emendationem, praeſidium ſibi pollicentur. Ceterum, vt & hoc adiiciamus, ex graeco ſermone hunc librum ſaeculo decimo tertio in latinum tranſtulit ROBERTVS GROSSETEST, epiſcopus Lincolnienſis, teſte MATTHAEO PARISIENSI, ad *annum Chriſti M CC XLII. pag. 507.* qui ad annum M CC LII. *p. 835.* occaſionem, qua ROBERTVS huncce librum adeptus eſt, exponit. Iſta autem ROBERTI verſio typis primum exſcripta eſt Pariſiis, anno M D XLIV, hinc aliquoties in patrum collectionibus recuſa, ſed graecum textum integrum cum verſione latina primus edidit, quem iam laudauimus, IOAN. ERNESTVS GRABIVS, & *ſpicilegii patrum vt & haereticorum tomo I. p. 145. ſeqq.* inſeruit, praemiſſa luculenta & erudita praefatione, *p. 129. ſeqq.* Hinc vero iuxta GRABII editionem itidem graece ac latine, in *codicem* ſuum *pſeudepigraphum vet. teſtam.* illum tranſtulit vir doctiſſimus IO. ALB. FABRICIVS, *p. 496. ſeqq.*

* Certe, quae de ſcholis, praeſertim publicis patriarcharum a nonnullis dicuntur, lubrico & incerto admodum nituntur fundamento. Iuuat hac de re audire IACOBVM ALTINGIVM, qui *rempublicam Ebraeorum ſcholaſticam quatuor orationibus* delineauit, quae cum eiusdem *diſſertationibus theologicis & philologicis* iunctim prodierunt. Nimirum *orat. I. p. 278.* de Abrahamo verba faciens, *hic adhuc*, inquit, *in natali Chaldaeae ſolo publice doctorem egit, ſi Ioſepho credimus, adfirmanti,*

hunc

hunc primum clara voce Deum vniuerſitatis conditorem eumdemque felicitatis vnicum largitorem praedicaſſe; cui proinde vni honos & gratiarum actio debeantur. Exponit hinc, quo pacto ex mente Iudaeorum, ſpeciatim MAIMONIDIS, *de idololatr. cap. I.* ex terrae & maris obſeruatione, nec non caeleſtium luminarium contemplatione, ad veri Dei cognitionem peruenerit, & tum ita pergit: *Verumtamen, licet hic adſenſum Ioſepho negaremus, domeſticorum tamen priuatam inſtitutionem Abrahamo cordi fuiſſe, vltro & ambabus, quod aiunt, manibus concedendum foret. Praeterquam enim, quod ex Charan eduxerit bene informatam & principiis orthodoxae religionis bonarumque artium recte imbutam familiam: Chaldaeus enim paraphraſtes, quod Gen. XII. 5. de animabus in Charan partis dicitur, de inſtitutione illarum interpretatur, adſumſiſſe, inquiens:* ית נפשתא דשעבידו לאורייתא *animas, quas ſubiecerant legi, id eſt, quas veritat:m docuerant circa cultum Numinis, Abrahamo mares erudiente, & Sara feminas, vt Rabbinis placet: qui proinde* חניכיו *initiati ipſius, ſeu* κατηχούμενοι *vocantur* אשר חנכם למצות *quos praeceptis diuinis eorumque obſeruationi initiarat, non minus, quam quos ad bellum inſtruxerat: praeterquam, inquam, quod tam bene informatam familiam ex Charan eduxerit, Deus ipſe hoc ei teſtimonium perhibuit, ſibi exploratum eſſe, non ipſum modo in hoc informandorum domeſticorum ſtudio perſeueraturum, ſed hanc quoque curam pſteris ſuis commendaturum, vt parem hi diligentiam praeſtarent; nec vmquam generi ſuo iſthanc caeleſtis agnitionis gloriam per propriam patrum familias negligentiam perire pateretur. Namque iuſſus a Deo circumciſionem, ſymbolum federis ſecum initi, cum omnibus ex ſe natis deinceps obſeruare, omnes domeſticos de myſteriis ante monitos eo ritu initiarat, & quocumque in loco ſtationem ſuam peregrinatus fixerat, eruditionis ſignum inquilinis extulerat. Aegyptiis quidem religionem & artes, arithmeticam & aſtronomiam primum communicaſſe Ioſephus: Philiſtaeos autem ſimilibus praeceptis ab ipſo inſtructos eſſe, teſtatur Moſes, prophetam diſerte vocans, quorum erat, non futura modo praedicere, verum etiam de myſteriis rerum diuinarum diſſerere. Qua facultate Abrahamus excelluit, magnam tam intelligendi, quam eloquendi docendique vim prae ſe ferens.* Haec ſubiectis variis IOSEPHI, MAIMONIDIS, aliorumque locis, confirmare adnititur. Sed an inde pro ſcholarum antiquitate ſolidi quid colligi queat, valde dubito. Nec enim cuncta, quae hic adferuntur, tam expedita ſunt, vt de iis dubitare nefas ſit. Quod enim primo locus *Geneſ. XII. 5.* huc trahitur, & de aliorum inſtitutione explicatur, commentum eſt mere rabbinicum. Verba enim Moſis, quibus Abrahamum *animas feciſſe*, cum Charris commoraretur, innuit, de ſeruorum & iumentorum adquiſitione intelli-

Tt 2

intelligenda eſſe, iam ſupra ad §. *II. huius ſectionis* monuimus. Per חניכיו autem *Gen. XIV. 14.* non catechumeni Abrahami, ſed iuuenes bello idonei intelliguntur, vt praeter alios recte explicat SEB. SCHMIDIVS, ad *h. l.* Interim non negamus, patriarchas priuata inſtitutione ſuos erudiuiſſe, & rerum diuinarum cognitione, quae ad ſalutem erat neceſſaria, illorum animos imbuiſſe, idque rectiſſime ex *Gen. XVIII. 19.* colligitur. Sed id fieri potuit, etſi eiusmodi ſcholae, quales hodie habemus, tum non eſſent. Multo autem minus inde colligere licet, patriarchas philoſophiam aut alias artes docuiſſe. Quid de illorum ſententia ſentiendum ſit, qui Aegyptios & Phoenices arithmeticam aut aſtronomiam ab Abrahamo edoctos, cenſent, patet ex iis, quae ad §. *XXI.* hac de re diximus. Ex eo, quod Abrahamus *Geneſ. XX. 7. propheta* dicitur, recte quidem colligitur, eum veri Dei notitiam propagare ſtuduiſſe: ſed quod aut arithmeticam aut aſtronomiam alias gentes docuerit, inde probari nequit. De Iſaaco ALTINGIVS nihil aliud habet, quam quod haud dubio patris veſtigia preſſerit. At de Iacobo ita pergit: *Quamprimum ex idololatrica Labanis familia exceſſit, fratri etiam reconciliatus, in Succhot domum ſibi & adquiſitioni ſuae tuguria excitauit, id eſt, vt Philo vertit:* οἶκον καὶ αὐλὰς τοῦ κυρίου, *vel vt Vzielides:* ביתמדרשא ACADEMIAM *domeſticis non minus de loco inſtitutionis, quam commorationis, proſiciens. Nec longe poſt in Bethel, quo commigrarat, omnibus idololatriae inſtrumentis e ſua familia primum eliminatis, votiuum altare exſtruxit.* Sed quam haec infirma ſint, nemo non videt. Ex *Geneſ. XXXIII. 17.* diſcimus, Iacobum in Succoth pro familia ſua domum, & pro pecoribus ſuis tuguria conſtruxiſſe. Eum autem ibi *academiam* inſtituiſſe, commentum eſt iudaicum. In Bethel altare exſtruxit: ergone ſtatim ſcholam erexit? Sed mitto reliqua. Apud Aegyptios equidem antiquiſſimis temporibus ſacerdotum fuiſſe collegia, quae cum ſcholis hodiernis quodammodo conuenire videntur, ex DIODORO Siculo conſtat, *lib. I. cap. LXXIII.* Nec diſſimilia Chaldaeorum inſtituta memorantur ab eodem DIODORO, *lib. II. cap. XXIX.* De vtrisque etiam agit STRABO, *geographiae lib. XVI. & XVII.* Sed praeterquam quod & hic magna inter iſtas ſocietates & noſtras ſcholas ſit diſſimilitudo, quid de illarum antiquitate cenſendum ſit, patebit ex iis, quae infra de rebus Aegyptiorum atque Chaldaeorum dicemus. Add. HERMANNVS CONRINGIVS, *antiquit. academic. diſſert. I. p. 5. & 6.* Qui vero omnino ſcholas, quales hodie habemus, iam ante diluuium fuiſſe, ſibi perſuadent, firmas ſuae ſententiae adferre nequeunt rationes. Legenda, quae hac de re diſſeruntur, *obſeruation. Hallenſ. tom. I. obſeruat. XIX. p. 277. ſeqq.*

§. XXII.

§. XXII.

Vt vero inter ipſos ſanctorum virorum liberos poſteroſue non defuerunt, qui a recta pietatis via deſciſcerent, vt Iſmaëlis, Eſaui, aliorumque exemplis patet; ita multo magis apud reliquas gentes ignorantia rerum diuinarum cum vitae improbitate inualuit. Hinc ſuperſtitionis & idololatriae incrementa,* qua Eberi quoque progeniem adflatam,** Labanis Teraphim colentis, exemplo patet.*** Philoſophorum quoque quorumdam apud gentiles celebrium aetas ad hocce temporis refertur interuallum, qui ſubinde, erroribus ſuis ſapientiae nomen obtendentes, ad augendam confirmandamque aut ſuperſtitionem, aut impietatem, contulerunt plurimum.*

* Inter idololatriae promotores primum hic, ſi nonnullis credimus, praecipuumque locum ſibi vindicant Sabaei ſiue Zabii, quorum apud SAIDVM BATRICIDEM, alioſque ſcriptores Arabes, praeſertim MOSEN MAIMONIDEM, in *more neuoch. part. III. cap. XXIX.* alibique, frequens eſt mentio. Et MAIMONIDES quidem ipſum Abrahamum in fide & religione Zabiorum educatum fuiſſe, *loco citato* adſerit. Interim de nomine, origine, antiquitate & inſtitutis Zabiorum multa inter ſe diſputant viri eruditi, in quibus omnibus digerendis & rite euoluendis, poſt IOSEPHVM SCALIGERVM, & ISAACVM CASAVBONVM, in *epiſtolis*, EDVARDVM POKOCKIVM, in *not. in ſpecim. hiſtor. arab.* IO. HENRICVM HOTTINGERVM, *hiſtor. oriental. lib. I. cap. VIII.* IO. SELDENVM, de *iure nat. & gent. iuxta discipl. Ebraeor. lib. II. cap. VII.* PETRVM DANIELEM HVETIVM, *demonſtrat. euangel. prop. IX. p. 107. ſeqq.* alioſque, ſtudium operamque ſuam diligenter collocauit IO. SPENCERVS, de *legib. Ebraeor. ritualib. &c. lib. II. cap. I. & ſeqq.* Cum autem vir ille doctus ſuae interdum hypotheſeos, cui inſeruit, & de qua ſuo loco ex inſtituto dicemus, habeat rationem; eius ita paucis exhibebimus ſententiam, vt ſimul, quae nobis diſpliceant, aut non ſatis firmo niti talo videntur, indicemus. Inter varias eruditorum de vocis huius origine ſententias ea ſe maxime probare videtur, quae illam, a *Saba*, Chuſi filio, Chami nepote, primo Arabiae felicis incola, deriuat. Sabaeos ſane inter Arabiae gentes, eaſque antiquiſſimas, recte referri, conſtat. Sed obſtat litterarum diuerſitas; cum Arabiae iſti populi non צבאים, ſed שבאים vel סבאים dicantur. Et licet facile fieri potuerit, vt litterae צ & ס, aut ſimiles inter ſe permutarentur; SPENCERO tamen magis placet ſententia IOSEPHI SCALIGERI, Zabios צפים a vento Apeliote ſic dictos, quaſi dicas *orientales*, ipſoſque eſſe Chaldaeos: at in eo rurſus a SCALIGERO diſſentit, quod non ſolos Chal-

Digitized by Google

daeos hoc nomine deſignatos contendit, ſed cum non tam gentis, quam religionis, ſeu ſectae, nomen ſit, latius id patere, vt eodem inprimis quidem Chaldaei, ſed deinde etiam Aegyptii, Cananaei, Syri, aliique, qui Chaldaeorum dogmata & ritus ſuſceperant, veniant. Id quidem prorſus ad mentem MAIMONIDIS, qui *l. c.* dicit: *hanc gentem totum terrarum orbem impleuiſſe;* aliorumque ſcriptorum orientalium. Vid. IO. HENRICVS HOTTINGERVS, *hiſtor. orient. lib. I. cap. VIII. p. 247.* Omnia itaque ad fidem & auctoritatem horum auctorum redeunt, quae ſi labefactata fuerit, corruent, quae eidem ſunt ſuperſtructa. Sed vt ad originem & antiquitatem ſectae huius accedamus, omnia hic obſcura & impedita eſſe, ipſemet fatetur SPENCERVS. *Quin & huius ſectae principium,* inquit, *tanta caligine circumfunditur, quod in hoc argumento quot auctores, tot ſententiae, quot ſententiae, tot errores inueniantur; aliis a Chaldaeis, aliis a ſaeculi Mahometici philoſophis, aliis a Nachore; Zabiis ipſis, inde à Noacho vel ipſo Setho, Adami filio; aliis a Zerodaſt, claro illo gentium Zoroaſtre, religionis huius originem petentibus.* Hinc vero vtſe expediat vir doctiſſimus, diſtincte incedit, & per diuerſas adſertiones mentem ſuam explicat. Prima haec eſt: *Zabiorum religio, ſimpliciter & quaſi materialiter ſpectata, a Chaldaeis & Babyloniis antiquis originem duxiſſe, & multis annis Abrahami natales anteuertiſſe cenſeatur.* Hoc vt probet, prouocat ad ABVLFEDAM, qui Zabiismum vocat *religionem antiquiſſimam*, ad SAIDVM BATRICIDEM, qui religionis morumque Zabiorum originem aetati Nachoris, aut Abrahami, tribuit; itemque MAIMONIDIS, qui refert, (quod & ſupra iam obſeruauimus) Abrahamum in huius ſectae dogmatibus & caerimoniis educatum fuiſſe, dum in Chaldaea moram traheret. Sed quantum hiſce auctoribus, qui tot ſaeculis ab iſta, de qua loquuntur, aetate, remoti fuerunt, tribuendum ſit, deinceps videbimus. Lubens interim fateor, cum Zabii, de quibus loquuntur, gentiles fuerint, aut ſaltem plurimum ex gentiliſmo traxerint, reliquias veteris gentiliſmi apud eos deprehendi potuiſſe. Inde vero vt neutiquam ſequitur, a Chaldaeis haec eos accepiſſe; ita multo minus ex Zabiorum iſtorum inſtitutis apud veteres Chaldaeos, aut alias gentes, ante Moſis tempora eadem obtinuiſſe, concludi poteſt. Sed altera SPENCERI adſertio haec eſt: *Zabiorum natio & religio formaliter ſpectata, vel quatenus a ſectis aliis, doctrinis & ritibus quibusdam ſibi peculiaribus diſtincta, ſub ſeneſcentis Iudaiſmi tempora coepiſſe videatur.* Addit, religionem horum Zabiorum *ex materiis variis, & vix vlla cognatione cohaerentibus, conſtare. Nam*, inquit, *aſtrologiam, magiam, cultumque ſiderum, a Chaldaeis; nonnulla patriarcharum nomina, purgandi ritus, & hiſtorias aliquas ſcripturae, fabularum faecibus inquinatas, a Iudaeis; nonnulla de daemonibus & angelis, a Gnoſticis & Caba-*

baliſtis; allegorias denique & dogmata fanatica a Platonicis & Pythagoraeis, niſi mea me fallat coniectura, mutuati ſunt. Id quidem non ſine ratione dicitur. Sed ſi ita ſe res habet, rurſus manifeſte inde colligitur, ad gentes Moſe antiquiores neutiquam referri poſſe, quae de Zabiorum dogmatibus ac inſtitutis, multum vtique, ipſomet fatente SPENCERO, recentioribus, ſcriptores Arabes, MAIMONIDESque, memoriae prodiderunt. Nec ſufficit, religioni & inſtitutis Zabiorum forte quaedam ex gentium antiquarum dogmatibus ac inſtitutis fuiſſe admixta. Hinc enim non ſequitur, ipſam Zabiorum religionem gentibus illis antiquis tribuendam. Dubium praeterea atque incertum, ſi aliunde non conſtet, quaenam antiquis illis gentibus tribuenda, & quaenam recentioris ſint originis. Tertia denique SPENCERI adſertio haec eſt: *Veriſimile eſt, gentem & religionem hanc, nominaliter ſpectatam, (hoc eſt, quatenus nomine Zabiorum notam) recentem eſſe admodum, nec Mahometis tempora ſuperare.* Recte hoc inde probat, quod nulla gentis huius in graeco vel Romano aliquo auctore, paullo antiquiore, occurrat mentio, nec facile in libro aliquo ante ſaeculum Alcorani ſcripto, gentiles aliqui eo nomine notati inueniantur. Immo & inde hoc liquet, vt itidem bene obſeruat, quod ABV IOSEPH ASCHAEVS librum ſcripſerit hoc titulo: *de ritibus aut religione Charanaeorum, qui* NOSTRO TEMPORE *dicti ſunt Zabaei,* apud IO. HENRICVM HOTTINGERVM, *hiſt. orient. p. 169.* Concludit tandem, veroſimile videri, Muhammedem primum hoc nomen vſurpaſſe, idque accepiſſe a Iudaeis, qui eodem eas deſignauerint gentes, quas ſcriptura בני קדם *filios orientis* adpellitet, hoc eſt, Syros, Perſas, Chaldaeos, Arabes, aliasque, ſuperſtitionis aut magiae nomine celebres. Quod vt facile concedere poſſumus; ita rurſus inde colligimus, ex ritibus gentis & qua nomen & qua religionem adeo recentis, non poſſe firmiter colligi dogmata & inſtituta gentium, quae vixerunt ante Moſen. De libris Sabaeorum, MAIMONIDI, IO. HENR. HOTTINGERO, THOMAE STANLEIO, atque SPENCERO memoratis, vt multa addamus, neceſſe non eſt. Vanitatem & iactantiam iſtorum hominum inde intellegere licet, quod libros a Setho, Edri ſeu Enocho, immo ipſo Adamo conſcriptos, ſibi eſſe, mentiti ſunt. Nota ſatis ſunt, quae hac de re habet MAIMONIDES, *more neuoch. part. III. cap. XXIX.* & ſupra a nobis quoque iam exploſa. Inter reliquos duo maxime eminent, quorum alteri titulus eſt: העבודה הנבטית *cultus*, ſiue de *cultu Nobatheorum*, alias ex praua tituli verſione, *liber de agricultura Aegyptiorum* dictus; alteri: *liber Iſaaci Zabii de Zabiorum gente & moribus*, ſaepius MAIMONIDI laudatus. Sed hos omnes & reliquos eius antiquitatis eſſe, vt ex iis aliquid de gentibus Moſe antiquioribus probari queat, ipſemet adferere non audet SPENCERVS, immo eos ſub exſpirantis iudaiſmi tempora pri-

primitus in lucem erupiſſe, & ſaeculo circiter ſeptimo & octauo in linguam arabicam translatos, exiſtimat. Cum ergo iſta Sabaeae antiquitatis monumenta aliquot demum poſt Chriſtum natum ſaeculis in lucem eruperint, & auctores, a quibus rerum Sabaearum notitia ad nos peruenit, multo adhuc ſint recentiores; vitio nobis nemo vertet, ſi in rebus antiquis, Moſiſque aetatem antecedentibus, iis fidem non adhibeamus. Faceſſant itaque hinc, quae de ritibus, caerimoniis, dogmatibus Zabiorum dicuntur, quaeue in compendio exhibet THOMAS STANLEIUS, *hiſtor. philoſ. part. XV. cap. IV. p. 1175. ſeqq.* Etſi enim gentilium quorumdam populorumque orientalium haec dogmata & inſtituta eſſe potuerint; ante Moſis tamen tempora ea iam in vſu fuiſſe, inde probari nequit. Ergo nec legum Moſaicarum cauſae, rationesue, ex iſtis Zabiorum ritibus ac inſtitutis peti poſſunt. Sed hac de re ſuo loco ex inſtituto. Non nego, tum apud alias gentes, tum & apud Chaldaeos iam ante Moſis tempora idololatriam inualuiſſe; hoc ex iis, quae iam ſupra de origine idololatriae diximus, conſtat: ſed qualis illa fuerit, non ex ſpuriis Zabiorum monumentis, ſed ex iis, quae hinc inde in ſcriptura ſacra occurrunt, definiendum.

** Immo in ipſa familia Iacobi erant, qui idola colerent. Iuſſu enim Numinis Bethelem profecturus, dum familiam luſtrat, & ad inſtans iter ſanctificatione tum hominum, tum rerum imperata, praeparat; *auferte,* inquit, *deos alienos, qui ſunt in medio veſtri, & mundamini ac mutate veſtimenta veſtra; Geneſ. XXXV. 2.* Vbi, quinam fuerint dii alieni, quaeritur. FLAV. IOSEPHUS hoc de Teraphim Labanis, a Rachele furto ſublatis, intelligit; *antiquitat. iudaic. lib. I. cap. XIX.* Et certe Rachel penates paternos, quos ſecum abſtulerat, nuſpiam abieciſſe legitur. Renuit quidem quouis modo ABEN ESRA ad *h. l.* fieri non potuiſſe, exiſtimans, vt vir tam ſanctus cum vxore idololatrica concumberet. Sed fieri potuit, vt hactenus id ignorauerit Iacobus, quae etiam eſt ſententia IOSEPHI, *loc. cit.* Fuerunt autem haud dubio in eius familia, qui idola colerent, quod, cum hactenus eo conniuente factum ſit, nunc declarat, ſe non amplius eiusmodi quid conceſſurum. Satis hoc indicant verba: *auferte deos alienos:* אשר בתוככם *qui ſunt in medio veſtro.* Proinde non alii fuerunt dii alieni, quam quos quidam ex eius domeſticis ex Meſopotamia ſecum attulerant, eosque coluerant. Mandato autem Iacobi nunc obtemperantes, dederunt ei *omnes deos alienos, qui erant in manu ſua* ואת־ [illegible] הנזמים *& inaures, quae erant in auribus ipſorum.* Non illud ſcilicet *inaurium* genus intelligitur, quod ornamenti cauſſa a mulieribus potiſſimum geſtabatur, ſed alterum, quod ſacrum habebatur, & amuleti inſtar, ad malum quodpiam auerruncandum, etiam a viris ſolebat geri. Hos annulos AVGVSTINVS vocat, *idolorum phylacteria;* in *quaeſtionibus* ad *h. l.* conf.

&

& *epiſt. LXXII.* De purificatione, quam Iacobus hac occaſione ſuis iniunxit, ſupra ad *§. XII.* diximus.

*** Inter nomina idolorum, quae in ſcriptura ſacra occurrunt, primum adeoque antiquiſſimum eſt *Teraphim*, quippe quo penates Labanis deſignantur, *Geneſ. XXXI. 19. ſeqq.* De vocis iſtius origine nihil certi pronuntiare licet. Qui enim eam inueſtigare adgreſſi ſunt, notionis, quae iam antea animo illorum ſedit, cumprimis habuerunt rationem. Sic qui vocem תרפים eamdem eſſe voluerunt, cum שרפים, mutato Syrorum more ש in ת, iam ſupponunt, hac voce imagines denotari, quas angeli inſidere, ac ex iis reſponſa dare crediti ſint. Et haec eſt ſententia IOAN. SPENCERI, *diſſertat. de Vrim & Thummim, cap. III. ſect. VII.* conf. & LVD. DE DIEV ad *Gen. l. c.* & IACOBVS GAFFARELLVS, *curioſ. inaud. cap. III.* Pari ratione, qui cum EDMVNDO CASTELLO, *lexic. heptagl. col. 3951.* hanc vocem a verbo ſyriaco ܬܪܦ *percunctari*, *iudicare*, deriuant, ◆tidem ſupponunt, hac voce imagines, quae reſponſa de rebus futuris dederunt, deſignari. Quod de Labanis Teraphim nondum euictum eſt; licet non negem, ſequenti aetate hanc vocem ſpeciatim de eiuſmodi idolis adhibitam, quae ceu oracula quaedam in rebus dubiis conſulta fuerunt. Reliquas deriuationes lubens mitto, cum meris nitantur coniecturis. Id ſaltem obſeruamus, cum nomen hoc ſit pluralis numeri, ſignificationem nihiloſecius habere ſingularem, vt vel ex *I. Sam. XIX. 13.* liquet. Ad rem ipſam quod attinet, ſi loca ſcripturae, in quibus Teraphim mentio iniicitur, conſideremus, haud obſcure tandem, quid ea vox ſibi velit, deprehendemus. Primo namque hinc conſtat, Teraphim fuiſſe idola, ſeu imagines, vel ſtatuas potius, cultui idololatrico deſtinatas. Id ex locis, vbi Teraphim mentio iniicitur, aperte liquet. Labanis Teraphim idola fuiſſe, vel inde conſtat, quod ea diſerte adpellet *deos ſuos*, *Geneſ. XXXI. 30.* ſimulque Deum Nachoris & patrum ſuorum, a Deo Abrahami diſtinguat, *verſ. 53.* Reliqua loca, vbi Teraphim iniicitur mentio, *I. Sam. XV. 23. II. Reg. XXIII. 24. Ezech. XXI. 21. Zachar. X. 2.* idem luculenter euincunt. Nihiloſecius non deſunt, qui hac voce aut generatim imagines, aut ſacras omnino nec improbatas Deo, olim ſignificatas, exiſtimant. IACOBVS GAFFARELLVS in ea verſatur ſententia, Teraphim imagines fuiſſe licitas, quibus veteres in exploranda Numinis voluntate vſi ſint, immo eiusdem eas fuiſſe figurae, ac Seraphim, & Cherubim: imaginesque arcam federis obumbrantes, angelosque repraeſentantes, mox Cherubim, mox Seraphim, mox denique Teraphim adpellari; in *curioſitatib. inaudit. cap. III.* In eadem verſatur opinione FRANCISCVS MONCAEIVS, de *vitulo aureo, lib. I. cap. XX. p. m. 198. ſeqq.* Immo praeeuntem ſibi, qui ita ſentiunt, habere videntur ipſum HIERONYMVM, in *cap. III. Hoſeae.* *Teraphim*, inquit, pro-

proprie adpellantur μορφώματα, *id eſt*, *figurae & ſimulacra*, *quae nos poſſumus in praeſenti dumtaxat loco*, *Cherubim & Seraphim*, *ſiue alia*, *quae in templi ornamenta fieri iuſſa ſunt*, *dicere:* & paullo poſt: *ſine Ephod & Teraphim*, *id eſt*, *inſtrumentis ſacerdotalis habitus.* IO. SPENCERVS Teraphim omnino idem ac Vrim & Thummim eſſe, exiſtimat, vt eo facilius euincat, vt reliquos ritus, ita & Vrim ac Thummim Iſraëlitas a gentilibus accepiſſe; in *diſſertat. de Vrim ac Thummim, cap. III. ſect. II.* Sed hac de re in ſequentibus ad *per. II. ſect. I. §. XXXII.* ex inſtituto diſquiremus.

Nunc ſaltem obſeruamus, errare illos omnes, qui, Teraphim aliud quid, quam idola, fuiſſe, exiſtimant. Solent equidem ad loca quaedam ſcripturae ſacrae prouocare, vt probent, vocem Teraphim in bonam quandoque partem ſumi. At fruſtra iſtud fieri, ipſa horum locorum conſideratio quemlibet condocere poteſt. Etenim quod ad illum attinet, qui *Iud. XVII. 4. ſeqq.* exſtat, licet etiam GERHARDVS IOANNES VOSSIVS exiſtimet, ibi per Teraphim ſimulacrum veri Numinis intelligi; de *idololatr. gentil. lib. I. cap. III.* ſecus tamen ſe rem habere, manifeſtum eſt. Mater enim Michae feciſſe dicitur פסל ומסכה *ſculptile ac fuſile ſimulacrum*, duas ſcilicet ſtatuas, alteram lapideam, aut ligneam, alteram argenteam, quae ſimulacra deinceps Teraphim vocantur. Quem vero in finem fecit? Vt ſub hisce ſimulacris Deum coleret, & ita benedictionem diuinam, ſecundum ſuam opinionem, ſibi attraheret, quod aperte *verſ. 13.* innuitur. Quae licet turpiſſima eſſet idololatria, ex ignorantia aut ſuperſtitione profecta; voluit tamen Micha ſimul Moſaicae legis vtcumque habere rationem; hinc & Ephod confecit, ſeu ornamenta ſacerdotalia, & Leuitam deinceps aere conduxit, qui ſacerdotis munere fungeretur. De idolis itaque Teraphim hic intelligenda eſſe, ipſe agnoſcit IOAN. CLERICUS, ad *h. l.* a IOAN. SPENCERO hac in re diſſentiens. Alter locus *I. Sam. XIX. 13.* adhuc minus difficultatis habet. Cum enim Michal, Dauidis vxor, eripere maritum Saulis ſatellitibus vellet, fingeretque, eum aegrum eſſe, vt interea tempus fugae ei daretur; ne dolus ſtatim proderetur, ſi quis forte cubiculum ingrederetur, *ſumſit Teraphim*, *lectoque compoſuit.* Idola hic intelligi, multi abnuunt; quod neutiquam veroſimile videatur, in domo Dauidis, viri ſanctiſſimi & veri Dei cultui addictiſſimi, fuiſſe idola. Certe cultus diuini gratia fuiſſe, nec ego dixerim, quippe quod a pietate Dauidis prorſus abhorret. Fieri autem potuit, vt memoriae cauſſa, ceu monumentum aliquod antiquitatis, eiusmodi imago a Michala fuerit adſeruata, idque non tam ad ſuperſtitionem, quam potius ad idololatriae deteſtationem. Dici quoque poſſet, vocem Teraphim, quae proprie & primario idolum aliquod ſignificat, deinceps interdum ad imaginem quamdam generatim ſignificandam, fuiſſe translatam.

latam. Certe eam propriam & genuinam eſſe ſignificationem, quae in pleriſque ſcripturae locis occurrit, dubitari nequit. Prior vero magis placet ſententia, fuiſſe idolum, quod non amplius tamquam idolum colebatur. Denique nec locus *Hoſ. III. 4.* ſecus ſentientium opinioni praeſidium aliquod adfert. Etſi enim HIERONYMVS, vt antea iam obſeruatum, ibi per Teraphim, Cherubim, aliaque templi ornamenta intelligi poſſe, exiſtimet; alii vero omnino Vrim & Thummim innui velint, idque etiam forte in animo habuerint LXX interpretes, vertentes δηλώσεις, & Aquila, reddens φωτισμοὺς; ex antecedentibus tamen liquet, de idololatris ibi ſermonem eſſe, adeoque Israëlitis praedici, eos tum cultus veri Dei exercitio, tum idolis priuandos eſſe. Et hinc etiam patet, quid de HIERONYMI exiſtimandum ſit ſententia. Nimirum non ille cenſet, generatim vocem Teraphim in bonam partem accipi, ſed in *praeſenti dumtaxat loco*, vt ipſemet loquitur. Neutiquam autem eum credidiſſe, Teraphim fuiſſe figuras Cherubinorum, patet ex *epiſtola* eius *ad Marcellam, tom. III. oper. fol. 24.* vbi ex inſtituto hac de re agit, idque pluribus contra MONCAEIVM & GAFFARELLVM euincit PETRVS IVRIEV, in *hiſtoria crit. dogmat. & cult. &c. part. III. cap. II. p. 452.*

Iam ergo cum conſtet, Theraphim fuiſſe idola, nunc porro obſeruandum, fuiſſe illa domeſtica, quae Latinis *lares* dicebantur. Patet id primo exemplo Teraphim Labanis, qui idola haec *deos ſuos* vocat. Quodſi idola publica fuiſſent, cuſtodiae forte Labanis concredita, omnes haud dubio loci iſtius incolae concurriſſent, ad ſacrilegium a Rachele commiſſum vindicandum. Deinde idem patet ex hiſtoria Michae, qui ideo Teraphim confecit, vt hac ratione ſibi ſuiſque diuinam benedictionem conciliaret, quod larium apud veteres munus erat. Idque porro conuenientia in reliquis etiam inter lares & Teraphim docet, quam, inſtituta comparatione, iam alii pluribus demonſtrarunt. Quod autem nonnulli addunt, ex nomine ipſo argumentum peti poſſe, quia idola haecce initio dicta מרפים, hoc eſt, *ſanatores, ſoſpitatores*, a verbo רפא, littera מ deinceps in ת mutata, infirmum eſt, nec vllo robore pollet. Incertam enim admodum vocis eſſe originem, ſupra iam obſeruauimus. Ceterum apud Romanos lares erant effigies maiorum, quos, vti viui ſplendorem familiae promouerant, defunctos etiam pro eadem curam gerere, putabant. Sed valde quoque veroſimile, Labanis Teraphim nihil aliud, quam effigies maiorum fuiſſe, quorum memoria in ſingulari apud eum erat veneratione, & a quibus rerum ſuarum incrementum domusque conſeruationem ſibi pollicebatur. Speciatim Nochi & Semi fuiſſe imagines, quae quorumdam eſt ſententia, nec abnuerim, nec adfirmauerim; cum mera nitatur coniectura. Plures fuiſſe, ex numero plurali vocis Teraphim colligas: non tamen multas, ex eo liquet,

 quod

quod Rachel ſub ſtrato cameli eas occultauerit. Ex iis etiam, quae de Michae idolis ſupra obſeruauimus, conſtat, duo fuiſſe Teraphim, ſeu ſtatuas. Vnde nonnulli in eam ingreſſi ſunt ſententiam, duos olim tantum cultus fuiſſe lares, indeque OVIDIO enatam occaſionem ſingendi, lares filios fuiſſe Larundae nymphae, a Mercurio conſtupratae, cum iuſſu Iouis ad inferos eam deduceret:

Fitque grauis, geminosque parit &c.

faſtor. lib. II. v. 615. Originem autem huius rei ex eo eſſe, quod Laban, & forte alii etiam, initio Noachum & Semum, ceu deos domeſticos, coluerint. Quae omnia quo loco habenda ſint, quiuis facile intelligit. Apud Romanos deinceps plures, quam duos, lares cultos fuiſſe, conſtat, locusque, in quo deorum iſtorum domeſticorum ſimulacra colebantur, lararium dicebatur, teſte AELIO LAMPRIDIO, in *Alexandro Seuero, cap. XXIX.* Quod ad figuram τῶν Teraphim attinet, eam humanam fuiſſe, non eſt, quod dubitemus. Id ex *I. Sam. XIX. 13.* ſatis patet. Ideo enim Teraphim ſeu ſtatuam illam in lecto Michal poſuit, vt legati Saulis, ſi forte in cubiculum intrarent, crederent, Dauidem aegrotantem in lecto decumbere. Idque ex ebraeis doctoribus agnoſcunt etiam R. SALOMON IARCHI & R. DAVID KIMCHI ad. *h. l.* & R. ABEN ESRA, ad *Geneſ. XXXI. 29.* Materia non ſemper vna eademque fuit. De Michae Teraphim iam antea obſeruauimus, ex diuerſa ea materia fuiſſe, quod mater eius feciſſe dicatur פסל־ומסכה *ſculptile & fuſile ſimulacrum.* Labanis ſimulacra ex pretioſiori materia, forte argento, conflata fuiſſe, facile crediderim. Larium apud Romanos imagines aut argenteas, aut omnino aureas fuisſe, intellgitur ex SVETONIO, in *Vitellio, cap. II.* Pro materiae autem diuerſitate diuerſam quoque magnitudinem horum ſimulacrorum fuiſſe, coniicere haud temere licet.

Denique & illud ex ſcriptura ſacra notum eſt, Teraphim, ceu oracula quandoque conſulta, reſponſa de rebus dubiis edidiſſe. Dubitare nos hac de re vetat locus Ezechielis, *cap. XXI. verſ. 21. Stabit rex Babyloniae in biuio, principio ſcilicet duarum viarum ad diuinandam diuinationem, expoliet tela* (βελομαντεία ſeu diuinatio per ſagittas innuitur) *interrogabit Teraphim, inſpiciet iecur.* Non minus luculentus eſt alter locus *Zach. X. 2.* התרפים דברו־און *Teraphim loquuta ſunt vanitatem.* Addunt nonnulli, & Labanis Teraphim iam eo fuiſſe comparata. AVGVSTINVS huc refert verba illa Labanis *Geneſ. XXX. verſ. 27.* נחשתי *auguratus ſum, quod benedixerit mihi Deus propter te; quaeſt. XCIV. in Gen.* Quod augurium etiam ABEN ESRA, ad *h. l.* de diuinatione exponit. IO. CLERICVS, vir doctiſſimus, non ſatis ſibi conſtare videtur. Namque ad *Geneſ. XXX. 27.* verba Labanis itidem de diuinatione per Teraphim intelligit: at ad *Geneſ. XXXI. 19.* recte ſcribit: *An tamen iam a Labanis temporibus fierent*

Digitized by Google

rent צלמניא, *vt habet Onkelos, hoc eſt, imagines, vnde oracula edi credebantur, non ſatis conſtat.* Rectiſſime etiam reſpondet ad ea, quae nonnulli adferre ſolent, vt euincant; Teraphim iam tum pro oraculis habita. Enimuero ita ſentio, Teraphim initio fuerunt ſtatuae maioribus conſecratae, ad memoriam eorum conſeruandam: accedente autem mox ſuperſtitione, cultu diuino ad benedictionem a maioribus impetrandam, mortales ea proſequuti ſunt. Tandem vero cum magicae artes apud Chaldaeos magnum incrementum ſumſiſſent, diuinationis quoque facta ſunt inſtrumenta. Sed hoc demum longe poſt Labanis tempora contigit. Huius itaque Teraphim idola ſaltem ſeu ſimulacra maiorum fuerunt, quae ſuperſtitioſo cultu proſequebatur. Vox נחשתי *Geneſi XXX. verſ. 27.* non neceſſario diuinationem denotat. Vt enim alias idem eſt, ac *ſagaciter colligere;* ita nihil obſtat, quo minus eamdem hic quoque obtineat ſignificationem. Certe rationibus omnibus probe ſubductis, facile intelligere Laban poterat, opera Iacobi iſtam ſibi in rerum ſuarum incrementis obtigiſſe benedictionem, vt adeo ad Teraphim recurrere non eſſet neceſſe. Conſentientem hac in re praeter alios nobiſcum habemus doctiſſimum virum PETRVM IVRIEV, qui & de forma oraculi τῶν Teraphim, poſtquam in hunc vſum adhiberi coeperunt, ſingulare quid commentus eſt; *hiſt. crit. etc. part. III. cap. IV. p. 452.* Poſitum namque in more apud gentes orientales fuiſſe exiſtimat, vt in ſecretiori domus parte maiorum, aut patriarcharum, qui familiae originem dederant, reliquias, aut ſi hoc fieri non poſſet, in eorum memoriam, monumenta ſepulchralia vacua, ſeu κενοτάφια adſeruarent, ad quorum extrema Teraphim, ſeu maiorum ſuorum imagines erexerint, vt adeo haec κενοτάφια cum Teraphim, quodammodo arcam federis a Deo Iſraëlitis datam cum Cherubim, repraeſentauerint. Et hinc rationem reddi poſſe, cur LXX interpretes *I. Sam. XIX. 13.* Teraphim reddiderint κενοτάφια. Interim & a MONCAEII pariter & GAFFARELLI, non minus & IO. SPENCERI ſententia, multum diſcrepat ſententia IVRIAEI. Non enim eamdem & Cherubim & Teraphim, quod illi faciunt, formam ſtatuit, ſed ſaltem Teraphim apud idololatras idem fuiſſe putat, quod Cherubim apud Iſraëlitas fuerunt, in ſanctuario. Negat quoque prorſus, Cherubim ad exemplum τῶν Teraphim a Deo in arca federis conſtituta, quae IOAN. MARSHAMI & IOAN. SPENCERI, omnium rituum Moſaicorum originem a gentilibus deriuantium, eſt ſententia, ſed gentiles potius iſtam oraculorum ſuorum formam a Moſe atque Ebraeis accepiſſe, contendit. Etenim, etſi Teraphim in ſe ſpectata lege Moſaica multum ſint antiquiora; prout tamen oraculorum inſtar ad diuinationes adhibita fuerunt, ea Moſaica lege multum eſſe recentiora. Fateor, ingenioſe excogitata ſunt, quae auctor hac de

Digitized by Google

re differit: praeſertim ſi rationem ſpectes, quam reddit, cur LXX interpretes *I. Sam. XIX. 13.* vocem Teraphim per κενοτάφια reddiderint. Quid enim ceteroquin interpretes illos ad vocem hanc ita vertendam impulerit, haud temere dici poterit. Sed hoc vnicum etiam eſt fundamentum, cui tota illa hypotheſis innititur. Quod an ſatis firmum ſit, dubito. Eſto enim, rationem reddi ceteroquin non poſſe, cur LXX vocem Teraphim *loc. cit.* reddiderint per κενοτάφια. Quid tum? Plurima ſunt loca in haecce verſione, in quibus rationem reddere, cur ea ita reddiderint, non licet. Et ſi ceteroquin vox iſta reddi ita potuiſſet, in loco citato tamen ineptiſſime hoc fieri, palam eſt. Referamus itaque & hancce IVRIAEI ſententiam inter coniecturas, quibus & adhibere & denegare fidem aeque licet. Cum autem in eo conſentiamus, Teraphim ſaltem poſt Moſis tempora ceu oracula conſulta fuiſſe; quaeri adhuc poſſet, qua demum ratione reſponſa reddiderint? Ipſa ſimulacra loquuta, ſibi aliisque perſuadere conatur ROBERTVS BELLARMINVS, de *eccleſia triumphante, lib. II. cap. XIII.* Quod ab omni prorſus veroſimilitudine abhorret. Oracula gentilium varia ratione reſponſa dediſſe, conſtat. Interdum ſacerdotes, qui oraculorum templis praeerant, reſponſa dabant: interdum in ſomniis, qui ea conſulebant, de quaeſitis certiores reddebantur: interdum vocem ex locis ſubterraneis audire ſibi videbantur, & qui reliqui erant reſpondendi modi, eiusdem fere generis. De Teraphim ſimile quid cogitare licet, etſi modus ſpeciatim non magis determinari queat, quam modus, quo idololatrae haec oracula conſuluerint.

Et ita quidem cum noſtram de Teraphim ſententiam expoſuerimus; reliquorum placita hinc facile diiudicari poſſunt. Ebraei doctores hic more ſuo commentis indulgent. Horribilis τῶν Teraphim fabrica a R. ELIESERE, in *capitulis* ſuis, *cap. XXXVI.* deſcripta, e capite mactati filii primogeniti, ſaleque & oleo conditi, cuius ori inſerta ſit lamina aurea daemonis nomine inſignis, & coram quo ad parietem poſito, lampades incenderent, nota ſatis eſt, ſed & iam diu exploſa. Nec melioris multo notae ſunt, quae alii tradunt, fuiſſe ſcilicet Teraphim inſtrumenta quaedam, certo artificio ad ſtellarum poſitum effabricata, vt inde futura cognoſci poſſent, cuiusmodi imagines Arabes *Tilſemas* vel *Taliſmas* adpellare ſolent, & de quibus mira nonnulli narrant. Sed qui vim & indolem aſtrorum perſpectam habent, vix ac ne vix quidem ſibi perſuadebunt, ex illorum influxu talem efficaciam in imagines eiusmodi deriuari poſſe, adeoque inter vaniſſima commenta referent, quidquid hac de re dicitur. Quod autem Teraphim apud veteres ethnicos reſponſa quandoque dederunt, non ex influxu ſiderum, ſed arte magica, adeoque opera daemonum contigit. Sed de *Taliſmis* illis plura dabunt R. MOSES MAIMONIDES, in *auodah ſarah, cap. III. & IV.* & in *moreh neuoch. lib.*

lib. III. cap. XXIX. IOAN. HENRICVS HOTTINGERVS, *hiſtor. orient. lib. I. cap. VIII.* IACOBVS GAFFARELLVS, *curioſitatib. inaudit. cap. III.* & GREGORIVS MICHAELIS, *notis ad h. l.* aliique. Solet etiam, vt vnicum hocce addamus, quaeri, quo conſilio Rachel Teraphim patris ſecum abſtulerit? Sed nec hoc adeo liquet. Qui benigne de Rachele ſentiunt, id factum putant, vt patrem ab idololatria abduceret. Quod ſi fuiſſet, abieciſſet potius aliquo iſta idola, nec tanto cum periculo ſeruaſſet, & furtum mendacio texiſſet. Alii putant, id factum, ne fuga mariti a Teraphim proderetur. Sed hi perperam ſupponunt, ea eiusmodi fuiſſe idola, quae oracula ediderint, quod iam antea refutauimus. CHRYSOSTOMI, aliorumque, ſententia eſt, paternae ſuperſtitioni & Rachelem addictam fuiſſe, nec tam cito eam potuiſſe exuere animo. Forte & pretioſior materia animum eius tentauit. Namque ex argento ea fuiſſe, iam ſupra coniecimus. In re crepera & obſcura nihil certo definire licet. Praeter auctores hactenus laudatos, de Teraphim etiam legi meretur IOAN. SELDENVS, de *diis ſyris, ſyntagm. I. cap. II.* & AVGVST. PFEIFFERVS, in peculiari diſſertatione, de *Teraphim*, quae inter *exercitationes, dubiis* eius *vexatis* ſubnexas, quarta eſt, *p. 77. & ſeqq.* item IOAN. HENRICVS VRSINVS, de *Zoroaſtre, Hermete Triſmegiſto, & Sanchoniatone, p. 125. ſeqq.*

* Locum hic primum merito ſibi vindicat MERCVRIVS, quem Aegyptii vocant Θωὺϑ, ALEXANDRINI Θὼϑ, Graeci Ἑρμῆν, teſte EVSEBIO, *lib. I. praeparat. euangel. cap. IX. p. 12. Hic tametſi homo fuit, tamen antiquiſſimus & inſtructiſſimus omni genere doctrinae, adeo, vt ei multarum rerum & artium ſcientia* TRISMEGISTI *cognomen imponeret;* teſte LACTANTIO, *diuinar. inſtitution. lib. I. cap. VI.* M. TVLLIVS CICERO quinque Mercurios enumerat, quorum tres priores Graeci ſunt, nec huc pertinent. *Quartus*, inquit, *Nilo patre natus, quem Aegyptii nefas habent nominare: quintus, quem colunt Pheneatae, qui Argum dicitur interemiſſe, ob eamque cauſſam in Aegyptum profugiſſe, atque Aegyptiis leges & litteras tradidiſſe. Hunc Aegyptii Thoth adpellant, eodemque nomine anni primus menſis apud eos vocatur; de nat. deor. lib. III. p. 173.* Vltimus ille eſt, de quo nobis hic eſt ſermo, & de cuius aetate mirifice viri docti inter ſe diſſentiunt. IO. MARSHAMVS, Athoten, Menis filium, Aegypti regem, hunc ipſum Mercurium fuiſſe, exiſtimat; in *canone chron. ſaec. I. p. 35.* Sane ERATOSTHENES apud SYNCELLVM, *p. 91.* Athoten Menis filium dicit, & hoc nomen habere addit, quod graece exponatur Ἑρμογενής, hoc eſt, a Mercurio ortus vel edoctus, plane vti *Menes* patris nomen exponatur Διόνιος, hoc eſt, Iouius. Inde vero id minime ſequi, quod cupit MARSHAMVS, iam obſeruatum IAC. PERIZONIO, *origin. aegyptiac. cap. XXII. p. 402.* qui tamen non abnuit, recte Mercurium hunc Oſiridi iungi. Sane DIODORVS Siculus eos aequa-

aequales facit, auctorque eſt, Oſirin Mercurii maxime in omnibus conſilio vſum, ac vxori ſuae Iſidi, cum ipſe peregre abiret, in expeditionem in Aethiopiam, Arabiam, Indiam, illum addidiſſe conſiliarium, & prae omnibus aliis honoraſſe; *lib. I. p. 10.* Aliis vero haec, quae de Mercurio Aegyptiorum aut rege, aut philoſopho, dicuntur, adeo incerta videntur, vt alium quemdam hocce tegi nomine, ſibi perſuadeant. Hinc alii ipſum Adamum, alii Ioſephum patriarcham, alii Henochum, alii alium quemdam ſub nomine & imagine Mercurii latitare, arbitrati ſunt. W. CHR. KRIEGSMANNVS, in *coniectaneorum de germanicae gentis origine ac conditore Hermete Triſmegiſto &c. libro vno*, praeſertim *cap. VII. & ſeqq.* in eo totus eſt, vt, Mercurium illum antiquiſſimum, Canaanem, Chami filium, & hunc germanicae gentis conditorem eſſe, euincat. Nimirum apud Gallos, Germanorum cognatos, &, vt multis placet, ab eadem ſtirpe deriuandos, Mercurii maxima veneratio. *Deum*, inquit IVL. CAESAR, *maxime Mercurium colunt, hunc omnium inuentorem artium ferunt;* de *bello gallico, lib. VI. cap. XVII.* Germanis idem Teutates, itemque Tuito. Vnde C. CORNELIVS TACITVS: *celebrant carminibus antiquis Tuitonem Deum terra editum;* de *morib. German. cap. II.* Cumque Aegyptiorum Mercurius itidem Theut & Thot dictus ſit, quem Canaanem fuiſſe vel inde exiſtimari poterat, quod Aegyptum patri eius Chamo obtigiſſe recepta fere ſit ſententia; & vero germanicae gentis conditor itidem Teutates & Tuito audiat; prona inde conſequentia fluere videtur, Germanorum Tuitonem vnum eumdemque cum Aegyptiorum Mercurio, ſeu Canaane, eſſe; qui forte ex Aegypto coloniam in Germaniam deduxerit. Haec licet ſpeciem quamdam habeant; reuera tamen coniecturas incertiſſimas eſſe, maximam partem qualicumque nominum conuenientia nixas, nemo non videt. Non multum ego in rebus hiſtoricis huic argumentorum generi tribuo. Interim Canaanem Mercurium eſſe, etiam SAM. BOCHARTVS autumat, in *Phaleg. lib. I. cap. II.* Alii vero, vt reliqua perſequamur, Moſen hocce nomine tegi, crediderunt, vt ARTAPANVS, apud EVSEBIVM, *praeparat. euangel. lib. IX. cap. XXVII.* quam ſententiam praeter alios magno eruditionis adparatu ſibi defendendam ſumſit PETRVS DANIEL HVETIVS, *demonſtrat. euangel. p. 122. ſeqq.* an aeque feliciter? nunc non diſquiram. Fuerunt denique, qui nec vllum eiusmodi vmquam exſtitiſſe Mercurium, nec hominem vllum ſub hocce nomine latitare cenſerent, ſed Deum ipſum ſeu diuinae ſapientiae vim eodem fuiſſe ſignificatam. Vid. HERMANNVS CONRINGIVS, de *Hermetica medicina, cap. I.*

Interim fama de Mercurio hocce aegyptiaco ad omnes fere gentes peruaſit, multarumque fertur inuentor artium. DIODORVS Siculus pleraque eius inuenta vnico velut faſce complectitur: *Mercurium quoque maxime omnium*

omnium ab eo (Oſiride) *honoribus adfectum, vt repertorem rerum plurimarum, quibus vitae hominum conſuleretur, volunt. Hunc primum & verba in ordinem redegiſſe, & multis indidiſſe rebus nomina, fuiſſe quoque litterarum inuentorem, aiunt, inſtituiſſeque, quo honore, quibusue ſacris, colerentur dii. Inprimis obſeruator aſtrorum curſus fuit, & vocum harmonias adinuenit. Palaeſtrae, numerorumque & ad corpora curanda medicae artis, lyrae inſuper ex neruis trium chordarum, inſtar trium anni temporum, repertorem tradunt. Tres enim inſtituit voces, acutam, grauem & mediam, acutam ab aeſtate, grauem ab hieme, mediam a vere ſumens; lib. I. cap. II. p. m. 9.* IO. MARSHAMVS, vt Mercurium artium & ſcientiarum inuentorem ex mente Aegyptiorum eſſe euinceret, ex IAMBLICHO, de *myſteriis*, haec profert: *Aegyptii ſcriptores, putantes, omnia inuenta eſſe a Mercurio, libros ſuos Mercurio inſcribebant.* Sed verba IAMBLICHI, *ſect. I. cap. I. p. 1.* ita ſe habent: ᾧ δὴ καὶ οἱ ἡμέτεροι πρόγονοι τὰ αὐτῶν τῆς σοφίας εὑρήματα ἀνετίθεσαν, Ἑρμοῦ πάντα τὰ οἰκεῖα συγγράμματα ἐπονομάζοντες. Quae THOMAS GALEVS ita reddit: *Quare & noſtri maiores ſuae ſapientiae inuenta illi dedicabant, omnia propria commentaria Mercurii nomine inſcribentes.* Speciatim Mercurium Aegyptiis leges dediſſe, poſt CICERONEM adſerit AELIANVS: Αἰγύπτιοι φασὶν παρ᾽ Ἑρμοῦ τὰ νόμιμα ἐκμουσωθῆναι, *Aegyptii iura a Mercurio ſe edoctos iactitant; lib. XIV. cap. XXXIV.* Idem iam antea, ſcilicet *lib. XII. cap. IV.* dixerat: *Φασὶν* Αἰγύπτιοι Σέσωστριν παρ᾽ Ἑρμοῦ τὰ νόμιμα ἐκμουσωθῆναι, *Aegyptii dicunt, Seſoſtrin a Mercurio iura edoctum.* Vbi cum Mercurius Seſoſtri iungatur, non de primo, ſed ſecundo Mercurio hoc intelligendum, contendit IAC. PERIZONIVS, in *notis* ad *Aeliani l. c.* quamquam ſimul fateatur, vtriusque aetatem incertam eſſe. Sed miſſis reliquis Mercurii inuentis, de quibus alii, de religione ſaltem paucis diſpiciemus, qualis illa fuerit, quam Aegyptios docuiſſe dicitur. Hic ſi ATHANASIVM KIRCHERVM audiamus, non eſt dubitandum, quin vera illa & genuina patriarcharum theoſophia fuerit. Diuinae enim eſſentiae vnitatem pariter ac perſonarum trinitatem perſpectam prorſus & cognitam vetuſtiſſimis Aegyptiis fuiſſe, idque a Mercurio illos accepiſſe, contendit. *Triſmegiſtus*, inquit, *Mercurius, quem Thot, a primo menſe Thot, eius honori inſcripto, vocabant, conclamatam idololatriae confuſionem miſertus, diuiniora primorum patriarcharum, Sem, Cham, Iaphet, filiorumque, quibuscum viuebat, dogmata edoctus, (erat enim teſte chronico Alexandrino peringenioſus, & ad diuina myſteria cognoſcenda promtiſſimus) nouam de Deo vno, vero, de angelorum daemonumque diſpoſitione & ordine, theoſophiam exorſus, ſtudio ad id excogitatis, pro ingenii ſui ſublimitate & praeeminentia, argumentis rerum vſu conſpicuis, cognitam artem, ſolis ſacerdotibus & ſapienti-*

bus viris ad regnum ſpem habentibus reuelatam, idiotis vero & ſuperſtitioſae plebi inacceſſam & prorſus imperuiam, ſaxis, contra omnem temporis iniuriam, inſculpſit. Hinc, nonnullis interiectis, porro addit: *Aegyptios trinum rerum omnium principium credidiſſe, quod & triforme nomen vocant, ex Suida paſſim oſtendimus, quod & globo alato ſerpente ſuo* ἱερογλυφικῶς *exprimebant.* Quem in modum multa alia adhuc adfert in *ſphing. myſt. de mumiis, part. II. cap. III.* & *gymnaſ. hieroglyph. claſſ. XII. c. III.* In eamdem etiam concedit ſententiam FRANCISCVS FLVSSVS CANDALLA, qui Mercurii, vt putat, *Poimandrum*, anno M DLXXIV graece & latine edidit, & in dedicatione ad Maximilianum II imperatorem Mercurium tantum non prophetis omnibus, ipſique Moſi, antepoſuit. Sed HANNIBAL ROSSELVS quoque, qui operoſos commentarios in Mercurii Poimandrum, Cracouiae anno M D LXXXVI, & anno M DC XX impreſſos, edidit, non tantum totam chriſtianorum de Deo & trinitate doctrinam, ſed quidquid in ſcholaſticorum lacunis ſubtilitatum inuenire potuit, inepte congeſſit. Verum horum omnium neutiquam tanta eſt auctoritas, vt nobis perſuadere queant, Mercurio aut cognita fuiſſe iſta myſteria, aut Aegyptios ea ab illo fuiſſe edoctos. Quidquid hac de re dicitur, hauſtum eſt ex ſcriptis ſuppoſititiis, quae Mercurii nomen perperam prae ſe ferunt, qua de re deinceps. Interim videatur HERMANNVS WITSIVS, in *aegyptiacis lib. I. cap. III.* & *lib. II. cap. V.* Ego potius exiſtimauerim, ſi quis vmquam Mercurius ante Moſen, aut Abrahamum, apud Aegyptios vixit, nec forte alius ſub hoc nomine lateat, isque artium & ſcientiarum inuentor dici debeat, eum idololatria, aut falſis ac erroneis de Deo, rebusque diuinis, opinionibus, Aegyptiorum animos imbuiſſe. Id aperte ſatis DIODORVS Siculus, *lib. I. cap. II. p. m. 9.* prodidit, *inſtituiſſe eum*, dicens, *quo honore, quibusue ſacris colerentur dii.* Nimirum philoſophorum ſubinde opera infernalis genius vſus eſt, ad falſas opiniones inter mortales ſub veri ſpecie diſſeminandas ac propagandas.

Sed de libris quoque, qui Mercurio tribuuntur, aliquid dicendum. IAMBLICHVS refert, Mercurium iuxta teſtimonium SELEVCI viginti millia librorum ſcripſiſſe, at iuxta MANETHONEM triginta ſex millia, quingentos & viginti quinque. Verba eius ſunt: τὰς μὲν ὖν ὅλας Ἑρμῆς ἐν ταῖς δισμυρίαις βίβλοις, ὡς Σέλευκος ἀπεγράψατο, ἢ ταῖς τρισμυρίαις τε καὶ ἑξακισχιλίαις καὶ πεντακοσίαις, καὶ εἴκοσι πέντε, ὡς Μανεθῶς ἱστορεῖ, τελέως ἀνέδειξε· *Principia quidem vniuerſalia Mercurius ipſe tradidit duobus voluminum myriadibus, vt narrat Seleucus, vel vt Manetho, librorum ſex chiliadibus, quingentis & viginti quinque ſupra tres myriadas perfectiſſime demonſtrauit;* de *myſteriis, ſect. VIII. cap. I. p. 157.* Fidem omnino ſuperat, tantum librorum numerum a Mercurio compoſitum. Vnde IOAN. HENRICVS

VRSI-

VRSINVS, IAMBLICHVM *trabali*, vt loquitur, *mendacio* Mercurio XXXVI CIↃ D. XXIX libros tribuere, adſerit, perperam pro XXV ſubſtituens XXIX, quod bis fecit, & ipſi IAMBLICHO imputans, quod ille ex fide partim SELEVCI, partim MANETHONIS refert; in *Zoroaſtre, Triſmegiſto &c. ſect. V. p. 119.* Alii, ne IAMBLICHI, aut potius auctorum, quos ſequitur, fidem ſollicitare cogerentur, alias vias ingreſſi ſunt. SAMVEL namque BOCHARTVS, verſus, non libros, intelligi, putat; *Canaan. lib. I. cap. XV.* alii papyri folia; vt GEORGIVS HORNIVS, *lib. I. hiſtor. philoſ. cap. VI.* qui hac in re praeeuntem ſibi praeter AVGVSTINVM STEVCHVM Eugubinum, de *perenni philoſophia*, habuit GILBERTVM GENEBRARDVM, *chronolog. lib. II.* Rectiſſime autem THOMAS GALEVS, ad IAMBLICHI *loc. cit. p. 295.* obſeruat, ſapientes Aegyptiorum ſub Mercurii nomine commentaria ſua edidiſſe, quae quidem tanto nomine digna iudicabantur. Id namque diſerte IAMBLICHVS ipſe docet, *loco ſupra iam citato, ſect. I. cap. I. p. 1.* Sed idem IAMBLICHVS quoque *cap. IV. ſectionis VIII.* fatetur, multa circumferri ſcripta, ὡς Ἑρμȣ͂, quae ab eo minime prodierunt, eius autem nomine inſignita fuiſſe, quoniam eius opiniones ediſſerebant. Addit porro GALEVS, quae ſunt IAMBLICHO βίβλοι, reuera λόγȣς fuiſſe, eo certe titulo Mercurii commentarios a veteribus laudari. Iam λόγοι, inquit, non ſolent eſſe ita prolixi, & breues ſunt, qui hodie eum auctorem profitentur & imitantur. Fieri etiam potuit, vt error aliquis in numeris irreperet. Quae omnia ſi expendantur, non erit, vt aut IAMBLICHVM, aut auctores, quos ſequitur, mendacii poſtulemus. CLEMENS Alexandrinus, dum aegyptiae philoſophiae diſcendae trahendaeque methodum exponit, quadraginta duos Mercurii libros memorat: δύο μὲν ȣ͂ν καὶ τεσσαράκοντα, αἱ πάνυ ἀναγκαῖαι τῷ Ἑρμῆ γεγόνασι βίβλοι, *ſunt ergo XLII Mercurii libri admodum neceſſarii*, quorum plures pauciores ue, alii, itemque alii addiſcere debuerint; & hi quidem libri tam medicinam & aſtrologiam, quam theologiam & ritus ſacros, id eſt, totam Aegyptiorum philoſophiam, complectebantur. Lectu digna, ſed prolixiora ſunt, quae hac de re habet *ſtromat. lib. VI. p. 633. ſeqq.* At non de vetuſtiſſimo illo Mercurio, de quo hactenus diximus, ſed de alio, qui poſt Moſis, immo poſt Ioſuae tempora vixerit, hoc intelligendum eſſe, contendit IOAN. MARSHAMVS, in *can. chron. ſaec. X. p. 240. 241.* Et ſane vetuſtiſſimum illum Mercurium libros ſcripſiſſe, nec probatum eſt, nec probari, vt opinor, poteſt. Stelas potius, ſeu columnas eum poſuiſſe, veteres referunt, arcanis litteris inſcriptas, ex quibus alii ad ſapientiam profecerint. Immo ex hiſce ſtelis ἐν τῇ Συριαδικῇ γῇ poſitis, & exaratis ſacra dialecto & hieroglyphicis litteris a Thot, qui eſt Mercurius primus, ſecundum Mercurium, Agathodaemonis filium, Tati patrem, libros traduxiſſe, quos in templorum

Aegy-

Aegypti adytis repoſuerit, auctor eſt MANETHO, apud SYNCELLVM, *p. 40.* Iſtae autem ſtelae in antris ſubterraneis erant poſitae, quas Σύριγγας adpellitabant; de quibus AMMIANVS MARCELLINVS: *Sunt Syringes ſubterranei quidam & flexuoſi ſeceſſus, quos (vt fertur) periti rituum vetuſtorum (aduentare diluuium praeſcii, metuentesque, ne caerimoniarum oblitteraretur memoria) penitus operoſis digeſtos fodinis per loca diuerſa ſtruxerunt, & excisis parietibus volucrum ferarumque genera multa ſculpſerunt, & animalium ſpecies innumeras, quas hieroglyphicas litteras adpellarunt; hiſt. lib. XXII. cap. XV.* Quae tamen ſi adcurate expendantur, quae forte de Sethi columnis acceperat, cum columnis Mercurii confudiſſe AMMIANVS deprehendetur. Interim ex Mercurii columnis veteres Graecorum philoſophos profeciſſe, auctor eſt IAMBLICHVS: *Φιλόσοφον δ᾽ εἴτι προβάλλεις ἐρώτημα, διακρινοῦμέν σοι καὶ τοῦτο κατὰ τὰς Ἑρμοῦ παλαιὰς στήλας, ἃς Πλάτων ἤδη πρόσθεν καὶ Πυθαγόρας διαγνόντες, φιλοσοφίαν συνεστήσαντο· ſi quod autem philoſophicum dubium proponas, illud etiam determinabimus tibi iuxta antiquas Mercurii columnas, quas Plato & Pythagoras ante eum lectitantes philoſophiam inde conſtituerunt;* de *myſter. Aegyptior. lib. I. cap. II. p. 3.* Cum vero etiam in ſequentibus, ſcil. *ſect. VIII. cap. I.* IAMBLICHVS Mercurio libros plurimos tribuat, vti iam ſupra obſeruauimus: hoc forte de alio quodam, eoque recentiori, Mercurio, qui, quae antiquior ille columnis inſcripſerat, in libros retuliſſe dicitur, intelligit. Vid. THOMAS GALEVS, ad *Iamblichi ſect. I. cap. II. pag. 185.* De ſtelis autem ſiue columnis Mercurii vid. etiam VALESIVS, ad *Amm. Marcellini l. c.* Et ex his quidem patet, antiquiſſimum Mercurium, qui ante Moſen vixiſſe dicitur, libros non ſcripſiſſe; quamuis, quae de altero Mercurio dicuntur, itidem plane ſint incerta. Columnas apud Aegyptios fuiſſe hieroglyphicis litteris inſcriptas, non dubito: ſed a quo iſtae fuerint profectae, & quis ille Mercurius ſit, aut quando vixerit, cui tribuuntur, hoc non ſatis conſtare puto. Sic & libros Mercurii nomen prae ſe ferentes quamplurimos olim exſtitiſſe, itidem non dubito; ſed a Mercurio quodam eos confectos, id rurſus non temere ſibi perſuadebit, qui, quod ſupra obſeruauimus, ſecum penſitauerit, ſapientibus Aegyptiorum in more poſitum fuiſſe, ſuis commentationibus Mercurii nomen praefigere. Quemadmodum autem nonnulli ex hiſce libris, qui Mercurii nomen praeferunt, ad nos peruenerunt; ita reliquorum in titulis ſaltem ab aliis memoratis, conſeruatur memoria. Inter eos, qui ad priorem claſſem pertinent, eminent *Poimander*, de quo ſupra dictum, & *Aſclepius*, ſiue λόγος τέλειος, qui tamen graece non exſtat; & hosce quidam ſuppoſititios eſſe, & forte a ſemichriſtiano quodam, qui & Platonica dogmata ſequutus ſit, ac circa initium ſaeculi ſecundi vixerit, confictos, etſi hinc

hinc inde reliquiae quaedam veteris philoſophiae aegyptiacae occurrant, eruditiſſimorum hodie virorum eſt ſententia. Reliquorum autem, qui perierunt, quorumue ſaltem tituli ad nos peruenerunt, longe maior eſt numerus: ſed de vtrisque tam adcurate, tamque ſolide, agit doctiſſimus vir, IOAN. ALBERTVS FABRICIVS, in *bibliotheca graeca, lib. I. cap. VII. ſeqq.* vt, quod addi poſſet, non inueniam.

Praeter Mercurium, inter philoſophos huius aetatis paſſim celebratur ZOROASTRES, artium atque ſcientiarum apud Chaldaeos inuentor. Cum vero confuſa admodum ſint & incerta, immo ſe inuicem euertentia, quae paſſim de Zoroaſtre traduntur; nonnulli, vt hinc ſe expedirent, & cuncta melius digererent, diuerſos eiusdem nominis viros ſtatuerunt; adcurate, eos a ſe inuicem diſcernendos, monentes. Hinc ſex Zoroaſtres recenſent. Primus ex illorum mente *Chaldaeus* eſt, Aſſyrius etiam SVIDAE, in *Zoroaſtre*, dictus. Alter, Bactrianus, idemque Bactrianae rex, a Nino, Aſſyriorum rege victus, teſte IVSTINO, *hiſtor. lib. I. cap. I.* Tertius, qui eodem nomine inſignitur, Perſa fuit, CLEMENTI Alexandrino Medus, SVIDAE Medo-Perſa, inſtitutor Magorum, & chaldaicarum diſciplinarum diſcendarum Perſis auctor. Quartus fuit Pamphylius, vulgo dictus *Er*, vel *Erus* Armenius. Hunc namque etiam Zoroaſtrem dictum, teſtatur CLEMENS Alexandrinus: *Idem* (Plato) *in decimo libro de republica meminit Eri Armeni, qui eſt Zoroaſtres. Ipſe quidem certe Zoroaſtres hoc ſcribit: haec ſcripſit Zoroaſtres Armenii filius, genere Pamphylius: in bello mortuus cum eſſem, apud inferos a diis edoctus ſum.* Hunc Zoroaſtrem, adfirmat PLATO, ad vitam rediiſſe, poſt mortem decem dierum, quibus inter cadauera iacuerat; quod ex PLATONE repetunt VALERIVS MAXIMVS, & MACROBIVS, ille *lib. I. cap. VIII.* hic *lib. I. in ſomnium Scipionis, cap. I. p. m. 12.* Quintus Zoroaſtres eſt Proconneſius, PLINIO memoratus, *hiſtor. natural. lib. XXX. cap. I.* quem nonnulli eumdem eſſe putant cum Ariſtea Proconneſio, qui ſecundum SVIDAM, in voc. *Ariſteas*, vixit temporibus Cyri ac Croeſi. Sextus denique eſt, qui tempore Cambyſis Babylone vixiſſe dicitur, quemue APVLEIVS, in *Floridis, p. 351. omnis diuini arcanum antiſtitem* vocat, eoque magiſtro praecipue Pythagoram vſum, dicit. Eumdem hunc eſſe putant cum Nazarata Aſſyrio, quem ALEXANDER, in libro de *Pythagoricis ſymbolis* adfirmat, magiſtrum fuiſſe Pythagorae; eumdemque SVIDAE vocari *Zarem*, CYRILLO *Zaranem*, PLVTARCHO *Zaratam*. Ita quidem ſentit THOMAS STANLEIVS, in *hiſtoria philoſophiae, parte XIII. ſect. I. cap. II. p. 112.* cui exemplum quodammodo praeiuit MARTINVS DEL RIO, in *diſquiſitionib. mag. lib. I. cap. III.* qui itidem ſex Zoroaſtres enumerat, licet paullo aliter eos diſtinguat. Qui plures huius nominis ſtatuunt, hocce ARNOBII, *contra gentes, lib. I.* teſtimonio maxime nituntur: *Age, nunc veniat quis*

ſuper igneam zonam magus, interiore ab orbe Zoroaſtres, Hermippo vt adſentiamur auctori. Bactrianus & ille conueniat, cuius Cteſias res geſtas hiſtoriarum exponit in primo. Armenius Hoſtanis nepos; & familiaris Pamphylius Cyri. Hic quatuor Zoroaſtres commemorari, viri quidem docti ſibi perſuadent; primum Chaldaeum, ſecundum Bactrianum, tertium Pamphylium, alio nomine Erum, quartum Armenium. Verum CLAVDIVS SALMASIVS locum hunc ARNOBII ita exhibet: *Age nunc veniat, quaeſo, per igneam zonam magus, interiore ab orbe Zoroaſtres, Hermippo vt adſentiamur auctori, Bactrianus. Et ille conueniat, cuius Cteſias res geſtas hiſtoriarum exponit in primo, Armenius Hoſtanis nepos; & familiaris Pamphylus Cyri;* in *exercitationib. Plin. p. 855.* Vnde colligitur, tres dumtaxat fuiſſe Zoroaſtres, primum, ſecundum quosdam, ex interiore Lybia vel Aethiopia τῆς κεκαυμένης vicina, aut, ſi Hermippo fides habeatur, *Bactrianus*; alterum Armenium, nepotem Hoſtanis, cuius res geſtas ſcripſerit Cteſias; tertium denique, Pamphylum nomine, amicum Cyri. At duos tantum, non quatuor aut tres Zoroaſtres ab ARNOBIO commemorari, contendit IO. HENRICVS VRSINVS, immo cum Bactrianum illum Hermippi manifeſto explodat, vnicum tantum reuera remanere Zoroaſtrem; in *Zoroaſtre, ſect. III. p. 17.* Idem *ſect. IV. p. 26.* ſuam hac de re ita explicat ſententiam: *apud Arnobium duos tantum deprehendo* (Zoroaſtres) *alterum Hermippi, a magis infamiumque artium praeconibus confictum, quem palpabili mendacio ipſo humano genere & mundo antiquiorem fecerunt, alterum Cteſiae verum, ſed fabuloſe deſcriptum: poſtea Proconneſius, nomen ſi accepit Zoroaſtris, ſtulto zelo Graecorum accepit.* In eamdem abit ſententiam rerum perſicarum diligentiſſimus ſcrutator, THOMAS HYDE, qui vnicum ſaltem Zoroaſtrem, Perſarum lingua *Zerdusht* dictum fuiſſe, contendit, qui tempore Darii Hyſtaſpis vixerit, negatque, plures vmquam eiusdem nominis exſtitiſſe; cum antiquiſſimus ille Bactrianorum rex, qui vulgo eo nomine adpellatur, rectius Ὀξυάρτης a DIODORO Siculo nuncupatus ſit; in *hiſtoria religionis veterum Perſarum, cap. XXIV. p. 308.* Parumque profecto abeſt, quin ipſe eidem ſubſcribam ſententiae; cum, quae de reliquis dicuntur, adeo confuſa & impedita ſint, vt nihil certi inde elici queat. Accedit, quod graeci ſcriptores ad varios Zoroaſtres fingendos facile induci potuerint, ſiue quod barbara nomina forte adfinia non ſatis diſtinguerent, ſiue quod confunderent diuerſos, de quibus ſimilia quaedam audiebant, eumque vnum virum putarent, vno quoque adpellarent nomine; vnde rurſus factum, vt poſteri ſub vno nomine plures latere animaduerterent, quod omnia vni non conuenirent. Vid. IO. CLERICVS, in *indice philolog. ad Th. Stanleii hiſtor. philoſ. orientalis*, voc. *Zoroaſter.* Quidquid vero tandem huius ſit, ſi plures vel maxime Zoro-

Zoroaſtres admittantur, fatendum tamen, Perſam illum, qui tempore Cambyſis, aut ſub initio monarchiae perſicae vixit, praecipuum eſſe. Ad hoc etiam, in quo nunc verſamur, temporis interuallum reliqui non ſpectabunt, ſed Chaldaeus ille ſaltem, atque Bactrianus. De vtroque pauca obſeruabimus. De perſico enim, qui aut praecipuus, aut reuera vnicus huius nominis fuit, ſuo loco ex inſtituto dicemus.

De Bactriano auctor eſt IVSTINVS, eum, a Nino Aſſyriorum rege, victum fuiſſe. *Poſtremum*, inquit, *illi* (Nino) *bellum cum Zoroaſtre rege Bactrianorum fuit, qui primus dicitur artes magicas inueniſſe, & mundi principia, ſiderumque motus, diligentiſſime ſpectaſſe. Hoc occiſo & ipſe deceſſit; hiſtor. lib. I. cap. I.* Duo hinc de Bactriano illo Zoroaſtre conſtare videntur; primo, quando vixerit, deinde artium magicarum fuiſſe inuentorem. Verum vtrumque ſi paullo adcuratius conſideretur, admodum incertum deprehendetur. Etſi enim hoc aperte ſatis ex IVSTINO intelligitur, eum vixiſſe tempore Nini, Aſſyriorum regis, quod & alii confirmant; aeque tamen incertum eſt, quando Ninus vixerit, ac quando vixerit Zoroaſtres Bactrianus, quocum Ninus bella geſſit. Sed hac de re deinceps. Nec certius eſt, eum artium magicarum fuiſſe inuentorem. ARNOBIVS auctor eſt, *inter Aſſyrios & Bactrianos, Nino quodam Zoroaſtreque ductoribus, non tantum ferro dimicatum & viribus, verum etiam magicis, & Chaldaeorum reconditis diſciplinis; l. c. lib. I. p. 5.* Innuere nimirum videtur, non minus artibus magicis, quam armis, eos inter ſe concertaſſe. Quod ſi verum eſt, Aſſyriis non minus, quam Bactrianis, magicae artes perſpectae erant, nec Zoroaſtres earum inuentor fuit. Bactrianum praeterea Zoroaſtrem ſcientiae magicae multa ex Chaldaeorum arcanis addidiſſe, auctor eſt AMMIANVS MARCELLINVS, *lib. XXIII. cap. VI.* Non ergo artes magicas primus inuenit. Sed tota IVSTINI narratio ſuſpecta redditur, ſi perpendamus, DIODORVM Siculum, qui *lib. II. cap. VI.* bellum Nini Bactrianum cum cura exſequitur, Zoroaſtris nuſpiam meminiſſe, regem contra Bactrianorum *Oxyartem* vocare, ſed nec magiae vllam mentionem facere. Idque eo magis mirandum, quod CTESIAM hic ducem ſequatur, qui ceteroquin ab eiusmodi rebus non alienus erat. Conf. & IO. HENR. VRSINVS, *l. c. p. 26.* & PETRVS BAELIVS, in voc. *Zoroaſtres*, *p. 3077.* Sed faceſſat Bactrianus ille Zoroaſtres.

Videamus, an certiora ſint, quae de Chaldaeo ſeu Aſſyrio traduntur. Primo quidem de aetate, quando vixerit, tantus eſt ſcriptorum diſſenſus, vt, vbi pedem figas, vix inuenias. EVDOXVS, Zoroaſtrem ſex millibus annorum ante Platonis mortem floruiſſe, prodidit; apud PLINIVM, *hiſtor. natur. lib. XXX. cap. I.* *Eudoxus*, inquit, *qui inter ſapientiae ſectas clariſſimam vtiliſſimamque eam* (magicam artem) *intelligi voluit, Zoroaſtrem hunc ſex millibus annorum ante Platonis mortem*

fuiſſe

fuiſſe, prodidit. Non procul hinc diſcedunt, qui eum quinque millibus annorum ante bellum Troianum floruiſſe, contendunt, vt HERMIPPVS & HERMODORVS Platonicus, apud DIOGENEM LAERTIVM, in *prooemio;* cuius ſententia etiam PLVTARCHVS meminit, de *Iſide & Oſiride, p. 369.* Sed hos omnes aperte falſa tradere, non eſt, qui dubitet. Alii, ſerius eum vixiſſe, putant; & EPIPHANIVS quidem, tempore Nimrodi; SVIDAS vult, eum aequalem fuiſſe Nino, Aſſyriae regi; EVSEBIVS Semiramidi, vxori Nini; SVIDAS alibi prodidit, eum vixiſſe quingentis annis ante excidium Troiae; XANTHVS, ſexcentis annis ante expeditionem Xerxis in Graeciam. Ita praecipuas de Zoroaſtris aetate opiniones ſummatim complectitur THOMAS STANLEIVS, *hiſt. philoſ. part. XIII. ſect. I. cap. III. p. 115.* qui tamen a PETRO BAELIO notatur, quod dicat, ſecundum EVSEBIVM Zoroaſtrem Semiramidi fuiſſe aequalem, cum eum itidem Nino aequalem faciat; in voc. *Zoroaſtres, p. 3077.* Addo, quod auctores, qui Zoroaſtrem Nino aut Semiramidi aequalem faciunt, de Bactrianorum rege, cui idem nomen per errorem tribuitur, non autem Zoroaſtre Chaldaeo loqui videantur. Quis vero non videt, de ipſo quoque Chaldaeo Zoroaſtre omnia eſſe incerta? Mirum itaque non eſt, quod nonnulli, Zoroaſtrem eiusmodi Chaldaeum vmquam exſtitiſſe, negantes, ſub hocce nomine alium quemdam latitare, exiſtimauerint; licet & hi ipſi mire inter ſe diſſentiant. Misraimum, Chami filium, eumdem eſſe, ac Zoroaſtrem, perhibet auctor *recognitionum*, quae ſub CLEMENTIS nomine exſtant, *lib. IV. ſ. XXVII. p. 537.* ex edit. IOAN. BAPTISTAE COTELERII. *Ex quibus,* inquit, de Noachi filiis verba faciens, *vnus, Cham nomine, cuidam ex filiis ſuis, qui Meſraim adpellabatur, a quo Aegyptiorum, & Babyloniorum, & Perſarum ducitur genus, male compertam magicae artis tradidit diſciplinam: hunc gentes, quae tunc erant, Zoroaſtrem adpellauerunt, admirantes primum magicae artis auctorem, cuius nomine etiam libri ſuper hoc plurimi habentur.* Pari ratione & auctor *chronici Alexandrini, p. 62.* Misraimum & Zoroaſtrem pro eodem homine habet. Scriptori autem *Clementinorum hom. IX. ſ. IV. p. 680.* itidem ex editione COTELERII, Zoroaſtres idem eſt, ac Nimrod. GREGORIO Turonenſi, *lib. I. hiſtor. cap. I.* Chus eſt. Ab aliis apud EPIPHANIVM, *initio Panarii, p. 7.* indeque apud PROCOPIVM GAZAEVM, ad *Geneſ. XI.* Zoroaſtres putatur Aſſur. Rurſus aliis idem ac Abrahamus creditur; vid. HERBELOTVS, *bibliotb. orient.* in vocib. *Abraham, Abeſta, Zoroaſter.* Immo non defuerunt, qui Zoroaſtrem ipſum Adamum eſſe, cenſerent; vt PHILIPPVS CLVVERVS, apud IO. ALBERTVM FABRICIVM, *bibliotbec. graecae lib. I. cap. XXXVI. ſ. I. p. 243.* PETRO COMESTORI, *hiſtor. ſcholaſt. in Geneſ. cap. XXXIX.* Zoroaſtres Chamus eſt, Noachi filius; quae & pluribus recentioribus ſe probauit ſententia; quam tamen reiicit SAM. BOCHARTVS,

TVS, *geograph. ſacrae lib. IV. cap. I. p. m. 232.* Denique PETRVS DANIEL HVETIVS in eo totus eſt, vt, Zoroaſtrem eumdem cum Moſe eſſe, euincat; *demonſtrat. euangel. prop. IV. p. 130. ſeqq.* qui & in ſequentibus *p. 397.* Zoroaſtrem ſub nomine Zarati CLEMENTI Alexandrino, *lib. I. ſtromatum,* memoratum, eumdem cum Ezechiele eſſe exiſtimat.

Haec vero omnia ſi paullo adcuratius expendantur, id demum conſtabit, incerta omnia eſſe, quae de antiquo illo Zoroaſtre dicuntur: immo rectiſſime, an Chaldaeus aliquis ſeu Aſſyrius Zoroaſtres fuerit, dubitari. Hinc vero etiam patet, quid de libris, qui ſub Zoroaſtris nomine circumferuntur, cenſendum, praeſertim de *oraculis* eius, quae aliquoties virorum doctorum cura edita ſunt. Si quid enim in hisce genuinum, id perſico illo Zoroaſtri tribuendum, non minus, ac ipſa magiae inuentio; quamquam & abunde hodie conſtet, omnia haecce ſcripta ſpuria eſſe & ſuppoſititia; etſi non negauerim, veſtigia quaedam orientalis philoſophiae in iis occurrere; quae etiam eſt ſententia IO. ALBERTI FABRICII, qui diligenter & erudite de cunctis Zoroaſtris ſcriptis diſſerit *bibliothec. graec. lib. I. cap. XXXVI. p. 242. ſeqq.* Addemus & nos reliqua, cum in ſequentibus de Zoroaſtre perſico dicendum fuerit. Sed hinc etiam patet, quid de philoſophia Chaldaeorum, quam in compendio exhibet THOMAS STANLEIVS, *loc. cit.* cenſendum ſit. Ea pro philoſophia veterum Chaldaeorum minime venditari poteſt. Reliqui enim philoſophiae apud Chaldaeos auctores, vel ipſo fatente STANLEIO, recentiores multum ſunt, quam vt ad tempora Moſis referri queant, ſi Belum excipias, de quo quae dicuntur, aeque incerta ſunt, ac ea, quae de Zoroaſtre referuntur. Praeterea Chaldaeorum philoſophiam ex Zoroaſtris maxime oraculis exponit, quae nec genuina eſſe, nec, ſi genuina eſſent, Chaldaeo ſeu Aſſyrio Zoroaſtri tribui poſſe, iam obſeruauimus. Relinquitur itaque, de philoſophia Chaldaeorum ante Moſis tempora, nihil certo dici poſſe. Quod ſi apud eos philoſophi fuerunt, quod non negauerim, idololatriae eos ſimul inuentores & promotores fuiſſe, veroſimile videtur. Hanc enim, vt apud reliquas gentes, ita vel maxime apud Chaldaeos inualuiſſe, conſtat, & ex iis, quae in ſequentibus dicentur, magis eluceſcet.

§. XXIII.

Ceterum, vt ea, quae de patriarchis in hocce temporis interuallo, & eorum, ſimulque adeo verae eccleſiae, fatis, diximus, ex ſcripturae ſacrae teſtimoniis abunde conſtant, cui nemo, niſi impius, & profanus, fidem denegabit; ita, quae exotici ſcriptores de iis, aliisque rebus ad hanc aetatem ſpectantibus, itidemque in ſcriptura ſacra commemoratis, tradunt, * ita comparata ſunt, vt veritatem Moſaicae narrationis mirifice confirment; quod ſi vero diſcre-

pare in quibusdam videntur, ** vt ſcriptori domeſtico, cui omnia perſpecta & explorata fuere, ne dicam diuino, plus tribuamus, quam exoticis, & de rebus non ſatis ſibi cognitis verba facientibus, ipſa ratio dictitat.

* Etſi hoc ab aliis fuſe iam & ex inſtituto comprobatum ſit; inſtituti tamen ratio poſtulat, vt praecipua, quibus hoc demonſtrari poteſt, documenta, in compendio exhibeamus. BEROSI, HECATAEI, & NICOLAI DAMASCENI, de Abrahamo teſtimonia FLAV. IOSEPHVS exhibet, *lib. I. antiquit. iudaic. cap. VIII.* ex quo ea repetit EVSEBIVS, *praeparat. euangel. lib. IX. cap. XVI.* Vbi id quidem perperam NIC. DAMASCENVS tradit, Abrahamum Damaſci regnaſſe; quod & IVSTINVS repetit, *hiſt. lib. XXXVI. cap. II.* At id iam ſupra ad *§. II. huius ſectionis* explotum. Praeterea EVPOLEMI, ARTAPANI atque MELONIS, de eodem teſtimonia, ex ALEXANDRO Polyhiſtore idem EVSEBIVS adfert. *loc. cit. lib. IX. cap. XVII. XVIII. XIX.* Nec deſunt, qui ad Abrahamum referunt, quae ex vetuſtiſſimo ſcriptore *Orphicorum* exhibet CLEMENS Alexandrinus, *ſtromat. lib. V.* & EVSEBIVS, *praeparat. euangel. lib. XIII. cap. XII.*

Ὀυ γὰρ κέν τις ἴδοι θνητῶν μερόπων κραίνοντα
Ἐι μὴ μȣνογενής τις ἀποῤῥὼξ φύλȣ ἄνωθεν
Χαλδαίων ἴδρις γὰρ ἔην ἄστροιο πορείης,
Καὶ σφαίρης κίνημ' ἀμφὶ χθόνα ὡς περιτέλλει
Κυκλοτερές γ' ἐν ἴσῳ κατὰ δὲ σφέτερον κνώδακα.

Nemo illum nouit, mortalia cuncta regentem,
Vnicus ille niſi Chaldaeo ſanguine cretus;
Norat enim, ſolis qua ſe aſtrum lege rotaret,
Et circum terram magnus ſe volueret orbis,
Aequalisque teresque intus ſita complectens.

Certe ad Abrahamum, prout & ab aliis deſcribitur, haec haud inepte quadrare videntur. Cum autem hic *μȣνογενὴς* dicitur, id eadem fieri ratione, qua apud Eſaiam, *cap. LI. verſ. 2.* אחד vocatur, exiſtimat HVGO GROTIVS, de *verit. chriſt. relig. lib. I. cap. XVII.* Alii tamen rectius forte cenſent, Abrahamum hic cum filio Iſaaco confuſum, quod ſcriptoribus ethnicis facile contingere potuit. Vt autem inter fata, quae Abrahamus expertus eſt, maxime illuſtris eſt tentatio, qua filium Iſaacum mactare iuſſus eſt; ita & huius rei veſtigia in Graecorum fabulis, ſi nonnullis credimus, deprehendere licet. Sic Iphigeniam Graeci narrant, a patre Agamemnone Dianae fuiſſe oblatam, & cum Calchantis miniſterio iamiam eſſet mactanda, vocem quamdam loco emiſſam, *adſpernari Numen ſacrificii genus, & ob id abſtinendum a corpore virginis; itaque curarent id, quod in vicem virginis oblatum animaduerterent, immolari.* Delibe-

liberantibus interim cunctis, quidnam & vbi eſſet, quod immolari iuberetur, ceruum forma corporis admiranda ante ipſam aram conſtitiſſe, quam & hoſtiam eam praedictam eſſe, rati, oblatamque diuinitus, comprehenderunt, & immolarunt. Ita DICTYS CRETENSIS, *lib. I. ſub fin.* Alii mandato vatis pro Iphigenia aliud animal mactatum referunt, alii rurſus ipſam Iphigeniam immolatam narrant, quod rurſus ab aliis ita intelligitur, non vere, ſed prout videbatur, hoc factum. Vid. EVRIPIDES, in *Iphigenia*, OVIDIVS, *metamorphoſ. lib. XII.* LVCRETIVS, *lib. I.* HYGINVS, *fab. XCVIII.* TZETZES, in *Lycophron. p. 40.* aliique. Certe aliquid hiſtoriae immolationis Iſaaci ſimile in hac fabula deprehendi, negari nequit: etſi alii potius ad Iephtam, filiam vnicam Deo aut immolantem, aut conſecrantem, haec referre malint; vt PETRVS DANIEL HVETIVS, *demonſtrat. euangel. p. 286.* Ceterum, quae EVSEBIVS, *praeparat. euangel. lib. I. cap. X.* ex SANCHVNIATONE de Saturno refert, rectiſſime de Abrahamo intelligi, iam ſupra ad *§. V. huius ſectionis* prolixe oſtendimus, vbi &, an mos gentium variarum homines immolandi, ex Abrahami hocce facto fluxerit? diſceptauimus. Ibidem etiam docuimus, non obſtare huic ſententiae, quod alias Noachus ſub Saturni imagine deliteſcere dicatur; quod itidem ad *ſect. II. §. VIII.* demonſtrauimus. Non enim inſolens eſſe in mythologia, vt homines diuerſi inter ſe confundantur, coniunganturque, quae omnino erant diſtinguenda. Quanta autem Abrahami apud ethnicos fuerit fama, vel inde intelligitur, quod Alexander Seuerus imperator & Apollonii, & Chriſti, & Abrahami, & Orphei, effigies in larario ſuo poſuerit; teſte AELIO LAMPRIDIO, in *Alexandro Seuero, cap. XXIX.* Apud orientales gentes longe plura documenta occurrunt, quae maximam omni tempore apud eos Abrahami, vt viri ſanctiſſimi, & ſummi religionis antiſtitis, famam fuiſſe, liquido demonſtrant; quae, cum ab aliis congeſta ſint, legi tamen cumprimis merentur, quae diligentiſſime hac de re diſſerit THOMAS HYDE, in *hiſtoria religionis Perſar. cap. II. p. 28. ſeqq.* Abrahami tempore Sodomae & Gomorrhae, vrbiumque vicinarum euerſionem contigiſſe, conſtat; reique tam memorabilis luculenta in ethnicorum ſcriptis occurrere veſtigia, iam ſupra ad *§. VI. huius ſect.* a nobis obſeruatum eſt. Iſaaci pariter & Abrahami, itemque Iacobi ac Ioſephi meminit PHILO, *lib. XIV. de Hieroſolymis*, apud EVSEBIVM, de *praeparat. euangel. lib. IX. cap. XXIV.* Eſauum *Erythram* Graecorum eſſe, viri docti contendunt, nec veroſimilitudinis ſpecie haec ſententia diſtituitur. Ab hocce Erythra mare Erythraeum dictum, docet STRABO, *lib. XVI. geograph. p. 535. 536.* Idemque PLINIVS confirmat, *lib. VI. hiſtor. natural. cap. XXIII.* & POMPONIVS MELA, *lib. III. cap. VII.* Patueruntque olim omnino tam late Idumaeae fines, vt ad mare Erythraeum pertingerent. Namque & Eſiongaber,

Digitized by Google

ex qua in regionem Ophir claſſis Salomonis ſoluit, quaeque ſita erat iuxta ripam ים סוף *maris Erythraei*, dicitur fuiſſe בארץ ארום *in terra Edom. I. Reg. IX. 26.* Legendus hac de re NICOLAVS FVLLERVS, *miſcellan. lib. IV. cap. XX.* Iacobi prolixe meminit DEMETRIVS, itemque THEODOTVS, in libro de *Iudaeis.* Vtriusque teſtimonia ex ALEXANDRO Polyhiſtore nobis conſeruauit EVSEBIVS, de *praeparat. euangel. lib. IX. cap. XX. & XXII.* Baetylia quoque apud gentes Iacobi conſeruaſſe memoriam, nonnulli tradunt. Ab eo enim morem vngendi conſecrandique lapides, ad Phoenices, aliasque gentes transiiſſe, exiſtimant. Qua de re quid ſentiendum ſit, fuſe iam ſupra ad ſſ. *XI. huius ſectionis* expoſuimus. Quae de libris Iacobi DIODORVS Siculus, itemque DEMETRIVS, apud EVSEBIVM, *praeparat. euangel. lib. IX. cap. XXI.* memorant, itidem iam ſupra ad ſſ. *XV. huius ſectionis* exhibuimus. Addendum IVSTINI teſtimonium, in quo vera mixta ſunt falſis: *Israëlem felix decem filiorum prouentus maioribus ſuis clariorem fecit. Itaque populum in decem regna diuiſum filiis tradidit, omnesque ex nomine Iudae, qui poſt diuiſionem deceſſerat, Iudaeos adpellauit, colique eius memoriam ab omnibus iuſſit. Eius portio omnibus acceſſerat.* Subiungit hinc ſpeciatim de Ioſepho ea, quae iam ad ſſ. *XXI.* commemorauimus. Sed & ARTAPANI, qui commentarium de Iudaeis ſcripſit, luculentum exſtat de Ioſepho teſtimonium, quod itidem ex ALEXANDRO Polyhiſtore nobis conſeruauit EVSEBIVS, *lib. IX. praeparat. euangel. cap. XXII.* THEOPHILVS GALLVS Ioſephum ſub Hermetis ſeu Mercurii, de quo ſupra egimus, nomine latitare, exiſtimat; *philoſ. gener. lib. I. ſſ. VI.* Sed idoneis, quibus hoc euincat, deſtituitur rationibus. Quod enim inde hoc probare nititur, quod Ioſephus a Pharaone vocatus ſit צבנת פענח, id eſt, *reuelator arcanorum,* lubricum eſt. Interim non negauerim, plurima ab eo accepiſſe Aegyptios: nec vllam eum occaſionem, veram de Deo doctrinam propagandi praetermiſiſſe, facile crediderim. Dictum hac de re ad ſſ. *XXI.* Alii exiſtimant, ob ſingulare beneficium, quo Ioſephus Aegyptum vniuerſam, ſuppeditato temporibus difficillimis alimento, quod ipſius conſilio in hunc vſum reconditum erat, praeſentiſſimo exitio eripuit, eum ſub nomine Apidis, Serapidis & Oſiridis, diuinis adfectum honoribus. Ita iam ex veteribus IVLIVS FIRMICVS MATERNVS, de *errore profanar. religion. cap. XIV.* & RVFFINVS, *hiſt. eccl. lib. II. cap. XXIII.* conf. & SVIDAS, in voc. Σάραπις. Quod vero Serapis idem ſit ac Apis, auctor eſt NYMPHODORVS AMPHIPOLITANVS; cuius hac de re ex *libro de moribus Aſiae tertio* locum refert CLEMENS Alexandrinus, *lib. I. ſtrom.* & ex eo EVSEBIVS, *praeparat. euangel. lib. X. cap. XII.* Nimirum Apim illum taurum fuiſſe, ait, quem poſt mortem ſale maceratum, atque in eius daemonis templo, cuius praecipuus apud eos cultus erat, σορῷ, hoc eſt, loculo conditum, Soroapin inde primo, tum Sa-

rapin

Digitized by Google

rapiu nominarint. Ad Ioſephum autem hoc pertinere, nonnulli credunt, quia ille *Deut. XXXIII. 17.* שור *bos* vocetur, aut certe cum boue a Moſe comparetur; item, quia ſomnium Pharaonis de ſeptem vaccis pinguibus, a totidem macie confectis deuoratis, interpretatus eſt; & quae reliquae rationes ſunt eiusdem commatis. Ex recentioribus in hanc ſententiam, ſub Apidis ſymbolo Ioſephum cultum, praeter alios ingreſſus eſt GERHARDVS IOANNES VOSSIVS, qui prolixe hoc & ex inſtituto agit, de *orig. & progreſſu idololatriae*, *lib. I. cap. XXIX.* Sed non omnibus hoc perſuadere potuit. Lubrica ſunt, quibus haec ſententia nititur, fundamenta. Eſto, nonnulla, quae de Apide, Serapide & Oſiride dicuntur, ad Ioſephum adplicari poſſe; eadem tamen ratione & ad Moſen, aut alium quemdam adplicari poſſunt plurima contra etiam adplicari nequeunt. Praeterea ex *Exod. I. v. 8.* conſtat, mortuo Pharaone, qui Ioſephum extulerat, ſurrexiſſe regem in Aegypto, qui nihil amplius de Ioſepho, aut eius in Aegyptum meritis nouerat; quod qui fieri potuerit, ſi Ioſephi memoria Aegyptiis tam chara fuiſſet, vix intelligitur. Quod & eo minus credibile, ſi cogitemus, quae exinde inter Aegyptios & Israëlitas inimicitiae exſtiterint. Sed mitto reliqua, quae huic ſententiae opponi poſſunt, in medium iam adlata a IO. HENR. HEIDEGGERO, in *hiſtor. patriarchar. part. II. exercitat. XX. §. XXIV. XXV. p. 639. 640.* & SAMVEL. BOCHARTO, *hieroz. part. I. lib. II. cap. XXXIX. p. 335. ſeqq.* Denique inter ethnicorum de rebus Ebraeorum teſtimonia nec illud praetermittendum, quod de eorum in Aegyptum aduentu ex MANETHONE adfert FLAV. IOSEPHVS, *lib. I. contra Apion.* Sed de eo deinceps ex inſtituto dicemus, inquiremusque, an per *paſtores* ibi Israëlitae intelligendi ſint.

** Quod in nonnullis diſcrepent, res ipſa docet, & ex hactenus dictis conſtat. Inde vero nihil aliud ſequitur, quam ethnicis ſcriptoribus res Ebraeorum non plene fuiſſe cognitas. Hinc vera ſubinde falſis permiſcuerunt. Adſumenda itaque, quae vera ſunt, falſa dimittenda. Falſa autem citra controuerſiam ſunt, quae ſcripturae ſacrae repugnant; quam minorem hic promereri fidem, quam ſcriptores exoticos, nemo, niſi omnium ineptiſſimus, adſeruerit. Atque hoc contra IO. TOLANDI inſaniam notandum, quam in ſequentibus ex inſtituto caſtigabimus.

§. XXIV.

Inter gentes denique, quae hoc tempore effloruere, quarumue hic mentio fieri ſolet, eminent Aegyptii,* Babylonii,** Aſſyrii,*** Phoenices,* Ismaëlitae,** Idumaei,*** Argiui,* Athenienſes,** Cretenſes,*** atque Phryges.* Adeo autem obſcura & multis inuoluta tenebris ſunt, quae de illis traduntur, vt vix certi quid inuenire liceat. His etiam maximam partem iam denſa nox & atra incumbe-

Digitized by Google

bat caligo: ſaltem pauca, aut nulla potius, veri Numinis cultus apud eos deprehendere licet veſtigia.

* Quae de rerum aegyptiacarum antiquitate vltra diluuium, immo ipſius orbis conditi initium multum procedente, iuxta fictitias illas Aegyptiorum dynaſtias a nonnullis traduntur, inania & prorſus commentitia eſſe, iam ſupra ad §. *X. ſectionis primae* demonſtrauimus. Quam vana etiam illorum opera ſit, qui dynaſtias illas Aegyptiorum cum ſcripturae ſacrae chronologia conciliare adgreſſi ſunt, quamue incerta, dubia, obſcura omnia ſint, quae a profanis ſcriptoribus de rebus antiquiſſimis Aegyptiorum dicuntur, ibidem oſtendimus. Vnde & porro ſequitur, de rebus Aegyptiorum a diluuio vsque ad tempora Moſis, ſi ab iis, quae ex ſcriptura ſacra conſtant, diſcedas, nihil fere certi adferi poſſe. Cum vero in iſto temporis interuallo, quod ab Abrahamo ad Moſen vsque procedit, ſaepius Aegyptiorum iniiciatur mentio; hic demum commodus locus viſus, de iis aliquid commemorandi. Miſſis autem reliquis, IO. MARSHAMI hac de re ſententiam in compendio exhibebimus; deinde, quae in ea reprehendenda ſint, oſtendemus. Hinc enim, quidnam in hisce omnibus veritati conſentaneum ſit, eluceſcet. Primum nimirum hiſtoriae aegyptiacae interuallum, quod illi DCC annorum eſt, ab initio Menis vsque ad incurſionem paſtorum procedit, quo temporis ſpatio Aegyptus in diuerſas partita dynaſtias, & ſecura pace potita, neque bellum cum exteris, neque commercium exercuit. Diuerſae iſtae dynaſtiae fuerunt, regnum Thebanorum, Thinitarum, Memphitarum, & inferioris Aegypti. Menem hunc primum Aegyptiorum regem, qui toti Aegypto praefuerit, eumdem eſſe cum Chamo, Noachi filio, contendit. Poſt exceſſum Menis, diuiſam Aegyptum. Thebis Athotem, quem eumdem cum Mercurio illo antiquiſſimo eſſe, putat, regnaſſe, Memphi Toſorthum, qui idem cum Aeſculapio fuerit. Saeculo demum VII cum in omnibus illis dynaſtiis plurimi reges regnaſſent; Iacobum cum familia ſua in Aegyptum deſcendiſſe, vt paulo ante, ſaeculo ſcilicet ſexto, regnum Thinitarum, & poſtea regnum Memphitarum finem ſortitum: ſaeculo VIII poſt diluuium, veniſſe paſtores in Aegyptum, ibique regnum condidiſſe, quos quidem paſtores alii ex Arabia, ex Phoenicia alii accerſant. Et iſti quidem paſtores regum omnium in Aegypto primi ſunt, in quibus conueniunt MANETHOS, AFRICANVS, EVSEBIVS, atque SYNCELLVS, licet non ſine magna diſcrepantia, vt ipſemet agnoſcit MARSHAMVS, in *can. chron. ſaec. VIII. p. 102.* FL. IOSEPHVS, ſub hocce paſtorum nomine ipſos Iſraëlitas intelligit, *lib. I. contra Apion. p. 1039.* vbi & MANETHONIS fragmentum, ex quo tota res conſtat, conſeruauit. Sed hanc IOSEPHI ſententiam omnibus viribus impugnat MARSHAMVS, his praecipue rationibus fultus: *Iſraëlitae*, inquit,

vene-

venerunt numero 70, paſtores autem 240000. Iſraëlitae manſerunt in Goſen, paſtores dirupuerunt Memphim. Iſraëlitae redierunt poſt annos 215, paſtores nonniſi poſt annos 511. Iſraëlitae miſera ſeruitute oppreſſi ſunt, paſtores imperium exercuerunt in Aegyptios, a quibus vocati ſunt Hycſos, id eſt, reges paſtores; l. c. p. 103. Operae vero pretium fuerit, nonnulla circa hanc MARSHAMI ſententiam obſeruare. Aegyptios a Chamo, ſpeciatim Mizraimo, eius filio, originem ducere, poſitum eſt extra controuerſiam, & ſupra iam ad *ſ. IX. ſect. ſecundae*, a nobis demonſtratum. Vnde & Aegyptus non tantum in ſcriptura ſacra Mizraim, ſed & ſubinde ארץ חם *terra Chami* dicitur, *Pſ. LXXVIII. 51. CV. 23. 27. CVI. 22.* Nec illis refragatus fuero, qui hoc inde factum putant, quod Chamus Mizraimo filio ſpeciatim adhaeſerit, & in eius familia vixerit. Factum inde, vt Aegyptus etiam *Chemia* diceretur, a ſacerdotibus maxime, teſte PLVTARCHO, in *Iſide*, &, ſi nonnullos audias, ars, quae ibidem originem habuit, *chemica*. Immo Coptitae etiam nunc Aegyptum *Chemi* vocant. Accedit, quod Chamus diuinis maxime honoribus ab Aegyptiis cultus ſit, non modo in celeberrimo illic templo Hammonis, ſed & in vrbe ab eo dicta *No Ammon.* Conf. SAM. BOCHARTVS, *geograph. ſacr. lib. I. cap. I.* Sed inde nondum ſequitur, aut Chamum, aut Mizraimum in Aegypto regnaſſe. Potuerunt enim Aegyptii ab illis originem ducere, etſi ipſi in Aegyptum non venerint, ſed in vicinia conſederint. Concedatur autem & hoc, vixiſſe & Chamum & Mizraimum in Aegypto, probandum tamen adhuc eſt, Menem ipſum fuiſſe aut Chamum, aut Mizraimum. MARSHAMVS equidem id inde praecipue demonſtrare adnititur, quod Seſoſtris fuerit Seſacus tempore Rehabeami, quodque tantum interualli a DIODORO Siculo ſtatuatur inter Menem & Seſoſtrim, quantum inter Chamum & Seſacum in ſcriptura ſacra intercedit. Cum vero perperam vir doctus hoc ſibi ſumat, Seſoſtrim eumdem eſſe cum Seſaco, vt ſuo loco euincemus; nihil aliud agit, quam vt id, quod incertum eſt, per aliud aeque incertum probet. EVSEBIVS equidem & SYNCELLVS Menem interpretantur Mizraimum, Chami filium, hac maxime ratione inducti, quod HERODOTVS, *lib. II. cap. IV.* diſerte tradat, *Menem primum ex hominibus regnaſſe*, ſuffragante DIODORO Siculo: *Poſt deos, aiunt, primum regnaſſe in Aegypto Menam; lib. I. p. 29.* Sed iam aliis obſeruatum, ſub *diis* iſtic contineri etiam heroas vel ſemideos, quos diſerte vna cum diis ab *hominibus regibus* DIODORVS diſtinxerat; quod & ex ipſo MANETHONE, AFRICANVS atque EVSEBIVS comprobant, apud SYNCELLVM, *p. 54. 55.* Heroas autem & ſemideos eſſe Meſtraeos, hoc eſt, ſucceſſores proximos Mizraimi. Vnde ſequitur, Menem non eſſe auctorem & progenitorem Meſtraeorum, ſed ſucceſſorem, atque adeo non fuiſſe ipſum Mizraimum, multo minus Chamum,

Digitized by Google

mum, ſed alium quemcumque regem, qui longe poſt demum exſtiterit. Accedit, vt reliqua mittam, quae contra eamdem ſententiam vrgeri poterant, quod de Mene EVSEBIVS dicat: *ille expeditionem extra fines* (ſui regni) *ſuſcepit, & illuſtris eſt habitus, ſed ab hippopotamo eſt raptus;* apud SYNCELLVM, *p. 55.* Quae cum regem indicent, qui victor vicinos reges aut populos ſibi ſubiecit; indeque adeo illuſtris euaſit, vt ab eo hiſtoria Aegypti & epocha inciperet; in Chamum profecto aut Mizraimum non quadrant. Plura hunc in modum dabit IACOBVS PERIZONIVS, qui iſtam MARSHAMI ſententiam prorſus confecit, in *aegypt. orig. inueſtigat. cap. V. p. 65. ſeqq.* Iam, quod ad reges attinet, quos MARSHAMVS in variis dynaſtiis diſpoſitos, ad paſtorum vsque in Aegyptum aduentum regnaſſe, perhibet, quid de iis ſtatuendum ſit, ſatis liquet ex iis, quae generatim de iſtis dynaſtiis ſupra ad *§. X. ſectionis primae* diſputauimus. Paucis: incerta, dubia, ficta, commentitia ſunt omnia.

Quae vero de aduentu paſtorum, quos ab Iſraëlitis diuerſos eſſe contendit, adfert, digna ſunt, quae paullo adcuratius diſcutiantur. E re autem noſtra fuerit integrum MANETHONIS locum hac de re adferre, prout eum nobis conſeruauit FL. IOSEPHVS, *lib. I. contra Apion. p. m. 1039.* & quidem, quia paullo prolixior eſt, ex latina tantum verſione: *In ſecundo itaque aegyptiacorum, haec ſcripſit Manethos: fuit nobis rex Timaus nomine, ſub hoc neſcio quomodo Deus iratus fuit: & praeter ſpem ex partibus orientalibus homines genere ignobiles adepta fiducia in prouincia caſtra metati ſunt: & facile ac ſine bello eam potenterque ceperunt, & principes eius adligantes, de cetero ciuitates crudeliter incendere & deorum templa euertere. Erga omnes vero prouinciales inimiciſſime ſe geſſerunt, alios quidem perimentes, aliorum vero & filios & coniuges in ſeruitutem redigentes: nouiſſime vero & vnum ex ſe fecere regem, cui nomen Saltis. Hic enim Memphidem veniens, ſuperiore inferioreque prouincia tributaria facta, praeſidia relinquens opportunis locis, maxime partes muniuit orientales, proſpiciens, quod Aſſyrii aliquando potentiores, erant deſideraturi regnum eius inuadere. Inueniens autem in praefectura Saite ciuitatem opportuniſſimam, poſitam ad orientem Bubaſtis fluminis, quae a quadam antiqua theologia Auaris adpellabatur, hanc fabricatus eſt, & muris maximis communiuit, collocans ibi multitudinem armatorum vsque ad ducenta quadraginta millia virorum eam cuſtodientium. Hic autem meſſis tempore veniebat, tam vt frumenta meteret, & mercedes exſolueret, quam vt armatos ad terrorem extraneorum diligenter exercitaret. Qui cum regnaſſet decem nouem annis, vita priuatus eſt. Poſt hunc autem regnauit alter quatuor & quadraginta annis, Bacon nomine. Poſt quem alius Apachnas, ſex & triginta annis & menſibus ſeptem. Deinde Apochis vnum & ſexaginta, & Ianias quinquaginta*

Digitized by Google

ginta & menſe vno. Poſt omnes autem Aſſis nouem & quadraginta & menſibus duobus. Et iſti quidem ſex apud eos fuere primi reges, debellantes ſemper, & maxime Aegypti radicem amputare cupientes. Vocabatur autem gens eorum Hycſos, hoc eſt, reges paſtores. Hyc enim ſecundum ſacram linguam regem ſignificat: Sos vero paſtorem ſiue paſtores, ſecundum communem dialectum; & ita compoſitum inuenitur Hycſos, quidam vero dicunt, eos Arabes eſſe. Addit vero porro IOSEPHVS: *In aliis autem exemplaribus non reges ſignificari, comperi per adpellationem Hyc, ſed e diuerſo captiuos declarari paſtores. Hyc enim aegyptiaca lingua, & hac, quando denſo ſono profertur, captiuos aperte ſignificat: & hoc potius veriſimile mihi videtur, & hiſtoriae antiquae conueniens. Hos ergo, quos praediximus, reges, & eos, qui paſtores vocabantur, & qui ex eis fuere, obtinuiſſe Aegyptum, ait, annis vndecim & quingentis. Poſt haec autem regum Thebaidis & Aegypti reliquae factam dicit ſuper paſtores inuaſionem, & bellum maximum & diuturnum eis illatum. Sub rege vero, cui nomen erat Aliſfragmuthoſis, victos dicit paſtores, & aliam quidem vniuerſam Aegyptum perdidiſſe; incluſos autem in locum habentem menſuram ingerum decem millium, cui loco nomen eſt Auaris. Hunc Manethon dicit omnem maximo muro atque robuſtiſſimo circumdediſſe paſtores, quatenus & omnem poſſeſſionem munitam haberent, ſimul & praedam ſuam. Filium vero Aliſfragmuthoſeos Themoſin, conatum eos vi expugnare, cum quadringentis octoginta millibus armatorum, eorum muros obſediſſe. Cum vero obſidium deſperaſſet, pacta cum eis feciſſe, vt Aegyptum relinquentes, quo vellent, innoxii omnes abirent. Illos vero his promiſſionibus impetratis, cum omni domo & poſſesſionibus non minus ducenta quadraginta millia numero ex Aegypto per deſertum in Syriam egiſſe, & metuentes Aſſyriorum potentiam (tunc enim illi Aſiam obtinebant) in terra, quae nunc Iudaea vocitatur, ciuitatem aedificaſſe, quae tot millibus hominum ſufficere poſſet, eamque Hieroſolymam vocitaſſe.* In qua quidem MANETHONIS narratione etſi vera mixta ſint falſis; luculentiſſima tamen eorum, quae de Iſraëlitarum in Aegyptum ingreſſu, fatis, quae ibi experti ſunt, & eorumdem ex Aegypto egreſſu Moſes refert, veſtigia deprehenduntur, vt adeo dubium non ſit, paſtores illos non alios eſſe, quam Iſraëlitas. Primo enim vel ipſum hoc innuit nomen *paſtorum;* cum & maioribus Iſraëlitarum & ipſis Iſraëlitis vitam paſtoritiam maxime placuiſſe, conſtet; vnde & iuxta IOSEPHVM ipſis τὸ ποιμαίνειν πάτριον ἦν, *paſcere, patrius mos erat.* Conf. *Gen. XLVI. 32. XLVII. 6.* Venerunt paſtores illi in Aegyptum ex regionibus πρὸς ἀνατολὴν *ad orientem* Aegypti ſitis: quod & de Iſraëlitis rectiſſime dicitur, qui terreſtri itinere non aliter, quam ab oriente, per anguſtias terrae inter mediterraneum & rubrum mare ſitae Aegyptum adire potuerunt. Sed id

id quoque in Iſraëlitas quadrat, quod de paſtoribus dicitur, eos fuiſſe homines ignobiles atque obſcuros. Tales enim non poterant non ſaltem Aegyptiis videri Ebraei. De paſtoribus porro dicitur, eos ῥᾳδίως *facile*, ἀμαχητὶ, *ſine pugna* obtinuiſſe Aegyptum. Nimirum Ioſepho a rege volente iubenteque ſumma in Aegyptum poteſtas collata eſt, vt alterum ab eo locum teneret. Toti namque eum praefecit Aegypto. Vid. *Geneſ. XLI. 40. ſeqq.* De eodem quoque haud inconcinne capitur, quod de Salti rege MANETHOS refert, *eum omnem Aegyptum ad tributum pendendum adegiſſe.* Eum namque omnes priuatorum agros, frumento Aegyptiis ſubminiſtrato, emiſſe Pharaoni, hinc eos poſſeſſoribus reſtituiſſe ea lege, conſtat, vt quintam partem fructuum regi praeſtarent, quod in morem perennem abiit. *Geneſ. XLVII. 20. ſeqq.* Quod vero Aegyptios a paſtoribus oppreſſos, duriusque habitos MANETHOS refert, inde forte ortum, quod Ioſephus *populum tranſtuliſſe in vrbes ab extremis terminis Aegypti vsque in alios fines*, dicitur, *Geneſ. XLVII. 21.* Cum etiam Iſraëlitarum cauſſa Deus grauiſſimas plagas Aegyptiis immiſerit, eo, quod hi illos dimittere nollent; ratio patet, cur Aegyptii infenſo deinceps in Iſraëlitas fuerint animo, paſtoresque MANETHOS deſcribat vt homines crudeliſſimos, qui vltimam Aegyptiis adferre perniciem conati ſint. Neque tantum duriſſima quaeque, etſi ſuamet culpa, Iſraëlitarum cauſſa perpeſſi ſunt Aegyptii, ſed ab illis etiam tandem exeuntibus magna bonorum parte ſpoliati ſunt; vnde MANETHONI impia quaeuis & atrocia de paſtoribus comminiſcendi, occaſio. Ad haecce tandem accedit, quod paſtores ex Aegypto eiecti per deſertum in Syriam ſe contuliſſe, & in Iudaea Hieroſolymam vrbem exſtruxiſſe dicantur, quod de Iſraëlitis intelligendum, nec de aliis intelligi poſſe, coecus ſit, qui non videat. Nec obſtat, quod Hieroſolyma ab Iſraëlitis condita non fuerit, ſed longe fuerit antiquior. Ab iis enim amplificata eſt, maximamque hinc celebritatem conſequuta, vt facile MANETHOS, rerum antiquiſſimarum non ſatis gnarus, in eam ingredi ſententiam potuerit, ab ipſis Iſraëlitis eam conditam eſſe. Sed haec, quae hactenus diximus, aliaque idem confirmantia, erudite iam & adcurate obſeruauit IACOBVS PERIZONIVS, *aegyptiar. orig. inueſtig. cap. XIX. p. 343.* qui & *p. 349. & ſeqq.* oſtendit, quae & de tempore, quo paſtores in Aegypto fuerunt, & de loco, vbi habitarunt, dicuntur, quam rectiſſime in Iſraëlitas quadrare.

Ad ea, quae praeter alios IO. MARSHAMVS contra hanc ſententiam adfert, quaeue antea iam commemorauimus, reſpondere haud adeo difficile fuerit. Summa haec eſt, multa de paſtoribus iſtis dici, quae in Iſraëlitas non quadrent. Ad hoc generatim primum reſpondebimus: deinde ſpeciatim nonnulla delibabimus. Nimirum ipſimet ſupra iam faſſi ſumus, in

MA-

MANETHONIS narratione vera mixta eſſe falſis. Quod fieri aliter non poſſe, facile concedet, qui ſecum cogitat, I) gentilium ſcriptoribus res origineſque Ebraeorum neutiquam ita fuiſſe perſpectas, vt aliquid, quod ab omni errore liberum eſſet, de illis tradere potuerint. Vnde ſcriptores cetera praeſtantiſſimi, de rebus Ebraeorum ita loquuntur, vt vera falſis admiſceant. II) Speciatim, quod ad Aegyptios attinet, illis parum honorificum erat, exitum gentis iſraëliticae ex Aegypto ita ad poſteros propagari, prout eum Moſes narrauerat. Quo magis itaque ſuae gloriae conſultum cupiebant, eo magis gentem iudaicam deprimebant, eiuſque originem & res geſtas obſcurare adnitebantur. Id quod & IOSEPHO iam obſeruatum, *contra Apion. lib. I. p. 1039.* itemque *p. 1051.* Hinc fabulae iſtae de gente ebraea apud Aegyptios lepra infecta, diiſque pariter ac hominibus inuiſa, ideoque ab Aegyptiis expulſa. III) Hinc &, quid de MANETHONE cenſendum ſit, patet, quem iniquo in Iudaeos fuiſſe animo, tam aperte conſtat, vt nemini hac de re dubitare fas ſit. Vt ergo apud Ptolomaeum Philadelphum Iudaeis, plus quam ipſe vellet, fauentem, gentis huius antiquitatem deprimeret, eamque inuiſam omnibus & contemtibilem redderet; data opera ſuam ita exornaſſe hiſtoriam videtur, vt, quae vera erant, falſis narrationibus adulteraret. Et tamen IV) vnius huius MANETHONIS fide & auctoritate, totum hocce de paſtoribus, ab Iſraëlitis diſtinctis, commentum innititur; cum nec apud HERODOTVM, nec DIODORVM Siculum vlla regni paſtorum in Aegypto, vti nec reliquorum, quae in opprobrium ebraeae gentis de eius origine ab aliis conficta ſunt, fiat mentio. Quae vero IOSEPHVS, AFRICANVS, EVSEBIVS, hac de re habent, vni debentur MANETHONI. Quod ſi quis recte ſecum expenderit, facile concedet, parum eos, quid ſtatuant, penſi habere, qui hanc de paſtoribus narrationem tanta religione ſuſcipiunt, vt varia eidem commenta admixta eſſe negent. Sin admixta eſſe fateantur, mirari deſinant; cum hiſtoria Iſraëlitica in quibusdam eam conuenire, vbi ſcilicet MANETHOS aliquid ex veritate retinuit, at diſcrepare in aliis, vbi, quae ipſe commentus erat, aut ab aliis acceperat, admiſcuerat. Atque haec omnia itidem rectiſſime monuit PERIZONIVS, *loc. cit. p. 339.* qui & bene addit, in huiusmodi comparatione ſpectandam eſſe ſummam rerum, quae, ſi in antiquis adeo hiſtoriis apud varios diuerſarum gentium ſcriptores congruat, tum vero circumſtantiarum quarumdam adeo magnam non habendam rationem; idque exemplo eorum, quae IVSTINVS, *lib. XXXVI. cap. II.* de Abrahamo, Iſraële, Iuda, Ioſepho, Moſe, Aarone, narrat; in quibus licet plurima ſint aperta falſa; nemo tamen dubitauerit, eum de eodem Abrahamo, Iſraële & reliquis, de quibus ſcriptura ſacra loquitur, verba facere. Iam quod ad argumenta a MARSHAMO adlata attinet, etſi vnico

Digitized by Google

ictu proſternantur, ſi iuxta hactenus obſeruata dicamus, mirum non eſſe, ſi in MANETHONIS narratione, commentis referta, nonnulla occurrant, quae cum Iſraëlitarum hiſtoria non conueniunt, paucis tamen ea perluſtrabimus & diluemus. *Iſraëlitae*, inquit, *venerunt numero 70; paſtores autem 240000.* De Iſraëlitis quidem id verum eſt; ſed cum breui temporis ſpatio mirum in modum in Aegypto aucti ſint; facile fuit homini, ad mentiendum prono, eiusmodi quid fingere. Addendum vero, quod nec MANETHOS illud dicat, quod illi tribuit MARSHAMVS, paſtores ſcilicet cum exercitu 240000 in Aegyptum veniſſe, ſed tantum, illos obſcuros homines ſumta audacia occupaſſe Aegyptum, atque ita tandem ſibi conſtituiſſe regem, tum vero ab oriente Aegypti exſtruxiſſe & muniuiſſe vrbem Auarim, inque ea conſediſſe. & collocaſſe ſuos homines vsque ad 240000. Vnde intelligitur, non ſtatim ab initio tantum fuiſſe paſtorum numerum, ſed poſtea demum eos ita auctos. Pergit MARSHAMVS: *Iſraëlitae manſerunt in Goſen; paſtores diripuerunt Memphim.* Habitarunt vtique Iſraëlitae in terra Goſen. Fieri auten potuit, vt, cum admodum multiplicati eſſent, nonnulli ad Memphin vsque ſedes ſuas extenderent; aut vt Memphis prae reliquis Aegypti vrbibus plagas, a Deo Aegyptiis ob Iſraëlitas immiſſas, fuerit experta: vnde enata fabula, Memphim a paſtoribus direptam. *Iſraëlitae*, inquit, *redierunt poſt annos 215; paſtores nonniſi poſt annos 511.* De Iſraëlitis id verum eſt. Etſi enim *Exod. XII. 40.* peregrinatio filiorum Iſraël, qui commorati ſunt in Aegypto, CCCCXXX annorum fuiſſe dicatur; hoc tamen ita intelligendum, vt anni peregrinationis patriarcharum, Abrahami, Iſaaci & Iacobi, includantur, in ſequentibus comprobabitur. Sed ad paſtores quod attinet, eos DXI annos in Aegypto fuiſſe, quis ſoli MANETHONI, tot alia mentienti, crederet? Denique & hoc addit: *Iſraëlitae miſera ſeruitute oppreſſi ſunt; paſtores imperium exercuerunt in Aegyptios, a quibus vocati ſunt Hycſos, id eſt, reges paſtores.* Sed reſpondetur, etſi Iſraëlitae ſeruitute oppreſſi ſint; hoc tamen tum demum factum, cum reges ſurgerent, qui eorum, quae Ioſephus praeſtiterat, ignari erant. Quod ſi autem cogitemus, Ioſephum toti Aegypto praefuiſſe, alterumque a Pharaone tenuiſſe locum; paſtorum, in Aegyptios imperium exercentium, veſtigia facile deprehendemus. Vnde & nobis non obſtat, quod MANETHOS dicit, paſtores *Hycſos*, id eſt, *reges paſtores* dictos; quamuis IOSEPHVS aliam, eamque veroſimiliorem vocis interpretationem tradat, ea ſcilicet *captiuos* denotari, quod profecto in Iſraëlitas, ſi vltima praeſertim eorum fata ſpectes, optime quadrat. Reliqua, quae hac de re adhuc dici poterant, ſuppeditabit, quem ſaepius iam laudauimus, IACOBVS PERIZONIVS, *loc. cit. cap. XIX. & XX.* add. HERMANNVS WITSIVS, *aegyptiacor. lib. III. p. 208. ſeqq.* Ad Iſraëlitas ſpectare,

ctare, quae de paſtoribus narrat MANETHOS, etſi variis commentis ſint interpolata, agnoſcit etiam HVGO GROTIVS, de *verit. chriſtian. relig. lib. I. §. XVI. p. 64.*

Miſſis nunc hiſce; reliqua, quae de rebus Aegyptiorum, prout ad hocce temporis interuallum ſpectant, adhuc obſeruanda ſunt, ſummatim complectemur. Primum hoc eſt, regibus Aegyptiorum iam tum commune fuiſſe nomen Pharaonis. Hoc enim neutiquam proprium eſſe, ſed honoris cauſſa omnibus fuiſſe tributum, idque ad Ezechielis vsque tempora obtinuiſſe, iampridem viri docti obſeruarunt. Conf. *Ezechiel. XXXII. 2.* Idque inde etiam intelligitur, quod quandoque nomina propria regum Aegypti huic titulo ſubiiciantur. Sic Pharao Necho memoratur *II. Reg. XXIII. v. 29.* & Pharao Haphra, *Ierem. XLIV. 30.* De origine tamen & ſignificatione vocis, variae eruditorum ſunt ſententiae. SAM. BOCHARTVS eam *crocodilum* interpretatur, certam interim rationem, cur reges ita adpellati ſint, adferre nequit; in *Phaleg, lib. II. c. XXVI.* ATHANASIVS KIRCHERVS a verbo ebraeo פרע *liberum, ſolutum eſſe*, hanc vocem deriuat, regesque Aegypti ita dictos putat, quod liberi eſſent, legibusque ſoluti; *Oedip. aegyptiac. lib. VIII. cap. II.* quam ſententiam etiam ſuam facit CAMPEGIVS VITRINGA, *obſeruation. ſacrar. lib. I. cap. VI. §. IX. p. 64.* Aliis autem haec deriuatio nimis coacta videtur, ſimulque IOSEPHVM ſequi malunt, qui diſerte ſcribit, *Pharao apud Aegyptios regem ſignificare; antiquitat. iudaic. lib. VIII. cap. II.* Quam ſignificationem ſi admittas, nonnulli originem vocis in lingua Copto-aegyptia ſibi inueniſſe viſi ſunt, in qua adhuc exſtet nomen *ουρο rex*, cum articulo πι vel Φι, Φιουρο, & cum adfixo, ſeu potius infixo primae perſonae Φαουρο, *rex meus.* Hanc deriuationem etiam calculo ſuo adprobat AVGVST. PFEIFFERVS, *dub. vexat. cent. I. loc. LXXV. p. 192.* add. ATHAN. KIRCHERVS, in *lingua copta reſtit. ſupplem. p. 189.* Alii autem, eamdem ſignificationem retinentes, ex lingua arabica hanc vocem deriuare malunt. Sed an, ſi ſignificationem ſpectes, ſatis tuto hic IOSEPHO fides adhibeatur, haud ſine ratione forte dubites. Obſtat namque inter alia, quod & SAM. BOCHARTO *loc. cit.* obſeruatum, quod ſaepius in ſcriptura *rex Pharao* legatur, quae inanis eſſet ταυτολογία, ſi vox Pharao regem ſignificaret. Mihi ita videtur, cum veteris linguae aegyptiacae pauciſſima ſuperſint veſtigia; inanem eſſe illorum operam, qui vocis iſtius originem & ſignificationem inueſtigare adnituntur. Facilius hinc eſt adferre rationes, cur nulla ſententiarum antea memoratarum admitti queat, quam inuenire aliam, quae nulla difficultate laboret. Sufficit itaque noſſe, omnes Aegypti reges olim dictos Pharaones.

Alterum, quod de rebus Aegyptiorum, prout ad hoc temporis interuallum ſpectant, obſeruandum, ad litterarum pertinet ſtudia. Etſi enim incertiſſima ſint, quae de Mercurio, ar-

Digitized by Google

rium atque ſcientiarum apud Aegyptios inuentore, dicuntur, vt ſupra iam ad §. *XXII.* obſeruauimus; ſapientiae tamen ſtudia iam tum apud eos floruiſſe, negari nequit. De Moſe enim Stephanus dicit, *eum eruditum in omni ſapientia Aegyptiorum; Actor. VII. 22.* Hinc & apud Eſaiam vatem reges Aegyptiorum gloriantur, ſe eſſe בני חכמים *filios ſapientum, cap. XIX. 11.* qui iam ab antiquiſſimis temporibus a ſacerdotibus & philoſophis ſapientiam acceperint. Qualis vero iſta ſapientia fuerit, aut quibus conſtiterit partibus, non aeque facile eſt definiri. Si PHILONI Iudaeo credimus, Moſes arithmeticam, geometriam, metricam harmonicamque theoriam, omnem praeterea muſicam & occultam philoſophiam litteris, vt vocant, hieroglyphicis deſcriptam, ab Aegyptiis didicit; de *vita Moſis, lib. I.* ex quo eadem repetit CLEMENS Alexandrinus. *ſtromat. lib. I. p. 343.* Et hinc, quaenam Aegyptiorum iam ante Moſis tempora fuerint ſtudia, viri docti colligunt. Et SIXTVS quidem Senenſis Aegyptiorum ſapientiam, qua Moſes eruditus fuit, in quatuor ſpecies diuidit, mathematicam, phyſicam, ethicam & theologicam, quorſum & litteras hieroglyphicas refert; mathematicam vero iterum in geometriam, aſtronomiam, arithmeticam & muſicam diſpeſcit; *bibliothec. ſanctae lib. II. p. 45.* Neque tantum has eruditionis partes iam tum apud Aegyptios in vſu fuiſſe contendit, ſed quaenam Aegyptiorum etiam in phyſicis, ethicis &c. dogmata fuerint, coniecturis ſuis nimis quandoque indulgendo, definire audet. De matheſeos variis partibus nonnulli rationes varias adferunt, quibus probent, eas iam tum apud Aegyptios in vſu fuiſſe. Nili enim exundationem annuam, agrorum limites confundentem, neceſſitatem illis impoſuiſſe, agros metiendi, vt certae poſſeſſiones eſſent, indeque enatam geometriam; ſiderum ceu Numinum venerationem ſuaſiſſe, vt adcuratius ad eorum motus attenderent, inuitaſſe etiam ſerenum, quo Aegyptii fruuntur, caelum, vnde aſtronomia; vtrique inſeruire arithmeticam, & ſic porro. Legenda, quae de Aegyptiorum ſapientia & eius partibus adferunt THEOPHILVS GALEVS, *philoſ. gener. ſect. I. cap. I.* OTTO HEVRNIVS, *philoſoph. barbar. p. 39.* GERH. IOANNES VOSSIVS, de *philoſ. ſectis, cap. II.* PETRVS LAMBECIVS, in *prodrom. hiſtor. litterar. p. 143. ſeqq.* aliique. Quod ſi & mihi hac de re meam proferre ſententiam fas ſit, non omnino, quae vulgo hac de re dicuntur, certa eſſe, exiſtimo. Id quidem dubio caret, ſapientiae ſtudia iam ante Moſis aetatem apud Aegyptios floruiſſe; nec abnuo, iſtas eruditionis partes in vſu fuiſſe apud Aegyptios; ſed, an iam ante Moſis tempora, omnes iſtae atque ſingulae apud Aegyptios floruerint, & eas Stephanus deſignauerit, cum Moſen in omni ſapientia Aegyptiorum eruditum dicit, id quidem eiusmodi eſſe, vt nec adfirmare, nec abnuere illud pronum ſit, exiſtimo. Rationes, quibus harum ſcientiarum antiquitas apud Aegyptios pro-

probatur, non in omnibus aeque procedunt. PHILONIS auctoritati, ad quam omnia redeunt, hic non multum tribuendum eſſe, iam demonſtraui, in *introduct. ad hiſtor. philoſ. Ebraeor. p. 30. 31.* Medicam artem apud Aegyptios in vſu fuiſſe, luculenta Moſis verba *Gen. L. 2.* nos dubitare non ſinunt; cum רפאים *medicorum* diſerte ibi mentio fiat. Cumque qui eo tempore medicinam apud Aegyptios faciebant, cadaueribus condiendis operam nauabant; hinc factum, vt LXX interpretes hanc vocem reddiderint ἐνταφιαστάς. DIODORVS Siculus, *lib. I.* refert, Aegyptios medicinae auctores eſſe; quod documento eſt. antiquiſſimis temporibus apud eos hanc artem iam floruiſſe. Eodemque pertinet, quod inter medicinae inuentores, praeter Hermetem, Oſiris, ſiue Apis aut Serapis & Iſis referantur, & Aeſculapius Aegyptius fuiſſe perhibeatur. Legendus hac de re DANIEL CLERICVS, in *hiſtoria medicinae, lib. I. cap. V. VI. VII.* An chemica etiam ars iam tum Aegyptiis cognita perſpectaque fuerit, acriter inter viros doctos, HERMANNVM CONRINGIVM, atque OLAVM BORRICHIVM fuit disceptatum, illo hoc negante in opere *de Hermetica medicina*, hoc adfirmante, in commentatione de *ortu & progreſſu chemiae.* Certe Moſen artis chemicae non prorſus rudem fuiſſe, ex eo, quod vitulum aureum in puluerem redegerit, aperte conſtat, *Exod. XXXII. 20. Deut. IX. 21.* Hoc autem, quin ab Aegyptiis acceperit, in quorum ſapientia eruditus fuit, non videtur dubitandum. Dictum hac de re in *introd. ad hiſt. phil. Ebraeor. p. 31. 32.* Sed de ſtudiis Aegyptiorum, de quibus hactenus dictum, conferendus MELCHIOR LEIDEKKERVS, de *republ. Ebraeor. lib. III. cap. III.*

Supereſt, vt de theologia, ſeu religione Aegyptiorum, aliquid ſubiiciamus. Eam mirum in modum nonnulli euehunt, eiusque conuenientiam cum religione Iſraëlitarum oſtendere ſatagunt: immo parum abeſt, quin verae religionis originem illis tribuant. Repetenda, quae ſupra ad §. XXII. de theologia Mercurii Triſmegiſti diximus. Fauere illis etiam videtur PLVTARCHVS, magnifice admodum de Aegyptiis ſentiens, deque religioſis eorum inſtitutis adſerens, *in ſacris eorum operationibus nihil eſſe* ἄλογον, οὐδὲ μυθῶδες, οὐδὲ ὑπὸ δεισιδαιμονίας, *a ratione alienum, nihil fabuloſum, nihil a ſuperſtitione profectum, (vt nonnulli cenſent) ſed alia habere morales vtilesque cauſſas, alia vero expertia non eſſe elegantiae cuiusdam aut hiſtoricae, aut naturalis;* de *Iſide, p. 353.* Nimirum ad πολυθεΐαν quod attinet, quae vel maxime cum ſana ratione pugnat, eam ita excuſant, vt dicant, eos immenſam vnius Dei poteſtatem in variis ſymbolis adumbraſſe, ac veneratos eſſe. Ita PORPHYRIVS: *Aegyptii* τὴν ἐπὶ πάντα δύναμιν θεοῦ διὰ τῶν συννόμων ζώων, ἣν ἕκαστος τῶν θεῶν παρέχεν, ἐθεράπευσαν, *per nomorum ſuorum animalia venerabantur dei in res omnes poteſtatem, quam ſinguli deorum declararent;* de *abſtinent. lib. IV. cap. IX.*

At

Digitized by Google

At enimuero longe aliter alii tum graeci, tum romani ſcriptores hac de re pronuntiarunt, idololatriam ineptiſſimam, turpiſſimamque ſuperſtitionem, in iis notantes. Primos equidem Aegypti incolas veram religionem, quam a Noacho acceperant, aliquantisper retinuiſſe, facile mihi perſuadeo. Hinc vero deflectentes, in varia mox prolapſi ſunt idololatriae genera. Namque & maiores ſuos gentisque conditores, aut qui de ſe bene meriti eſſent, & ſidera caeleſtia, & res alias creatas diuino honore proſequuti ſunt. De Chamo, apud ethnicos ſcriptores Hammonis nomine noto, iam antea diximus. Oſirin, ſub quo nomine ſecundum quosdam ipſe Chamus, ſecundum alios Menes, quem antea a Chamo diſtinximus, latitat, Iſin, aliosque, quos praecipua veneratione dignati ſunt, homines fuiſſe, bene de republica meritos, quos in grati animi teſtificationem intulere caelo, demonſtrat EVSEBIVS, *praeparat. euangel. lib. I. cap. IX.* Idem iam antea tradiderat DIODORVS Siculus, *lib. I. p. 12.* Addendus his daemonum cultus, quos IAMBLICHVS ex Aegyptiorum disciplina κοσμοκράτορας vocat; de *myſter. Aegyptior. ſect. I. cap. XI.* De ſiderum cultu res ſatis nota eſt. Teſtem tamen itidem damus DIODORVM Siculum: *Homines, qui erant in Aegypto olim, ſurſum in caelum adſpicientes, atque vniuerſi naturam ſtupentes atque admiratos exiſtimaſſe,* δύο θεοὺς ἀϊδίους καὶ πρώτους τόν τε ἥλιον καὶ σελήνην; *lib. I. p. 10.* Ex caelo ſi in aërem deſcendamus, inter volucres accipitres maxime & Ibes Aegyptii colebant. Vid. PLVTARCHVS, *loc. cit. p. 371.* CICERO, de *nat. deorum, lib. I. p. 101.* add. EVSEBIVS, *praeparat. euangel. lib. III. cap. IV.* Non minus & animalia quaedam tum terreſtria, tum aquatilia, Numinum inſtar venerabantur. Inter haec erant *lupi, ſimiae, canes, feles, bos femina, & oues.* Quamquam non omnium eadem in animalibus venerandis fuerit ſuperſtitio. Inde etiam mutua (quod probe notandum) odia, dum hic illud animal, iſtic aliud coleretur, & ſacrum haberetur. Vid. HERODOTVS, *lib. II. cap. LXIX. ſeqq.* Tantaque in his omnibus Aegyptiorum fuit ſuperſtitio, vt ſcriptoribus romanis & graecis eam irridendi inde nata fuerit occaſio. Notumque eſt illud IVVENALIS:

Quis neſcit, Voluſi Bithynice, qualia demens
Aegyptus portenta colat? Crocodilos adorat,
Pars haec, illa pauet ſaturam ſerpentibus Ibim.

ſat. XV. Pari ratione & TVLLIVS: *cum poëtarum autem errore coniungere licet portenta Magorum, Aegyptiorumque in eodem genere* DEMENTIAM; de *nat. deor. l. c.* Vnde & factum, vt apud Romanos ſacra Aegyptiorum aegre non tantum admiſſa, ſed & aliquoties vrbe exacta ſint. TERTVLLIANVS: *Serapidem, Iſidem & Harpocratem cum ſuo Cynocephalo capitolio prohibitos, id eſt, curia deorum pulſos, Piſo & Gabinius*

COSS.

COSS. non vtique chriſtiani, euerſis etiam aris eorum, abdicauerant; turpium & otioſarum ſuperſtitionum vitia cohibentes; apolog. cap. VI. Deſinant itaque, quibus aegyptiaca tantopere placent, PLVTARCHI nobis obiicere auctoritatem; cum alii ex ipſis ethnicis, quorum & hac in re non minor, quam PLVTARCHI eſt auctoritas, longe aliter hac de re iudicent. Immo ipſe non ſatis ſibi conſtat PLVTARCHVS. Saltem diffiteri ipſemet nequit, Aegyptios religionem ſuam ridiculam feciſſe, eamque ita comparaſſe, vt aliis in ſuperſtitionem foedam atque indignam inducendis, vel omni pietati radicitus exſtirpandae, apta ſit. *Sed Aegyptiorum*, inquit, *plerique, colentes ipſa animalia & tractantes, tamquam deos,* ὐγέλωτος μόνον, ὐδὲ χλευασμῦ καταπεπλήκασι τὰς ἱερυργίας, *non ſannis modo & irriſioni totam pene ſacrorum obiecerunt rationem, (hoc enim a ſtultitia illa malum prouenit minimum) ſed & vehemens ingerebatur animis opinio, quae infirmis atque ſimplicibus meram inducit ſuperſtitionem, vehementiores autem atque audaciores ad negandum deos, belluinasque cogitationes propellit;* de *Iſide, p. 349.* Nec multum proficiunt, qui Aegyptiorum theologiam aenigmaticam fuiſſe, vrgent, quae ſub ſymbolis quibusdam ac inuolucris magna myſteria occultauerit. Etſi enim forte quidam ex ſapientum numero ita exiſtimauerint, & ne abſurdiſſima quaeque admittere tenerentur, in eam ingreſſi ſint ſententiam; plebi tamen maximaeque adeo hominum parti, prorſus perſuaſum fuit, iſtis omnibus, quae pro Numinibus venditabantur, diuinitatem ineſſe. Fieri etiam potuit, vt callidi ſacerdotes, ad ſacra ſua auguſtiora facienda, multa ſub ſymbolis abſcondiderint; vnde factum, vt populus tandem, ſenſum ac ſignificationem iſtorum ſymbulorum non intelligens, reuera iſtis ſymbolis diuinitatem tribuerit, in turpiſſimam foediſſimamque hoc ipſo praeceps datus idololatriam. Vndecumque autem denum haec idololatria orta ſit, reuera animos Aegyptiorum occupauit: ſapientioribus eius foeditatem perſpicientibus, & hinc ad myſteria inde eruenda iterum ſe recipientibus. Quamquam reuera myſteria, quae ſub his inuolucris ſibi inueniſſe viſi ſunt, non adeo magni fuerint momenti, & ad proletariam rerum naturalium vltimato redierint cognitionem; nec certum, an primi iſti ſymbolorum inuentores hoc ſibi voluerint, quorum mens an continua traditione inter ſacerdotes propagata ſit, merito dubitatur. Fieri enim potuit, vt gentis ſuae conditorum, aliorumque heroum facta, aut ſimile quid, ſub iſtis inuolucris occultauerint. Sed hac de re alibi. Conf. HERMANNVS WITSIVS, *aegyptiac. lib. II. cap. IV. §. XIII. ſeqq. p. 52. ſeqq.* Aegyptii autem ab idololatriae foediſſimae crimine eo minus liberari poſſunt, quod non tantum res creatas varias, & animalia, pro diis habuerint, ſed eorum quoque imagines,

nes diuino honore proſequuti ſunt. De Oſiridis imaginibus hoc teſtatur PLVTARCHVS, de *Iſide & Oſiride, p. 371.* de brutorum ſimulacris, & reliquis huc ſpectantibus, HERODOTVS, *lib. II.* DIODORVS Siculus, *lib. I.* legi poſſunt. Atque haec quidem vt extra controuerſiam poſita ſunt; ita hoc adhuc dubium alicui videri poterat, an iſta, quam memorauimus, idololatriae contagione iam ante Moſis tempora infecti fuerint Aegyptii? Etſi enim illud dubio careat, pridem ante Moſis tempora idololatriam ortam; ita illud ſaltem vix credibile videri poterat, ad eam dementiam tam breui temporis ſpatio procedere homines potuiſſe, vt animalia etiam Numinum loco colerent. Sed praeterquam quod ſuperſtitio citius, quam credi poteſt, incrementum capiat; vel ex ipſo decalogi praecepto primo *Exod. XX. 4.* colligi poteſt, iam tum eiusmodi idololatriae ſpecies in vſu fuiſſe, dum diſerte Deus prohibet, ne quis ſculptile ſimulacrum, aut imaginem vllam faciat eorum, *quae ſunt ſupra in caelis, aut in terris, aut in aquis, quae terrae ſubiectae ſunt.* Quae ſi recte expendantur, praecipuas idololatriae ſpecies, apud Aegyptios vſitatas, hic deſignari, quiuis facile deprehendet.

Ex iſta etiam, quam indicauimus, Aegyptiorum ſuperſtitione, vt hoc vnicum addamus, fluxit, quod paſtores ouium Aegyptiis abominationi fuiſſe dicantur, *Geneſ. XLVI. 34.* Aliam equidem huius rei cauſſam commentus eſt PETRVS CVNAEVS, exiſtimans, cum plerique Aegyptiorum, artibus ſellulariis dediti, ſub vmbra vrbium intra moenia deſiderent, & ad mollitiem proni eſſent, paſtores, qui in campeſtribus Aegypti & prope paludes commorabantur, vtpote actuoſos, gnauosque homines, illis fuiſſe exſecrabiles, propterea, quod ignauiam eorum ſemper ſollicitam tenerent. *Saepe enim,* inquit, *ingentes motus dabant, atque interdum etiam reges ſibi crearunt;* de *republ. Ebraeor. lib. I. cap. V.* Quibus quidem verbis haud obſcure ad paſtores illos MANETHONIS, qui reliquos Aegyptios grauiſſime adflixiſſe perhibentur, & de quibus antea dictum, reſpicit. Sed multa hic inter ſe miſcet vir ille doctiſſimus, quae diligentius diſcernenda erant, & adcuratum examen non ſuſtinent. Quod autem CVNAEVS occulte innuit, id apertius prodidit SAM. BOCHARTVS, cauſſam odii, quo paſtores Aegyptii proſequuti ſunt, inde arceſſendam contendens, quod paſtores illi, qui in Aegypto regnarunt, mirum in modum Aegyptios vexando, eorum animos ab omni paſtorum gente prorſus abalienaſſent; in *Canaan, lib. I. cap. IV.* Exemplum his, qui ita exiſtimant, iam praeiuit IOS. SCALIGER, *animaduerſionib. ad Euſeb. p. 18.* Verum iſta ſua ſponte corruunt; cum fabula de paſtoribus ab Iſraëlitis diuerſis, qui in Aegypto regnarint, cui haec ſententia innititur, ſupra iam exploſa ſit. Paſtores illi MANETHONIS non alii erant, quam ipſi Iſraëli-

raëlitae. Aegyptiis vero iam ante Iſraëlitarum in Aegyptum aduentum, paſtores ouium exſecrabiles erant. Aliam itaque abominationis huius cauſſam fuiſſe, neceſſe eſt. Haec vero non aliunde petenda, quam ab ipſa Aegyptiorum ſuperſtitione. Cum enim certa animalium genera apud illos ſacra eſſent, ac deorum loco haberentur; non poterant non inuiſi illis admodum eſſe, qui eiusmodi animalibus veſci ſibi non ducebant religioni. Ex HERODOTO conſtat, quod nec inſtrumentis Graecorum in ſcindendis animalibus, aut illorum carnibus, vti voluerint, ſuſpicantes, ad animalia, quae mactare nefas ducebant, ea adhibita; *lib. II. cap. XLI.* Idem ex verbis Moſis confirmari poteſt, *Exod. VIII. 26.* vbi Pharaonem ita alloquitur: *non eſt aequum, vt id faciamus: nam Aegyptiorum abominationem Deo noſtro offerremus: ecce, ſi Aegyptiorum abominationem coram oculis eorum offerremus, nonne nos lapidarent?* Aperte his verbis indicat Moſes, תועבה *abominationem* eſſe Aegyptiis, mactare pecora, vel ad ſacrificium. Pecorum itaque ſibi ſacrorum mactationem abominabantur; hinc & paſtores, qui ea hunc in finem alebant. Nec praetermittendum, quod nonnulli obſeruant, vocem תועבה ſubinde in ſcriptura ſacra odium vehemens, & quidem religioſum, ſeu ſacrum denotare, vt *Deut. VII. 26. XXXII. 16. II. Reg. XXI. 2.* aliisque. Id vnicum obſtare videtur, quod & Pharaonem varios animalium greges aluiſſe conſtet ex *Geneſ. XLVII. 6. 16. 17. Exod. IX. 3. 4. 6. 20. 21.* & HERODOTVS pariter ac DIODORVS Siculus, paſtorum in Aegypto mentionem faciant; ille quidem *lib. II. cap. CLXIV.* hic autem *lib. I. p. 67.* Verum & ad hoc reſpondere facile eſt. Primo enim obſeruandum, non generatim a Moſe dici, omnes paſtores Aegyptiis fuiſſe abominationi, ſed tantum *paſtores ouium.* Nimirum, qui pecudes Aegyptiis ſacras mactabant, & hunc in finem illas paſcebant, illis abominationi erant, reliqui non item. Inter eiusmodi ſacras pecudes autem & oues referre licet, quas Thebanis quidem HERODOTVS, generatim Aegyptiis omnibus ſacras fuiſſe, DIODORVS referunt, ille *lib. II. cap. XLII.* hic *lib. I. p. 77.* Praeterea poterant Aegyptii greges pecorum ob alias rationes, vt lanam ſcilicet & lac ex iis perciperent, alere, eosque, qui eos paſcebant, tolerare, etſi non temere ferrent, qui ea animalia, quae ſibi ſacra erant, mactarent. Sed id quoque, quod paſtores ouium Aegyptiis abominationi fuiſſe dicuntur, recte intelligendum. Non enim id indicatur, ac ſi nullo modo eiusmodi homines ferre potuerint, ſed quod ad intimiora vitae ſocialis commercia eos non admiſerint, inferiorique loco, & ſeiunctos quodammodo ac ſeparatos a ſe eſſe voluerint: quemadmodum de ſubulcis ſpeciatim id tradit HERODOTVS: *ſubulci, quamquam Aegyptii indigenae, ſoli omnium, nullum templum in Aegypto ingrediuntur; itemque nemo aut filiam cuipiam*

Digitized by Google

eorum nuptum dare vult, aut ex iis ducere, ſed ipſi inter ſe ſubulci dant, accipiuntque filias; lib. II. cap. XLVII. Similiter & opilionum connubia refugiebant, neque cum iis familiariter verſabantur, vt cum mundioribus Aegyptiis, ideoque agros iis tribuebant peculiares; vt recte quoque IO. CLERICVS obſeruat, ad *Gen. XLVI. 34.* add. MELCHIOR LEIDEKKERVS, de *republ. Ebraeor. lib. II. cap. V. p. 151. ſeqq.*

** De origine regni babylonici fuſe iam & ex inſtituto egimus ſupra ad *ſect. II. §. X.* vbi & demonſtrauimus, regni huius conditorem fuiſſe Nimrodum, de cuius ſucceſſoribus nihil certi pronuntiari poteſt. Scriptura enim ſacra praeter Amraphelem, regem Sinearis, nullum memorat: apud ſcriptores profanos autem cuncta ſunt incerta & obſcura. IVL. AFRICANVS affert nomina ſeptem Chaldaeorum regum, ſex autem Arabum, qui ad Belum vsque in Babylonia regnauerint. Sed ea plane diuerſa ſunt ab iis, quae ex CTESIA alii adferunt. Primus AFRICANO eſt *Euechous*, CTESIAE *Belus*, quem nonnulli pro Nimrodo habent; quo iure, ſupra iam *l. c.* diſputauimus. Communem etiam illam valdeque receptam fabulam de magno illo imperio babylonico, cuius fines a Nino, filio Beli, per totam Aſiam maiorem prolati ſint, ibidem iam exploſimus; hoc inter alia argumento vſi, quod Amraphel, rex Sinear, inter auxiliares copias Chedorlaomori, regis Elam, id eſt, Elimaidis, ceu multo potentioris, *Geneſ.* XIV. 1. numeretur. Et hic quidem cum vnicus ille Babyloniae rex ſit, cuius in hoc interuallo mentio iniicitur; de eo, ad noſtram ſententiam vlterius confirmandam, adhuc quaedam obſeruare liceat. Faceſſant procul Ebraeorum doctores, qui IONATHANEM VZIELIDEM ſequuti, Amraphelem eumdem cum Nimrodo faciunt, quos praeter alia & temporum rationes refellunt. Nec audiendus EVPOLEMVS, qui hoſtes Lothum captiuum abducentes ex Armenia arceſſit: *Armenios ſuperaſſe Phoenices, ipſumque Abrahami nepotem captiuum abduxiſſe*, vt ex ALEXANDRO Polyhiſtore refert EVSEBIVS, *praeparat. euangel. lib. IX. cap. IV.* Amraphelem Babyloniae fuiſſe regem, omni caret dubio; cum Sinear omnium confeſſione ſit Babylonia; vnde & ONKELOS habet מלכא דבבל *rex Babelis.* De reliquis regibus ibidem commemoratis etſi multa viri docti diſputent; proxime tamen forte ad veritatem accedunt, qui per Ellaſar prouinciam Babyloniae vicinam, per Elam Elymaidem, & per *regem gentium* eum, qui Galilaeae gentium praefuit, intelligunt. Perperam autem FL. IOSEPHVS hos omnes Aſſyrios vocat, ſuam de hocce bello narrationem ita ordiens: κατ' ἐκεῖνον τὸν καιρὸν Ἀσσυρίων κρατούντων τῆς Ἀσίας, *hoc tempore Aſſyriis Aſia potientibus.* Paucis interiectis, regibusque Sodomae & vicinarum vrbium commemoratis, pergit: *hos Aſſyrii bello petierunt, diuiſisque quadrifariam copiis, ſub quatuor imperatoribus regionem illorum oppugnabant,* com-

commiſſo tandem praelio victores Aſſyrii Sodomitarum regibus tributum imperauerunt, &c. antiquit. iudaic. lib. I. cap. X. Sed Aſſyriorum ſcriptura hic ne verbo quidem meminit. Talia itaque ipſemet commentus eſt IOSEPHVS, falſa opinione de Aſſyriis iam tum rerum in Aſia potientibus, deque babylonico aſſyriacoque regno iam ea aetate coniunctis, deceptus. Scripturam ſi ſequi maluiſſet, Chedorlaomorum Elami regem ceu potentiorem, & Amraphelem regulum ſeu dynaſtam Babyloniae minus potentem, nobis exhibuiſſet. Error ille de magno illo Babyloniorum imperio, iam Abrahami tempore in Aſia florente, effecit, vt plurimi contra hiſtoriae Moſaicae fidem longe aliam horum temporum ſibi imaginati ſint faciem, quam reuera fuit; quod & AVGVSTINVS fecit, de *ciuit. Dei, lib. XVI. cap. XVII.* Et licet hodie paſſim a viris doctis exploſus ſit; non tamen deſunt, qui eum adhuc ſequuntur; quod & vir cetera doctiſſimus, NICOLAVS GVRTLERVS facit, in *originibus mundi, lib. I. cap. VII. p. 79.* qui, vt fabulam illam cum ſcriptura ſacra conciliet, monarchiam iſtam babylonicam tempore Abrahami & Lothi in plura regna diuiſam fuiſſe adſerit, ſed ſine vlla probatione. Reliqua, quae de artibus & ſcientiis, ſtudiis, religione, variisque inſtitutis Babyloniorum ſeu Chaldaeorum dicuntur, longe recentiora ſunt, quam vt hic commemorari debeant. Non equidem nego, iam hac aetate ſtudia quaedam litterarum apud Babylonios ſeu Chaldaeos floruiſſe; quemadmodum & apud eos idololatria haud dubio magna incrementa ſumſit. At ex monumentis, quae ſuperſunt, certi quid hac de re definiri poſſe, abnuo. Quid de Z[illegible]aſtre illo Chaldaeo, artium & ſcientiarum apud eos inuentore, ſentiendum ſit, iam expoſui ad praecedentem §. *XXII.*

*** De aſſyriaci regni, cuius caput atque metropolis Niniue fuit, origine & conditore, itidem ſupra dictum, ad *ſect. II. §. X.* Patet inde, illud diſtinctum fuiſſe a babylonico, nec in hoc quidem temporis interuallo coniunctum fuit. Idem admodum obſcurum fuit, arctisque haud dubio limitibus circumſcriptum. Longe vero poſt haec tempora maiorem in Aſia potentiam conſequuti ſunt Aſſyrii, quod ea aetate, qua iudices genti iſraëliticae praefuerunt, contigiſſe nonnulli exiſtimant, ad quam & Belum, ſcilicet aſſyriacum, a babylonico diſtinctum, eumque adeo iuniorem, Ninum, eum itidem diuerſum ab eo, a quo forte vrbs Niniue nomen habet, & Semiramidem referunt. Rectius cum hac ſententia conuenit chronologia HERODOTI, adſerentis, imperium Aſſyriorum in Aſia duraſſe annos DXX. Ἀσσυρίων, inquit, ἀρχόντων τῆς ἄνω Ἀσίης ἐπ' ἔτεα εἴκοσι καὶ πεντακόσια πρῶτοι ἀπ' αὐτῶν Μῆδοι ἤρξαντο ἀπίστασθαι, *cum Aſſyrii annis D XX ſuperiorem Aſiam obtinuiſſent, primi Medi ab iis deficere coeperunt; lib. I. cap. XCV.*

Suo itaque loco de iis dicetur pluribus.

* Phoenices ex Cananaeis, de quorum origine ſupra ad *ſect. II. §. IX.* diximus, ortos, conſtat inter omnes. Idque ex Phoenicum lingua, inſtitutis, moribus, artibus, aliisque argumentis probant viri docti. Hinc & LXX interpretibus ſubinde terra Canaan eſt Phoenice, & pro Cananaeis Phoenices ponunt. Loca adfert SAM. BOCHARTVS, in *Phaleg, lib. IV. cap. XXXIV. p. 340.* qui & Graecis hanc Phoenicum originem non prorſus ignotam fuiſſe, oſtendit. Quod ſi quaeras, cur in Graecorum monumentis Phoenicum, non autem Cananaeorum nomine, veniant; rationem idem vir doctus hanc reddit: Cananaeos puduiſſe ſui nominis, & deſiiſſe ſic adpellari, propter anathema contortum in patrem ſuum Canaan: hinc pro Cananaeis Syros, Aſſyrios, Sidonios, Phoenices, Syrophoenices adpellari maluiſſe. Quae coniectura, etſi ſatis incerta, tantiſper admittenda, donec melior huius rei ratio adferatur. De nomine Phoenicum, itemque Phoeniciae, eiusque origine, itidem nihil certi adfirmare licet. Nonnulli enim ἀπὸ τῶν Φοινίκων, hoc eſt, palmarum copia, Phoeniciam dictam volunt; alii a colore rubri maris, vnde ſcilicet in Syriae littora migrauerint primi Phoenices; alii a purpurae colore puniceo, cuius Tyri magnus prouentus; alii aliunde. Plerique recentiorum nomen ebraeum eſſe putant, a Graecis interpolatum; quamquam nec hi inter ſe conueniant. SAM. BOCHARTVS, qui horum omnium ſententias adfert, & quasdam ſub examen vocat, ipſe tandem, nomen Phoenicum a Graecis ex ebraeo בני ענק effectum eſſe, exiſtimat, idque ideo, quod *filii Anac*, ſeu Anacaei, inter Cananaeos eſſent praeſtantiſſimi nobiliſſimique. *Inter Chananaeos*, inquit, *haec familia nulli omnium virtute ceſſit, neque ſplendore nominis. Robur erat humano maius, atque ea moles corporis, vt prae illis Iſraëlitae eſſent inſtar locuſtarum, Num. XIII. 33. Vrbes praecipuae*, ita pergit, *duae, Hebron & Debir: quarum antiquior etiam ante Tanim condita, Pharaonis regiam. Ea fuit arx belli, vt Debir litterarum ſedes, quae proinde Kiriath-Sepher, vrbs librorum, Kiriath-Sanna, vrbs doctrinae vel legis, adpellatur a Ioſua, & ab interprete Chaldaeo Kiriath-Arcba* קרית־ארכי *vrbs Archiuorum. Etiam Hebroni cognomen Kiriath-Arba, id eſt, Arbae ciuitas, qui fuit conditor gentis Anakaeorum; in Canaan, lib. I. cap. I. p. m. 363.* Atque hinc vtcumque, quae Phoenicum, immo & generatim Cananaeorum antiquiſſimis temporibus fuerit conditio, patet. Ex iis etiam, quae ſupra memorata ſunt, conſtat, varios in hac gente fuiſſe regulos. Artes varias, ſtudiaque pro temporum iſtorum conditione apud eos floruiſſe, non negauerim: etſi definite, quaenam illa fuerint, explicare non liceat. Situs opportunitas ad commercia maris accolas

Digitized by Google

tas inuitabat, vnde Zidon vrbs, deinde & Tyrus, hoc nomine celebratiſſimae. Ea itaque ſtudia, quae commerciis inſeruiebant, ibidem exculta, non eſt, quod dubitemus. Mores Canaaneorum fuiſſe corruptiſſimos, & iam tum idololatria quoque, ac ſuperſtitione infectos, vel inde liquet, quod inde iuſtiſſima Deo cauſſa enata ſit, maximam incolarum huius regionis partem eiiciendi, eamque concedendi Iſraëlitis. Cum tamen certiora religionis aut idololatriae illorum documenta in ſequentibus occurrant; commodior hac de re dicendi ſe nobis offeret occaſio. Denique nec illud praetermittendum, Phoenices coloniis ſuis varias regiones impleuiſſe, Cadmusque cumprimis celebratur, qui cum magno Phoenicum numero in Graeciam adpulit, cum litteris ſacra quoque phoenicia eo adlaturus. Hoc nonnulli quidem, iique chronologorum praeſtantiſſimi, ante Iſraëlitarum ex Aegypto exitum contigiſſe, autumant, alii autem ad Ioſuae tempora reiiciunt. Dicemus itaque hac de re itidem in ſequentibus.

** Iſmaëlem Abrahami ex Hagare filium fuiſſe, ſatis conſtat. Fata etiam eius nota ſunt, eaque ſupra expoſuimus. Quod Deus Abrahamo promiſerat, numeroſam ex eo gentem orituram, *Gen. XVII. 20.* euentus comprobauit. Sed in eo quoque promiſſo euentus reſpondit, quod ex eo nati ſint duodecim principes, ſeu familiarum, vel tribuum capita, vt deinceps totidem ex Iacobo. *Geneſ. XVII. 20.* & *XXV. 16.* Confirmat id MELO, is qui aduerſus Iudaeos opus integrum edidit, apud EVSEBIVM, *praeparat. euangel. lib. IX. cap. XIX. p. 420.* Narrat enim Abrahamum, ἐκ τῆς Αἰγυπτίας (θεραπαίνης) γεννῆσαι υἱοὺς δώδεκα (vnum dicere debebat, ex quo duodecim prognati ſunt) οὓς δὴ εἰς Ἀραβίαν ἀπαλλαγέντας, διελέσθαι τὴν χώραν, καὶ πρώτους βασιλεῦσαι τῶν ἐγχωρίων· ὅθεν ἕως καθ' ἡμᾶς δώδεκα εἶναι βασιλεῖς Ἀράβων ὁμωνύμους ἐκείνοις, *ex aegyptia ſerua filios duodecim genuiſſe, qui in Arabiam profecti, eam inter ſe diuiſerint, locique hominibus principes imperarint; ex quo factum ſit, vt reges Arabum duodecim primis illis cognomines ad noſtra vſque tempora, numerentur.* Sed aliunde quoque conſtat, Arabes in tribus diuiſos fuiſſe, quarum vnaquaeque principem ſuum, graecis latiniſque ſcriptoribus *phylarchum* dictum, habuit, cui vectigal a mercatoribus ea loca adeuntibus ſoluendum erat. Vid. STRABO, *geograph. lib. XVI. p. 515.* Nomina filiorum Iſmaël, a quibus duodecim iſtae tribus ortae, ſunt: Nebaioth, Kedar, Adbeel, Mibſam, Miſma, Duma, Maſa, Chadar, Thema, Ietur, Naphis & Kedma. Ex his Nebaioth, Kedar, Dumah & Thema, reliquis notiores. Nebaioth, Nabathaeorum, quorum & apud ethnicos ſcriptores frequens mentio, eſſe conditorem, dubio fere caret. Hi partem Arabiae Petraeae incolebant, quae inde & Nabathaea dicitur, cuius

cuius metropolis Petra fuit, deſcripta STRABONI, *lib. XVI. p. 536.* A Kedar ſunt Kedareni Arabes, PLINIO *Cedrei, lib. V. hiſt. nat. cap. XI.* Tribus haec fuit inter Arabes longe nobiliſſima, vnde Kedar ſubinde pro omni Arabia Petraea ſumi videtur. Vid. *Pſalm. CXX. 5. Cant. I. 5. Eſ. XXI. 16. 17. XLII. 11. &c.* Dumah, vrbi Arabiae ſibi cognomini, nomen dedit, vt colligitur ex *Eſa. XXI. 11.* Δούμαθα vrbem fuiſſe Arabiae, ex GLAVCI *originibus arabicis* docet STEPHANVS; eſtque vrbs eius nominis apud PTOLOMAEVM in Arabia deſerta. Thema denique vrbi eiusdem nominis in Arabia deſerta originem dedit, *Iob. VI. 19.* ſitque Themaeorum mentio *Eſa. XXI. 14. Ierem. XXV. 23.* Ceterum ſedem Iſmaëlitarum adcurate deſignat Moſes, dum, *habitarunt*, inquit, eius *filii a Chauila vsque ad Sur, quae eſt e regione Aegypti, qua in Aſſur tenditur; Gen. XXV. 18.* Vnde intelligitur, Iſmaëlis poſteros longum terrarum in Arabia tractum poſſediſſe. Quod tamen ita intelligendum, vt illis poſteri Abrahami ex Kethura, itemque Cuſchi Chamitae, fuerint intermixti, vnde &, ſi nonnullos audias, Arabes a mixtura illa gentium nomen habuerunt. Ebraeis enim ערב eſt *miſcere, permiſcere.* De Kethurae poſteris ſupra dictum ad §. *VII. huius ſectionis*, & de Cuſchi *ſect. II.* ad §. *IX.* Cum vero Iſmaëlitae praecipui eſſent inter Arabes; factum inde, vt apud Iudaeos, Arabes κατ' ἐξοχὴν Iſmaëlitae dicerentur. Hinc *Geneſ. XXXVII. 25. 27.* ONKELOS, SAADIAS Arabs, & THAVASVS Perſa pro ישמעאלים *Arabes* habent. Iſmaëlis ideo, ceu gentis conditoris, apud Muhammedanos in magna nomen veneratione eſt, eiusque honorifica paſſim, ceu patriarchae ſanctiſſimi, in Alcorano mentio, *Surat. IV. VI. XIV.* Dicti etiam ſunt *Hagareni:* quo nomine, ſi ab Hagare Iſmaëlis matre deriuetur, quin omnes Iſmaëlitae veniant, non eſt, quod dubitemus. Fieri autem potuit, vt aliunde quidam Arabes, ſpeciatim Hagareni adpellitarentur. Certe *Pſ. LXXXIII. 7.* ab Iſmaëlitis Hagareni diſcernuntur. Saracenorum nomen recentius eſt. Interim Targum Hieroſolymitanum *Geneſ. XXXVIII. 25.* Iſmaëlitas interpretatur סרקין *Saracenos* ſeu *Saracaeos.* De nominis huius origine vid. EDVARDVS POCOCKIVS, *loco* deinceps *citando*, & SAM. BOCHARTVS, in *Phaleg. lib. IV. cap. I.* Cur Scenitae dicti ſint, notum eſt. Habitarunt enim plerique in tentoriis. Vnde *Ierem. XLIX. 31.* ita deſcribuntur: *gens tranquille, ſecure habitans, non fores illi, non vectis, ſoli ſub tentoriis agunt.* Nonnullas tamen, etſi paucas, habuerunt vrbes: pagos plurimos. Non omnibus itaque eadem vitae ratio. Ab Iſraëlitis alieno ſemper animo fuiſſe videntur Iſmaëlitae. Inter primos itaque fuere, qui Iſraëlitas in terra Canaan iam collocatos, Amalekitis & Midianitis iuncti, ſubiugarunt, *Iud. VI. 3. VIII. 24.* victi tandem a Gideone.

Digitized by Google

ne. Sed & ſequenti aetate ſubinde hoſtilem erga Iſraëlitas demonſtrarunt animum. Verae religionis ſcitis Iſmaëlem a patre Abrahamo diligenter imbutum, non eſt, quod dubitemus; quemadmodum idem & circumciſionis factus eſt particeps, quam & ad poſteros ſuos propagauit. Apud Arabes enim ritum circumcidendi genitalia in vſu fuiſſe, eumque ipſum retinuiſſe Muhammedem, conſtat. Videturque veroſimile, per Arabes ad alias gentes eumdem ritum propagatum. Ad reliqua verae religionis capita quod attinet, non diu admodum ea retinuiſſe videntur. Idololatria enim turpiſſima vt apud reliquas gentes, ita & apud Arabes obtinuit. Speciatim Zabiorum erroribus eos infectos fuiſſe, nonnulli contendunt. Sed qualis antiquiſſimis temporibus Zabiorum doctrina fuerit, nobis non ſatis conſtat; vt prolixe ſupra, vbi de Zabiis ex inſtituto diſputauimus, demonſtratum. Plura de Iſmaëlitis, ſpeciatim de religione eorum, qualis antiquiſſimis temporibus fuerit, ſuppeditant EDVARDVS POCOCKIVS, in *notis ad Abulpharagium*, *p. 38. ſeqq.*, & IOAN. HENRICVS HOTTINGERVS, in *hiſtor. oriental. lib. VII. cap. VIII.* add. & MELCHIOR LEIDEKKERVS, de *republ. Ebraeor. lib. II. cap. V. p. 74. ſeqq.*

*** Eſauus cum ſuis, cum a patre Iſaaco diſceſſiſſet, Sehiris tractum montanum, cui poſtea Idumaeae nomen inditum, expulſis veteribus colonis, occupauit. Antea filii Seir Horraei ibi habitabant, de quibus Moſes agit *Gen. XXXVI. 20. 21.* Falluntur enim, qui filios Horraei ad Eſaui poſteros pertinere putant; qua in ſententia etiam verſatur AVGVSTINVS TORNIELLVS, in *annalib. ad annum mundi MM CCC XIX. n. VII.* Vt autem diuinus ſcriptor de iſthac gente, ceteroquin nobis incognita, ageret, ideo fecit, quod conſultum duceret, nobis exponere, quinam in iſthoc terrarum tractu habitauerint, priusquam ab Eſauitis incoleretur. Veteres autem illos colonos eiectos inde & expulſos ab Edomitis, etiam ex *Deut. II. 12. 22.* conſtat. Sed hoc ὡς ἐν παρόδῳ. Limites Idumaeae olim tam late patuiſſe, vt ad mare rubrum pertingeret, quod inde ab Eſauo, qui exoticis ſcriptoribus Erythra, Erythraeum dictum, iam ad §. XXIII. obſeruauimus. Idumaeorum autem opes longe citius creuerunt, maioresque initio fuerunt, quam Iſraëlitarum, at deinceps fuerunt inferiores, iuxta oraculum diuinum *Geneſ. XXV. 23.* Conf. quae ad §. VIII dicta ſunt. Conſtitutam itaque rite iam rempublicam habuerunt, antequam Iſraëlitae certam in Cananaea ſedem obtinerent. His enim ex Aegypto profectis tranſitum per terras ſuas negarunt. Moſes, diuinus ſcriptor, de Edomitarum rebus ex inſtituto agens, *Geneſ. XXXVI.* primo אלופים *duces*, tum reges, qui in Idumaea regnauerint, priusquam Iſraëlitae reges habuerunt, & poſt hos iterum duces,

commemorat. Quod nonnulli ita capiunt, ac ſi primo ducibus variis paruerint Idumaei, tum vero coniuncti, introductaque monarchia, regibus ſubiecti fuerint; ſublata vero iterum per inteſtinos motus monarchia, ducum regimen fuiſſe introductum. Mihi potior illorum ſententia eſſe videtur, qui ducum nomine non tam rectores & magiſtratus, quam capita ſeu patriarchas familiarum, ab Eſauo originem ducentium, intelligunt, ſub quorum regimine, aeque ac Iſmaëlitae ſub phylarchis ſuis, initio Edomitae vixerunt: hoc enim moribus iſtorum temporum admodum eſt conueniens. Aucto deinde populo, reges orti ſunt, qui iuſta ſerie, prout hic enumerantur, ſe inuicem exceperunt, quorumue primus Bela, filius Beor, vltimus, inter eos ſcilicet, qui in Idumaea regnarunt, priusquam Iſraëlitae reges acciperent, Adar fuit. Mutatam tum regiminis formam, ſummamque rerum ad duces iterum delatam, ex eo, quod poſt reges rurſus duces commemorantur, firmiter probari nequit; cum per אלופי עשו dynaſtae ſeu principes familiarum, qui ipſis regibus Idumaeae obnoxii fuerunt, intelligi poſſint. Certe, ſi narrationis Moſaicae hic ſenſus ſit, Idumaeae regimen primo ariſtocraticum fuiſſe ſub ducibus, tum monarchicum ſub regibus, hinc iterum ariſtocraticum ſub ducibus, fata Idumaeorum longe vltra tempus, quo Iſraëlitae reges acceperunt, procurrentia, hic exponi neceſſe eſt. Quae ſententia difficultates, ceteroquin hic occurrentes, inſigniter augebit. Ex Edomitarum gente Amalekitae fuerunt. Amalek enim filius Eliphazi fuit, qui erat primogenitus Eſaui. Hi cum hoſtilem erga Iſraëlitas ex Aegypto profectos animum demonſtraſſent; Deus memoriam illorum prorſus deleri voluit. *Exod. XVII. 14. Deut. XXV. 17. 18. 19.* At reliqui Edomitae, etſi tranſitum per terram ſuam Iſraëlitis denegarent, nihil tamen eo tempore contra eos moliti ſunt: hinc & obtinuerunt, ſi proſelyti fierent, vt *tertia generatione in congregationem Domini* venire poſſent; *Deut. XXIII. 7. 8.* Sequenti aetate ſubinde Iſraëlitas laceſſiuerunt, animoque erga eos, praeſertim cum hi, babylonico imperio ſubiecti, extrema tandem experirentur, fuerunt iniquiſſimo. Sed hac de re ſuo exponemus loco. Vera religio, quam a patre Eſauus acceperat, mox apud eos obſcurata videtur, ſuccedente in eius locum ethniciſmo, qui orbem fere vniuerſum inundauerat. Qualis autem illorum idololatria fuerit, aut quibus in capitibus proprium aliquod, & a ſuperſtitione aliarum gentium diſtinctum, habuerint, non conſtat.

* De prima Graecorum origine dictum eſt ſupra ad *ſect. II. §. IX.* Obſeruatum ibidem, Graecos olim Iones dictos, eorumque primam ſedem in Aſia fuiſſe, ex qua in Europam demigrauerint. Antiquae autem Graeciae populi in duas recte a nonnullis diſpeſcun-

petuntur claſſes: quarum altera eos complectitur, qui iam HERODOTI aetate fere obſoleuerant, vt eorum memoria ſaltem quaedam截 ſupereſſet, altera eos, qui ea aetate, immo & ſequenti adhuc ſuperfuerunt. Ad priorem pertinent *Pelaſgi*, *Leleges*, *Caucones*, *Dryopes*, *Bebryces*, *Aones*, *Hyantes*, *Dolopes*, *Danai*, *Myrmidones*, aliique; de quibus in compendio quidem, ſatis tamen diſtincte agit V. CL. VAL. ERNESTVS LOESCHERVS, in *Ioue*, ſeu *originib. Graeciae reſtauratis*, *lib. I. cap. III. p. 39. ſeqq.* vbi & oſtendit, gentium harum originem ex Aſia eſſe repetendam. Ad poſteriorem claſſem pertinent *Argiui*, *Arcades* & *Cretenſes*. Ad Argiuos quod attinet, nouem eorum ex fide CASTORIS RHODII proferuntur reges, apud EVSEBIVM, in *chronico*, *Num. CLX.* qui ab Inacho vsque ad adpulſum Danai regnarint annos CCC LXXXII. Eorumdem regum, ſed vt multum tum a CASTORE, tum a ſe inuicem diſcrepent, meminerunt PAVSANIAS atque HYGINVS, quod ad oculum demonſtrat IOAN. MARSHAMVS, in *can. chron. p. 54.* Inachum, primum Argiuorum regem, nonnulli ad initia Iacobi aut aetatem Iſaaci referunt, alii Abrahamo ſupparem faciunt, alii Moſi coaeuum. IOAN. CLERICVS illis ſuffragatur, qui, tempore Iſaaci Inachum Argiuorum regnum conſtituiſſe, perhibent, ſimulque originem eius ex Phoenicia accerſit. Cum enim iuxta SAMVEL. BOCHARTVM, Phoenicum nomen ab ebraeo בני ענק deriuetur, quod & ſupra iam obſeruauimus; non ſine ratione ſtatui, putat, primos, qui in Graeciam adpulerunt, fuiſſe ex iis, qui ſe Anacaeos dicebant, adeo, vt primus illius orae incola diceretur ענקי *Anachi*, *Anacaeus*, vel *Inachus*. Atqui hinc factum, vt dii & reges ἄνακτες dicti fuerint, quaſi ex eo Anacaeorum genere in numerum deorum relati, vel ex iis oriundi, qui primi in Graecia regnarunt, &c. in *comp. hiſtor. vniuerſ. p. 15.* IOAN. MARSHAMVS autem, PAVSANIAM ſequutus, Inachum non viri, ſed fluuii nomen fuiſſe, autumat; *loc. cit.* De Phoroneo namque, quem primum Argiuorum regem ponit, ita PAVSANIAS: *primus in hac terra patrem habuit Inachum*, οὐκ ἄνδρα, ἀλλὰ τὸν ποταμὸν, *non virum, ſed fluuium; lib. II. p. 144.* Sed cum certum ſit, Phoroneum ex fluuio ortum non eſſe, & vero ab ipſo PAVSANIA pater eius Inachus vocetur; hominem quoque, cui nomen Inachus, eumdemque Phoronei patrem fuiſſe, vt concludamus, par eſt. Nec obſtat, quod Phoroneus hominum primus habitus fuerit. Hoc enim ideo factum, quod primus homines in vrbes coëgit, & legibus ac iudiciis coërcuit, vt idem teſtatur PAVSANIAS. Recte proinde SYNCELLVS: οὐδὲν πρὸ Ἰνάχου καὶ Φορωνέως παιδὸς τῶν πρώτως Ἄργους βασιλευσάντων, Ἕλλησιν ἱστόρηται, *nihil in hiſtoriis graecis continetur ante Inachum, eiusque filium Phoroneum, qui primum*

Digitized by Google

regnarunt Argis; p. 68. Inter. Argiuorum reges quartus Argus vocatur, a quo nonnulli Argiuorum nomen deriuant: quod etſi alii vt nimis incertum reiiciant; non tamen certiora ſunt, quae ipſimet hac de re in medium adferunt. Non minus & reliqui, quae de Argiuorum rebus dici ſolent, obſcura ſunt, & ad noſtrum inſuper non multum faciunt inſtitutum; hinc iis non immorabimur. Argiuis antiquitatis gloriam dubiam reddebant Sicyonii, quorum ſi admittas rationes, iam per ducentos annos ante Phoroneum apud eos regnatum fuit. Sed haec ceu commentitia merito a viris doctis exploduntur. Conf. IOAN. MARSHAMVS, *can. chron. p. 15.* Sed & Arcades ſuam magnopere iactitabant antiquitatem. At, vbi & hic pedem figas, vix inuenies. Quae de illis memoratu digna, PAVSANIAS habet *lib. VIII.* qui eſt *de Arcadicis*. De Cretenſibus deinceps dicemus.

** Athenienſium pariter ac Baeotiorum initia in hocce temporis interuallum cadere, poſitum fere eſt extra controuerſiam. Idque inde etiam patet, quod Ogyges, qui in Attica & Baeotica regnauit, Phoronei, qui Inacho ſucceſſit, aequalis fuiſſe perhibeatur. Ita praeter alios diſerte TATIANVS: κατὰ γὰρ Φορωνέα τὸν μετ' Ἴναχον, μνημονεύεται παρ' Ἀθηναίοις Ὤγυγος ἐφ' οὗ κατακλυσμὸς ὁ πρῶτος, *nam Phoroneo, qui ſucceſſit Inacho, Ogygus apud Athenienſes aequalis fuit, ſub quo primum dilunium contigit; orat. ad Graecos, p. m. 132.* Inachi equidem aetatem multo recentiorem facit TATIANVS, quam alii, eumdem Moſi aequalem ſtatuens, vnde & Phoronei ac Ogygis non poteſt non recentiorem facere. At diu ante Moſen Inachum vixiſſe, aliorum eſt ſententia, vt ex antea dictis patet. Ergo & Ogyges ante Moſen vixit, ſiquidem ſupponamus, eum Phoroneo fuiſſe aequalem, Phoroneum autem Inachi fuiſſe filium. TATIANVS autem, aliique patres, contra ethnicos diſputantes, interdum ſtudio res Graecorum recentiores Moſe faciebant, vt eo fortius eorum, qui antiquitatem ſuam iactitabant, vanitatem reprimerent. Quidquid huius ſit; Ogyges in Attica Eleuſinem condidit, & viginti ſex annis poſt, eo in Attica & Baeotia regnante, diluuium illud contigit, quod ab eo Ogygium vocatur; qua de re iam ſupra ad *ſect. II. §. III.* actum. Apud PAVSANIAM Ogyges *rex Ectenarum* dicitur, *qui primi fuerint Thebaidis incolae*, itemque Thebas ab eo a poëtis *Ogygias* vocatas, tradit *lib. IX. p. 719.* TATIANVS, cum de Ogyge memoraſſet, quae antea retulimus, porro ſubiicit: κατὰ δὲ Φόρβαντα Ἀκταῖος, ἀφ' οὗ καὶ Ἀκταία ἡ Ἀττική· κατὰ Τριόπαν Προμηθεὺς, καὶ Ἐπιμηθεὺς, καὶ Ἄτλας, καὶ ὁ διφυὴς Κέκροψ, καὶ ἡ Ἰώ. Κατὰ δὲ Κέκροπα ἡ ἐπὶ Φαέθοντος ἐκπύρωσις, καὶ ἡ ἐπὶ Δευκαλίωνος ἐπομβρία, *Phorbanti autem Actaeus, a quo &*

At-

Attica regio Actaea dicta, coaetaneus fuit: Triope ſaeculo Prometheus & Epimetheus vixerunt, & Atlas & Cecrops ille Diphyes, & Io; Cecropis tempore Phaëthontaeum illud incendium, & Deucalionis diluuium contigere. Phorbas, cuius hic TATIANVS meminit, rex Argiuorum fuit; & quidem in ordine ſextus, iuxta numerum CASTORIS RHODII, cui Actaeum regem aequalem facit, qui in Attica poſt Ogygem regnauit. Haec vero prouincia ab eo Actaea vocata, a Cecrope deinceps Cecropia, ac tandem Attica dicta eſt. Phorbantis ſucceſſor apud Argiuos Triopas fuit, cui Prometheum, Epimetheumque fratres aequales facit TATIANVS. Prometheum Deucalionis patrem ex Aegypto oriundum nonnulli docent, c[illegible]arium Oſiridis regis, a quo Graecis traditae fuerint artes & diſciplinae: vnde ob profligatam barbariem, arteſque inuentas, e luto homines formaſſe perhibetur. Quod ſi admittatur, Oſiridis eum fuiſſe conſiliarium, Moſe multum antiquiorem eſſe, neceſſe eſt. Sed quis hiſce tuto fidem adhibeat? Interim ſi ſupponatur, Deucalionis eſſe patrem, & huncce ad hocce temporis recte referri interuallum, palam erit. De Atlante idem dicendum, ſi iuxta TATIANVM cum Prometheo, Epimetheoque, vno eodemque tempore vixit. Ad Cecropem quod attinet, Deucalioni potius, quam Prometheo, eum alii aequalem faciunt. Nec multum ab hiſce diſtant, qui eo circiter tempore, quo Moſes natus eſt, Cecropem ex Aegypto profectum, coloniam in Atticam deduxiſſe, autumant. Hicce autem Cecrops a TATIANO, aliisque, διφυὴς *biformis* vocatur. Rationem reddit IVSTINVS: *Ante Deucalionis tempora* (Athenienſes) *regem habuere Cecropem, quem, vt omnis antiquitas fabuloſa eſt, biformem tradidere, quia primus marem feminae matrimonio iunxit; hiſtoriar. lib. II. cap. VI.* Sed alii alias huius denominationis adferunt rationes, quas videre licet apud SVIDAM, in voc. Κέκροψ. add. IO. MARSHAMVS, *can. chron. ſaec. VIII. p. m.* Io, cuius TATIANVS meminit, Inachi perhibetur filia, de qua multa mythologi. De aetate eius quid ſtatuendum, hinc liquet. Cum vero tandem addit: *Cecropis tempore Phaëthontaeum illud incendium &c.* non deſunt, qui pro Κέκροπα, Κρότωπον legendum contendunt, *Crotopi* ſcilicet, qui itidem inter Argiuorum reges memoratur, tempore Phaëthontaeum illud incendium, & Deucalionis diluuium, contigiſſe. Certe de tempore, quando Deucalionaeum diluuium contigerit, aut de rege, ſub quo contigerit, inter viros doctos non conuenit. Nonnulli enim ſub Cranao, Cecropis ſucceſſore, IVSTINVS autem omnino ſub Amphictyone, ſucceſſore Cranai, diluuium illud contigiſſe tradunt. Iuuat ipſum hac de re audire IVSTINVM: *Huius* (Amphictyonis) *temporibus aquarum illuuies maiorem partem populorum Graeciae abſum-*

ſumſit. Superfuerunt, quos refugia montium receperunt, aut ad regem Theſſaliae Deucalionem ratibus euecti ſunt; a quo propterea genus hominum conditum dicitur; hiſtoriar. lib. II. cap. VI. Interim ab aduentu Cecropis conſurgit aera Attica, per reges archontesque Athenienſes deducta, ad quam res graecae adcommodantur. Vt de religione Graecorum, qualis hoc tempore fuerit, aliquid addamus, non diſplicet illorum coniectura, qui inter Iauanis poſteros veri Numinis notitiam a Iapheto, Noachi filio, ad eos propagatam, aliquamdiu viguiſſe, contendunt. Hinc ſummum illis Numen *Ieus* dictum, vnde poſtea *Zeus* factum. In voce *Ieus* autem, multoque magis in voce *Iouis* veſtigia vocis יהוה deprehendi. Vid. EDMVNDVS DICKINSONVS, in *Delphis phoeniciʒantibus, cap. IX. p. m. 83.* Iouis vtique cultus apud varias Aſiae minoris gentes, vnde profecti Graeci, olim receptiſſimus. Non deſunt equidem, qui, Cecropem Iouis cultum in Graeciam induxiſſe, ferunt. Ita EVSEBIVS: *primus Cecrops bouem immolans* Ζῆνα προσηγόρευσεν, *Iouem adpellauit; n. CCCCLXIII.* Idem confirmat PAVSANIAS, vt tamen de victima diſſentiat, nihilque vita praeditum a Cecrope immolatum contendat; *lib. VIII. p. 456.* Hoc vero de cultus reſtauratione & immutatione quadam intelligere malim. Certe idololatria verum Numinis cultum ab eodem Cecrope conſpurcatum, vel inde liquet, quod idem ſimul Mineruae cultum in Graeciam intulerit: vnde & ex Mineruae nomine, quae graece Ἀθηνᾶ dicitur, Athenae nuncupatae ſunt. Teſtes eſt EVSEBIVS. in *chron. n. CCCCLX.* Alibique idem EVSEBIVS: *Cecrops primus Iouem adpellauit deum, primus Athenis aram ſtatuit; primus Mineruae ſtatuam poſuit; & poſt illum tota Graecorum numinum genealogia texitur; praeparat. euangel. lib. X. cap. IX.* En! originem idololatriae apud Graecos, veraeque religionis corruptionem.

*** Regnum Cretenſe veterum Graecorum maximum fuit, de quo nihil certi ante Minoa, quamquam nec de huius aetate ſatis conſtet, vt ſuo loco dicetur. Primum regem, qui EVSEBIVM ſequu[illegible], Cretem vocant, Iouis filium, eundemque ex Curetarum numero, qui Iacobi patriarchae natiuitatem praeceſſerit. Nimirum, quod Iuppiter ipſe ſub Curetarum diſciplina educatus fuerat, hinc Curetae filii eius vocabantur, iuxta illud ENNII de Ioue in Crete inſula mortuo: *Curetes filii ſui cum curauerunt;* apud LACTANTIVM, *diuinar. inſtitut. lib. I. cap. II.* Curetarum nomen antiquiſſimum, de quo praeter alios multa STRABO, *geograph. lib. X. p. 318. ſeqq.* Non improbanda illorum ſententia, qui Curetes apud Cretenſes eosdem fuiſſe putant, ac Druidas & Bardos apud Gallos atque Germanos, ſacerdotes ſcilicet, philoſophos, ac magos, eosque diuinarum naturaliumque rerum peritos, niſi quod Cu-

Curetes arma etiam tractarent, & in bella proficiſcerentur, immo armati ſaltare ſolebant, clypeos pulſantes; vnde & a voce *curo*, quod Graecorum κρέω, *pulſo* reſpondebat, eos Curetes dictos, nonnulli exiſtimant. APOLLODORVS: Κούρητες τοῖς δόρασι τὰς ἀσπίδας συνέκρουον. *Curetes haſtilibus ſcuta quatiebant; biblioth. lib. I. cap. I.* A ſaltando autem *Corybantes* etiam dicti ſunt. Conf. PAVLLVS PEZRONIVS, in *antiquitate gentis & linguae Celticae, p. 105. ſeqq.* Ceterum, dum Cretenſes Cretem Iouis filium vocabant, ipſum Iouem pro rege quodam habuiſſe videntur: idque eo magis, quod Iouis apud ſe eſſe ſepulchrum iactitarent. Quod CALLIMACHO equidem occaſionem praebuit mendacii redarguendi Cretenſes:

Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσαι· καὶ γὰρ τάφον ὦ ἄνα, σεῖο
Κρῆτες ἐτεκτήναντο· σὺ δ' ὖ θάνες ἐσσὶ γὰρ ἀεί.

Cretenſes ſemper mendaces, etenim ſepulchrum, rex, tuum
Cretenſes fabricarunt: tu autem non periiſti, es enim ſemper.

hymn. I. in Iou. v. 8. Sed ſcholiaſtes CALLIMACHI hoc inde ortum docet, quod ſepulchro Minois inſcriptum eſſet: MINOIS F. IOVIS SEPVLCHRVM. Progreſſu autem temporis exſtincta voce Minois remanſiſſe: IOVIS SEPVLCHRVM. PAVLVS autem PEZRONIVS Iouem illum, Cretis patrem, Saturnique filium, reuera regem fuiſſe, & in Creta ſepultum, contendit: quod ſi admittatur, ab omni mendacii ſuſpicione liberi erunt Cretenſes. Sed, an omnibus perſuaſurus ſit, quae vir ille doctus de antiquiſſimis Titanum regibus operoſe *l. c. p. 57. ſeqq.* diſſerit, valde dubito. Hiſtoria mythologica illis, quibus coniecturis indulgere volupe eſt, campum ampliſſimum praebet.

* De Phrygiae primis incolis dictum ſupra, ad *ſect. II. §. IX.* Inter gentes antiquiſſimas Phryges numerandos conſtat, quippe qui ipſis Aegyptiis antiquitatis gloriam dubiam reddere conati ſunt. Sed antiquiſſima etiam apud eos fuit idololatria, ſi fidem illis, quae vulgo hac de re traduntur, adhibeamus. Cybele namque, alias & *magna mater*, itemque *mater deorum*, *Rhea* quoque dicta, cum Attide, quem impuro amore proſequuta fuerat, apud eos colebatur. Multis fabulis & commentis haec inuoluta: reuera tamen homines fuiſſe videntur, in deorum numerum a Phrygibus relati. Quae igitur de Cybele & Attide paſſim narrantur, etſi mirifice auctores diſſentiant, non mera fabula, ſed hiſtoria eſſe videtur, *mendaciis interpolata fallacibus*, VT ARNOBIVS loquitur, *lib. V. aduerſus gentes*, vbi prolixe hac de re diſſerit. Si EVSEBIO fides habenda, iam Abrahami aetate Cybele apud Phry-

Digitized by Google


Phryges culta fuit, quippe qui in *chronico* ad annum Abrahami LVI templum eius memorat. Hoc vero multis vix credibile videbitur. Sacerdotes Cybeles itidem *Curetes & Corybantes* dicti ſunt, itemque *Cabiri*, *Telchines* & *Galli.* Vox Cabiri ebraeae videtur eſſe originis, cum כביר *validum* atque *potentem* ſignificet, quod in Curetes ac ſacerdotes, quorum magna olim in his gentibus erat auctoritas, optime quadrat. De reliquis vid. GERHARDVS IOANNES VOSSIVS, de *origine & progreſſu idololatriae*, *lib. II. cap. LIII.* item *lib. I. cap. XX.* vbi de Cybele ex inſtituto agit.

Digitized by Google

HISTORIAE ECCLESIASTICAE
VETERIS TESTAMENTI
PERIODVS SECVNDA
A MOSE VSQVE AD CHRISTVM.

Digitized by Google

Digitized by Google



PERIODI SECVNDAE
A MOSE VSQVE AD CHRISTVM
SECT. I.
A MOSE VSQVE AD IOSVAM.

Σύνοψις.

N*Atinitas Moſis, eiusque mirabilis conſeruatio atque educatio; ratio impoſiti nominis;* §. *I.*

Relicta Pharaonis aula, ad gentem ſuam ſe confert; virum aegyptium interficit; & hinc in Midianitidem ſe recipit; atque Iethronis filiam in matrimonium ducit; §. *II.*

Vocatio Moſis; §. *III.*

In Aegyptum reuertitur, filio eius, eo in itinere conſtituto, a Zippora circumciſo, denuo a Deo confirmatus, quae acceperat, mandata, Iſraëlitarum ſenioribus exponit; §. *IV.*

Maximis editis miraculis, Iſraëlitas ex Aegypto educit, & cum iis ad montem Sinai progreſſus, leges, quas a Deo acceperat, illis promulgat; §. *V.*

Foediſſima populi iſraëlitici idololatria commotus, tabulas, ſummam legum diuinarum continentes, & a Deo illi datas, frangit, vitulum comburit, & ab idololatris poenas ſumit; §. *VI.*

Diuinae in ſe beneuolentiae variis documentis confirmatus, decalogum tabulis lapideis a Deo inſcriptum, iterum accipit, & facie coruſcante ad populum redit; §. *VII.*

Reliquis hinc promulgatis legibus, tabernaculo erecto, tandem caſtra mouet. Iter vero cum Iſraëlitis proſequenti, cum variis conflictandum eſt calamitatum generibus; populique tandem, exploratorum ſermonibus deterriti, murmuratione irritatus Deus, vt quadraginta in deſerto

adhuc transigant annos, decernit; §. VIII.

Moſes cum fratre Aarone incredulitate Deum offendens, decreto eius ab ingreſſu in terram Canaan excluditur; tandemque in campeſtria Moabi cum populo venit, vbi Midianitae, ob ſeductos ad idololatriam Israëlitas, promeritas ſui ſceleris dant poenas; §. IX.

Mortem ſibi inſtare ſentiens, leges diuinas populo denuo inculcat; tum, Ioſua ſucceſſore conſtituto, & inſigni recitato cantico, populo valedicit, mortaliumque numero eximitur; §. X.

Virtutes atque praeſtantia, itemque ſcripta Moſis; §. XI.

Populi israëlitici fata & ſeruitus in Aegypto; plagae Aegyptiis, vt eum dimitterent, immiſſae; §. XII.

Quae illi, priusquam ex Aegypto exiret, a Deo iniuncta ſint? nouum anni initium; paſchatos, itemque azymorum feſtum; vaſa aurea atque argentea Aegyptiis ablata; §. XIII.

Egreſſus Israëlitarum ex Aegypto; §. XIV.

Transitus eorum per mare rubrum, & Pharaonis in eo interitus; §. XV.

Dum iter ſuum proſequuntur, varia & inuſitata Deus in eos confert beneficia; aquae amarae dulces factae; Manna caelitus illis datum; §. XVI.

In Raphidim ex petra aqua, qua potentur, elicitur; Amalekitae vincuntur; ex Iethronis conſilio iudices inferiores conſtituuntur; §. XVII.

Ad montem Sinai Deus fedus cum illis percutit, legesque per Moſen ſollemni ratione promulgat; §. XVIII.

Moſe in monte commorante, in idololatriam prolabuntur, vitulum pro Numine colentes, pertracto in ſceleris ſocietatem Aarone; §. XIX.

Tabernaculum conficitur & erigitur; Aaronicum ſacerdotium inſtituitur; Nadab & Abibu ſuae temeritatis poenas dant grauiſſimas; §. XX.

Republica & eccleſia conſtituta, populique cenſu inito, caſtrisque ſublatis, in deſertum Pharan veniunt; frementes igne puniti; iterumque carnis penuriam aegre ferentes, coturnicibus ſatiati, at mox funeſta lue correpti; §. XXI.

Aaron & Miriam in Moſen inſurgunt; duodecim exploratores mittuntur, quorum decem inconſultis ſermonibus populum ad fremitus concitant, Numinisque, quod hinc ſequutum eſt, decretum; §. XXII.

Seditio Korachi, Dathanis & Abirami; noua hanc ſequuta populi expoſtulatio, & grauiſſima ſtrages; ſacerdotium Aaronis confirmatum; §. XXIII.

Quae ad oppidum Kadeſch in deſerto Sin geſta ſint? Miriam moritur; populus ob aquae penuriam fremit; Moſes ex petra aquam elicit, ſed cum fratre Aarone ob diffidentiam peccat; §. XXIV.

Transitu ab Idumaeis non impetrato, Israëlitae ad Horem montem diſcedunt; mortuo ibi Aaroni filius Eleazar ſuccedit; Haradenſium rex vincitur; Israëlitae murmurant, mor-

morſibusque ſerpentum ignitorum pereunt; qui ſerpentem aeneum a Moſe erectum intuentur, conualeſcunt; §. *XXV.*

Sichon Emorraeorum, & Ogus Baſanenſium reges vincuntur, eorumque ditiones Iſraëlitis cedunt; §. *XXVI.*

Moabitarum inſidiis, ex conſilio Bileami, Iſraëlitae ad ſcortationem & idololatriam ſeducuntur; proceribus ideo, qui eius flagitii rei erant, grauiter punitis; facinus memorabile Pineae; §. *XXVII.*

Midianitae cum Moabitis ad internecionem vsque caeduntur, cum antea tertia vice populi iſraëlitici cenſus initus eſſet; §. *XXVIII.*

Rubenitis, Gaditisque, & dimidiae parti tribus Manaſſes, agri ad ortum Iordanis tribuuntur; quae a Moſe, vltima ſibi inſtare ſentiente, priusquam moreretur, geſta ſint? §. *XXIX.*

Praecipua Numinis beneficia, in iſto quadraginta annorum itinere, populo iſraëlitico exhibita, ſummatim indicantur; §. *XXX.*

Iſraëlitarum religio; §. *XXXI.*

Cultus externus; §. *XXXII.*

Matrimoniorum, ſtatusque domeſtici apud eos ratio; §. *XXXIII.*

itemque regiminis ciuilis; §. *XXXIV.*

Litterarum in hac gente ſtudia; an ſcholas habuerint? §. *XXXV.*

Hoſtes verae eccleſiae, Aegyptiorum magi; Bileamus; idololatriae progreſſus; §. *XXXVI.*

Exoticorum ſcriptorum de Moſe & rebus ab eo geſtis teſtimonia; aliarum gentium hoc temporis interuallo ſtatus; §. *XXXVII.*

§. I.

DUm in Aegypto duriſſima ſeruitute gens iſraëlitica premebatur, natus eſt Moſes,* quem Deus iis, cum fratre Aarone, liberatorem deſtinauerat. Pater eius Amram erat ex tribu Leui; mater, ex eadem tribu, Iochebet vocabatur. A matre ob mandatum regis, puerulos omnes Iſraëlitarum occidere iubentis, ** cum per tres menſes eum occultaſſet, in ripa Nili fluminis expoſitus; mirifice ſeruatus fuit a filia Pharaonis,*** ab eaque adoptatus & ſollicite educatus, dum matri prius, indicio ſororis adſtantis & pueruli fata obſeruaturae, alendum tradidiſſet, ac in omni Aegyptiorum ſapientia inſtitutus eruditusque fuit.* Moſes autem nomen inde ſortitus eſt, quod ex aqua extractus, & ita conſeruatus eſſet. **

* Vitam resque Moſis primo exponemus loco, vt ordinis ratio ſibi conſtet. Eius enim praecipue opera, in rebus maximis hoc temporis interuallo perficiendis, Deus vſus eſt. Merentur equidem & Aaron & Iethro, ſocer Moſis, illuſtribus huius aetatis viris adnumerari. Sed de iis, quae memoratu digna oc-

carrunt, oblata occaſione ediſſeremus. Temporum rationes ad ʃʃ. *XIV.* expediemus.

** Vid. *Exod. I. 15. 16.* Sed hac de re, vt & de reliquis, ad aegyptiacam Ebraeorum ſeruitutem ſpectantibus, ex inſtituto dicemus ad ʃʃ. *XII.*

*** Hanc FLAV. IOSEPHVS, *lib. II. antiquitat. iudaic. cap. V.* Θέρμουθιν; ARTAPANVS autem apud EVSEBIVM, *lib. XI. praeparat. euangel. cap. XXVII.* & *chronicon Alexandrinum*, Μέῤῥιν, voce ex *Miriam*, vt videtur, corrupta, alii aliter vocant. Incerta omnia. Addit IOSEPHVS: *Haec* (Thermutis) *dum ludit ad ripas fluminis, conſpicata vas fluitans, miſſis natatoribus, iubet lectulum ad ſe in ripam extrahi: quo, vt iuſſum erat, adlato,* ἰδοῦσα τὸ παιδίον, ὑπερηγάπησε, μεγέθους τε ἕνεκα καὶ κάλλους, *videns infantem ſummopere amauit, propter magnitudinem & formam.* Et formam quidem pueri etiam ſcriptura praedicat, *Exodi II. 2.* & *Actor. VII. 20.* Eaque haud dubio, pariter ac re ipſa, permota filia Pharaonis eius miſerta eſt. Bene quoque & eleganter addit IOSEPHVS: τοσαύτῃ γὰρ ὁ θεὸς περὶ Μωυσῆν ἐχρήσατο σπουδῇ, ὡς ὑπὸ πάντων τῶν καταψηφισαμένων, διὰ τὴν αὐτοῦ γένεσιν καὶ τῶν ἄλλων ἐκ τοῦ ἑβραίων γένους ἀπώλειαν ποιῆσαι τροφῆς καὶ ἐπιμελείας ἀξιοθῆναι: *tanto enim fauore Deus Moyſen proſequutus eſt, vt eum fecerit ab illis ipſis nutriri & educari, qui propter eius natiuitatem reliquos quoque Ebraeos perdendos decreuerant.* Idem vero IOSEPHVS, vt alias, ita etiam in hac hiſtoriae ſacrae parte, multa addit, quae nimis ingenium poëticum ſapiunt, quorumue in hiſtoria Moſaica nullum adparet veſtigium. Inter alia narrat, quemdam ex τῶν ἱερογραμματέων genere praedixiſſe regi, naſciturum per id tempus apud Iſraëlitas quemdam, qui res Aegyptiorum olim grauiter adflicturus, Iſraëlitarum contra euecturus ſit, ſi modo ad aetatem adultam peruenerit. Ex hacce cauſſa inductum regem praecepiſſe, vt quidquid maſculini ſexus inter Iſraëlitas naſceretur, in flumen proiectum necaretur. Amrami praeterea, Moſis patri, fata pueri ab eo gignendi, pariter ac Aaronis, in ſomnio indicata, prolixe & magno verborum adparatu commemorat. Hinc cum natiuitatem Moſis, & quo pacto a filia Pharaonis ſeruatus eſſet, expoſuiſſet, inter alia fingit, puerum varias nutrices adſpernatum fuiſſe, & ſororem, quae in turba quaſi forte aderat, monuiſſe Thermutim, infantem vbera ebraeae nutricis accepturum, & iubente demum Thermuti, matrem acceſſiſſe. Sed nec haec ſufficiunt. Refert vlterius, Thermutim Moſis puerili gratia ita captam, vt eum in filium adoptauerit, adlatumque patri oſtentauerit, dicens, cum prole ipſa deſtitueretur, velle ſe, vt hicce puer ei aliquando in principatu ac regno ſuccederet. Pater, vt porro narrat, filiae gratificaturus, poſtquam puerum ad pectus adpreſſiſſet, diadema ſuum comiter capiti eius impoſuit, quod Moſes capiti pueriliter detractum prolabi in humum paſſus, pedibus etiam concul-

culcauit. *Quod*, inquit, *mox ominoſum eſt viſum, & regno nihil boni portendere, &c.* Sed mitto reliqua; cum haec ſpeciminis inſtar eſſe queant, quo pacto IOSEPHVS in Moſis hiſtoria deſcribenda verſetur.

* Id & Stephanus protomartyr teſtatur, eruditum adſerens Moſen ἐν πάσῃ σοφίᾳ Αἰγυπτίων, *Act. VII. 22.* In quo autem ſapientia illa Aegyptiorum conſtiterit, iam expoſitum ſupra eſt, ad *per. I. ſect. III. ſ. XXIV.* add. CORNELIVS ADAMI, in *exercitationib. exegeticis, exercitat. II. p. 92. ſeqq.* Multa hic iterum addit IOSEPHVS, *loc. cit. lib. II. cap. V.* quo pacto bello aduerſus Aethiopes ſummo imperio praefectus, res praeclaras admodum geſſerit; item de nuptiis eius cum Tharbi filia regis Aethiopum, & quae reliqua ſunt eiusdem generis commenta, quibus recenſendis immorari nefas eſſet.

** Nomen Moſis ex lingua aegyptiaca deriuandum eſſe, nonnulli contendunt Ita enim FL. IOSEPHVS: *deinde ei adpellationem hanc ex eo, quod contigerat, impoſuerunt in flumen delapſo:* τὸ γὰρ ὕδωρ μῶυ οἱ Αἰγύπτιοι καλοῦσιν, ὑσῆς δὲ τοὺς ἐξ ὕδατος σωθέντας· *nam aquam* MOY *Aegyptii vocant*, HYSES *vero ſeruatos ex aqua. Coniuncta ergo vtrorumque adpellatione, hanc impoſuerunt; antiquit. iudaic. lib. II. cap. IX.* Pari ratione & PHILO, in *vita Moſis, lib. I. p. 605.* qui aquam Aegyptiis MOS vocari dicit, & ex eccleſiae doctoribus CLEMENS Alexandrinus, *ſtrom. lib. I. p. 343.* Eidem ſententiae ex recentioribus ſuffragantur ATHANASIVS KIRCHERVS, *prodrom. Copt. p. 155.* alibique, IO. HENR. HOTTINGERVS, *hiſtor. orient. lib. I. cap. III. p. 76.* & *exercitat. anti-Morin. p. 48.* & alibi; itemque IO. CLERICVS ad *h. l.* Et hic quidem cum obſeruaſſet, contingere aliquando, vt ebraica lingua ipſa aegyptiaca paronomaſia feliciter exprimatur; hoc praecipue vrget, quod non credibile ſit, aegyptiam principem cananaeam linguam tenuiſſe, aut ei, quem filii loco habebat, nomen aliena lingua impoſuiſſe, cum Ioſepho olim ab Aegypti rege mutatum eſſet nomen, quia in regiam familiam adſciſcebatur. Praeterea quamuis ebraica vox משה adludat ad Moſis nomen, & *extrahere* ſignificet; non plene tamen eam exprimere vim etymologiae; cum non tantum *extractus*, ſed *extractus ex aqua* dici nomine debuerit. At quod ad vltimum attinet, in nominum propriorum etymologiis interdum adluſio ſufficit, nec ſemper plena rei, quae exprimenda, ſignificatio inuenitur. Prius, quod vir doctus attulit, maioris momenti eſt: interim vt & hoc euitent telum, qui pro ebraica nominis huius origine pugnant, non a filia Pharaonis, ſed a matre Moſis hoc ei impoſitum, contendunt. Verba itaque Moſis *Exod. II. 10.* ita exponunt: *& ſuccreuit puer, & adduxit* (mater eius) *eum ad filiam Pharaonis, & factus eſt ei* (filiae Pharaonis) *in filium, & adpellauit* (illa, ſcilicet mater eius, aut potius: *adpellauerat;* cum non ſit credibile, tum demum ei nomen impoſitum) *nomen eius Moſche*, & dixit:

כי

כי מן־המים משיתהו *quia ex aquis extraxi eum.* Auctor huius ſententiae praeter alios eſt R. ISAAC ABARBANEL, ad *h. l.* quem & ex noſtratibus ſequitur AVG. PFEIFFERVS, *dub. vexat. cent. I. loc. LXXXIII. p. 224.* Diſplicet vero ea PETRO DANIELI HVETIO, qui, hoc *prorſus contra mentem ſcriptoris ſacri dici*, pronuntiat, (quod tamen probare debebat) etſi ſimul fateatur, nomen Moſis neutiquam ex aegyptiaca, ſed ebraea lingua deriuandum. *Manifeſtus*, inquit, *eorum lapſus eſt, qui vocem* משה, *quae haud dubie ebraica eſt, aegyptiam eſſe cenſuerunt.* Exiſtimat itaque, vel hoc etiam inter alia exemplo comprobari poſſe, nomina propria a Moſe in linguam ebraicam translata: vnde porro colligit, ex vetuſtiſſimorum hominum nominibus ebraicis probari non poſſe, linguam ebraeam eſſe antiquam illam & primigeniam, quae ante Babelicam confuſionem in vſu fuit; *demonſtrat. euangel. part. I. propoſ. IV. p. 247.* Verum fallitur doctiſſimus HVETIVS. Ebraeam linguam primigeniam illam eſſe, ſupra euicimus. Nomina propria in alias linguas transferre, a more hiſtoricorum, & ipſius etiam Moſis, alienum eſt. Eſt vero minime praetermittendum, quod R. ABEN ESRA ad *h. l.* habet. Refert enim, Moſi aegyptium nomen fuiſſe, *Monios*, atque huius interpretationem ebraicam eſſe *Moſes.* Verba eius ſunt: שם משה מתורגם מלשון מצרים בלשון הקדש ושמו בלשון מצרים חיה מוניוס וכך כתוב בספר עבודת האדמה וגו *Nomen Moſes translatum eſt ex lingua aegyptiaca in linguam ebraeam. Vocatus autem lingua aegyptiaca fuit Monios, quemadmodum ſcriptum eſt in libro de agricultura terreſtri.* Quantum huic ABEN ESRAE relationi tribuendum ſit, neſcio. Liber enim ille Sabaeorum de *agricultura terreſtri*, de quo ſupra dictum, ſuppoſititius eſt. Prouocat equidem etiam ad ſcriptores graecos; ſed quales intelligat, non indicat. Probatur interim illud ABEN ESRAE adſertum, EDVARDO BERNHARDO, in *not.* ad *Ioſephi lib. II. cap. IX. p. 114.* *Quod vero*, inquit, *eumdem Monios dictum teſtetur aegyptiace Aben Eſra ex ſcripto quodam Sabaeorum, ſpeciem veri claram habet: quippe* αμωνί *illud in Aegypto ſignificat, quod in diuinis litteris* משה *extrahere vtrumque;* quamquam in ſequentibus CLAVDII SALMASII ſententiam, vocem *Moſes* ex lingua aegyptiaca itidem deriuantis, reliquis omnibus praeferendam cenſeat. Ceterum ſi id ſibi velit ABEN ESRA, Moſen ab Aegyptiis *Monios* dictum, eo quod ipſi nomen *Moſes* ita interpretati ſint, atque expreſſerint, haud difficulter illud admittere poſſumus; cum vel inde etiam conſtet, *Moſes* non eſſe nomen aegyptiacum: ſin hoc ſibi velit, proprium Moſis nomen fuiſſe *Monios*, idque deinde Moſen ipſum per *Moſen* expreſſiſſe, transferendo nomina propria ex aliis linguis in ebraeam, nos neutiquam ſibi ſuffragantes habet. De variis nominibus, quibus Ebraeorum doctores Moſen inſignitum comminiſcuntur, legendus HIERONYMVS, in

quae-

Digitized by Google

quaeſtionib. ebraic. tom. IV. oper. p. 115. & ex Iudaeis R. GEDALIA, in *ſchalſchel. kabb. p. 11.* vbi inter alia dicit: ומצריים קראוהו חוניוס *Aegyptii vero vocarunt eum Honios;* ſed ibi pro חוניוס legendum exiſtimauerim מוניוס; ita enim cum ABEN ESRA conſentit; add IO. HENRICVS HOTTINGERVS, *hiſtor. orient. lib. I. cap. III. p. 77.*

§. II.

Virilem aetatem cum attigiſſet, quadraginta iam annos natus, gentem ſuam inuiſere in animum induxit; cuius licet miſera eſſet conditio, eam tamen adeo non adſpernatus eſt, vt infamiam eius honoribus maximis, deliciisque aulicis praeferret.* Dum ergo inter ſuos verſabatur, virumque ebraeum ab aegyptio praeter culpam verberari videret; rei indignitate permotus, aegyptium, innocentiae vltor & vindex, interfecit,** cadauerque eius in arena ſepeliuit. Mox autem, cum inter duos Ebraeos altercantes ſe arbitrum praeberet, alterque homicidium in Aegyptio commiſſum illi exprobraret; cognoſcens inde facinoris ſui rumorem, iam inter Ebraeos ſparſum, vt Aegyptiorum iram ſuppliciumque effugeret, in Midianitidem ſe recipit; idque Iethroni*** innotuit, cui operam in paſcendis ouibus addixit ſuam, tandemque & filiam Zipporam* in matrimonium duxit, ex qua filios Gerſomum & Eliezerem ſuſcepit.

* Ita Paulus, fidei, qua Moſes emicuit, inde argumentum capiens: πίστει Μωσῆς μέγας γενόμενος ἠρνήσατο λέγεσθαι υἱὸς θυγατρὸς Φαραώ· μᾶλλον ἑλόμενος, συγκακουχεῖσθαι τῷ λαῷ τοῦ Θεοῦ, ἢ πρόσκαιρον ἔχειν ἁμαρτίας ἀπόλαυσιν; *Ebr. XI. 24. 25.*

** Rectene, an ſecus ſecerit Moſes, Aegyptium iſtum interficiendo? diſceptari inter viros doctos ſolet. Veteris eccleſiae doctorum, aliorumque, diſcrepantes hac de re ſententias exhibet CHRISTIANVS SCHOTANVS, *biblioth. hiſtor. ſacrae vet. teſtam. de peregrinat. Iſraelit. p. 205.* Grauiſſima haud dubio fuit iniuria, quam Ebraeo intulit Aegyptius: dicitur enim eum *verberaſſe* ſeu *percuſſiſſe*. Nec peccauit Moſes, quod hominis innocentis, qui ſuae inſuper gentis eſſet, defenſionem contra Aegyptium ſuſcepit. Sed iſta defenſio ad caedem alterius vſque procedere non potuit. Falliturque omnino AMBROSIVS, ex hocce capite defendi Moſen poſſe exiſtimans. *Quoniam*, inquit, *qui non repellit a ſocio iniuriam, ſi poteſt, tam eſt in vitio, quam ille, qui facit. Vnde ſanctus Moſes hinc prius orſus eſt tentamenta bellicoſae fortitudinis; lib. I. de officiis, cap. XXXVI.* Aegyptiorum equidem legibus cautum erat, vt, ſi quis homini vim patienti non ſuccurriſſet, eumque liberaſſet, cum id facere poſſet, capite plecteretur, teſte DIODORO Siculo, *lib. I. p. 69.* At Moſi non ſatis erat liberaſſe

raſſe fratrem, ſed Aegyptium inſuper interfecit. Hinc cum facti rumorem emanaſſe cognouiſſet, in Aegypto non ſatis tutum ſe fore ratus, inde aufugit. Alii itaque vitio hocce Moſis facinus non carere putant, etſi excuſandum cenſeant, quod ex amore iuſtitiae, modum licet excedente, eſſet profectum. Omnis contra labis expers Moſes cenſebitur, ſi Numinis quodam inſtinctu concitatum, vt fratribus ſignum ad bene de liberatione ſua ſperandum tolleret, hocce perpetraſſe facinus, adſeramus. Idque haud obſcure innuit Stephanus protomartyr. qui, *ἐνόμιζε*, inquit, *συνιέναι τὰς ἀδελφὰς αὐτᾶ, ὅτι ὁ Θεὸς διὰ χειρὸς αὐτᾶ δίδωσιν αὐτοῖς σωτηρίαν*, *Act. VII. 25.* Vnde & colligas, Moſi iam tum conſtitiſſe, ſe a Deo liberatorem populo ſuo deſtinatum. Vnde hoc ſciuerit, nobis ignotum. Si vera eſſent, quae IOSEPHVS de ſomnio, patri eius oblato, deque aliis futurae dignitatis praeſagiis narrat, haud dubio inde Moſes, quid ſua opera Deus aliquando facere vellet, intelligere potuiſſet. Sed haec, vt incerta nimis, ſupra iam exploſimus. Iudaeorum commenta, vt IONATHANIS, & paraphraſtae Hieroſolymitani, tradentium, Aegyptium hunc ideo a Moſe obtruncatum, quod ſciret, nullum vmquam ex eo oriundum proſelytum, lubentes mittimus.

*** Cum filiarum, quibus ad puteum obuiam factus eſt Moſes, & quarum vnam deinceps in matrimonium duxit, pater *Exod. II. v. 18.* Reguel dicatur; colligunt inde nonnulli, Iethronem etiam Reguelem dictum. Immo cum *Num. X. 29.* Moſis ſocer Chobab dicatur; non deſunt, qui, vnius viri tria fuiſſe nomina, contendunt. Sed in *Num. l. c.* Chobab, Moſis ſocer, filius dicitur Reguelis. Vnde patrem Iethronis Reguelem fuiſſe, certo conſtat. In verſione equidem noſtra germanica Chobabus vocatur *adfinis Moſis*. Sed vox ebraea חותן non *adfinem*, ſed *ſocerum* ſignificat. Haec itaque vt inter ſe concilientur, aut dicendum, & ſocero Moſis tria fuiſſe nomina, eumque & Chobab, & Iethro, & Reguel dictum, ſimulque & patrem eius Reguelem vocatum, cum Reguelis ipſe filius audiat: aut, quod probabilius, *Exod. II. 18.* per Reguelem, Iethronis patrem indigitari. Nec enim infrequens, vt auus etiam patris nomine veniat: potuitque ibi vel ideo illius mentio fieri, quod caput atque princeps fuerit totius familiae. Tum ſocer Moſis Chobabus vocabitur, cognomento Iethro; quod nonnulli, at ſine idonea ratione, nomen dignitatis fuiſſe, volunt. Vocatur autem Reguel *Exod. II. 16.* כהן; quo nomine etſi *principem* deſignari nonnulli velint; veroſimilius tamen, *ſacerdotem* ſignificari, & quidem veri Dei, non idololatram. Certe ſequenti aetate Iethronem cum ſuis veri Dei fuiſſe cultorem, dubitari nullatenus poteſt.

* Quae *Num. XII. 1.* כושית, hoc eſt Midianitis, vocatur. Qui enim eam Aethiopiſſam faciunt, veram vocis iſtius ſignificationem non intelligunt. Errori, de coniuge Moſis Aethio-

thiopiſſa, haud dubio occaſionem dedit fabula IOSEPHI, de filia regis Aethiopum, quam in matrimonium duxerit Moſes, quam ſupra iam explodimus.

§. III.

Contigit tum, vt paſcendis ſoceri ouibus occupatus,* ſubito rubum flammam emittentem videret:** cumque rubus non abſumeretur; rei nouitate perculſus, propius accedere ſtatuit: mox vocem e medio rubo audiuit, ne id, niſi calceis prius exutis, *** eo quod locus ille ſacer eſſet, faceret. Tum vero angelum Dei, eumque Deum ipſum eſſe, intellexit,* qui ex ſenti ſe adloquebatur, mandatumque accepit, vt itinere in Aegyptum ſuſcepto, gentem iſraëliticam, ſub duriſſimo ſeruitutis iugo gementem, in libertatem reſtitueret, educeretque in terram longe praeſtantiſſimam, ** quam Deus patribus eorum promiſerat. Diu Moſes ob rei magnitudinem tergiuerſatus,*** tandem diuinae voluntati morem gerit, poſtquam, quo pacto & populum & Pharaonem adloqui deberet, edoctus, & facultate miracula patrandi inſtructus erat, fratre quoque Aarone, viro diſerto, illi adiuncto, qui ipſius nomine verba faceret.

* Quadraginta annos Moſes in exſilio apud Iethronem tranſegit; ipſoque anno quadrageſimo vocatio haec, ad liberandum populum iſraëliticum, ei obtigit. Cauſſas Deo fuiſſe grauiſſimas, cur tamdiu Moſen in exſilio commorari voluerit, non eſt, quod dubitemus, etſi eas neſciamus. PHILO more ſuo rhetorem agit, cum vita paſtorali ad imperandum Moſen praeparatum, dicit; ideoque eum magnis laudibus extollit. Diligentiam Moſis in paſcendis ſoceri ouibus, idem PHILO prolixe deſcribit: nec tamen dubium, quin vir diuinus in omni Aegyptiorum ſapientia inſtitutus, idemque rerum diuinarum peritus, ſublimioribus meditationibus, ſacrisque exercitationibus, quibus ad praeclara quaeuis praeparabatur, aliquando ſe dederit. Conf. CHR. SCHOTANVS, *bibliothec. hiſtor. ſacr. tom. II. p. 4.*

** Verba Moſis ſunt: *tum ei conſpectus eſt angelus Iehouae, in ignea flamma in medio rubo; Exod. III. 2.* Quae nonnullis diſceptandi occaſionem praebuerunt, an Angelus Dei ſeparata ſpecie Moſi adparuerit, vtrum vero rubus ardens eius praeſentiam ſaltem indicauerit? Quod negandum videtur; cum ex verbis Moſis eiusmodi quid colligere non liceat. Tantum enim rubi ardentis, & vocis e medio rubo erumpentis, mentionem facit. Nec aliter hoc exprimit Stephanus protomartyr, *Act. VII. 30.* Nec IOSEPHVS aliter. Cum enim rubum ardentem deſcripſiſſet, eoque ſpectaculo non mediocriter Moſen ſtupefactum dixiſſet; addit: κατεπλάγη δ' ἔτι μᾶλλον

Digitized by Google

μᾶλλον φωνὴν τοῦ πυρὸς ἀφιέντος, καὶ ὀνομαστὶ καλέσαντος αὐτὸν καὶ ποιησαμένου λόγους, *magis etiam obſtupuit, poſtquam vocem ex igne emiſſam, & nominatim ſibi vocato verba facientem, audiuit; lib. II. cap. XII.* Singulare autem quid commentus eſt PHILO, in *vita Moſis, lib. I. p. 612.* viſionem hanc ita deſcribens: κατὰ δὲ μέσην τὴν φλόγα μορφή τις ἦν περικαλλεστάτη τῶν ὁρατῶν, ἐμφερὴς οὐδενὶ, θεοειδέστατον ἄγαλμα, φῶς αὐγοειδέστερον τοῦ πυρὸς ἀπαστράπτουσα, ἣν ἄν τις ὑπετόπησεν εἰκόνα τοῦ ὄντος εἶναι· καλείσθω δὲ ἄγγελος, κ. τ. λ. *in media flamma forma quaedam erat, pulcherrima eorum, quae videntur, nulli adſimilis, Deo ſimillimum ſimulacrum, lumen ſplendidius igne emicans, quam quis ſuſpicari poſſet, imaginem entis eſſe; vocetur autem angelus &c.* At eiusmodi quid in ſcriptura ſacra non legas. Ceterum rubum iſtum ardentem rei cuiusdam ſymbolum fuiſſe, facile ſuſpiceris, conueniuntque fere hac in re interpretes, etſi circa eius interpretationem in diuerſas abeant ſententias. Idem, quem laudauimus, PHILO, populi iſraëlitici ſtatum hac imagine adumbratum, contendit. Rubus, frutex admodum debilis, generatim eccleſiae, cui cum impiorum coetu comparatae, ſi externa ſpectes, nulla vis eſt, nullum robur, ſpeciatim populi iſraëlitici, dura ſeruitute tum oppreſſi, ſymbolum eſt. Ignis, tribulationem vexationemue alias etiam in ſcriptura ſacra ſignificat. Rubus autem ardet quidem, at non comburitur: quod documento erat, adfligi quidem Dei populum, non autem exſcindi atque penitus deſtrui poſſe. Pari ratione de ſtatu populi iſraëlitici hoc explicant R. ABEN ESRA, R. LEVI BEN GERSON, aliique. Satis quidem concinne & adcommodate. Alii tamen aliter.

*** Reuerentiae id & venerationis erga Numen diuinum ſignum erat. Conf. & *Ioſ. V. 15.* Hinc & apud ethnicos vſu receptum fuit, vt loca diuino cultui conſecrata nudis pedibus ingrederentur. Quod an ab Ebraeis acceperint, quae eſt ſententia IVSTINI martyris, *apol. II. p. 95.* nunc in medio relinquo. Multo certo minus credibile eſt, Deum ſe hic ad mores Aegyptiorum attemperaſſe; quod IOAN. CLERICVS, vir doctiſſimus, ad *h. l.* exiſtimat. Quae enim, vt hoc faceret, Deum cauſſa permouerit, non facile dixeris. FLAV. IOSEPHVS hic iterum a narratione Moſaica longius diſcedit, & more ſuo ἀλλότρια miſcet.

* Cum ille, qui ex rubo ardente cum Moſe loquutus eſt, mox *angelus Domini*, mox *Deus* dicatur; quo pacto haec inter ſe conciliandi ſint, diuerſas viri docti iniuere rationes. Tres autem praecipuae hac de re celebrantur ſententiae. Prima illorum eſt, qui angelum increatum, ſeu filium Dei, intelligunt. Etenim cum ille ſubinde in ſcriptura ſacra angelus adpelletur, vt ſupra quoque iam nobis obſeruatum; res expedita eſt, cur idem ille, qui Moſen ad gentis iſraëliticae liberationem vocauit, mox angelus, mox

mox Deus dicatur. Alii eum, qui loquutus eſt, Deum ipſum fuiſſe fatentur, ſed qui angelus vocetur, quia futura praenuntiauerit. Ita PHILO, *loco ſupra citato*. Quod cum admodum ieiunum ſit; alii, tum demum hoc admitti poſſe, cenſent, ſi dicatur, Deum in ſchemate quodam, ſeu ſigno quocumque, angelis creatis proprio, adparuiſſe. Sed quodnam illud ſchema ſeu ſignum angelorum proprium ſit, a nemine mortalium explicari poteſt, & fruſtra ſupponitur. Alii itaque citra ambages angelum creatum intelligunt, quo Deus ceu inſtrumento, ad voluntatem ſuam Moſi patefaciendam, vſus ſit. Ita Iudaei, & ex chriſtianis praeter multos alios, cum HVGONE GROTIO, IOAN. CLERICVS, ad *h. l.* cumprimis autem ad *Geneſ. XVI. 23.* vbi prolixe hanc ſententiam tuetur. Ex his prima haud dubio reliquis omnibus praeferenda eſt ſententia. Certe, creatum angelum intelligi non poſſe, longe eſt manifeſtiſſimum; quia angelus ille vocatur יהוה *verſ. 4. & ſeqq.* Quod nomen, cum ſoli Deo proprium ſit, non poteſt angelo, etſi legatus Dei ſit, etſi Dei nomine loquatur, tribui. Immo deinceps *verſ. 14.* de ſeipſo dicit: *ego ſum, qui ſum;* quod creatum angelum de ſe dicere non potuiſſe, ex dicendis conſtabit. Praeterea *verſ. 15.* ſe vocat Deum Abrahami, Iſaaci & Iacobi: quod rurſus de creato angelo dici nequit. Hinc & ob diuinae maieſtatis praeſentiam terra, in qua Moſes ſtabat, *ſancta* dicebatur, ipſeque in venerationis, ſoli Deo debitae, documentum, exuere calceos iubebatur, *verſ. 5.* Idem porro angelus dicit, *ſe vidiſſe miſeriam populi ſui in Aegypto, verſ. 7.* Quod vt diuinae omniſcientiae argumentum eſt; ita nullus creatorum angelorum Iſraëlitas *populum ſuum* vocare poterat. Addit, ſe illos e manu Aegyptiorum liberaturum, ſe illis daturum terram Cananaeorum, ſe illos inde educturum, vt *ſibi* ſeruirent, *verſ. 8. & 18.* Idem denique ille angelus Iehouah, ductor deinceps fuit populi iſraëlitici, & ſe vbique ceu verum Deum demonſtrauit, quod ſequentia docent. Conf. *Exod. XXIII. verſ. 20.* Patrum, IVSTINI martyris, IRENAEI, TERTVLLIANI, aliorumque, eamdem fuiſſe ſententiam, oſtendit ABRAHAMVS CALOVIVS, qui copioſe hac de re diſſerit in *adnotat. ad h. l.*

** Dicit Deus, ſe Iſraëlitas educturum ex Aegypto, in *regionem bonam & amplam, in regionem lacte & melle fluentem, Exod. III. 8.* quod &, qua vltima verba, repetitur *v. 17.* Sed ſimilis quoque terrae Canaan deſcriptio occurrit *Exod. XIII. 5. XXXIII. 3. Leuit. XX. 24. Num. XIII. 28.* alibique. Eaque loquendi ratione ſumma regionis iſtius, rebus omnibus non ad neceſſitatem, ſed ad delicias quoque abundantis, fertilitas deſcribitur. Qui proprie haec verba capiunt, magnam mellis in Palaeſtina copiam, quae tanta fuerit, vt in alias quoque regiones inde deferretur, vrgent: quam etiam ſcriptura paſſim innuit, vt *Iudic. XIV. 8.* & *I. Sam. XIV. 25. 26.* Sed non

 ſatis

ſatis illi perpendunt, eiusmodi mellis copiam in aliis quoque regionibus paſſim deprehendi, & cum melle hic lac coniungi. Quod ſi itaque proprie haec capienda ſint, fluenta mellis & lactis animo concipienda erunt quae, vt ob admixtum puluerem parum grata fuerint; ita nec multum commodi incolis attulerint, ſi praeſertim aliis rebus aeque neceſſariis & iucundis illis carendum eſſet. Nullum itaque dubium, quin generatim fertilitas & praeſtantia terrae cananaeae hac loquendi ratione deſignetur: quod & exploratores illi a Moſe miſſi confirmant, qui, terram hanc reuera lacte & melle fluere, demonſtraturi, fructus eius oſtendunt. *Num. XIII. 27.* Accedit, quod profanis quoque ſcriptoribus itidem in more poſitum ſit, eadem ratione terrae cuiusdam fertilitatem deſcribere; quod exemplis plurimis, poſt HIERONYMVM, *comment. ad Ierem. XI. 5.* comprobauit SAMVEL. BOCHARTVS, *hieroz. part. II. lib. IV. cap. XII.* Fertiliſſimam vtique feliciſſimamque fuiſſe terram Canaan, non tantum ex hoc ipſo loco *Exod. III.* vbi comparatione inſtituta ipſi Aegypto praefertur, ſed aliis quoque ſcripturae teſtimoniis, ſatis conſtat. Docent id varia praeſtantiſſimorum fructuum genera, quae Iacobus patriarcha in Aegyptum miſit, Pharaoni a filiis offerenda, idque eo tempore, quo graui fame terra haecce laborabat, nec vbique exculta aut habitata erat, *Geneſ. XLIII. 11.* Docent id exploratores a Moſe miſſi, quorum antea meminimus, ex *Num. XIII. 27.* Docet id Moſes ipſe *Deut. VIII. 7. ſeqq. Iehoua enim*, inquit, *Deus tuus, intromittit te in terram Canaan; terram, in qua ſunt torrentes aquae, fontes & latices, in vallibus & montibus ſcaturientes; terram tritici, bordei, vitis, ficus, mali punici; terram oliuae & mellis; terram, in qua non comedes panem in paupertate, in qua nulla re carebis; terram, in qua lapides ſunt ferrum, & e cuius montibus aes excides.* Pari ratione Rabſakus, regis Aſſyriae nomine ad ciues Hieroſolymitanos verba faciens, eam vocat *terram frumenti & vini, terram panis & vinetorum*, & cum ipſa Aſſyria, aut fertiliſſima eius parte, haud obſcure comparat, *Eſa. XXXVI. 17. II. Reg. XVIII. 32.* Ne dicam, quod ipſa experientia hoc conſtet; cum tot hominum millibus alendis non ſuffeciſſet, niſi omnium fuiſſet foecundiſſima fertiliſſimaque. Meritoque ideo צבי לכל־ הארצות *ornamentum omnium terrarum* vocatur, *Ezech. XX. 6.* Atque haec quidem vetare debebant, quo minus ſanae mentis homo de veritate verborum Moſis *Exod. III. 8.* dubitaret, ſi vel maxime ſanctitas integritasque viri hoc non impediuiſſet. Aliter tamen viſum IO. TOLANDO, petulanti calamo in ſanctiſſima quaeque inſurgenti, Moſaicaeque narrationis fidem ea, qua poteſt, ratione labefactare adnitenti. STRABONI itaque hic potius fidem haberi vult, quam auctori pentateuchi. *Strabonica*, inquit, *Iudaeae deſcriptio cum hodierno ſitu & ſoli ſtatu ab omnibus iuxta peregrinantibus obſeruatis, optime concordat; et ſi immen-*

Digitized by Google

immenſum recedere videatur a pentateuchi ſcriptore, qui eam vt frugum feraciſſimam, ac lacte & melle (ſiue rerum omnium neceſſariarum copia) fluentem exhibet: quae ſi non figurate cum plerisque accipienda, vt animus tamen & calcar adderetur occupaturis, per auia iam longo tempore & deuia errantibus, (quorum reſpectu paradiſus certe dici potuit Iudaea) ſic repraeſentari omnino neceſſe fuit, quod prudentiſſime pariter factum. Ceterum magis ſane ad rem foret, ſi Strabonis verba ad caput tertium Exodi citare vellent commentatores, & non confictos iſtos fabulatores, Ariſtaeum, Hecataeum & neſcio, quos alios, qui vtcumque ad litteram falſo interpretati ſint pentateuchi chorographiam, rerum tamen naturam, aut regionis faciem haud quaquam immutare valebant; in *originib. iudaic. p. 139. 140.* Quam inique hic TOLANDVS agat, STRABONEM, hominem ethnicum, qui vt alias errauit, ita hac quoque in re errare potuit, opponendo Moſi, diuino ſcriptori, omnibus eſt longe maniſeſtiſſimum. Sed hoc ei ſollemne eſt. Quam autem id ſine omni fiat ratione, vel inde conſtat, quod alii ſcriptores, non ſacri modo, ſed & profani, quorum non minor, quam STRABONIS, hac in re debebat eſſe auctoritas, in fertilitate Palaeſtinae praedicanda prorſus cum Moſe conſentiant, atque amice conſpirent. Non ARISTAEVM aut HECATAEVM commemorabo; cum horum nullam apud ſe auctoritatem eſſe, iam antea profeſſus ſit TOLANDVS. Nec ad FL. IOSEPHVM prouocabo, cuius elegantiſſimum hac de re exſtat teſtimonium *lib. V. antiquit. iudaic. cap. I.* cum & hunc forte, ceu teſtem domeſticum, quamquam ſine ratione, repudiaturus ſit. Forte CORNELIVM TACITVM non ſpernet, cuius de Iudaea loquentis, haec inter alia verba ſunt: *rari imbres, vber ſolum. Exuberant fruges, noſtrum ad morem. Praeterque eas balſamum & palmae; hiſtor. lib. V. cap. VI.* Pari ratione IVSTINVS, de tractu Hierichuntino loquens: *in ea valle ſylua eſt, & vbertate & amoenitate inſignis, ſiquidem palmeto & opobalſameto diſtinguitur.* Et paucis interiectis: *ſed non miror loci eius apricitatis, quam vbertatis, admiratio eſt, &c. hiſtor. lib. XXXVI. cap. III.* Balſamum terrae Canaan commendat PLINIVS, quod *vni terrarum Iudaeae conceſſum* tradit; *hiſtor. natur. lib. XII. cap. XXV.* Mitto reliqua, ab aliis, quos deinceps laudabo, iam adlata. EVSEBII AC HIERONYMI hic neutiquam in minimis ponenda teſtimonia, quorum alter Caeſareae in Palaeſtina epiſcopus fuit, alter diu in eadem regione commoratus eſt: vterque autem eius & amoenitatem & fertilitatem numquam non laudat; quod recte iam obſeruatum IACOBO FAYO, *loco* deinceps *citando.* Nihil nunc de recentioribus dicam, qui terrae ſanctae deſcriptiones dedere, idque vno velut ore confirmant. Id potius addendum, nec ipſum STRABONEM, ſi modo recte, quae hac de re dicit, conſiderentur, Moſi aduerſari, vt perperam ſibi TOLANDVS perſua-

perſuaderet. Conſtabit enim, totam ſermonis ſeriem, qui exſtat *lib. XVI. p. 761.* conferenti, non de tota Palaeſtina, ſed de tractu Hieroſolymitano, qui etſi fertilitate aliis Palaeſtinae partibus cederet, & ipſe tamen ſua amoenitate commodisque non deſtituebatur, STRABONI ſermonem eſſe. Qua de re eo minus dubitandum, quod alia Palaeſtinae loca ob fertilitatem amoenitatemque diſerte laudauerit. De Hierichuntino tractu verba faciens, eum non tantum palmis abundare dicit, ſed idem illi audit διάῤῥυτος ἅπας καὶ μεςὸς κατοικιῶν, *irriguus totus, & habitationibus plenus*, additque: ἔςι δ᾽ αὐτȣ̃ καὶ βασίλειον καὶ ὁ τȣ̃ βαλσάμȣ παράδεισος; *ibi & regia eſt, & balſami paradiſus; l. c. p. 763.* Similia & alibi occurrunt. At Strabonica (qualem ſupponit TOLANDVS) Iudaeae deſcriptio cum hodierno ſitu & ſoli ſtatu optime concordat. Quem in finem ad *omnes peregrinantes* prouocat. Quo iure, nunc non inquiram. Ingenue potius agam, concedendo, hodiernam Palaeſtinae faciem ei, quam veteres nobis exhibent, non prorſus in omnibus reſpondere. Ecquem vero latet, & aliarum regionum eamdem eſſe ſortem, vt, cum olim beatiſſimae fuerint, nunc ſteriles atque infelices cenſeantur? idque tum ob culturae neglectum, tum ob alias quoque rationes. Quod de Iudaea eo minus mirandum, quia Iſraëlitis terra haecce per modum federis cum Deo obtigerat, inter cuius conditiones ex parte Dei erat fertilitatis augmentum, *Leuit. XXVI. 3. 4.* ex parte Iſraëlitarum, obſequium diuinis mandatis praeſtandum. Cum ergo Iſraëlitae federis conditionibus non ſteterint; a Deo vt praeſtaret, quod illis promiſerat, exigi non poterat. Conf. *Deut. XXIX. 23. 24. Eſa. XXIV. 5. 6. Ezech. XV. 8.* Pendebat terrae huius fertilitas vel maxime a ſufficienti pluuiarum copia: vnde TACITVS: *rari imbres, vber ſolum; l. c.* Pluuias itaque ſi ſubtraheret Deus, non poterat non ſumma inde oriri ſterilitas. Vnde & pluuiarum in promiſſionibus diuinis expreſſa mentio, *Leuit. XXVI. 4.* alibique. Iam cum inſuper ob ſummam gentis huius perfidiam diuinae exſecrationi obnoxia ſit; non, puto, quisquam mirabitur, ſi longe alia hodie eius facies ſit, quam olim fuit. Neutiquam itaque *figurate* accipienda ſunt, quae de fertilitate terrae cananaeae ſcriptura ſacra tradit; quo pacto autem loquendi iſta ratio: *lacte & melle fluere*, intelligenda ſit, iam antea expoſuimus. TOLANDVS porro nihil aliud agit, quam vt cum impietate ſummam mentis impotentiam prodat; cum haud obſcure, Moſen eiusmodi quid commentum, inſinuat, vt *animum & calcar adderet* terram hanc *occupaturis*. Quid vero reliquos ſcriptores, quid IOSEPHVM, quid IVSTINVM, quid TACITVM impulit, vt aut ſimilia, aut eadem dicerent? At comparate forte Moſes ita loquutus eſt, intuitu deſerti, in quo Ebraei hactenus errauerunt! Scilicet ex TOLANDI liberalitate color aliquis veritatis verbis Moſis concedendus eſt. Sed parum memor fuit

rerum,

Digitized by Google

rerum, de quibus verba fecit. In Aegypto enim adhuc conſtitutus haec verba ad Iſraëlitas proloqui iuſſus eſt, *Exod. III. 8.* & proloquutus etiam eſt; comparatione hinc cum Aegypto, regione fertiliſſima, non cum deſertis Arabiae, inſtituta. Add. *Deut. XI. 10.* Plura non addo: conferendi ſaltem, qui TOLANDI petulantiam ex inſtituto caſtigarunt, IACOBVS FAYVS, in *defenſione religionis, nec non Moſis, & gentis iudaicae, part. II. cap. V. p. 201. ſeqq.* ELIAS BENOIST, in *obſeruationibus miſcellaneis, criticis, hiſtoricis, &c.* gallice ſcriptis, *p. 204. ſeqq.* SALOM. DEYLINGIVS, *obſeruation. ſacrar. part. II. obſeruat. IX. p. 104. ſeqq.*

*** Quod prolixius ipſemet deſcribit, *Exod. III. 11. ſeqq.* & *IV. 1. 2. ſeqq.* Vbi multa quidem memoratu digna occurrunt, inter quae illud nobis neutiquam praetermittendum, quod Moſes, cum voluntatem Numinis intellexiſſet, ſtatim de nomine eius quaeſiuerit. *En*, inquit, *iturus ſum ad Iſraëlitas, eisque dicturus: Deus patrum veſtrorum me ad vos miſit; ſi dixerint mihi, quodnam eius nomen eſt? quid eis reponam?* Quae Moſis interrogatio mira videri poteſt. Num enim verum Dei nomen ignorauit? aut ſi non ignorauit, cur a Deo hoc edoceri voluit? Fuerunt equidem nonnulli, qui exiſtimarent, Moſen nomen Dei ignoraſſe, quod eſſet aegyptia foeditate pollutus, adeoque ipſum verum Deum non cognouiſſe. Non procul hinc diſcedere videtur vir doctiſſimus, IOAN. CLERICVS. Cum enim monuiſſet, Deum accurate loquendo, cum vnicus ſit, proprio nomine, quo ab aliis naturis diſtinguatur, non indigere, quia tamen eo tempore multae naturae, eaeque diuerſiſſimae, nomine אלהים indigitatae ſint; Moſen, vtpote nondum diu cum Iſraëlitis verſatum, facile in eam venire cogitationem potuiſſe, exiſtimat, Deum Iſraëlis ſingulari nomine ſolere adpellari, quod adeo quaeſiuerit, vt eo apud Iſraëlitas vteretur. *Homo*, inquit, *in Aegyptiorum disciplinis inſtitutus, nec dum prophetico lumine illuſtratus, errare ea in re, nec periculoſo ſane errore, facile potuit.* At vero, cum Moſes ſuae originis adeo non fuerit neſcius, etiam, cum in aula Pharaonis degeret, vt ſua ſponte, omnibus honorum & deliciarum irritamentis inſuper habitis, communem cum gente ſua ſubire ſortem non dubitauerit; quis ſibi perſuaſerit, eum adeo incurium, rerumque ſuae gentis ignarum fuiſſe, vt, quo nomine apud Ebraeos verus Deus veniret, neſciuerit? Ab omni prorſus hoc abhorret veroſimilitudinis ſpecie. Nec audiendi ſunt, qui curioſitate quadam inductum Moſen, quodnam Deo nomen eſſet, quaeſiuiſſe putant, vt in diuinae naturae arcana eo intimius penetraret; cum id & ab ingenio modeſtiaque Moſis, & a reliquis, quae tum adfuerunt, circumſtantiis, prorſus alienum ſit. Multo minus Iudaeorum commentis immorabimur, cuiusmodi illud ABEN ESRAE eſt, non potuiſſe in nomine שדי Moſen miracula perpetrare, cum illud nomini יהוה proprium ſit; *comment.* ad *h. l.*

b. l. Sed ANDREAE RIVETI quoque, quam ad *h. l.* proponit, diſplicet ſententia, de inſtructione, quae legatis dari ſolet, hanc Moſis petitionem capientis. Verba enim ipſa repugnant. Mihi ita videtur, etſi verum Dei nomen, quo apud Israëlitas veniebat, Moſi neutiquam ignotum eſſet; eum tamen voluiſſe, vt nomen ſuum ipſemet ederet Deus, vt eo maiori fiducia iſta legatione, ſi eam deprecari nequiret, apud Israëlitas fungi poſſet, & hi eius dictis eo facilius fidem adhiberent. Reſpondet itaque Deus: אהיה אשר אהיה *ero, qui ero. Hic*, inquit IOAN. CLERICVS, *vt multi putarunt, non edit nomen ſuum Deus, ſed Moſis quaeſtionem obiter caſtigat. Nam in ſequentibus manifeſto Iehouam ſe vocat &c.* At cum in quaeſtione Moſis, vt antea eam propoſuimus, nihil reprehenſione aut caſtigatione dignum occurrat; non eſt, vt verba iſta Dei ita, prout viro doctiſſimo placet, accipiamus. Rectius itaque cum ONKELOSO, paraphraſte Hieroſolymitano, aliisque praeclaris interpretibus, alii verbum hoc indolem nominis hic accipere, exiſtimarunt. Namque & eadem ratione, quo nomina ſolent conſtruitur, cum dicitur אהיה שלחני *Ehieh miſit me;* & alias haud infrequens, vt a prima perſona futuri temporis nomina formentur. Et licet origine & ſignificatione cum voce יהוה conueniat; punctis tamen vocalibus, formatione, &, vt nonnullis placet, quadam ſignificationis emphaſi, differt. Vid. IOAN. BVXTORFIVS, *diſſert. de nom. diuin. theſ. XXXI. & XXXII.* & AVGVST. PFEIFFERVS, *dub. vexat. cent. I. loc. XXXIV. p. 215.* LXX interpretes vertunt: ἐγώ εἰμι ὁ ὤν: ſenſu quidem, vt IOAN. CLERICVS fatetur, egregio, ſed ex Platoniſmo, vt illi videtur, potius, quam ex loci ſerie, deducendo. Sed cur quaeſo ex Platoniſmo? cum ex ipſo verbo היה vnde אהיה, haec ſignificatio peti queat? Sed pergit Deus, ad Moſen verba faciens: *Sic Israëlitas adloqueris: Iehoua Deus patrum veſtrorum, Deus Abrahami, Deus Iſaaci, Deus Iacobi, ad vos me miſit, hoc nomen mihi in perpetuum &c.* Quae a nonnullis ita accipiuntur, ac ſi hactenus nomen יהוה ignotum fuerit, & nunc demum a Deo indicatum, vt eo in poſterum adpellaretur. Id quod vel maxime *Exod. VI. 3.* confirmari putant, vbi Deus dicit: *Et adparui Abrahamo, Iſaaco & Iacobo,* באל־שדי *ſed nomine meo* יהוה *illis non innotui.* De nomine *Iehouah* ex inſtituto agere, noſtri non fert inſtituti ratio: praeſtiterunt hoc alii, quorum integrae hac de re exſtant commentationes.

Facere autem non poſſum, quin paucis, quae doctiſſimus CLERICVS hac de re in medium attulit, expendam. Quatuor de hac voce diſſentientibus eruditis quaeri, obſeruat: primum, an ante Moſen nota fuerit? ſecundo, quare eam LXX interpretes, veteresque alii Iudaei, graece loquentes, voce κύριος verterint? tertio, an ſit vera pronuntiatio, quae ex punctis ei adpoſitis naſcitur? & quarto denique, quid hac voce ſignificetur? Ad primum quod

quod attinet, eam ante Moſen notam fuiſſe, negat: &, licet in libro geneſeos ſubinde occurrat, hoc tamen per prolepſin fieri, autumat. Pluribus hoc ad *Exod. VI.3.* confirmaturus, non tantum nomen, ſed & id, quod nomine illo ſpeciatim ſignificatur, patriarchis ante Moſen ignotum fuiſſe, contendit, liberationem ſcilicet gentis israëliticae ex Aegypto, & quae hac occaſione miranda prorſus ac ſtupenda perpetrauit. Cum itaque dubium non ſit, quin vox haeccce ab היה *fuit*, deriuetur; ſuſpicatur, Deum vocabulum יהוה ſibi ſumſiſſe, non quod ſua natura ſit, adeoque aeternitate gaudeat, ſed quod efficiat, vt res ſint, quaſi eſſet futurum Hiphil יַהְוֶה aut Piel יְהַוֶּה *faciet, vt ſit.* Graece non ineleganter dici putat, γενεσιεργὸν *exſiſtentiae effectorem*, qua voce CLEMENS Alexandrinus, aliique patres vſi ſunt, ὅς τὴν γένεσιν πάντων ἐργάζεται. Et hanc ſolam ſignificationem & pluribus aliis conuenire locis, variis in medium adlatis exemplis, euincere adnititur. Quae quo loco habenda ſint, adcuratius intelligetur, cum de origine & ſignificatione vocis dicemus. Iam id ſaltem obſeruo, cum toties in geneſi nomen יהוה occurrat, & ita quidem, vt non Moſes ſaltem ipſe, ſed alii, quorum ſermones refert, hoc vſurpent, vix eſſe probabile, προληπτικῶς hoc fieri. Cum Eua exclamauit, ſe habere virum את יהוה *Geneſ. IV. 1.* cum Abraham exſtructo altari nomen יהוה inuocauit, *Geneſ. XII. 7. 8. XIII. 18.* nemo non videt, minime iſta per prolepſin explicari poſſe. Interim de ſenſu verborum *Exod. VI. 3.* variae ſunt interpretum ſententiae, quas alii adferunt. Mihi recte ſentire videntur, qui id ratione certi effectus intelligunt, liberationis ſcilicet populi israëlitici ex Aegypto, ſecundum quem nomen יהוה patribus ignotum fuit. Conf. THEOD. HACKSPANIVS, *not.* ad *h. l.* MICHAEL WALTHERVS. *ſpicileg. controuerſiar. illuſtr. de nomin. diuin. p. 98. & ſeqq.* Huic etiam ſententiae ipſa nominis huius, quam vir doctiſſimus hic adfert, explicatio vel maxime fauet. Si enim יהוה γενεσιεργὸν ſeu *exſiſtentiae effectorem*, vel, quod perinde tandem eſt, *creatorem* ſignificat; talem verum Deum eſſe, vtique patriarchis ante Moſen ignotum non fuit. Ad alteram quaeſtionem reſpondet, Iudaeos poſt captiuitatem babylonicam veritos eſſe, id nomen efferre, vſosque aliis nominibus, adpellatiuis potius, quam propriis; idque vel inde conſtare, quod in libris hoc circiter tempore ſcriptis, nullum huius nominis veſtigium occurrat; quamquam & PHILONIS teſtimoniis hoc confirmet; hinc itaque factum, vt LXX interpretes pro voce יהוה ſubſtituerint vocem κύριος, quod & in ſcriptoribus noui federis obſeruare licet. Recte vtique ſe habent quae vir doctiſſimus de Iudaeis poſt captiuitatem babylonicam, vſu & pronuntiatione nominis יהוה ſe abſtinentibus, docuit. Quod vt initio forte conſilio non malo, ex ſingulari quippe erga hocce nomen reuerentia, factum eſt; deinde tamen in ſuperſtitionem tur-

Digitized by Google

piſſimam degenerauit, ac ſi in rebus grauiſſimis etiam, vbi id ſine profanatione fieri poterat, nomen hoc ſecundum genuinum ſonum pronuntiare nefas eſſet. Haec vero genuina cauſſa eſt, cur & patribus, HIERONYMO, *epiſt. CXXXVI. ad Marcellam*, THEODORETO, *quaeſt. XV. in Exod.* ORIGENI, *hom. XIV. in Num.* GREGORIO Nazianzeno, *orat. IV. de theologia*, hocce nomen ἀνεκφώνητον, ſeu *ineffabile* audiat. Id IAC. BONFRERIVS etiam, ad *Exod. VI. 3.* recte obſeruat, qui & alteram cauſſam addit, quod eius legitima pronuntiatio ignoretur; qua de re deinceps. Non prorſus etiam refragatus fuero IO. CLERICO, LXX interpretes, aliosque Iudaeos, qui graeco idiomate ſcripſerunt, hac ipſa ratione inductos, pro voce יהוה ſubſtituiſſe vocem κύριος; quamquam & haec cauſſa eſſe potuerit, quod meliorem vocem, qua יהוה exprimerent, non inuenirent. Nec adeo inepte hoc fieri cenſendum eſt. Etſi enim vox κύριος vim & ſignificationem vocis יהוה non plene exhauriat; eidem tamen vtcumque reſpondet, ſi κύριος ille κατ' ἐξοχὴν talis, qui iure creationis, & quod omnibus rebus creatis eſſentiam ac exſiſtentiam largitus eſt, omnium eſt Dominus, intelligatur. Sed vt ad tertiam quaeſtionem progrediamur, vir doctiſſimus quidem ita cenſet, cum illa de celanda nominis diuini prolatione conſuetudo dudum inualuiſſet, addita libris ſacris eſſe puncta: cumque pro יהוה in lectionibus publicis ſubſtitueretur אדני, huius vocis puncta illi eſſe addita: vnde colligit, Iehouah non eſſe propriam vocis prolationem, ſed illis potius ſuffragatur, qui יהוה olim IAHAVOH, vel IAHVOH pronuntiatum exiſtimant; quod & variis confirmare rationibus adnititur. Non eſt huius loci, iſtam, quae hac de re inter viros doctos intercedit, componere litem. Legi poſſunt atque merentur diſſertationes virorum eruditiſſimorum, DRVSII, AMAMAE, CAPPELLI, BVXTORFII, ALTINGII, itemque FVLLERI, GATAKERI, LEVSDENII, quas laudabili inſtituto ſub titulo: *decas exercitationum philologicarum, de vera pronuntiatione nominis Iehoua*, vno faſciculo edidit HADRIANVS RELANDVS, & quorum quinque priores puncta nominis יהוה genuina eſſe negant, reliqui adfirmant. Hinc in compendio, quibus pars vtraque nitatur rationibus, diſcere licet. Id ſaltem moneo, ſi ſupponatur, quod IOAN. CLERICVS contendit, puncta tum demum textui addita, cum opinio de celanda diuini nominis prolatione iam dudum inualuiſſet, probabile omnino videri, voci יהוה genuina puncta addita non eſſe. Id vero cum non concedatur ab omnibus, luculentis prius rationibus euincendum eſt. At ſi puncta litteris coaeua ſtatuantur, vix ſibi quiſquam perſuadebit, Iudaeos, puncta genuina tollere, & in illorum locum alia ſubſtituere, auſos. Vltima, denique quaeſtio eſt, de genuina vocis huius ſignificatione. Plerique eſſentiam Numinis independentem, qua ſolus verus Deus natura ſua eſt, cetera omnia eius voluntate e nihilo emerſerunt,

Digitized by Google

runt, hac voce deſignari, autumant. Quae tamen ſententia displicet IOAN. CLERICO, qui, patres graecos ex Platonica philoſophia eam hauſiſſe, putat; ſine praegnanti, vt ego equidem exiſtimo, ratione. Ipſa enim nominis huius a verbo היה origo, facile omnes, vt in eam ingrederentur, inducere potuit. Non magis ei ſe probant, qui, hac voce aeternitatis ſignificationem contineri, volunt, vt י quidem futurum tempus ſignificet, הו vero quae ſunt initiales litterae participii praeſentis, praeſens; ה denique, quae vltima eſt littera praeteriti, praeteritum; quod & Ioannem *Apoc. I. 4.* expreſſiſſe putant, cum Deum ita deſcribit: ὁ ὢν, ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος; licet enim concedat, aeternitatem Numinis a Ioanne ſignificari, non tamen liquere, an voce יהוה idem ſignificetur, anue Ioannes eam iſta περιΦράσει exprimere voluerit. Contendit tandem, veroſimillimum ſibi videri, hac voce idem ſignificari ac *qui facit, vt ſit, quod futurum dixit*, vel, vt ad *cap. VI. v. 3.* mentem ſuam exprimit, *qui facit, vt aliquid exſiſtat;* vti iam antea diximus. Rectius itaque de vocis huius ſignificatione ſentit, quam IO. CRELLIVS atque SIMON EPISCOPIVS, qui יהוה non nomen, ſed verbum eſſe, contendunt, quo nihil aliud, quam conſtantia Dei in ſeruando promiſſo, Iſraëlitarum maioribus olim dato, ſignificetur; contra quos ex inſtituto diſputat IO. HENRICVS MAIVS, in *diſſertationibus ſacris in loca ſelectiora vet. teſtament. loc. II. cap. I. p. 112. ſeqq.* Interim ea, quam primo loco propoſuimus, reliquis omnino praeferenda eſt ſententia, voce iſta illum ſignificari, qui ſua natura eſt, nec ab alio exſiſtentiam habet, quam rebus omnibus potius, ex libera voluntate largitur. Nihil autem obſtat, quo minus cum ea etiam ſignificatio, quam IOAN. CLERICVS huic voci tribuit, coniungatur. Namque hoc ipſo, dum Deus ſua natura ita eſt, vt non ſit ab alio, ſimul is eſt, a quo reliqua omnia exſiſtentiam habent, γενεσιουργός, vt viro docto loqui placet, ſet *exſiſtentiae effector.* Ita non tantum origo vocis a verbo היה ſibi conſtat, ſed locis quoque ſcripturae omnibus, in quibus vox haec occurrit, haec ſignificatio egregie conuenit.

Sed prius quam hinc diſcedam, paucis attingenda eſt ſtoliditas hominis, omnium, quos vmquam orbis tulit, impudentiſſimi, IOAN. TOLANDI, qui, vt Moſen in pantheiſtarum, quos ceteroquin Spinoziſtas vocant, numerum referre non veretur; ita inter alia impietatis praeſidium in ipſo nomine ſanctiſſimo יהוה quaerit. *Hinc ſibi volunt*, inquit, *ſacroſanctum & ineffabile nomen IEHOVAH adſtipulari, cum neceſſariam ſolummodo exiſtentiam, vel illud, (quidquid ſit) quod per ſe exiſtit, emphatice ſignificet; eodem plane ſenſu, qua τὸ ὢν Graecorum, mundum incorruptibilem, aeternum & interminabilem, plerumque denotat;* in *originib. iudaic. p. 157.* Sed ſciens volensque & fallit & fallitur TOLANDVS. Vox יהוה enim equidem ens neceſſarium,

 ſeu

ſeu quod ſua natura, non ab alio, eſt, denotat, ſed tale ſimul ens, quod & liberrimum eſt, & intellectu ac ſapientia praeditum, adeoque ab hoc vniuerſo ſeiunctum ac ſeparatum. Ex ipſo enim Moſe dicere potuiſſet, ſi mens non laeua fuiſſet, voce יהוה illum ſignificari, qui mundum ex nihilo creauit, qui patriarchis ſaepius adparuit, & cum iis loquutus eſt, variasque & egregias promiſſiones dedit, qui ipſe dixit, *ego ſum, qui ſum, Iehouah eſt nomen meum*, qui Moſen in Aegyptum miſit, vt inde populum iſraëliticum educeret, qui ſtupenda & admiranda prorſus per Moſen perpetrauit, & ſic porro. Iam ſi per יהוה ipſum hoc vniuerſum, ſeu totius mundi machina intelligeretur, ſenſus foret, totius mundi machinam creaſſe mundum, patriarchis adparuiſſe, & praeclaras iis dediſſe promiſſiones, miſiſſe Moſen in Aegyptum, vt inde educeret populum iſraëliticum &c. Vnde porro ſequitur, auctorem pentateuchi, qui talia ſcripſit, aut non ſanae mentis fuiſſe, aut data opera imponere orbi voluiſſe. Quod poſterius etſi TOLANDVS velit, numquam tamen probabit; immo ſi omnes ingenii vires intenderit, nihil aliud aget, quam vt ſtolidam ſuam impietatem magis magisque prodat. Add. IAC. FAYVS, in *defenſione relig. nec non Moſis, ac gentis iudaic. part. II. cap. IV. p. 192. ſeqq.*

§. IV.

Ad ſocerum reuerſus, ab eoque impetrata conſanguineorum inuiſendorum, qui in Aegypto erant, venia, ſimulque certior a Deo factus, obiiſſe iam, qui ob Aegyptium interfectum poenam ab eo ſumere vellent, itineri ſe accinxit, adſumtis ſecum vxore & liberis. In itinere conſtituto denuo Deus adparuit, &, quae agere, quaeue dicere in Aegypto deberet, indicauit: mox in praeſentiſſimum vitae periculum, quod alterum filiorum hactenus incircumciſum eſſe paſſus eſſet, adductus eſt, quod tamen ſtatim, ac Zippora arrepto acuto ſilice praeputium filio circumcidiſſet, ceſſauit.* Iter proſequenti, Numinis inſtinctu, quod ei etiam Deus praedixerat, Aaron frater ad montem Chorebum obuiam factus; quocum, cum, quae ſibi a Deo iniuncta erant, communicaſſet, in Aegyptum profecti, ſenioribus Iſraëlitarum, quae in mandatis habebant, expoſuerunt.**

* Rem valde memorabilem plenius enarrare iuuat. Cum in via Moſes eſſet, in loco, in quo pernoctabant, *occurrit ei Iehouah, eumque occidere volebat; Exod. IV. 24.* ONKELOS pro Iehouah habet מלאכא דיי *angelus Iehouae;* quemadmodum & LXX interpretes vertunt: ἄγγελος κυρίου. Quod ſi de angelo increato intelligerent, admitti poſſet. Creatum intelligere, nefas; cum diſerte vocetur יהוה. Forte ſibi perſuaſerunt, indignum Deo eſſe, ſi ipſe-

ipſemet ad hoc miniſterium deſcendiſſet. Sed id praeter rationem. Magis adhuc abſona illorum eſt ſententia, qui omnino angelum malum fuiſſe putant, qui mortem Moſi intentauerit. Huc illud ORIGENIS adſertum tendit, neceſſariam olim circumciſionem fuiſſe, *propter aliquam infeſtum Iudaeorum genti angelum;* quod ex hoc ipſo loco *Exod. IV. 26.* probare ſatagit; *lib. V. contra Celſum, p. 263.* Dubitanter tamen hac de re loquitur: καὶ τάχα διά τινα πολέμιον τῷ Ἰουδαίων ἔθνει ἄγγελον αὐτὴ ἐτελεῖτο, δυνάμενον μὲν σίνεσθαι τοὺς μὴ περιτεμνομένους αὐτῶν, ἀτονοῦντα δὲ ἐν τοῖς περιτεμνομένοις, *& fortaſſe propter aliquem infeſtum Iudaeorum genti angelum ipſa inuenta eſt, qui poſſet non circumciſos laedere, circumciſos non item.* ORIGENI ſuffragatur IOAN. SPENCERVS, qui. *non temere,* inquit, *coniicitur, circumciſionem ſignum* προφυλακτικὸν *fuiſſe, & ad cacodaemonis iniurias a perſonis omnibus, illo charactere munitis, propulſandas, ex Dei gratia valuiſſe;* de *legibus Ebraeorum ritualib. lib. I. cap. IV. ſect. II. p. 62.* Quae commenta, vt viro ſapiente prorſus indigna ſunt; ita tantum abeſt, vt in hocce loco praeſidium inueniant, vt inde potius refelli queant. Ipſe enim Iehouah fuit, qui Moſen occidere voluit. Quemadmodum vero nobis ignotum eſt, qua ſpecie Dominus Moſi adparuerit; ita neceſſe eſt, vt ex certo ſigno, e. g. ſtricto gladio, aut ſimili, Moſes intellexerit, mortem ſibi intentari, idque eam ob cauſſam, quod filium alterum non circumcidiſſet: id enim verbis diſertis addidiſſe Dominum, probabile eſt, immo ex ſequentibus colligitur. Cauſſas Deo grauiſſimas fuiſſe, cur tam grauiter Moſi ſuccenſeret, non eſt, quod dubitemus. Eum certe, vt futurum legislatorem in obſeruandis diuini federis conditionibus adcuratiſſimum eſſe oportebat, vt reliquis praeiret exemplum. Nec incommoda itineris ſuſcipiendi, ab obſequio diuinis inſtitutis praeſtando, eum auertere debebant. Fieri interim potuit, vt Zippora vxor quam maxime reluctaretur. Gerſomum primogenitum circumciſum vel inde colligas, quod vnius tantum filiorum Moſis hic iniiciatur mentio. Eius exemplo cum didiciſſet Zippora, quanti periculi res eſſet, tenellis infantum corporibus cruenta dolorumque plena circumciſione vim inferre, praeſertim cum & intellexiſſet, a marito mox iter ſuſcipiendum eſſe; puerum, quem haud ita pridem enixa videtur, circumcidere noluit. Adnuit tandem Moſes, precibus & querelis vxoris aliquid dandum, ratus; ſed ſanctiſſimum Numinis praeceptum hoc ipſo inſuper habens, grauiſſimam eius in ſe concitauit iram. At mariti periculum videns Zippora, non diutius cunctata, arrepto ſilice, praeputium puero amputauit. Inſtrumentum enim, quo circumciſio peracta, ipſemet Moſes צור vocat, quo *acutum ſilicem* ſignificari, ex *Ioſ. V. 2.* conſtat, vbi Ioſua ad populum circumcidendum חרבות צרים, hoc eſt, vt LXX habent, *μαχαίρας πετρίνας*, *cultros ſiliceos*

fecit]e

feciſſe dicitur. Apud Aegyptios lapidem aethiopicum in cultros acutum fuiſſe, ex HERODOTI *lib. II. cap. LXXXIII.* iampridem viris eruditis obſeruatum eſt. Ceterum circumciſione peracta, Zippora praeputium filii *ad pedes eius* proiecit: num pueri, an Moſis? Prius praeter alios amplectitur IOAN. SPENCERVS, qui & verba Zipporae כי חתן דמים אתה לי *quia ſponſus ſanguinum es mihi*, non ad Moſen, ſed ad puerum refert; indeque porro colligit, non animo irato haec verba a Zippora prolata, ſed potius pio ac religioſo, quippe quae his verbis puerum Deo velut deſponſatum, ac in eius fedus receptum, teſtari voluerit. *Eos itaque*, inquit, *fugit veritas, qui ſentiunt, Zipporam e feruore quodam muliebri, & vt bilem ſuam in maritum euomeret, ea verba protuliſſe, quaſi Moſes in cauſſa fuiſſet, quod ritu tam ſanguineo tenerum filioli ſui corpus mutilare cogeretur;* de *legib. Ebr. ritualib. lib. I. cap. IV. ſect. V. p. 81.* Fauere huic ſententiae videtur ONKELOS, certe huc trahitur a SPENCERO, haec verba ita reddens: *propter ſanguinem circumciſionis huius detur nobis ſponſus.* At mentem ſuam paraphraſtes deinceps clarius ita exprimit: *ſine ſanguine circumciſionis huius damnatus erat ad mortem ſponſus meus.* Vnde liquet, ad Moſen ipſum potius, quam puerum, eum haec verba retuliſſe. Quod nonnulli ex recentioribus Iudaeis obſeruant, matres in gente ebraea filium recens circumciſum חתן *ſponſum* adpellare, itemque apud Arabes *chatana* idem eſſe, ac *circumcidere*, nihil ad rem facit. Ex ipſo contextu enim ſatis liquet haec verba ad Moſen referri; & חתן דמים ſecundum receptum in ſcriptura loquendi modum, eum ſignificat, qui cauſſa eſt, vt ſanguis effundatur. Iam ſi cogitemus, Zipporam circumciſionem filii declinaſſe, ſenſus profecto planus facilisque inde reſultat, eam ſubiratam, quod inuita facere cogeretur, quod hactenus recuſauerat, proiecto ad Moſis pedes pueri praeputio, hoc ei exprobraſſe, eumque *ſponſum ſanguinum*, hoc eſt, talem, qui cauſſa fuerit, vt ſanguinem filioli effundere cogeretur, vocaſſe. Add. SALOM. DEYLINGIVS, *obſeruation. ſacrar. part. II. obſeruat. X. p. 113. ſeqq.*. Videtur autem Moſes hoc tempore, aut paullo poſt, vxorem ſuam cum filiis ad ſocerum remiſiſſe, forte, quod videret, eam in rebus, quae iuſſu Numinis perficienda erant, impedimentum aliquod adlaturam. Hinc poſt exitum ex Aegypto, cum in deſerto Israëlitae verſarentur, Iethro Zipporam cum filiis ad Moſen adduxit, *Exod. XVIII. 2. 3. 4.* vbi & *verſ. 2.* diſerte dicitur, quod Moſes eam ad patrem remiſerit.

** Haec omnia, vt &, quae §. *praecedenti* diximus, ex *Exod. III. & IV.* ſatis conſtant.

§. V.

Maximis hinc in Aegypto, prorſusque ſtupendis, ad pertinaciam Pharaonis expugnandam, editis miraculis, tandem Israëlitarum

rum gentem, ſpoliis Aegyptiorum onuſtam, inde per mare rubrum eduxit. * Hinc in deſerto cum populo iſraëlitico progreſſus, ad montem Sinai peruenit, vbi Deus, fœdere cum populo iſraëlitico inito, decalogum, ſeu ſummam legis moralis ſollemni ratione promulgauit, cui deinceps & alias ad cultum ſacrum ſpectantes adiecit, idque mediatore & internuntio Moſe, qui ideo aliquoties in montem adſcendit, ibique cum Deo colloquutus eſt. **

* De hiſce omnibus fuſius & ex inſtituto ad §. XII. & ſequentes dicetur. Hic iſta ὡς ἐν παρόδῳ attinguntur, vt ſeries rerum a Moſe geſtarum ſibi conſtet. Non autem abs re fuerit, generatim de miraculis a Moſe editis hic quaedam obſeruare; cum hoc vel maxime ad hiſtoriam eius ſpectet. Veritas eorum, ſeu quod reuera iſta, quae narrat, miracula opera eius edita ſint, inde ſatis conſtat, quod nulla praegnans adferri ratio queat, cur fides eius in dubium vocanda ſit; cum plurima contra praeſto ſint, cur eam in dubium vocare nefas ſit. Hoc ab aliis ſatis euictum, praeſertim ab EDVARDO STILLINGFLEETO, in *originibus ſacris, lib. II. cap. III. p. 256. ſeqq.* vbi & quaeſtiones grauiſſimas, quando miracula exſpectanda ſint, & vnde vera eſſe intelligantur, expedit. Idem vero, externorum etiam ſcriptorum teſtimoniis comprobari poteſt. Luculentum eſt illud NVMENII apud EVSEBIVM, *lib.* IX. *praeparat. euangel. cap.* VIII. *p.* 411. *Deinceps vero* (ita NVMENII verba refert EVSEBIVS) *Iannes & Iambres, ſcribae rerum ſacrarum aegyptii, quo tempore Aegypti finibus eiecti Iudaei ſunt, claruere, viri omnium iudicio rerum magicarum ſcientia nemini concedentes. Quippe ambo quidem communi Aegyptiorum conſenſu delecti ſunt, qui Muſaeo duci Iudaeorum, cuius apud Deum potentiſſimae preces erant, ſeſe opponerent, adeoque grauiſſimas quasque calamitates a Muſaeo in Aegyptum inuectas, omnium in oculis diſſoluere potuerunt.* Quibus ex NVMENIO relatis recte ſubiicit EVSEBIVS: Διὰ δὴ τούτων ὁ Νεμήνιος καὶ τοῖς ὑπὸ Μωσέως ἐπιτελεσθεῖσι παραδόξως θαύμασι, καὶ αὐτῷ δὲ ὡς θεοφιλεῖ γενομένῳ μαρτυρεῖ. *Quibus ſane verbis Numenius cum editorum a Moſe miraculorum, tum diuini erga ipſum amoris, conſignatam fidem ac teſtatam reliquit.* Factum hinc, vt Moſes apud ethnicos magiae inſimularetur. Id vel PLINII teſtimonio conſtat: *Eſt & alia magices factio a Moſe & Iamre & Iotape Iudaeis pendens, ſed multis millibus annorum poſt Zoroaſtrem; hiſt. natur. lib. XXX. cap. I.* Quae eius verba licet miram confuſionem prodant; id tamen ſatis indicant, magis olim adnumeratum Moſen, idque ob miracula ab eo perpetrata. HVGO GROTIVS, ex ipſa Iudaeorum in patriis inſtitutis retinendis conſtantia, haud contemnendum pro veritate miraculorum Moſis argumentum depromit. *Quod ſi quaeratur*, inquit, *quae ſit cauſſa, cur iudaica religio in Ebraeorum omnium animos tantas egerit*

rit radices, vt euelli nequeat, nulla poterit alia adſerri aut fingi, quam quod, qui nunc ſunt, a ſuis parentibus, vt illi rurſum a ſuis, atque ita porro, donec ad eos veniatur, qui Moſis ac Ioſuae aetate vixerunt, certa ac conſtanti traditione acceperint ea miracula, quae tum alias, tum maxime in ipſo Aegypti exitu atque itinere, & Cananaeae ingreſſu contigerunt, &c. de *verit. chriſt. relig. lib. I. §. XIV.* Iungenda, quae pro veritate miraculorum Moſis diſſerit PETRVS ALLIXIVS, in *conſideratione rationab. libror. ſcripturae, ad chriſtianae relig. veritatem defendendam, lib. II. cap. III. & IV.* Dubium vero inde maxime oriri poterat, quod magi aegyptiaci pari ratione, ac Moſes, feciſſe dicantur, *Exod. VII. v. 11. 12.* Etenim, ſi magis ſpiritibusque malignis non minus, quam ipſi Deo, poteſtas miracula faciendi tribuatur; omnis vis atque vſus miraculorum, praeſertim in veritatis confirmatione, euaneſcere videtur. Qua de re ita ſentio: etſi ſpirituum finitorum, ſeu angelorum, tum bonorum, tum malorum, potentia multo maior ſit, quam hominum; etſi etiam nobis adeo certo non conſtet, quos illorum potentia habeat limites; hoc tamen certum, eos miracula proprie ſic dicta efficere non poſſe. Miraculum autem proprie ſic dictum voco, vbi aliquid fit, in quo reuera ipſius naturae leges ſuſpenduntur. Has vero vt ſolus Deus dedit, atque conſtituit; ita eas ſuſpendere, itidem ſolius Dei opus eſt. At per naturalium cauſſarum, & quidem occultarum, combinationem aut directionem aliquid efficere, quod hominibus mirabile videatur, etſi reuera non ſit miraculum, non eſt poſitum ſupra vires ſpirituum creatorum. Atque haec cum ita ſe habeant; fidenter adſero, ea, quae Aegyptiorum magi perpetrarunt, meras fuiſſe praeſtigias, ſed diabolicas, non autem miracula proprie ſic dicta. Quod luculentius demonſtrare poſſem, ſi illa, quae perpetrare, & quae non perpetrare potuerunt, expendere ſigillatim, inſtituti ratio permitteret. Inde vero & illud conſtat, excuſandum minime Pharaonem, quod Moſis miraculis fidem non habuerit; cum praeſtigias a veris miraculis diſcernere, haud adeo difficile fuiſſet. Diiudicanda hinc, quae hac de re diſſerit GVILIELMVS FLEETWOOD, in *inueſtigatione ſolida miraculorum*, qui liber ex anglicano idiomate in germanicum translatus prodiit Lipſiae M DCC V. 8. Sunt &, qui generatim de miraculis eiusmodi hypotheſes fouent, per quas veritas miraculorum Moſis non poteſt non infringi atque labefactari. Huc cumprimis illi pertinent, qui, naturam rerum repugnare, putant, quo minus eiusmodi miracula fieri queant, qualia facta Moſes narrat. Paucis: cum miracula inter ἀδύνατα referant, reuera omnia negant. Quo ipſo, palam in diuinam omnipotentiam ſeſe iniurios eſſe, demonſtrant. Hac enim poſita non video, quid obſtet, quo minus edi eiusmodi miracula potuerint, qualia edita Moſes narrat. Immo ex rationibus etiam philoſophicis demon

ſtra-

Digitized by Google

ſtrari poteſt, miracula, quorum in ſcriptura mentio fit, nullam inuoluere contradictionem; quod ingenioſe ſatis oſtendit BERNHARDVS CONNOR, in *euangelio Medici de ſuſpenſis naturae legibus*, ſiue *de miraculis;* quamuis non omnia in hocce libro probanda ſint. Nimirum generatim probe tenendum, vt impiorum hominum ſophiſmatibus occurratur, miracula non eſſe ἀδύνατα, interim tamen vera miracula, hoc eſt, talia opera, quae ſolius Dei virtute atque potentia edi queant. Duo itaque extrema, vt via recta atque tuta incedamus, hic euitanda ſunt: alterum eorum, qui miracula prorſus negant, aut inter ἀδύνατα referunt; alterum eorum, qui, diuinam omnipotentiam ad miracula non requiri, exiſtimant. Intelligere vero hinc etiam licet, quam inepte pariter ac impie de miraculis ſentiat BENEDICTVS DE SPINOZA, qui prolixe de iis verba facit in *tractat. theolog. polit. de libertate philoſophandi, cap. VIII.* Summa huc redit: *miracula eſſe res mere naturales, & omnia, quae in ſcripturis vere narrantur contigiſſe, ea omnia ſecundum leges naturae neceſſario contigiſſe.* Scilicet, cum Moſes iuſſu Dei aquam in ſanguinem conuertit, cum baculus in ſerpentem mutatur, cum ranae ſubito vndiquaque erumpunt, cum mare in partes ſcinditur, vt ſicco pede transeant Iſraëlitae, cum aqua ex petra elicitur; haec ſecundum leges naturae neceſſario contigerunt: quis non miretur hominis ſtultitiam? Fundamentum eius, *quod omnia fiant neceſſitate naturae, quod potentia naturae ſit ipſa potentia Dei &c.* ſummam hominis & impudentiſſimam impietatem, atque atheiſmum apertum, prodit. Vnde, quo loco, quae eidem ſuperſtruxit, habenda, patet. Sed haec iam ſatis diſcuſſa ſunt ab aliis. Id ſaltem addo, eos, qui omnem mouent lapidem, vt miracula Moſis extenuent, & ex cauſſis naturalibus ea deriuare volunt, quae diuinam potentiam manifeſto arguunt, iuſtam itidem aliorum reprehenſionem incurrere. Etſi enim miracula non ſint ſtatuenda ſine neceſſitate; non tamen & ſine rationibus manifeſtis neganda ſunt, vel ad cauſſas naturales reuocanda, quibus Deus demonſtrare voluit, ſe naturae dominum eſſe, eiusque leges pro lubitu tollere atque ſuſpendere poſſe.

** Operae pretium fuerit, quae Moſis in iſta legatione partes fuerint, & quoties ad Deum in montem adſcenderit, paullo diſtinctius exponere. Primo quidem in montem euocatus eſt, cum Deus ei indicaret, ſe fedus cum gente ebraea initurum, legesque ceu formulam federis ſollemni ratione iis promulgaturum. Hoc dum Moſes populo ſignificat, populique, ſe ad omnia promtum paratumque demonſtrantis, reſponſum ad Deum perfert, & populo iterum, quo pacto ſe ad ſollemnem legis promulgationem praeparare debeat, indicat; aliquoties a Deo ad populum, & a populo ad Deum iuit rediitque; *Exod. XIX. 3. ad 16.* Hinc cum dies promulgationis illuxiſſet; Moſes iterum, educto ad montem

populo, propius ad Deum acceſſit, populo extra fines a Moſe deſcriptos conſiſtente, atque cum Deo clara voce loquutus, vt tum eius verba, tum Dei reſponſa audiret populus, inque ipſum montis cacumen a Deo euocatus, populum monere iuſſus eſt, vt cum ſacerdotibus fines deſcriptos neutiquam transgrederetur, cum fratre Aarone autem montem iterum conſcenderet, *Exod. XIX. v.19. ad 25.* Licet itaque *verſ. 25.* Moſes mandata diuina exſequuturus deſcendiſſe de monte dicatur; nullum tamen eſt dubium, quin cum fratre Aarone iterum, ſaltem aliquousque adſcenderit, quippe quod Deus *Exod. XIX. 24.* diſerte mandauerat. Falluntur itaque, qui putant, Moſen eo tempore, quo decalogus promulgatus eſt, non fuiſſe in monte, ſed in eodem ordine & loco cum populo conſtitiſſe. Hoc autem ideo obſeruandum, vt conſtet, etiam in decalogi promulgatione internuntium fuiſſe Moſen, vt & hoc modo lex per Moſen data recte intelligatur. Moſen vero eo tempore, cum decalogus promulgaretur, in monte fuiſſe, etiam ex *Exod. XIX. 9. Deut. V. 5. 6. 7. Actor. VII. 38.* luculenter euincitur. Conf. HERM. WITSIVS, in *oeconomia feder. Dei cum hominib. lib. IV. cap. IV. §. VIII. p. 614.* Decalogo itaque a Deo ipſo, praeſente in monte Moſe & Aarone, promulgato, Moſes iterum ad populum deſcendit, tumque eum rogauit populus, vt in poſterum eius apud Deum interpres eſſet, ob periculum mortis, cui ſe expoſitos putabant, ſi ipſum Deum porro loquentem audirent, *Exod. XX. 19.* Moſes, cum populum bono animo eſſe iuſſiſſet, iterum ad Deum, nubem caliginoſam ingreſſus, acceſſit, legesque illas accepit, quae *Exod. XX. 22. ſeqq.* item *cap. XXI. XXII. & XXIII.* memorantur. Quod vero *cap. XXIV. 1. 2.* dicitur, non ita capiendum, ac ſi tum denuo ad Deum adſcenderit, cum deſcendiſſe non legatur, ſed Deus ſaltem ibi exponit, quousque Aaronem, Nadabum, Abihuum, Ioſuam, & ſeptuaginta ex praecipuis Iſraëlis ſenibus ſecum adſumere poſſet, ſi in poſterum iterum ad ſe adſcenſurus eſſet. Finita iſta Numinis oratione, Moſes de monte deſcendit, populo, quae a Deo acceperat, exponit, federisque inter Deum & populum initi ritus ſollemnes celebrat, *Exod. XXIV. 3. ad 12.* Hiſce rite peractis, iuſſu Numinis Moſes iterum montem conſcendit, *Exod. XXIV. 12.* prima vice dies noctesque quadraginta ibi commoraturus, *v. 18.* Tum leges illas accepit, quae exſtant *Exod. XXV. XXVI.* ſequentibusque, vsque ad *cap. XXXII.* Prolapſo hinc in idololatriam populo, Moſes de monte deſcendit, punitisque idololatris, iterum eodem adſcendit, pro populo interceſſurus, *Exod. XXXII. 30. ſeqq.* Tum cum itidem quadraginta dies totidemque noctes apud Deum commoratum, ex *Deut. IX. 18.* diſcimus; quamquam hac de re nonnulli aliter ſentiant, quorum rationes legi poſſunt apud IAC. BONFRERIVM, ad *Exod. cap.* XXXIV. 28. Poſthaec ea contigerunt, quae *Exod.* XXXIII. narran-

rantur. Tum vero confectis duabus tabulis lapideis, prioribus ſimilibus, iterum Numinis iuſſu montem conſcendit, *Exod. XXXIV. 1. 2.* rurſusque quadraginta dies totidemque noctes ibi commoratus eſt, *ibid. v. 28.* Vt adeo Moſes tribus vicibus, quadraginta dies totidemque noctes apud Deum in monte permanſerit. Quo pacto autem legislatores gentium, ad imitationem Moſis, ſe leges ſuas a Deo accepiſſe, commenti ſint, vt Zamolxis Thracum legislator a Veſta, Minos Cretenſium a Ioue, Lycurgus Laconum ab Apolline, Numa Romanorum ab Egeria dea &c. aliis iam obſeruatum eſt. Reliqua ad hiſtoriam legislationis Moſaicae ſpectantia ediſſerentur in ſequentibus ad §. *XVIII.*

§. VI.

Dum federis Deum inter & Iſraëlitas initi, ſollemnibus rite celebratis, Moſes iterum montem adſcendit, * ibique quadraginta dies noctesque commoratur; Iſraëlitae, morae iſtius diuturnae impatientes, deque Moſis reditu deſperantes, in foediſſimam prolabebantur idololatriam. Quod cum Moſi a Deo ipſo indicatum eſſet; primo quidem precibus ſuis iram Dei a populo auertit, tum de monte deſcendens, populum choreis ludisque indulgentem circa idolum conſpicatus, tabulas lapideas a Deo ſibi datas, quibus ſumma legis diuinae inſcripta erat, prae indignatione abiectas confregit, ** vituloque combuſto, *** & Aarone obiurgato, idololatras occidi iuſſit.

* *Exod. XXIV. 12.* Series rerum ex iis, quae ad §. *praecedentem* diximus, patet.

** Ex indignatione, & quidem iuſtiſſima, hoc feciſſe Moſen, non eſt, quod dubitemus. Nec peccauit, dum illud fecit, certe a Deo ideo reprehenſus non legitur. Immo non deſunt, qui, ex inſtinctu quodam diuino tabulas eum confregiſſe, putant, idque, vt Iſraëlitas eo magis rupti federis conuinceret, pudoremque illis ac terrorem incuteret; tum &, vt demonſtraret, eos, per ſacratiſſimi federis violationem, indignos ſe diuinae praeſentiae ſymbolo feciſſe. Iudaei, qui inter maximas, quae genti ſuae contigerunt, calamitates & hanc tabularum legis confractionem referunt, factum hoc volunt die XVII menſis IV, ſeu Thammus, qui Iunio apud nos reſpondet, eoque non minus ob fractas tabulas, quam ob vrbem expugnatam, ieiunium obſeruant. Multa etiam eorum tum de prioribus hisce, quas Moſes confregit, tum de poſterioribus tabulis exſtant commenta; quibus non immorabimur. Saniora ſunt, quae hac de re obſeruat HERM. WITSIVS, de *oeconom. feder. Dei cum hominib. lib. IV. cap. IV. §. XIX. ſeqq. p. 619. ſeqq.*

*** Hinc nonnulli colligunt, chemicae

micae artis peritum fuiſſe Moſen, eamque ab Aegyptiis didiciſſe. Qua de re iam ſupra ad *period. I. ſect. III.* §. *XXIV.* dictum eſt. Reliqua ex *Exod. XXXII.* conſtant, diceturque de iis pluribus in ſequentibus ad §. *XIX.*

§. VII.

Poſtero die, vocatum ad concionem populum verbis grauiſſimis caſtigauit, moxque in montem reuerſus eſt, iram Numinis denuo deprecaturus. * Placato hinc ſollemni populi iſraëlitici poenitentia Numine, Moſes repetita de angeli, qui hactenus illis praeiuerat, praeſentia, in poſterum quoque illis concedenda, promiſſione confirmatus, ** iuſſu Numinis, paratis antea duabus aliis tabulis lapideis, prioribus, quas confregerat, ſimilibus, iterum in montem Sinai adſcendit, gloriamque ac maieſtatem Dei, ſed a tergo conſpicatus, *** iterumque de Numinis erga Iſraëlitas voluntate certior redditus, * denuo decalogum tabulis lapideis a ſe adlatis Dei manu inſcriptum accipit, tumque ad Iſraëlitas redit, ſed facie, ex conſpectu Dei ita fulgente, ** vt velamine eam obtegere, ſi cum populo loqui vellet, neceſſe eſſet.

* *Exod. XXXII. 30. ſeqq.* Tum cum altera vice quadraginta dies, totidemque noctes apud Deum in monte commoratum, iam ad *§. praeced.* obſeruauimus. Ceterum Moſes, precibus ardentiſſimis pro populo intercedens, ſui ipſius velut oblitus, aut prae nimio amore ſuam ſalutem ſaluti populi poſtponens, ex *libro vitae* ſuum potius deleri nomen cupit, quam populum iſtum iram Numinis atque vindictam experiri, *Exod. XXXII. 32.* Dediuinis enim rebus more humano loquens, librum Deo tribuit, in quo electorum nomina velut inſcripta ſint, vt ipſemet Ebraeorum omnium, populi cenſum agens, nomina libro inſcripſerat. Non autem hoc ita capiendum, ac ſi Moſes exiſtimauerit, poſſe decretum Numinis mutari, vt, quos intuitu fidei finalis aeternae felicitati deſtinauit, praeter omnem illorum culpam aeternis cruciatibus adiudicet; aut ac ſi ſimpliciter optauerit, vt nomen ſuum ex libro vitae expungeretur, ſed amoris magnitudine velut abreptus ἀδύνατα petiit. Ne vero prorſus abſoni aliquid optaſſe Moſen cenſeamus; conditio ſubintelligenda eſt: *ſi fieri poſſit.* Ita enim adfectus eius vehementiſſimus exprimitur, nec tamen quidquam, quod eum non decebat, petiit. Simile eſt votum Pauli, anathema pro fratribus fieri, optantis, ſi fieri poſſet; de quo pluribus dictum in *inſtitut. theolog. mor. part. I. cap. I. ſect. IV.* ad *§. CXXIII. p. 207. (edit. nou. p. 151.)* Reſponſum Numinis ſic etiam rectiſſime quadrat: *qui in me deliquerit, ex libro meo delebo: ſed nunc ito, ducito*

hunc

hunc populum &c. Senſus namque eſt: *fieri nequit, vt nomen tuum deleam ex libro vitae, preces tamen iſtas tuas ardentiſſimas exaudiui: ito itaque, ducito hunc populum &c.*

** Cum Numinis iram precibus ſuis Moſes placaſſet; Deus, ſe preces eius exaudiuiſſe, ſignificaturus, non tantum, vt populum porro ducat, iubet, ſed addit: *ecce angelus meus tibi praeibit, Exod. XXXII. 34.* Sermonemque porro continuans Deus, terraeque cananaeae promiſſionem repetens, *cap. XXXIII. 1. mittam,* inquit, *angelum meum ante te, &c. verſ. 2. & 3. neque enim in medio tui adſcendam, ne te in itinere abſumam, populus enim es rigidae ceruicis.* Quae quidem verba a IOAN. CLERICO ita accipiuntur, ac ſi angelus inferioris ordinis, qui eos comitaretur, Iſraëlitis promitteretur. *Cum ante hoc,* inquit, *angelus, qui creatoris ipſius partes ferebat, loquutus ſit; inferioris ordinis aut poteſtatis angelum ſignificari hic neceſſe eſt. Idem fit ac quandoque violatis legatis, quibus tributa fuerat ampliſſima poteſtas: iis enim abeuntibus, ne maieſtatem principis ludibrio maleferiatorum hominum exponerent, perſaepe ſunt relicti alii minoris auctoritatis, qui ea poterant ſine dedecore ferre, quae legatis erant intolerabilia. Angelus enim hic, perſonam Numinis ſingulari quadam ratione ſuſtinens, aperte ſignificat, ſi Iſraëlitis ipſi praeeat, eorum peccata non toleraturum, itaque praeſtare, alium angelum non tantae poteſtatis, iis praefici;* ad *Exod. XXXII. 22.* Eadem quoque eſt ſententia HVGONIS GROTII; cui tamen ſuffragari nequeo. Aegelus enim, qui hactenus praeiuerat Iſraëlitis, eosque duxerat, neutiquam creatus, ſed increatus, ſeu ipſe filius Dei erat; quod vel ex *Exod. XXIII. 21.* aperte conſtat. Nec alius, aut a priori diuerſus, hic promittitur angelus, ſed idem potius angelus increatus, quem porro eos comitaturum Deus ſignificat. Quod patebit, ſi verba Moſis paullo adcuratius conſiderauerimus. Cum precibus ſuis Moſes Numinis iram placaſſet; *ito,* inquit Deus, *ducito populum hunc, quo tibi dixi,* addita olim promiſſione, de angelo meo vna cum illis mittendo: *ecce! angelus meus tibi praeibit;* ſe enim in praeſenti poenam delicti a populo iſraëlitico non ſumturum, *Exod. XXXII. 33. 34.* Iam cum Deus porro *cap. XXXIII. 1.* dicit: *mittam angelum meum ante te, &c.* non ita hoc capiendum, ac ſi nunc demum angeli, aut noui angeli miſſio promittatur, ſed verba haec referenda ſunt ad promiſſionem, Abrahamo, Iſaaco & Iacobo factam; hunc in modum: *ito, hinc diſcedito tu, & populus, quem eduxiſti ex Aegypto in terram, de qua iuraui Abrahamo, Iſaaco & Iacobo, dicens, eam ſoboli tuae dabo, & mittam angelum meum &c.* Adeo, vt verba: *& mittam &c.* ſint adhuc verba promiſſionis, Abrahamo, & reliquis Iſraëlitarum maioribus, factae. Atque haec quidem cum patribus Ebraeorum promiſiſſet, quod & ipſis Iſraëlitis promiſerat *cap. XXXII. 34.* nunc quidem comminatur, ſe ab iis diſceſſurum, ſeu ange-

angelum illum increatum non amplius aliis praeiturum: *Proficiſcere in terram lacte & melle fluentem, neque enim in medio tui adſcendam, ne te in itinere abſumam, populus enim es rigidae ceruicis.* Senſus totius ſermonis eſt: *proficiſcimini in terram Canaan, quam patribus veſtris promiſi; dabo eam vobis, quemadmodum promiſi; ſed angelum meum, ſeu filium, quem itidem & vobis & patribus, ducem vobis promiſi, mittere nequeo, ne, quia verus Deus eſt, peccatis veſtris irritatus, in itinere vos abſumat.* Hoc audito Numinis ſermone, populus, omni ornatu depoſito, facinoris turpiſſimi ſerio ſe poenitere, teſtatus eſt: *audiuit populus triſtia haec verba, luxitque, nec quisquam ornamentum ſuum impoſuit; dixerat enim Iehouah Moſi: dic Israëlitis: vos eſtis populus rigidae ceruicis &c. v. 4. 5.* Haec vero Domini verba ſatis teſtantur, comminationem hancce, de angelo ſuo non amplius cum iis mittendo, eo ſaltem ſpectaſſe, vt poenitentiam facinoris in illis excitaret, adeoque non abſolute, ſed cum conditione: *niſi vos facti iſtius ſerio poenituerit*, eſſe intelligenda. Qua de re eo minus dubitandum, quia Deus diſerte, more tamen humano de ſe loquens, dicit: *&, quid facturus ſim, conſiderabo.* Haec cum ita geſta eſſent, populusque tam graui comminatione ad ſceleris deteſtationem commotus eſſet; Moſes tentorium ſuum extra caſtra poſuit, *verſ. 7.* haud dubio eo conſilio, vt populum condoceret, caſtra tam immani idololatria polluta & coinquinata eſſe; vtque eo magis pudorem illis incuteret. De Moſis autem tentorio, non de tabernaculo illo diuino cultui deſtinato, quod deinceps demum erexit, hoc intelligendum eſſe, res ipſa docet. Hoc autem Moſis tentorium itidem *tentorium conuentus* dicebatur; eo, quod ſeniores populi ibi apud Moſen conuenire ſolerent, eique columna nubis incumbebat, ibidemque Deus ſe manifeſtabat: quod pluribus, ſed ὡς ἐν παρόδῳ, *verſ. 7. ad 12.* deſcribitur. Indicare namque Moſes locum volebat, vbi cum Deo ea, quae ſequuntur, loquutus ſit. Praecipue autem ei conſtitutum erat, oſtendere, quo pacto precibus ſuis, poſtquam populus, ſui ſe poenitere facinoris demonſtrauerat, tandem impetrauerit, vt Deus, angelum illum increatum porro ſe miſſurum, polliceretur. Hinc itaque *verſ. 12.* pergit: *vide, dicis mihi, abducito hunc populum hinc, nec tamen mihi, quem miſſurus ſis mecum, ſignificaſti, cum dixeris, noui te nomine tuo, gratiam etiam apud me nactus es. Nunc autem, ſi gratiam apud te inueni, indica mihi viam tuam, & cognoſcam te, vt reuera apud te gratiam nanciſcar. Hancce etiam gentem, populum tuum eſſe conſidera.* Referunt ſe haec verba ad comminationem diuinam, qua Deus negabat, ſe angelum ſuum, hoc eſt, filium, cum illis amplius miſſurum. Duram hancce Numinis ſententiam, qua populus etiam ad poenitentiam permotus fuerat, hic deprecatur Moſes, ideoque petit, vt Deus ſibi indicet *vi-*

am

am ſuam, hoc eſt, modum rationemque, qua per tot pericula & difficultates, non niſi diuina virtute ſuperabiles, populus in terram Canaan deduci poſſit: immo cum ſciret, fieri hoc non poſſe, niſi angelum illum increatum comitem ac ducem haberent; *hancce gentem populum tuum eſſe, conſidera*, inquit, adeoque (quod recte ſubintelligitur) angelum tuum, quem hactenus miſiſti, porro mittere non deſine. Hanc Moſis mentem eſſe, ex Numinis reſponſo patet: *ſi facies mea iuerit, an vt quieſcas effecero?* Vbi quidem vir doctiſſimus per *faciem Dei* columnam nubis intelligit. Hinc verba iſta ita παραφράζει: *annon ſatis eſſet Moſi, modo nubes, vt antea, caſtris praeitura eſſet?* Sed per *faciem Dei* hic columnam nubis intelligi, nulla idonea ratione probari poteſt. Nec de nube, ſed de angelo hic ſermo erat, quem non amplius ſe miſſurum eſſe, Deus comminatus erat, quemue, vt mitteret, rogabat Moſes. Cum ergo Moſes de nubis praeſentia continuanda non dubitaret; incongrua prorſus ad eius rogationem eſſet haec reſponſio, ſi per *faciem Dei* nubes intelligatur. Cuncta contra ſibi adcurate conſtant, ſi per *faciem Dei* idem ille angelus increatus, filius Dei vnigenitus, ἀπαύγασμα τῆς δόξης, καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ, *Ebr. I. 3.* intelligatur. Huius enim miſſionem cum petiiſſet Moſes; Deus precibus eius locum relinquens, adnuit: *facies mea* (angelus ille, quem a me petiiſti) *praecedet te, & requiem dabo tibi.* Quae enim interrogatiue dicta ſunt, ita intelligenda, vt adſertio haec inde reſultet. Haec reſponſio etſi omne dubium Moſi eximere poterat; quia tamen probe nouerat, peccato tam enormi populi iſraëlitici vehementer irritatum Dominum, vt eo certior redderetur, iterum inſtat: *niſi iuerit*, inquit, *facies tua, ne nos hinc abire iubeas*, hoc eſt, omnino faciem tuam, ſeu angelum tuum, comitem atque ductorem expeto, adeo, vt ſatius ſit, nos hic commorari, quam ſine eo diſcedere. Tum denuo Deus, quod promiſerat, repetit, ne dubitaret, preces ſuas exauditas, *& faciam hoc, quod dixiſti, &c.* aut: *certe, vel omnino faciam, quod dixiſti.* Particulam enim גם ita reddi poſſe, conſtat. Ceterum, non alium Iſraëlitis a Deo conceſſum angelum, quam illum, qui initio illis praeiuerat, & in cuius medio ipſum nomen Domini erat, *Exod. XXIII. 21. faciemque Dei* hic nihil aliud, quam eumdem angelum, denotare, ex ipſis Iudaeis pluribus euincit MOSES NACHMANIDES, ad *Exod. XXIII. 21.*

**) Iterata Numinis promiſſione, de praeſentia angeli increati vlterius ſibi concedenda, Moſes certior redditus, in nouum diuini fauoris experimentum ab eo petiit, vt illi *gloriam* ſuam oſtenderet, *Exod. XXXIII. 18.* Vbi quidem, miſſis aliorum ſententiis, illis ſuffragari non dubito, qui per gloriam Numinis ſingularem quamdam diuinae maieſtatis, in ſpecie longe auguſtiſſima ſplendidiſſimaque, quam forte tum adſumſerat, & cuius tanta

fuerit excellentia, tantusque ſplendor, vt nemo mortalium eum ferre poſſet, manifeſtationem intelligunt. Cuiusmodi quid & Paulus indicare videtur, cum Deum *lucem inacceſſam incolere* dicit, *I. Tim. VI. 16.* Qui ipſam Numinis eſſentiam intelligunt, audiendi non ſunt. Cum enim ea a nemine mortalium videri poſſit, idque Moſen haudquaquam fugeret; iſtud eum expetiiſſe, non eſt credibile. Reſpondit Dominus: *ego faciam, vt coram te tranſeat omne bonum meum, & inclamabo nomen Iehouae coram te.* Nimirum cum nec eo modo, quo hoc volebat Moſes, ſplendidiſſimam Numinis lucem intueri poſſet; Deus indicat, qua ratione ſe ei manifeſtare vellet, transeundo coram illo, *omneque bonum ſuum*, hoc eſt, miſericordiam, clementiam, longanimitatem, ceteraque, in quibus ſummam homines felicitatem ſuam merito quaerunt, praedicando, ideoque additur: *& vocabo in nomen Domini coram te.* Hoc equidem nonnulli, VT ALPHONSVS TOSTATVS & IAC. BONFRERIVS, ad *h. l.* ita explicant: *faciam te inuocare nomen Domini, cum tranſiero ante te*, ſed ſine ratione a recepta vocum ſignificatione diſcedunt: & ex ſequentibus conſtat, non Moſen, ſed ipſum Iehouam, hoc eſt, filium Dei, clamasſe, *Iehoua Deus miſericors &c.* Cum autem Moſes gloriam Dei ita transeuntem, hoc eſt, lumen illud fulgidiſſimum, in quo Deus ſe per tranſitum manifeſtaturus erat, ſine mortis periculo intueri non poſſet; in fiſſura rupis, ſeu cauerna quadam, quae in monte erat, ſtare debebat, dextra Dei protegendus, forte nube quadam obtegendus tantisper, donec ipſum lumen ſplendidiſſimum, in quo Deus erat, tranſiiſſet; & ita operculo iſto remoto, poſteriora gloriae videre poterat. Forma nimirum illa auguſtiſſima, quam Deus adſumſerat, ita comparata erat, vt ab anteriore ſui parte a nemine mortalium ſine mortis periculo adſpici poſſet: ſed a parte poſteriori ita temperata erat, vt Moſes ſine periculo mortis eam potuerit adſpicere. Et hoc eſt, quod Deus dicit: *poſteriora mea videbis, nam facies mea conſpici nequit.* Obſtare equidem videtur, quod ſupra dictum eſt: *loquebaturque Iehoua Moſi facie ad faciem, vt quisque amicum adloqui ſolet, v. 11.* Sed paullo aliter ibi, quam hic, vox *facies* ſumitur. Facie enim ad faciem Deus cum Moſe loquutus dicitur, quod non per viſionem aut ſomnium, aut alia ratione Moſi voluntatem ſuam indicauerit, ſed ita cum Deo loquutus ſit, vt ipſemet vocem eius audiuerit, etſi nihil viderit. Hic autem per *faciem* pars anterior formae iſtius ſplendidiſſimae, quam Deus adſumſerat, indicatur. Ceterum ex dictis patet, ipſam Dei eſſentiam a Moſe viſam non eſſe; quod & recte AVGVSTINVS docet, *lib. II. de trinitate, cap. XVI.* quamquam alibi, non quidem corporis, ſed mentis oculis eſſentiam diuinam a Moſe viſam, contendat; quae & aliorum eſt ſententia, quam alii recte reiiciunt, ſpeciatim & IAC. BON-

FRE-

FRERIVS, ad *h. l.* Eo itaque, quo diximus, modo Moſes de conſpicienda gloria diuina certior redditus, poſtero die, paratis ſecumque adſumtis duabus tabulis lapideis, in montem Sinai adſcendere iuſſus eſt. Quod cum feciſſet; Dominus in nube deſcendit, cumque Moſes in ſpelunca, cuius oſtium obtegebatur, conſtitiſſet, Dominus ante eum tranſiit, ipſeque Dominus clamauit: *Iehoua Deus miſericors, beneficus, qui ſero iraſcitur.* Docere nimirum hac ratione Deus voluit, illos demum Deum recte cognoſcere, non, qui lumen eius, ad quod nemo peruenire poteſt, intueri, aut myſteria altius perſcrutari adnituntur, ſed qui virtutes eius, miſericordiam, beneficentiam, longanimitatem & iuſtitiam perſpectas cognitasque habent. Eſt vero nec illud praetermittendum, quod ille Iehoua, qui hoc clamat, diſerte diſtinguatur ab eo, cuius nomen praedicatur. Quod manifeſto documento eſt, in eſſentia diuina eſſe alium atque alium; filiumque adeo, qui ceu interpres diuinae voluntatis hic clamauit, & antea in nube in montem Sinai deſcenderat, a patre diſtingui. Cum vero & eiusdem ſint eſſentiae; mirum non eſt, quod antea Deus pater, qui angelum, ſeu filium ſuum, comitem & ducem populo iſraëlitico promiſerat, de ſe ipſo dixit: *clamabo in nomine Iehouae coram te.* Recte hoc obſeruatum ABR. CALOVIO, qui *hac permutatione*, inquit, *indicatur mutua illa περιχώρησις perſonarum diuinarum, & operum ad extra indiuiſio. Praedicante enim filio praedicat etiam pater, quia pater eſt in filio, & filius in patre, & pater & filius vnum ſunt. Tum vero notatur etiam mutua illa reuelatio, quod pater filium, & filius patrem reuelet &c.* ad *Exod. XXXIII. 19.*

* *Exod. XXXIV. v. 9. 10.* Promulgatae hinc iterum leges, quae *verſ. 11. ad 26.* leguntur: cumque hasce leges, immo reliquas omnes, quas Deus dederat, ad fedus quippe, quod cum Iſraëlitis pepigerat, ſpectantes, libro inſcribere iuſſus eſt, *v. 27.* Non deſunt, qui hoc de decalogo accipiunt; ſed perperam. Praeterquam enim, quod decalogi deinceps *verſ. 28.* ſeorſim mentio iniiciatur; ad leges proxime antecedentes, immo omnes, quibus fedus Dei cum Ebraeis innitebatur, hoc ſpectare, ipſa verba apertiſſima nos dubitare non ſinunt: *haec verba* (quae ad te dixi) *tibi deſcribito: his enim legibus fedus tecum & cum Iſraële pepigi.* Decalogum autem tabulis lapideis non Moſes, ſed ipſe Deus inſcripſit. Etſi enim *verſ. 28.* ſubiectum, ſeu, quis hoc fecerit, non exprimatur; Deum tamen ſubintelligendum eſſe, ex initio huius capitis *verſ. 2.* liquet, vbi Deus dicit: *iisque tabulis inſcribam verba, quae erant in prioribus.* Conf. IAC. BONFRERIVS, ad *Exod. XXXIV. 27.*

** Neſciuiſſe dicitur Moſes כי קרן עור פניו *Exod. XXXIV. 29.* Quod cum vulgatus interpres transtuliſſet, *cornutam fuiſſe faciem;* in errorem alii hinc inducti ſunt, vt cornutum

 Moſen

Digitized by Google

Moſen fingerent, & haud raro quoque pingerent. Sed dudum obſeruatum eſt viris doctis, verbum קרן ſignificare *radiare*, *ſplendere*, vnde per analogiam de cornuum productione in coniugatione Hiphil vſurpatur, & קֶרֶן *cornu* ſignificat. Sic & *Hab. III. 4.* קרנים *radios* denotat; quemadmodum & apud Arabes radii ſolares קראן vocantur. Hinc LXX interpretes rectiſſime vertunt *δεδόξασθαι ἡ ὄψις τοῦ χρώματος τοῦ προσώπου αὐτοῦ*, quos & Paulus ſequitur *II. Cor. III. 7.* vbi faciei Moſis *δόξαν* tribuit. Et profecto res ipſa hoc docet Quis enim credat, ex conſpectu gloriae Numinis cornua potius, quam ſplendorem inſignem faciei retuliſſe Moſen? quis ſibi perſuaderet, eum, ſi cornua habuiſſet, hoc non ſenſiſſe? Prudentiores itaque ex ipſis romanenſibus, vt vulgatum interpretem cum textu ebraeo concilient, *cornutam*, quam Moſi tribuit, *faciem*, de radiante explicant; vid. IAC. BONFRERIVS, ad *h. l.* Quae ſi vulgati interpretis mens fuit, (qua de re tamen forte dubitari poſſet) in re ipſa nullus eſt diſſenſus. HVGO GROTIVS in gratiam vulgati interpretis ſingulare quid commentus eſt. *Nihil eſt*, inquit, *quod vetet credere, radios illos ſurrexiſſe in cornuum ſpeciem, indeque factum, vt Mneues, qui apud Aegyptios cum cornibus colebatur, ipſi Aben Eſrae ad cap. Exod. II. credatur eſſe non alius a Moſe.* Sed iſtis non opus erat ambagibus. Namque קרן, vti dictum, non ſignificat *cornutum eſſe*, aut *cornua producere*, ſed *radiare*, *ſplendere*. Praeterea, Mneuis cultus apud Aegyptios, Moſis aetate longe erat antiquior. Vid. IO MARSHAMVS, *can. chron. p. 60.* Gentilibus equidem in more poſitum fuit, legislatores ſuos cornutos fingere; quod de Oſiride, Iſide, Ioue, Baccho, Neptuno, aliiſque, conſtat: id vero non tam ad Moſis imitationem, quam quod cornua potentiae, dominationis & auctoritatis eſſent ſymbola, factum, iam aliis obſeruatum eſt.

§. VIII.

Promulgatis hinc reliquis, quas a Deo acceperat, legibus, erectoque ex Numinis praeſcripto & initiato rite tabernaculo, vaniſque ad cultum Dei pariter ac ad rempublicam adminiſtrandam, iterque ad terram Canaan proſequendum, editis conſtitutionibus, * tandem ex Numinis voluntate caſtra mouet. ** Tum vero populo aduerſa, quae eueniebant, non aequo ſatis animo ferente, ſaepiusque murmurante, maximis grauiſſimisque cum calamitatibus viro ſanctiſſimo conflictandum fuit. *** Inter has haud vltima fuit, quod aliquando ipſum fratrem Aaronem, ſororemque Mariam in ſe inſurgere videret; * quod & poſtea maiori petulantia impia cohors Korachi, Dathanis & Abirami fecit. ** Interea excitata inconſultis decem

cem exploratorum ſermonibus, populi ſeditione, Moſes quidem & Aaron iram Numinis precibus ſuis placarunt; decretum tamen, quadraginta adhuc annis in deſerto Iſraëlitis commorandum eſſe, donec ſcilicet morte abſumerentur, qui iſtius criminis participes erant. ***

* Haec omnia Moſes fuſius deſcribit *Exod. cap. XXXV. & ſeqq.* vsque ad finem; item in *Leuitico* per integrum; & *Num. cap. I.* vsque ad *X.* Quae vero interea adhuc memoratu digna in gente iſraëlitica contigerunt, in ſequentibus *§. XX.* attingemus.

** Factum hoc die vigeſimo menſis ſecundi, anni ſecundi ab exitu Iſraëlitarum ex Aegypto, *Num. X. 11.*

*** Diſtinctius haec ediſſerentur *§. XXII. ſeqq.* Hic ea ὡς ἐν παρόδῳ delibamus, vt praecipua eorum, quae a Moſe geſta ſunt, momenta paucis complectamur.

* Dicetur hac de re *§. XXII.*

** De qua ſeditione pluribus *§. XXIII.* exponemus.

*** Vt intelligeremus, cur tamdiu Moſi cum Iſraëlitis in deſerto peregrinandum fuerit, id hic indicandum fuit. De re ipſa dicitur *§. XXII.*

§. IX.

Quantumuis autem Moſes in his omnibus manſuetudinem ſummam, incredibilemque patientiam, demonſtraret; * ipſe tamen tandem humani quid paſſus eſt. Seditione enim iterum ob aquae penuriam exorta, cum contra Numinis voluntatem petram, ad aquam inde eliciendam, bis virga feriiſſet, ſuamque ita diffidentiam vna cum fratre Aarone prodidiſſet; ** vtrique introitus in terram Canaan denegatus eſt. Interea ad Idumaeae confinia progreſſi erant Iſraëlitae; & hinc poſt varia fata, resque memorabiles geſtas, in campeſtria Moabi peruenerunt, vbi, Bileami conſilio, ad idololatriam & ſcortationes ſeducti, iram Numinis aduerſus ſe concitarunt; qua iterum, ſontibus ex merito punitis, placata, Midianitas iuſſu Moſis adgreſſi eos vicerunt, & ad vnum omnes, virginibus tantum ſeruatis, interemerunt. ***

* Et res ipſa hoc teſtatur, & Moſes ipſe, aut potius ſpiritus ſanctus per Moſen loquens, hoc ei elogium tribuit: *Moſes autem vir erat omnium hominum, qui erant in terris, manſuetiſſimus, Num. XII. 3.* Inuidia iniquiſſima fratris Aaronis, ac ſororis Mariae, hoc ſui elogium ei extorquebat; quod vt veritati erat conſentaneum; ita hac occaſione ab indole hominis modeſtiſſimi non alienum. Vnde nonnulli ſine cauſſa hoc a manu aliena eſſe contendunt. Vox ענו *manſuetum* ſignificat. Sed cum manſuetudo adflictionem ſupponat, & tum demum ſe exſerat, cum nobis iniuriae aliorum perferendae ſunt; non errauit in re ipſa B. LVTHERVS, in verſione ger-

germanica hanc vocem per *adflictum* reddens.

** Contigit hoc menſe primo anni ab exitu aegyptiaco quadrageſimi, cum populus iſraëliticus ad Kadeſch oppidum in deſerto Sin conſediſſet; conf. dicenda ad §. XXIV. Quaeri vero ſolet, qua in re peccauerit Moſes, vt decreto Numinis ab ingreſſu in terram Canaan fuerit excluſus. Peccaſſe enim, etſi Ebraeorum quidam doctores hoc nolint, verba ſcripturae aperta nos dubitare non ſinunt. R. ISAAC ABARBANEL, cum decem hac de re opiniones retuliſſet, & cenſura notaſſet; ipſe tandem in eam ingreditur, *Moſen & Aaronem punitos fuiſſe propter iniquitates ſuas, & Aaronem quidem ob peccatum vituli, Moſen propter negotium exploratorum terrae Canaan; comment. ad Num. XX. v. 12.* Nimirum cum exploratores in terram Canaan mitteret; de robore & magnitudine iſtarum gentium improuide talia eum loquutum, quae timorem animis Iſraëlitarum incuſſerint. Acceſſiſſe deinde, quod petram, quam adloqui debuerit, virga percuſſerit; quae percuſſio *occaſio* quidem poenae, non autem *cauſſa* fuerit. Sed iſtis ambagibus opus non eſt. Diffidentia & incredulitate, & Moſen & Aaronem peccaſſe, Deus ipſe diſerte teſtatur: *quandoquidem mihi non credidiſtis, vt me coram Iſraëlitis ſanctum haberetis, propterea non intromittetis hunc coetum in terram, qua eum donaui.* Tot enim querelis populi vir cetera manſuetiſſimus paullo commotior factus, ſimulque forte petrae ariditatem, aut alia conſiderans, ſubdubitaſſe videtur, an negotium illud ex voto proceſſurum ſit? Non prorſus enim diuinae potentiae ac veracitati eum fidem denegaſſe, patet, quia ceteroquin petram non percuſſiſſet, vt aquam inde eliceret. Ex hac diffidentia videtur etiam profluxiſſe, quod bis petram percuſſerit. Id enim haud dubio non ſine graui cauſſa commemoratur. Verba quoque Moſis: *an ex hac rupe educemus vobis aquam?* diffidentiam quamdam arguere videntur; praeſertim, ſi ſenſus ſit, *an rem, quae fieri nequit, a nobis poſtulatis?* quorſum IONATHANIS paraphraſis tendere videtur. Quidquid huius ſit: proloquutum Moſen verba quaedam, quibus incredulitatem prodiderit, Deumque offenderit, ex *Pſalm. CVI. 33.* conſtat, vbi dicitur: ויבטא בשפתיו. Verbum enim בטא ſignificat, effutire aliquid, quod taceri debebat. Eadem cum & Aaronis in hoc negotio eſſet diffidentia, eamdem quoque expertus eſt poenam. IOAN. LIGHTFOOTVS praecipuum Moſis & Aaronis crimen in eo conſtitiſſe putat, quod vacillauerint animo circa promiſſionem Dei de ingrediendo in terram poſt quadraginta annos; in *chron. temp. & ordine text. veter. teſtament. tom. I. oper. p. 36. 37.* Quod ex textu non colligas. Noſtram ſententiam confirmant IOAN. BVXTORFIVS *exercitat. de petra in deſerto*, & IOAN. HENRICVS HOTTINGERVS *ſmegm. orient. p. 450. ſeqq.*

*** De his omnibus dicetur *§. XXV. & ſeqq.* vsque ad *XXIX.*

§. X.

§. X.

Dum itaque in Moabitica ſolitudine cis Iordanem caſtra habebant Iſraëlitae; Moſes, qui mortem ſibi inſtare ſciebat, leges, quas Deo iubente tulerat, repetere, & copioſius exponere apud concionem totius populi, antequam decederet, inſtituit. * Quibus rite peractis, Ioſuam, quem ſucceſſorem in munere ſuo elegerat, mandatis inſtruit: ** praedictaque Ebraeorum poſt mortem ſuam rebellione, in eius rei memoriam canticum recitauit, *** tum benedictione populo ebraeo impertita, editisque ſimul de futuris vaticiniis, * in montem Nebo, eiusque verticem, cui Pisga nomen, adſcendit, terramque Iſraëlitis promiſſam cum contemplatus eſſet, quod mortale in eo erat, depoſuit. Cadauer a Deo ipſo in valle, e regione Bethpheoris ſepultum, eo quidem loco, qui nemini mortalium cognitus eſt. **

* *Deut. cap. I. ad XXXI.*

** *Deut. XXXI. 7. ſeqq.*

*** Poſtquam librum legis Leuitis tradiderat, eumque ad latus arcae foederis collocare iuſſerat, in teſtimonium contra Iſraëlitas, ſi a lege iſta deflexuri eſſent, *Deut. XXXI. 24. ſeqq.* Canticum vero, quod *cap. XXXII.* exſtat, eo ſpectat, vt Iſraëlitis beneficia Numinis in memoriam reuocet, animumque ingratum exprobret; ſimulque poenas grauiſſimas, quae illorum defectionem ſequuturae ſint, praedicat. IO. COCCEII de hocce cantico in *vltimis Moſis* cogitationes, piae quidem & interdum ingenioſae, at non aeque ſolidae ſunt. Sed hac de re alibi.

* *Deut. XXXIII.* Viros ſanctos benedictionibus, quas morituri aliis impertire ſolebant, vaticinia quandoque admiſcuiſſe, exemplo Iacobi patriarchae conſtat, *Geneſ. XLIX.*

** Populo itaque cum valedixiſſet; e campis Moabiticis adſcendit Moſes in montem Nebo, in verticem Pisgae, qui e regione Ierichuntis; *Deut. XXXIV. v. 1.* FLAV. IOSEPHVS haec ita deſcribit, vt rhetorem potius, quam hiſtoricum, more ſuo, agat, & multa de ſuo addat; *antiquit. iudaic. lib. IV. cap. VIII. p. 132. Haec poſtrema verba*, inquit, *Moſe loquente, & ſingulis tribubus ſua fata aperiente, vniuerſa multitudo in lacrimas erupit, vt & mulieres plangentes dolorem ob futuram ipſius mortem conceptum declararent, quin & pueri prae moeroris impotentia plorantes, prae ſe ferebant, quod tanta eſſet viri virtus ac magnificentia, vt ne illam quidem aetatem latere poſſet.* Similia cum adhuc plura adieciſſet; nec ipſum Moſen a lacrimis ſibi temperare potuiſſe, ſcribit: *Quamuis enim perſuaſiſſimum ſemper habuit, non eſſe inſtante morte dolendum, vtpote quae praeter Dei voluntatem ac naturae leges non veniat; viſo tamen adfectu populi, a lacrimis temperare non valuit.* Reliquis

Digitized by Google

liquis deinde iuſſu & voluntate Moſis reuertentibus, ſolum ſenatum cum pontifice Eleazaro, & imperatore Ioſua eum porro deduxiſſe, refert, tumque ita pergit: *Vt vero in monte, Abari vocato conſtitit, qui celſus e regione Hierichuntis attollitur, & conſcendentibus late cananaeae terrae proſpectum exhibet, ſenatum dimiſit. Cumque poſt mutuos complexus Eleazaro ac Ieſu vltimum valediceret, inter loquendum* νέφους αἰφνίδιον ὑπὲρ αὐτοῦ στάντος, ἀφανίζεται κατά τινος φάραγγος, *repentina nube circumdatus in vallem quamdam eſt ablatus.* Addit: γέγραφε δ' αὐτὸν ἐν ταῖς ἱεραῖς βίβλοις τεθνεῶτα, δείσας, μὴ δι' ὑπερβολὴν τῆς περὶ αὐτὸν ἀρετῆς πρὸς τὸ θεῖον αὐτὸν ἀναχωρῆσαι τολμήσωσιν εἰπεῖν: *in ſacris autem voluminibus ſcripſit, ſe mortuum, veritus, ne propter excellentem eius virtutem a Deo raptum praedicarent.* Ita quidem IOSEPHVS, multa ex ſuo ingenio fingens, & talia quandoque addens, quorum in ſcriptura nullum exſtat veſtigium. Immo ſi cuncta adourate expendantur, an reuera mortuus ſit Moſes, dubitare videtur, etſi dicat, Moſen de ſe ipſo hoc ſcripſiſſe. Namque & antea de eo dixerat: *dum vero eo proficiſcitur,* οὗ ἔμελλεν ἀφανισθήσεσθαι, *vbi diſpariturus erat &c.* Certe & aliorum ex gente ebraea doctorum haec fuit ſententia, Moſen reuera mortuum non eſſe. Sed ipſum potius hac de re audire Moſen iuuat; (nihil enim obſtat, quo minus ſpiritu prophetico plenus, quae in *vltimo Deuteronomii capite* legimus, ipſemet ſcripſerit; etſi alii aut a Ioſua, aut alio quodam viro θεοπνεύστῳ ea adiecta exiſtiment.) Nimirum in monte Nebo in vertice Piſgae conſtituto totam terrae promiſſae faciem Deus oſtendit, ſingulari hinc gaudio, ex fide patribus data, eorumque poſteris ſeruata, perfundendo; etſi ob peccatum ſupra a nobis commemoratum, ingreſſu & poſſeſſione terrae tam beatae ipſemet excluderetur. Quibus omnibus peractis, *Moſes ſeruus Dei mortuus eſt* על פי יהוה *iuxta os Domini*, hoc eſt, iuxta mandatum Domini. Iudaeorum enim commenta de peculiari, eoque placidiſſimo, mortis genere per נשיקה *oſculum*, de quibus R. SALOM. IARCHI, ad *Deut. XXXIV. 5.* tanti non ſunt, vt quemquam moreutur. Nec illi audiendi, qui transmutationem potius, quam ſeparationem animae a corpore, aut μετάθεσιν ſiue tranſpoſitionem corporis vna cum anima, quae circa vallem monti vicinam facta ſit, hic innui, putant. Diſerte enim & *mortuus* & *ſepultus* dicitur. A propria autem & genuina vocum ſignificatione ſine neceſſitate non eſt diſcedendum. Interim, vt beatiſſimam, ita placidiſſimam Moſis mortem fuiſſe, non eſt, quod dubitemus: etſi hoc ex loquendi iſta ratione: על פי יהוה minime ſequatur. Eo quoque tempore, cum Moſes vna cum Elia transfigurationi Chriſti interfuit, eum iam a mortuis reſuſcitatum fuiſſe, ex *Matth. XVII. 3.* recte colligitur; etſi, quando hoc factum ſit, nos lateat. Sepultura quoque Moſis plane ſingularis fuit, curam eius ſolo gerente Deo, nec

nec hominis vllius interueniente opera. Veterum traditio fuit, Deum angelorum miniſterio in Moſe ſepeliendo vſum. Vid. EPIPHANIVS, *adu. haereſ. lib. I. haer. IX. p. 28.* Quod vti plane incertum; ita magis adhuc ab omni veroſimilitudinis ſpecie abhorrent Iudaeorum commenta, quae apud R. SAL. IARCHI, ad *Deut. XXXIV. v. 6.* legi poſſunt. Nobis neſcire liceat, de quibus ex indubitatis monumentis nihil conſtat. Summam potius ſuſpiciamus Dei ſapientiam, qui ſepulchrum Moſis ignorari ab omnibus voluit, haud dubio eam ob cauſſam, ne Israëlitis inde idololatriae occaſio praebêretur. Atque huc nonnulli referunt, quod in epiſtola *Iudae, verſ. 13.* legimus: *At Michaël archangelus ille, cum aduerſus diabolum altercans diſceptaret de corpore Moſis, non ſuſtinuit ipſi impingere notam maledicti, &c.* Certe archangelum Michaëlem cum diabolo de corpore Moſis acriter disceptaſſe, inde aperte conſtat. Impium enim HVGONIS ETHERIANI, de *regreſſu animar. cap. IX.* commentum, non de corpore, ſed de anima Moſis, disceptationem fuiſſe, ipſa apoſtoli verba refellunt. Cauſſa disceptationis non aeque patet; etſi probabile ſit, voluiſſe cacodaemonem, corpus Moſis proferri, vt ſuperſtitioni & idololatriae occaſionem praeberet. Quidquid huius ſit; id conſtat, ſepulchrum Moſis nemini mortalium innotuiſſe. Superiori equidem ſaeculo fama de inuento Moſis ſepulchro percrebuit, ſed vanam eam atque inanem fuiſſe, euentus docuit: interim fabula iſta lepidiſſima legi meretur apud GEORG. HORNIVM, *hiſtor. eccleſiaſt. circa fin. p. m. 682. ſeqq.* Plura de morte & ſepultura Moſis legi poſſunt in IO. ERNESTI GERHARDI diſſertatione de *ſepultura Moſis.* Fuerunt &, qui vitam Moſis, quam hactenus paucis delineauimus, ex inſtituto deſcriberent, quod praeter PHILONEM ſubinde nobis laudatum, aliosque, fecit GILBERTVS GAVLMINVS, de *vita & morte Moſis.* Iungenda GEORG. SERPILII *perſonalia*, vt vocat, *Moſis*, lingua germanica ſcripta.

§. XI.

Ex dictis conſtat, Moſen virum fuiſſe, ſummis eminentiſſimisque virtutibus praeditum, & ad maxima quaeque adminiſtranda aptum. * Tot praeterea tamque ſtupenda perpetrauit miracula, resque iuſſu Numinis ſupra hominum vires poſitas geſſit, vt inter mortales nullus vmquam aut propheta aut princeps exſtiterit, qui cum illo comparari queat. ** Idem vero primus fuit, qui diuino inſtinctu impulſus, litterarum monumentis, quae ſcire omnium intererat, conſignauit, & quinque libris complexus eſt, ex quibus primas rerum origines, eccleſiaeque propagationem, conſeruationem & fata ſingularia, ad mortem eius vsque condiſcimus. ***

 * Coe-

* Coecus plane & impudens fuerit, qui hoc negauerit; cum tota viri vita, reſque ab illo geſtae ſapientiam ſummam, & virtutes, quae in mortales cadunt, maximas, abunde demonſtrent. Hinc elogiis iuſtiſſimis, ſed virtutem tamen eius non aequantibus, paſſim a PHILONE, IOSEPHO, aliisque, Iudaeis pariter ac chriſtianis, veteribus & recentioribus, ornatur. Inſigne prae reliquis illud, & prorſus eximium eſt, quo a Deo ipſo condecoratur, qui eum *in omni domo ſua fidelem* fuiſſe, pronuntiat, *Num. XII. 7. Ebr. III. 2.* Eo magis impietatem & impudentiam ſuam produnt, qui virum ſanctiſſimum impoſtoribus adnumerare non dubitant, qui, religionem cupiditatibus ſuis obtendens, artibus callidiſſimis imperium in gente ebraea adeptus ſit. His iam exemplum praeiuit DIODORVS Siculus, qui, Moſen prudenti admodum conſilio apud Iudaeos finxiſſe, refert, *Deum, qui* Ἰάω *dicitur, legum ſuarum auctorem eſſe, quod diuinum quid eſſe iudicaret illud, quod in commodum ſocietatis humanae exiret, atque vulgus eo magis obſequioſum redderet; lib. I. p. m. 59.* Idem quoque in eclogis, lib. *LX.* apud PHOTIVM, *cod. CCXLIV. p. m. 1154.* Moſen ſuis legibus in fine adſcripſiſſe, ait, Μωσῆς ἀκούσας τοῦ Θεοῦ τάδε λέγει τοῖς Ἰουδαίοις. *Moſes auditor Dei omnia haec dicit Iudaeis.* Similia de Moſe habet STRABO, *geograph. lib. XVI.* Nec adeo mirum, ita ſenſiſſe ethnicos, iudaicarum rerum admodum imperitos, ſed & Iudaeorum pariter ac chriſtianorum hoſtes infenſiſſimos. Inter eos, qui chriſtianorum nomine veniunt, fuiſſe homines, qui ſimilia profiterentur, fidem ſuperaret, niſi exempla in promtu eſſent. Notum eſt impium illud & blaſphemum apophthegma de *tribus impoſtoribus*, quos inter Moſi primus locus datur, quod primo Simoni Tornacenſi, tum Friderico II imperatori, & denique Petro Pomponatio tribuitur. Legenda hac de re IAC. THOMASII obſeruatio, *obſeruation. Hallenſ. tom. I. obſeruat. VIII. p. 78.* Sed ad Simonem Tornacenſem quod attinet, licet, eum blaſphemias in Chriſtum eructaſſe, conſtet; hanc tamen de tribus impoſtoribus eum protuliſſe, nondum ſatis euictum eſt. Friderico II autem imperatori, optimo principi per ſummam iniuriam a romano pontifice, eiusque adſeclis, hanc ſententiam olim imputatam, & ex hiſtoriarum monumentis conſtat, & luculenter euictum eſt a clariſſimo viro, BVRCARDO GOTTHELF STRVVIO, in *diſſertat. de doctis impoſtoribus, §. XIII. ſeqq. p. 37. ſeqq.* Euidentius adhuc impietatis in hoc genere documentum praebet liber de *tribus impoſtoribus*, de quo an vmquam exſtiterit, aut, ſi exſtitit, quem auctorem agnoſcat, vehementer inter ſe viri docti diſceptant. Alii enim, & quidem plerique, PETRVM ARETINVM, alii BERNHARDVM OCHINVM, alii PETRVM POMPONATIVM, alii alium eius auctorem faciunt. Sunt haud pauci, qui plane eiusmodi librum vmquam exſtitiſſe negant, praeſertim RICHARDVS SIMON, in *epiſtolis ſelectis*, itemque

SEBA-

SEBASTIANVS KORTHOLTVS, in *praefat.* patris ſui B. CHRIST. KORTHOLTI commentationi de *tribus impoſtoribus* praemiſſa. Mihi compertum eſt, librum eiusmodi ſub hoc titulo exſtare, ſed omnibus iſtis, qui eius auctores cenſentur, multo recentiorem. Id certum eſt, homines atheos non poſſe non in eam ingredi ſententiam, quod nonnulli & aperte fecerunt, ſpeciatim IORDANVS ille BRVNVS, de quo legi merentur, quae vir doctiſſimus, LA CROZE, obſeruauit, *dans ſes entretiens ſur diuers ſujets d' hiſtoire, tom. II. p.328.*

Non dubito etiam, quin in hancce claſſem referendus ſit NICOLAVS MACHIAVELLVS, quippe qui inter eos, qui non fortuna, ſed propria virtute in principes ſunt euecti, primo loco Moſen refert. *Verum vt ad eos*, inquit, *qui non fortuna, ſed propria virtute in principes ſunt euecti, veniamus, excellentiores dico fuiſſe Moſen, Cyrum, Romulum, Theſeum & id generis alios;* in *principe, cap. III. p. 70.* Corrigere equidem iſta videtur, dum ſtatim ſubiicit: *etſi de Moſe non eſt, quod loquamur, vt qui duntaxat eorum, quae ſibi diuinitus fuerint a Deo praeſcripta, merus fuit exſequutor;* ſed, an ſerio id fecerit, merito dubitaueris; cum impia ſua commenta de Moſe & alibi prodiderit. Recte proinde caſtigatur ab HERMANNO CONRINGIO, in *animaduerſionib. polit. ad Machiauelli princip. cap. III. p. 70.* quamquam & is talia inſpergat, quae animaduerſionem quamdam promerentur. *Quid enim,* inquit, *quod dubitare forte liceat, num qua inſigni prudentia ciuili Moſes valuerit? Negauit hoc ſane, ac probare eſt conatus Alphonſus Abulenſis, lib. III. commentar. in III. regum. Vacatque ea negatio impietatis culpa, quoniam ruditas miniſtri ſummam ipſiusmet Dei, qui dux & rex reapſe fuit israëlitici populi, ſapientiam potius commendet. Perinde ſcilicet atque regni caeleſtis prima procuratio inſtituta fuit per piſcatores, aliosque infimae ſortis homines, Deo ſapientiam ſapientum quaſi habente ludibrio. Nec vera ea eſt auctoritas Rabbinorum, vt credi Moſes debeat PATER IN SAPIENTIA, PATER IN LEGE, ET SALOMONE MAIOR, quod Maimonides adfirmat, lib. III. doctor. perplexor. cap. LV. Non ſatis firmis etiam argumentis probat Clemens Alexandrinus, lib. I. ſtromat. Moſen fuiſſe non tantum* προφητικὸς, *ſed etiam* νομοθετικὸν, τακτικὸν, ϛρατηγικὸν & πολιτικὸν *philoſophum. Non ſane licet hanc prudentiam politicam certo colligere ex eo, quod Moſes fuerit inſtitutus in omni ſapientia Aegyptiorum, quamquam illa inſtitutio rem faciat veroſimilem. Quemadmodum ſane illa a ſancto Stephano martyre profecta Moſaicae educationis commendatio intelligenda ſit, docuimus iam tum libro de Hermetica philoſophia ac medicina, cap. XII. p. 161. & duabus ſequentibus.* Verum haec, quae vir doctiſſimus ita diſſerit, non prorſus mihi admittenda videntur. Solet enim Deus ad res maximas gerendas eos prae reliquis eligere, qui eiusmodi virtutibus inſtructi

ſunt,

ſunt, vt iis ſint idonei. Nouique teſtamenti, adeoque apoſtolorum, longe alia ratio fuit, quam veteris teſtamenti atque Moſis. In illo enim regnum mere ſpirituale erigendum erat, ad quod dona ſpiritualia apoſtolis, etſi humanae ceteroquin ſapientiae praeſidiis deſtitutis, conceſſa erant; quamquam nec Paulo, cui res chriſtianorum maximum incrementum debent, ea deerant, quae homines eruditi aut a natura, aut a diſciplina & inſtitutione habent. In hoc autem respublica conſtituenda erat, atque externo etiam adparatu confirmanda & ſtabilienda: qua in re humanam quoque prudentiam plurimum valuiſſe, non eſt, quod dubitemus. Quantumuis autem magna Moſis aut ſapientia aut prudentia ſtatuatur; nihil tamen inde illorum accedit opinioni, qui impio auſu eum impoſturae adcuſare non dubitant. Nôn minor enim eius erat fides atque integritas, &, quae ille publice atque in conſpectu omnium edidit, miracula, ita comparata erant, vt nulla ſapientia, quantumuis excellenti, ea perpetrare potuiſſet. niſi vis diuina interceſſiſſet. Quod vt ipſe non negat CONRINGIVS; ita beneeſt, quod fateatur, *inſtitutionem Moſis aegyptiacam rem facere veriſimilem.* Vnde nec veterum de ſapientia & prudentia Moſis teſtimonia ſpernenda prorſus. praeſertim ARTAPANI, quod ex ALEXANDRO Polyhiſtore repetunt EVSEBIVS, *lib. IX. praeparat. euangel. cap. XXVII.* & IOSEPHVS, *antiquit. iudaic. lib. II. cap. X.* Etſi enim in hisce falſa interdum veris permiſta ſint; non tamen omnia vt falſa aut commentitia reiicienda ſunt, etiam illa, quae & rebus ipſis, & ſcripturae ſacrae teſtimoniis ſunt conſentanea. Interim in ſapientia pariter ac eruditione & Aegyptiorum & Moſis rite aeſtimanda, ita eſt incedendum, ne eam nimis extenuemus, nec tamen quidquam iis tribuamus, quod aetatis iſtius, qua vixerunt, indoli repugnat. Et hinc diiudicanda, quae de omnigena Moſis eruditione, eiusque praeſtantia, in poëſi, eloquentia, philoſophia, ſingulisque eius partibus, peritia quoque medica & chemica paſſim dicuntur, & integris commentationibus a viris doctis diſſeruntur: quae omnia, diligenter in vnum collecta, exhibet GEORGIVS SERPILIVS, in *perſonalib. Moſis, cap. VIII. p. 46. ſeqq.*

Vt vero ad eos redeamus, qui fidem & integritatem Moſis labefactare non erubuerunt; omnes facile impudentia & impietate ſuperat, ſaepius iam atro nobis notatus lapillo IOAN. TOLANDVS. In diſſertatione enim, cui titulum fecit: *Adeiſidaemon, ſiue Titus Liuius a ſuperſtitione vindicatus*, cum de Numa Pompilio ex LIVIO retuliſſet, eum religionem ad metum populo iniiciendum obtentui ſumſiſſe, & nocturnos cum dea Egeria congreſſus ſimulaſſe; *eadem*, inquit, *omnino de multis aliis legislatoribus, praeſertim vero cum religiones aut ſacra inſtituiſſent, referunt probatiſſimi ſcriptores, & ſimplex credidit vetuſtas. Ita Delphis Lycurgus ab Apolline, & Minos a Ioue in antro Dictaeo ſua omnia didiciſſe, commini-*

ſce-

ſcebantur; vt homines nempe, diuina auctoritate deuincti, legibus ab ipſis prolatis libentius obedirent. His tandem ſubiungit: *His atque ſimilibus Moyſen Ebraeorum nomotheten aſſimilare non addubitat Diodorus Siculus: ſed in hac Moyſis cum aliis prophetis & legiſlatoribus comparatione multo adhuc copioſior eſt Strabo geographus; ſ. VI. p. 8. & 9.* Licet vero non tam ipſe hoc adſerere, quam DIODORVM atque STRABONEM hoc adferentes adducere videatur; ſatis tamen patet ipſius TOLANDI hanc mentem ſententiamque eſſe, quippe qui non tantum iſtud DIODORI atque STRABONIS mendacium non refellit, ſed in *originibus* quoque *iudaicis, p. 112. ſeqq.* eadem DIODORI & STRABONIS loca producit, vt plane adprobet, immo STRABONI fidem potius haberi velit, quam Moſi. Et qui eo vsque impudentiae progreſſus eſt, vt omnino Moſen in pantheiſtarum numerum referret, illi leue quid fuiſſe, cenſendum eſt, eum fraudis ac impoſturae arguere. Sed ſimul TOLANDVS ſe mentis atque iudicii prorſus expertem demonſtrauit. Cum enim palam & pleraque in conſpectu totius populi iſraëlitici geſta ſint, quibus ſe diuinitus miſſum comprobauit Moſes; fraudi nulli aut impoſturae locus eſſe potuit. Maxima enim miracula inſpectante, vidente, ſentiente toto populo iſraëlitico, edidit, adeo, vt ipſi Iſraëlitae vocem Dei in monte cum Moſe loquentis audiuerint. Nec eſt, quod, quae Moſes ipſe hac de re ſcripſit, in dubium voces; cum Iſraëlitae mendacii ipſum haud dubio redarguiſſent, niſi aut ipſi vidiſſent, ea reuera geſta eſſe, quae narrauit, aut a maioribus ſuis hoc accepiſſent. Tantum vero abeſt, vt hoc ſecerint, vt potius ſumma illa & incredibilis in obſeruandis inſtitutis Moſaicis conſtantia, quam in Iudaeis admiramur, non aliunde deriuanda ſit, quam quod iuſta ſucceſſione a maioribus ſuis acceperint, edita a Moſe iſta miracula fuiſſe. Eſto itaque, alios legiſlatores varia commentos eſſe, vt diuinam auctoritatem ſibi legibusque ſuis conciliarent: num etiam ſimilia palam inſpectante toto populo perpetrarunt, ac Moſes? Num vlla in re cum Moſe comparandi veniunt? Nonne ſumma ſtultitia, in vnam eos cum Moſe compingere claſſem, aut DIODORO atque STRABONI, rerum a Moſe geſtarum imperitis, fidem hac in re adhibere? Procul itaque faceſſant iſtae impiorum hominum nugae.

** Principibus atque prophetis adnumerare Moſen, nulli dubitamus. Num vero & ſacerdos fuerit? quaeritur. Praeter Iudaeos quosdam id equidem adfirmant pontificii, ingens hac ex re praeſidium ad auctoritatem, quam romano pontifici tribuunt, confirmandam, ſibi pollicentes. At, vt vnus tantum pontifex ſeu ſacerdos ſummus eſſe poterat & debebat; ita in Aaronem, eiusque poſteros, ſacerdotium translatum nouimus. Nec vllibi Moſes officio ſacerdotis functus legitur, diſerte potius a ſummo ſacerdote diſtinguitur, *Num. XXVI. verſ. 64.* IOAN.

SELDENVS, Moſen pontificem extraordinarium fuiſſe,[1] putat; de *ſucceſſ. in pontif. lib. I. cap. I. p. m. 102.* alibique. Sed omni fundamento deſtituitur. Adferre, qui ſecus ſentiunt, illud ex *Pſalm. XCIX. 6.* ſolent, *Moſes & Aaron*, בכהניו hoc eſt, vt vulgo vertunt: *in ſacerdotibus eius*. Sed iamdudum viris doctis obſeruatum eſt, כהן ſignificare *virum primarium* ſeu *principem*, vt ſenſus ſit: *Moſes & Aaron in principibus eius;* quamquam & non deſint, qui hanc vocem בכהניו ad ſolum Aaronem referant. Conf. THEOD. HACKSPANIVS, in *not. bibl. p. 290. ſeqq.* SAL. GLASSIVS, in *ſelect. Moſ. p. 827.* & in *mantiſſa philol. ſacr. p. 1491. ſeqq.* aliique, quos magno numero adlegat GEORG. SERPILIVS, in *perſonalibus Moſis, cap. V. p. 33.* Principem vero cum diximus Moſen, non ita hoc eſt intelligendum, ac ſi ſua auctoritate Iſraëlitis praefuerit, aut ſummum ipſemet in hac gente imperium tenuerit; hoc enim penes Deum fuiſſe, conſtat, & in ſequentibus ex inſtituto probabitur; ſed quod ceu ſeruus ac miniſter praecipuus Numinis, eius nomine, iuſſu & auctoritate, omnia in hac gente geſſerit, quae ceteroquin principes aut eorum vicarii gerere ſolent. Et hoc ſenſu, ſi nonnullis credimus, etiam vocatur מלך בישורון *rex in Ieſchurune*, *Deut. XXXIII. 5.* Alii enim haec verba non de Moſe, ſed de Deo ipſo intelligunt, eo, quod ibi de eo die, quod lex lata eſt, ſermo ſit, quod a Deo, intercedente tamen Moſis opera, factum, conſtat. Quidquid huius ſit; id certum, eum proprie non fuiſſe regem, ſed ſupremi regis praecipuum atque principem miniſtrum. Hinc & PHILO Iudaeus parum adcurate loquutus eſt, qui eum *βασιλέα* vocat; quemadmodum & idem auctor fallitur, dum eumdem *ἀρχιερέα* adpellitat, ſacerdotium illi tribuens. Falluntur hinc & HVGO GROTIVS pariter, ac IO. SELDENVS, Moſen non quidem nomine & pompa, ſed iure tamen regio populum gubernaſſe, adferentes, ille quidem ad *Deut. XXXIII. 5.* hic autem de *ſynedr. iud. lib. II. cap. I. & II.* Eo itaque, quo diximus, ſenſu, princeps fuit Moſes, qui iuſſu & auctoritate Numinis omnia adminiſtrauit, ſimulque res tam ſtupendas tamque admirabiles geſſit, idque tanta fide, prudentia, animique magnitudine, vt omnibus regibus principibusque eum praeferendum eſſe, iure a nobis dictum ſit. Prophetam denique non tantum, ſed prophetis reliquis omnibus, qui meri homines fuerunt, maiorem fuiſſe Moſen, diſerte dicitur *Deut. XXXIV. 10. 11.* *Non ſurrexit amplius propheta in Iſraële, ſicut Moſes, qui Iehouam cognouit de facie ad faciem; omnibus ſignis & portentis, ad quae edenda eum miſerat Iehoua in Aegyptum, contra Pharaonem, omnesque eius ſeruos & vniuerſam terram, atque omni manu praeualida, & terrore magno, quem ſibi fecerat Moſes, in oculis vniuerſi Iſraëlis.* Certe, cum propheta is ſit, cui Deus voluntatem ſuam manifeſtat, quiue cum Deo loquitur, & de eo ad alios, voluntatem Numinis, quaeue

eius

eius iuſſu fieri debent, illis ſignificans; haec omnia Moſi eminentiori quadam ratione conuenire, res ipſa docet. De priuilegiis itaque Moſis vt prolixe diſputemus, neceſſe non eſt; cum ex antea adlatis ſcripturae verbis ea abunde conſtent. Nimirum prima eius prae reliquis prophetis ἐξοχὴ haec erat, quod Moſes Dominum cognouerit *de facie ad faciem*, hoc eſt, quod Deus ſe ei absque ſymboli cuiusdam interuentu reuelauerit, & ita cum eo loquutus ſit. Reliquis prophetis aut per ſymbolicam viſionem, ſi vigilarent, aut per ſomnia, ſi dormirent, Deus ſe reuelauit, ſed Moſi ita, vt ipſe cum illo loqueretur, vt amicus cum amico loqui ſolet. Hoc euidentius adhuc explicatur *Num. XII. 6. 7. 8. Audite nunc verba mea*, (inquit Dominus) *ſi eſt propheta ex vobis, ego Iehoua* במראה *per viſionem* (ſymbolicam, quae vigilantibus obtingere ſolebat) *me ipſum notum facio ei, aut per ſomnium adloquor eum. Non ſic ſeruus meus Moſes, qui eſt in tota domo mea fidelis:* פה אל־פה *ore ad os adloquor eum*, ומראה *& viſione*, ſcilicet absque ſymbolorum aenigmate, vt ſequentia docent, vnde nonnulli vertunt: *coram, non in aenigmatibus & figura Iehouae me intuetur;* id eſt, absque ſymbolis & aenigmatibus cum illo loquor, & is mecum quoties & quemadmodum vult; conf. *Exod. XXXIII. 11.* Quae vtique felicitas nulli prophetarum contigit. Altera Moſis ἐξοχὴ conſiſtebat in multitudine & magnitudine miraculorum atque prodigiorum, quae iuſſu ac voluntate Numinis edidit. Equidem & a reliquis prophetis interdum miracula edita nouimus; ſed ea tum magnitudine, tum multitudine cum miraculis Moſis neutiquam ſunt comparanda. MENASSE BEN ISRAEL, haud infimi nominis Iudaeus, a Moſe LXXVI miracula edita, obſeruat, cum a reliquis prophetis iunctim ſumtis, quantum ex ſcriptura ſacra conſtat, ab orbe condito, vsque ad primi templi deſtructionem, non niſi LXXIV profecta ſint; in *conciliatore, quaeſt. XI. ad Deuteron. p. 238. ſeqq.* Denique non tantum plurima maximaque miracula edidit, ſed alia geſſit, quae ſummam ei auctoritatem conciliabant, ſiue populi iſraëlitici ex Aegypto migrationem, ſiue eiusdem in deſerto per annos quadraginta commorationem ſpectes. Quae iterum eiusmodi ſunt, vt de nullo alio propheta eiusmodi quid legatur. Hinc vero intelligitur, qualem quantumue illum prophetam eſſe oporteat, quem ſibi ſimilem fore dixit *Deut. XVIII. v. 15.* immo qui reuera illo longo maior fuit, Ieſus ſeruator noſter; quod eundo per ſingula capita demonſtrari poſſet, ſi noſtri inſtituti hoc ferret ratio. Alias adhuc Moſis prae reliquis prophetis praerogatiuas adferunt doctores ebraei, quibus non immorabimur. Vid. MOSES MAIMONIDES, de *fundam. legis, cap. VIII.* & 10. FRISCHMVTHVS, in peculiari diſſertatione in *Deut. XVIII. 15.* praeſertim *cap. II.* add. HERMANNVS WITSIVS, *miſcellan. ſacr. part. I. lib. I. cap. VII. p. 41. ſeqq.*

*** An

Digitized by Google

** An Moſes ſcriptor omnium primus fuerit? diſceptari inter eruditos ſolet. Qui omnino litterarum ad illum originem referunt, quos ſupra ad *period. I. ſect. I. §. XXVII.* indicauimus, non poſſunt non eum pro primo ſcriptore habere. Certe ſcriptum aliquod genuinum, quod eius libris antiquius ſit, proferri nequit. Quid de ſcriptis, quae patriarchis tribuuntur, ſentiendum ſit, in praecedentibus viſum eſt. De Mercurii Zoroaſtrisque libris ſuppoſititiis itidem dictum: vti & de libro Iobi. Speciem quamdam habet, quod Moſes ipſe ad *librum bellorum Domini* prouocet, *Num. XXI. 14.* At non de libro quodam, ſed de cantico, occaſione praelii inter regem Amorrhaeorum & Moabitarum commiſſi, ibi ſermonem eſſe, alii contendunt. Certe canticorum eiusmodi vſus longe antiquiſſimus eſt; vid. ISAACI IAQVELOTII diſſertationes de *exſiſtentia Dei, diſſert. I. cap. XXIII. p. 292.* Sunt tamen alii, qui incertum putant, an Moſes primus omnium ſcriptor fuerit; cum fieri potuerit, vt iam ante eum quaedam litterarum monumentis ſint conſignata, quae hodie amplius non exſtent. Vid. GVIL. SALDENI *diſſert. de primo ſcriptore*, quae prima eſt *libri primi otior.* eius *theolog. p. 2. ſeqq.* Quidquid huius ſit; id certum eſt, Moſen eſſe ſcriptorum omnium, quorum memoria ad nos peruenit, aut qui inter ethnicos olim noti fuerunt, antiquiſſimum. Id antiquis eccleſiae chriſtianae doctoribus, contra Graecos diſputantibus, iam obſeruatum. Ex inſtituto autem hoc euincit IVSTINVS martyr, in *cohortatione ad Graecos, p. 62. ſeqq.* atque TATIANVS, *orat. ad Graecos, p. m. 125. ſeqq.* Multo magis primus omnium eſt inter ſcriptores θεοπνεύστους. Nullo enim idoneo exemplo demonſtrari poteſt, canonicum aliquod atque θεόπνευστον ante Moſen exſtitiſſe ſcriptum. Hinc vero, vt ad chriſtianae religionis veritatem adſerendam, maximum momentum accedit; ita non defuerunt homines profani, qui, vt librorum Moſaicorum antiquitatem pariter ac veritatem conuellerent, Moſen librorum, qui ſub eius nomine exſtant, auctorem eſſe, negare non erubuerunt. In his THOMAS HOBBESIVS eſt, *Leuiathan. part. III. cap. XXXIII.* Moſis libros non ab auctore, ſed ab obiecto ſic dictos, contendens, *non, quod a Moſe conſcripti ſint, ſed quod de Moſe agant;* interim fatetur, *fieri potuiſſe, vt ea ſcripſerit, quae his libris ab eo ſcripta eſſe narrantur.* Sequitur praeadamitarum conditor ISAACVS PEYRERIVS, quae Moſes de rebus Ebraeorum, ab Adamo, ebraeae gentis parente, ad ſua vsque tempora fuſe ſcripſerat, periiſſe iactitans, quorum nunc non niſi excerpta quaedam & ſchediasmata tumultuaria ſuperſint; *ſyſtem. praeadam. lib. IV. cap. I.* BENEDICTVS DE SPINOZA, omnium librorum hiſtoricorum, qui res ante Esrae aetatem geſtas complectuntur, auctorem Esram eſſe, perhibet, qui quinque iſtos libros, qui primum in ſcriptura ſacra locum tenent, Moſis nomine vocauerit, quia in iis praecipue

pue de rebus ab eo geſtis agatur, denominatione a parte potiori deſumta. Immo Esram nondum vltimam hisce libris manum impoſuiſſe, vt adeo non tam hiſtoriam rite concinnatam, quam commentarios nondum digeſtos, & materiam ſaltem hiſtoriae praebentes, exhibeant; in *tractat. theolog. polit. cap. VIII. & IX.* Idem equidem auctor ex Iudaeis ABEN ESRAM laudat, cui idem in mentem venerit, etſi hoc palam prodere auſus non ſit, vocatque ideo eum *liberioris ingenii virum, & non mediocris eruditionis, qui primus omnium hoc praeiudicium* (Moſen pentateuchi auctorem eſſe,) *animaduerterit, etſi auſus non ſit, mentem ſuam aperte explicare, &c. l. c. cap. VIII. p. 204.* In quo aperte aut fallitur, aut fallit. Etſi enim ABEN ESRA nonnulla poſt Moſen pentateucho addita aut inſerta ſtatuat; inde tamen non ſequitur, eum negaſſe, Moſen ipſius pentateuchi eſſe auctorem. Referendus porro ad hancce claſſem eſt RICHARDVS SIMON, cui ſi habenda fides, in populo israëlitico ſcribae fuerunt, publica auctoritate conſtituti, qui cuncta in hacce gente geſta litterarum monumentis conſignarent, & quorum prolixis commentariis vaſtiſſimisque voluminibus ea compilata ſint, quae de gentis huius rebus in ſcriptura ſacra habemus: Moſen autem pentateuchi auctorem eſſe, diſerte negat, ſi legum ſcriptionem, quam ei vt legislatori tribuit, excipias; pluribusque exemplis comprobare ſatagit, pentateuchum non potuiſſe non a pluribus compilatoribus proficiſci, quorum vnus hanc, alius aliam pericopam, eodem redeuntem, in ſacrum textum intulerit: acceſſiſſe porro, cum veteres ſeparatis voluminibus, quae inter ſe iuncta non erant, ſua inſcripſerint, vt turbatis iſtis voluminibus, quae librum conſtituebant, nec ſuo loco repoſitis, pericoparum ordo miſere aliquando turbatus ſit. Ita quidem SIMONIVS, hocce tam lepido inuento mirifice ſibi placens, *hiſt. crit. vet. teſtam. lib. I. cap. II. & V.*

Dum vero iſtam ſub examen reuocauit vir doctiſſimus, IO. CLERICVS, ſententiam; ſcribas equidem iſtos SIMONII explodit, in eo vero conſentit, pentateuchum ab ipſo Moſe non eſſe conſcriptum, ſed *a ſacerdote quodam iſraëlitico, e Babylonia miſſo, vt nouos Palaeſtinae incolas edoceret ritum, quo regionis iſtius Deus amabat coli, II. Reg. XVII.* Quod, quo tempore contigerit, etſi determinari nequeat; videri tamen, hoc contigiſſe poſt decimum octauum annum regni Ioſiae, quo inuentus fuit liber legis, ſine quo extremam manum operi ſuo imponere ſacerdos ille non potuiſſet. Vid. *ſentimens de quelques theologiens de Hollande ſur l' hiſt. crit. du vieux teſtam. p. 128. ſeqq.* Rationes, quibus vir doctiſſimus innixus, in hanc ſententiam ingreſſus eſt, adferre neceſſe non eſt; cum ipſe tandem mutata ſententia Moſen pentateuchi auctorem agnoſcat; in *diſſert. de ſcriptore pentateuchi Moſe*, quam *commentario* ſuo *in pentateuchum* praemiſit. Nimirum

mentem ſuam ita explicat, vt tria rerum genera in pentateucho legi obſeruet, ea, quae ante Moſen geſta ſunt, res ab eo aut ipſius tempore geſtas, & denique quaedam, quae ipſius aeuo poſteriora ſunt, aut videntur. Ad primam claſſem ea refert, quae in libro geneſeos continentur, quaeue ita comparata ſint, vt, ſi loca quaedam, quae ab aliena manu addita ſint, excipias, nihil in iis ſit, quod a Moſe non potuerit proficiſci. Quod ſi quaeras, vnde Moſi innotuerint ea, quae eius aetatem longe antecedebant, quae ſcilicet de rerum omnium origine, deque rebus antediluuianis, & reliquis ad parentum ſuorum aetatem vsque narrauit; reſpondet, ea haud dubio a patriarchis iam litterarum monumentis fuiſſe conſignata, ex quibus ea Moſes hauſerit; & licet, qualia & quot eiusmodi ſcripta fuerint, dici hodie nequeat; nonnulla tamen carminibus ὁμοιοτελεύτοις, quae Ebraeorum poëſin conſtituerint, quorumue vſus apud gentes antiquiſſimas frequens fuerit, fuiſſe comprehenſa. Ea, quae ad alteram claſſem pertinent, ab ipſo Moſe litteris conſignata, dubio carere, pronuntiat. Denique, quae Moſe recentiora nonnullis viſa ſunt, accuratius expendens, nonnulla, ſi rite explicentur & intelligantur, perperam huc referri, oſtendit, quaedam autem, ſed pauciſſima, recentiora & ab aliena manu profecta videri, quae tamen neutiquam obſtent, quo minus Moſes pro auctore pentateuchi haberi queat. Sunt vero, qui ad haec quoque loca ita reſpondent, vt nihil in pentateucho exſtet, quod Moſen auctorem non agnoſcat: quemadmodum & ea, quae illius aetatem antecedunt, ex reuelatione diuina ei innoteſcere potuerunt; hoc certum eſt, ex diuina inſpiratione eum cuncta ſcripſiſſe.

Omnes autem illos, qui Moſen pentateuchi auctorem eſſe, temerario auſu negarunt, turpiter falli, demonſtrari facili negotio poteſt. Et initio quidem, cum ſententiam communi Iudaeorum ac chriſtianorum conſenſu comprobatam conuellere audeant, grauiſſimas eos ſuae diſſenſionis oportebat adferre rationes. Quod cum non fecerint; irritum eſſe illorum conatum, nemo non intelligit. Vnicum illud ſpeciem habet, quod dicunt, nonnulla Moſis aetate recentiora in his libris deprehendi. Quod ſi de quibusdam concedatur, etſi neutiquam concedamus; nondum inde ſequitur, Moſen pentateuchi auctorem non eſſe. Eſſe vero eum pentateuchi auctorem, ex ipſo pentateucho euincere pronum eſt. Leges a Deo ei datas, & quidem omnes, quae in his libris leguntur, eum iuſſu Numinis litteris mandaſſe, diſerte conſtat ex *Exod. XXIV. verſ. 4. 7. XXXIV. 27.* & *Deut. XXXI. 24. ſeqq.* cuius quidem libri, omnes leges complexi, autographum in templo repertum eſt, tempore Ioſiae, Iudaeorum regis, *II. Reg. XXII.* & *II. Chronicor. XXXIV.* Omnes nimirum leges, etiam eas, quae in deuteronomio exſtant, hoc volumen comprehendiſſe, ex *Ioſ. I. 7. 8.* conſtat, vbi Deus ad Ioſuam

Ioſuam dicit, *& facias ſecundum OMNEM LEGEM, quam praecepit tibi Moſes ſeruus meus;* &, ne dubites, vbi leges iſtae exſtent, ſtatim additur: *ne diſcedito liber iſte legis ab ore tuo &c.* conf. & *II. Chron. XVII. 9. XXIII. 18. Eſdr. VI. 18.* Sane cum ex hisce aliisque locis conſtet, cultum externum Numinis ſecundum leges caerimoniales a Moſe praeſcriptas aut inſtitutum fuiſſe, aut reſtauratum; & has in volumine legis, quod eo tempore exſtabat, fuiſſe, non eſt, quod dubitemus. De vaticiniis Moſis, ſpeciatim cantico illo ſacro *Deut. XXXII.* vt idem probemus, neceſſe non erit; cum nemo forte hac de re dubitauerit. Ad hiſtorica quod attinet, victoriam, quam Iſraëlitae ad preces Moſis ab Amalekitis reportarunt, iuſſu Numinis litteris conſignaſſe, diſerte *Exod. XVII. 14.* legitur. Idem de itinere & ſtationibus populi Iſraëlitici conſtat ex *Num. XXXIII. 2.* Quis vero dubitet, Moſen non & ea, quae multo maioris momenti ſunt, litteris conſignaſſe? Immo de reliquis omnibus eo minus dubium, etiam de iis, quae in libro geneſeos exſtant, quod omnia rite inter ſe cohaereant, & ad vnum eumdemque colliment ſcopum. Sed illis, quibus vel vlla Chriſti ſeruatoris ſupereſt veneratio, hac de re dubitare, prorſus nefas eſt. Ipſum enim Moſen pentateuchi auctorem Chriſtus agnoſcit, dum, *ſi crederetis*, inquit, *Moſi, crederetis mihi, ille enim de me ſcripſit. Quod ſi ſcriptis illius non creditis, quomodo verbis meis credetis?* Cum dicit: *Moſes ſcripſit,* Moſen vtique pentateuchi auctorem agnoſcit, illisque aperte contradicit, qui libros Moſis non ab auctore, ſed ab obiecto ita dictos, contendunt. Praeterea, cum Moſen de ſe ſcripſiſſe adſerit; non poteſt non de omnibus eius libris hoc intelligere; cum non minus in libro geneſeos, quam reliquis, apertiſſima de Chriſto teſtimonia occurrant. Atque hoc Lucas etiam confirmat, dum Chriſtum a Moſe orſum refert, perrexiſſe per omnes prophetas, interpretando ea, quae de ſe ſcripta erant, atque dixiſſe: *oportet omnia impleri, quae ſcripta ſunt in lege Moſis, in prophetis, & pſalmis, de me; Luc. XXIV. 27. 44.* Idem & apoſtolorum Pauli atque Iacobi, Moſen itidem pro auctore pentateuchi aperte agnoſcentium, teſtimoniis comprobari poſſet, ſi pluribus argumentis opus eſſet; conf. *Actor. XV. 21. II. Cor. III. 14. 15.* Si quis forte excipiat, Chriſtum atque apoſtolos hic opinionem inter Iudaeos receptam ſequutos; eum parum honorifice & de Chriſto & de apoſtolis ſentire, exiſtimo. Abſit enim, vt dicamus, in opinionibus erroneis eos hominum ſuae aetatis ſententias ſequutos. Qui veritatem vbique profeſſi ſunt, eiusque gratia doctoris munus ſuſceperunt, eosne opiniones erroneas ſequutos, easque ſuo exemplo confirmaſſe putas? Id profecto nec in re minima, quaecumque demum eſſet, illos decebat; & vt Chriſto plane indignum; ita a fide & ſinceritate apoſtolorum prorſus alienum eſt. Ad argumenta, quae diſſentientes proferre in

contrarium ſolent, non reſpondebimus: praeſtiterunt id iam alii, praeſertim PETRVS DANIEL HVETIVS, *demonſtrat. euangel. prop. IX. p. 254. ſeqq.* conf. & FRIDERICVS SPANHEMIVS, *hiſtor. eccleſiaſt. veter. teſtam. p. m. 260. ſeqq. it. p. 330. ſeqq.* & HERMANNVS WITSIVS, *miſcellan. ſacror. part. I. lib. I. cap. XIV. p. 103. ſeqq.*

§. XII.

Poſtquam itaque vitam atque virtutes tanti viri paucis conſiderauimus, cuius opera in rebus maximis perpetrandis, & eccleſia pariter ac republica Ebraeorum conſtituenda, Deo vti placuit; nunc ipſa Iſraëlitarum, penes quos vera eo tempore eccleſia erat, res, &, quae ſubierunt, fata, ordine perſequemur. Nimirum in Aegypto adhuc conſtituti, * duriſſima premebantur ſeruitute, & aſpera quaeuis & atrocia a Pharaone perpetiebantur. ** Cumque Moſes Pharaoni Numinis mandatum expoſuiſſet; tantum abeſt, vt ei morem gereret, vt acrius potius Iſraëlitas vexaret. *** Variae inde plagae Aegyptiis immiſſae, quarum numerantur decem. * Vltima omnium grauiſſima erat, dum primogeniti hominum pecorumque ſubitanea morte perirent, qua inductus Pharao tandem Iſraëlitas dimiſit, Aegyptii autem reliqui, grauiora ſibi imminere timentes, valde, vt egrederentur, eos vrſerunt, immo tantum non expulerunt. **

* Cum Iſraëlis progenies tam diu in Aegypto commorata ſit, ibidemque in populum ingentem excreuerit; orta hinc eſt quorumdam gentilium ſcriptorum opinio, Iudaeos genere & origine eſſe Aegyptios. Qua de re vt aliquid dicamus, neutiquam ab hocce loco alienum eſt; cum hic de populi iſraëlitici rebus geſtis atque fatis exponere incipiamus. Eius itaque vt nobis certo conſtet origo, par eſt. Inter eos, qui ex Aegypto Iudaeorum originem accerſunt, STRABO eſt, qui, *cum mixtae ſint*, inquit, *originis, (qui Galilaeam ſcilicet, Hierichuntem, Philadelphiam & Samariam incolunt,) fama, quae maxime inualuit, circa res de templo Hieroſolymitano creditas, perhibet, eos, qui nunc Iudaei adpellantur, ab Aegyptiis fuiſſe propagatos; geograph. lib. XVI. p. 760.* Eamdem de gentis iudaicae origine ſententiam habet DIODORVS Siculus, *lib. I. biblioth. hiſtor. p. m. 24.* quam & noſtra aetate, vt more ſuo vbique ethnicos ſcriptores ſacrae ſcripturae praeferret, ſequutus eſt, & propugnandam ſuſcepit IOAN. TOLANDVS; *origin. iudaic. p. 142. ſeqq.* Idque ne fruſtra & ſine omni ſpecie feciſſe videatur, varia comminiſcitur. *Ab Aegypto*, inquit, *nonniſi paucorum dierum itinere diſtat Iudaea, quorum incolae non raro a ſcriptoribus confunduntur. Ipſe Moſes, quando in terram Midianitarum aufugerat, pro Aegyptio ſtatim habitus eſt. Priuilegiis*

etiam

etiam & immunitatibus prae reliquis gentibus inter Iudaeos gaudebant Aegyptii: nam quamuis Ammonitae & Moabitae, ſpurii inſuper & eunuchi, vsque in decimam generationem a iure ciuitatis & ſuffragii excludebantur, in tertia admittebantur Idumaei & Aegyptii. In Aegypto loci quoque religionibus vtebantur Iudaei, & certe ab initio fuerunt idolorum cultores. Quod cum Ioſuae teſtimonio comprobaſſet, & porro obſeruaſſet, finitimis facile perſuaderi potuiſſe, ſeditionem aliquam in Aegypto exortam, ac bellum exarſiſſe ciuile; tandem concludit: *His igitur ſimilibusque indiciis ceterae nationes inductae, Iudaeos pro Aegyptiis ſemper habuerunt, & fere dixeram, ſic habere debuerunt.* Ne autem STRABO ſecum ipſe pugnare videretur, dum Iſraëlitas & ex Aegypto prognatos, & tamen, mixtae eſſe originis, dixerat; probare porro ſatagit, Iſraëlitas, vtpote Aegyptiorum ſeruos, omnino mixtae originis ſeu colluuiem ex variis gentibus fuiſſe; interim, quia plus quam quadringentis annis in Aegypto habitauerint, recte eos pro veris Aegyptiis haberi; ſimulque, quod antea de bello ciuili dixerat, repetit. *Coecutiunt itaque*, inquit, *qui, Iudaeos omnes indubitatos eſſe Abrahami vel Iacobi poſteros (abſque vlla ſanguinis corruptione) pertinaciter adſerunt. Inter omnes etiam conſtat, Aegyptiorum ſeruitia non vnius duntaxat fuiſſe gentis, ſed promiscuam ex omnibus circa finitimis colluuiem: certamen etenim illud inter Pharaonem & Iſraëlitas bellum fuiſſe ſeruile, cuius pentateuchi libros ſedulo legenti facile patebit; loc. cit. p. 149.* At longe aliter ſe rem habere, ex ſcriptura ſacra conſtat, quae, Iſraëlitas Iacobi ex Iſaaco & Abrahamo eſſe progeniem, diſerte teſtatur. Rationes quoque, quas in contrarium TOLANDVS adfert, futiles plane ſunt, & vix dignae, vt quis ad eas reſpondeat. *Vicini*, inquit, *fuere Iudaei & Aegyptii, ergo ab his illi prognati.* Vicini etiam fuere Iudaei, Amalekitae, Ammonitae, alii; ergo ab his Iudaei, aut hi ab illis? Quis ferret hanc concludendi rationem? At Moſes tamen pro Aegyptio habitus, cum profugus abiret in terram Midian. Ergone ſtatim etiam fuit? Haberi nimirum Moſes pro Aegyptio potuit, eo, quod in Aegypto natus, educatusque, & a parentibus in Aegypto degentibus in lucem editus eſſet, & hactenus etiam fuit Aegyptius: ſed inde non ſequitur, maiores, ex quibus prognatus erat, aliunde in Aegyptum venire non potuiſſe, aut Ebraeos aliunde potius, quam ex Iacobo & Abrahamo, originem ducere. Meliori quodam loco Aegyptios in gente iſraëlitica habitos, quam alios populos non circumciſos, facultatemque liberis eorum, poſt tertiam generationem in congregationem Domini intrandi, a Moſe conceſſam, non abnuimus, idque conſtat ex *Deut. XXIII. 7. 8.* Sed eodem iure gauiſi ſunt Idumaei: nec cauſſa eius rei illa eſt, quam fingit TOLANDVS, quod Iſraëlitae ab Aegyptiis originem duxerint, ſed quia Aegyptii aliquando hoſpites.

ſpites & domini Iſraëlitarum fuerant, hi gratum piumque hac ratione erga illos demonſtrare debebant animum. Sed idola tamen (ita pergit TOLANDVS) Aegyptiorum coluerunt Iſraëlitae. At num inde ſequitur, ergo ab Aegyptiis duxerunt originem? Cum tamdiu apud Aegyptios commorati ſint, fieri potuit, vt nonnulli ſuperſtitione illorum, aliisque moribus peruerſis, inficerentur, qua de re in ſequentibus plura dicemus; ſed inde nihil pro ſententia TOLANDI colligi poteſt. Coluerunt Iſraëlitae & aliarum gentium idola, a quibus eos originem ducere, nemo dixerit. Quae denique de bello ſeruili inter Pharaonem & Iſraëlitas comminiſcitur, cum omni prorſus fundamento deſtituantur; vt illis refellendis immoremur diutius, neceſſe non eſt. Id ſaltem addo, cum in originibus iudaicis, ex ſua mente explicandis, auctoritate STRABONIS maxime nitatur; iniquiſſime eum agere, quod iſtius auctoritatem ſcripturae ſacrae praeferat; quod vti ei ſollemne eſt, ita iam aliquoties hoc nomine eum caſtigauimus.

Vt vero impia hominis temeritas eo magis eluceſcat, obſeruandum, ethnicos ſcriptores in originibus gentis iudaicae ſuam vel maxime prodere ignorantiam, & quo magis inter ſe ipſimet diſſentiunt, eo minus, niſi ſcripturae, quae tradunt, conſentanea ſint, fidem promerentur. Sic longe aliter, quam STRABO, de gentis iudaicae origine diſſerit TROGI POMPEII epitomaſtes IVSTINVS, *hiſtor. lib. XXXVI. cap. II. Namque*, inquit, *Iudaeis origo Damaſcena, Syriae nobiliſſima ciuitas, vnde & aſſyriis regibus genus ex regina Semirami fuit.* Nonnullis de Damaſco, eiusque regibus interiectis, quo pacto Ioſephus, Iacobi filius, a fratribus venditus, inque Aegyptum deportatus ad maximas dignitates peruenerit, narrat, & tum porro de Moſe haec ſubiicit: *filius eius* (Ioſephi) *Moſes fuit, quem praeter paternae ſcientiae hereditatem etiam formae pulcritudo commendabat. Sed Aegyptii, cum ſcabiem & vitiliginem paterentur, reſponſo moniti, eum cum aegris, ne peſtis ad plures ſerperet, terminis Aegypti pellunt, &c.* Multa in his falſa, nonnulla vera & ſcripturae ſatis conſentanea. Sic recte ſe habet, quod ſcribit, Iſraëlitas ab Iſraële ſeu Iacobo originem ducere; etſi in eo erret, quod Iſraëlem cum Abrahamo Damaſci regem facit: recte docet, Ebraeos in Aegypto fuiſſe exſules; recte etiam, Moſen non Aegyptium, ſed Ebraeum. In quibus omnibus longe propius ad veritatem acceſſit, quam STRABO, aut qui, Iſraëlitas ab Aegyptiis deſcendere, autumant. Quam parum ethnici ſibi ipſis in originibus gentis ebraeae conſtiterint, omnium luculentiſſime ex iis patet, quae hac de re adfert C. CORNELIVS TACITVS, *hiſtor. lib. V. cap. II. Iudaeos*, inquit, *Creta inſula profugos nouiſſima Lybiae inſediſſe, memorant, qua tempeſtate Saturnus, vi Iouis pulſus, ceſſerit regnis. Argumentum e nomine petitur: inclytum in Creta Idam montem, accolas Idaeos, aucto in barbarum cognomento, Iudaeos vocitari. Quidam regnante Iſide, exundantem per*

Ae-

Aegyptum multitudinem, ducibus Hieroſolymo ac Iuda, proximas in terras exoneratam. Plerique Aethiopum prolem, quos rege Cephaeo metus atque odium mutare ſedes pepulerit. Sunt, qui tradunt, Aſſyrios conuenas, indigum agrorum populum, parte Aegypti potitos, ac mox proprias vrbes, hebraeasque terras & propiora Syriae coluiſſe. Clara, alii Iudaeorum initia: Solymos carminibus Homeri celebratam gentem, conditae vrbi Hieroſolymam nomen e ſuo feciſſe. Ecce diuerſas oppido ethnicorum de Iudaeorum origine ſententias. Quas omnes licet TACITVS, & merito quidem, reiiciat; propius tamen ad veritatem accedit, quam penultimo loco propoſuit, eorum ſcilicet, qui Iudaeos Aſſyrios perhibuere eſſe conuenas, indigumque agrorum populum, parte Aegypti potitos, ac mox proprias vrbes, ebraeasque terras, & propiora Syriae coluiſſe. In eo namque non fallebantur, Ebraeos aliunde in Aegyptum veniſſe, adeoque neutiquam aegyptiae eſſe originis, eos aliquamdiu in Aegypto vixiſſe, indeque egreſſos occupaſſe Palaeſtinam. Haec illi longe iterum rectius, quam STRABO. Interim nec haec TACITO ſe probat ſententia, qui, cum non inueniat, vbi pedem figat, tandem ſubiicit: *Plurimi auctores conſentiunt, orta per Aegyptum tabe, quae corpora foedaret, regem Bochorim, adito Hammonis oraculo, remedium petentem, purgare regnum, & id genus hominum, inuiſum deis, alias in terras auehere iuſſum, &c.* Hanc ergo de Iſraëlitis ob lepram & ſcabiem ex Aegypto expulſis fabulam, licet TACITVS ſuo quoque calculo adprobare videatur; quae & IVSTINO aliisque placuit; ea tamen tam inepta atque inſulſa eſt, vt ipſi vel maxime improbetur TOLANDO. *Inter quae*, inquit, *non negauerim, iſtam eſſe calumniam, qua multoties vexati ſunt; illos nempe fuiſſe hominum colluuiem, ſcabie, lepra ac impetigine adfectam, qui a rege Bochori ex Aegypto expulſi, Syriae partem occuparunt; originib. iudaic. p. 142.* Originem iſtius commenti detegere, haud adeo difficile eſt. Ab ipſis enim illud haud dubio ortum trahit Aegyptiis, qui hiſtoriam de exitu Iſraëlitarum ex Aegypto, vtpote cum maximo ſuo dedecore coniunctam, corrumpere quauis ratione adniſi ſunt. Cum ergo, iudiciorum diuinorum ſibi incumbentium grauitate adacti, non tam dimitterent, quam expellerent Ebraeos, & ipſi inter alia diris vlceribus vexati eſſent; vt imperitis caliginem offunderent, & ignominiam iſtam a ſe auerterent, Ebraeos ob ſcabiem a ſe expulſos, commenti ſunt. Iam ergo videat TOLANDVS, quantum ethnicis ſcriptoribus, tam inepta de origine gentis ebraeae tradentibus, tribuendum ſit. At ſolus forte hic ſapuit STRABO. Immo non minus delirauit, ac reliqui, ſeque ebraearum rerum non ſatis peritum demonſtrauit. Stultitia itaque eſt, quae vix exemplum habet, homines extraneos, falſa veris miſcentes, imperitos rerum iudaicarum, praeferre Moſi, ſcriptori domeſtico, veraci, diuino, & illis potius, quam huic fidem ad-

Digitized by Google

adhibere velle. Sed pluribus & ex inſtituto contra TOLANDVM haec de re iam diſputaui, in peculiari programmate, de *origine gentis ebraeae*, anno M DCC X in haecce academia edito, quod exſtat in *ſyntagmate diſſertation. theologic. p. 714. ſeqq.* conf. & IAC. FAYVS, in *defenſione religionis, nec non Moſis, & gentis iudaicae, part. II. cap. VI. p. 209. ſeqq.* itemque ELIAS BENOIST, in *obſeruationibus miſcellaneis, criticis, hiſtoricis, &c. ſuper duas diſſertationes Tolandi*, gallice ſcriptis, *p. 214. ſeqq.*

** Conſtitutum erat Pharaoni, populum numeroſiſſimum, a quo ſibi timebat, ne Aegyptiis rebellantibus ſuppetias ferret, aut arreptis armis ſe ipſum in libertatem vindicaret, impoſitis oneribus grauiſſimis atterere. Grauiora enim opera in regione ſolis radiis ardentiſſimis expoſita, ſine intermiſſione peragenda, non poſſunt non morbos & mortem adferre. Hinc vrbes, in quibus horrea regis eſſent, Pithomum & Rahamſeſam exſtruere & munire iuſſi ſunt. Quo minus autem hoc conſilium ex voto ſuccedebat, creſcente nihiloſecius in dies populo, eo magis crudelitatem ſuam intendebat Pharao. *Seruilia igitur opera*, inquit Moſes, *ab Iſraëlitis crudeliter exigebant Aegyptii, duraque ea ſeruitute amaram eis vitam faciebant, luto, lateribus, omni opere ruſtico, ſingulisque miniſteriis, quibus eorum cauſſa defungebantur, ſaeuum in modum (imperatis). Exod. I. 13. 14.* Hinc & *Deut. IV. 20.* dicitur, quod Deus eos eduxerit *e camino ferri*, ad duriſſimam ſeruitutem ſignificandam. Indicatur enim hac loquendi ratione ſeruitus tam dura, vt in ea liquefiat populus, hoc eſt, intereat prae nimio labore, vt in camino ferrum liquefieri ſolet. In ignem coniectos atque combuſtos Iſraëlitas, quod nonnulli volunt, hinc non ſequitur, eſtque commentum iudaicum. FL. IOSEPHVS hic, more ſuo, multa de ſuo addit. Labores enim Iſraëlitarum deſcribens, *nam*, inquit, *& flumen in multas foſſas diducere ſunt iuſſi, & moenia exaedificare, & aggeres exſtruere, quibus inundationes fluminis arcerentur;* πυραμίδας τε ἀνοικοδομοῦντες ἐξέτρυχον ἡμῶν τὸ γένος, ὡς τέχνας τε παντοίας ἀναδιδάσκεσθαι καὶ τοῖς πόνοις γενέσθαι συνήθεις, *pyramidum etiam inſanis ſubſtructionibus vexabant gentem noſtram, cogendo varias artes ediſcere & laboribus ferendis adſueſcere; antiquitat. iudaic. lib. II. cap. V. p. 54.*

Vbi id quidem praecipue obſeruatu dignum, quod pyramidum, quarum tanta apud veteres fuit celebritas, exſtructionem ad Iſraëlitas refert: qua in re non omnes ſibi ſuffragantes habet. De tempore namque, quando pyramides illae exſtructae ſunt, magna eruditorum eſt diſſenſio. MANETHOS, iam in dynaſtia prima quartum eius regem Venephen pyramidas erexiſſe, tradit, ac dein in dynaſtia quarta regem ſecundum Suphin, pyramidum maximam exſtruxiſſe. Haec & IO. MARSHAMO placuit ſententia, qui vt Venephis regnum ad aetatem Phalegi, & filii eius Regu, refert, Suphin autem ad tempora Tharae; ita non poteſt non iuxta

eius

eius opinionem pyramidum exſtructio aetatem Abrahami antecedere; vid. eius *canon chronicus*, *ſaec. III. p. 47. ſeqq.* Vt vero ipſe MARSHAMVS fatetur: *mirum eſt*, *nuperam hanc aedificandi artem tam cito in tantam excreuiſſe magnificentiam*, *vt vetuſtiſſimis hisce ſaeculis adſurgerent ſtupenda illa monumenta;* ita aliis ab omni prorſus veroſimilitudine abhorrere videtur, iſta iam aetate talia perfici potuiſſe. Alii itaque haec aegyptiacae vanitatis monumenta longe recentiora faciunt, adeo, vt, poſt bellum demum Troianum ea excitata, referant. Sic HERODOTVS Cheopi regi, qui poſt Troianum bellum vixit, primam tribuit pyramidem, alteram fratri eius & ſucceſſori, tertiam Cheopis filio Mycerino, qui patruo ſuo ſucceſſerit; *lib. II. cap. CXXIV.* HERODOTVM ſequitur DIODORVS Siculus, *lib. I. p. 39.* At aliis nec hoc credibile videtur. Nam ſi aliquamdiu poſt Troiam captam exſtructae fuiſſent pyramides; certiora, inquiunt, hac de re habuiſſent veteres, cum nunc omnia nobis incerta reliquerint, nec ipſi Aegyptii iam olim certi quid, aut quod commentitium non eſſet, prodere potuerint. Mittimus reliqua, quae aut Aegyptii, aut Graeci hac de re prodiderunt; quia incerta omnia. IACOBVS PERIZONIVS, vir clariſſimus, haec omnia adcurate ſecum expendens, in IOSEPHI tandem concedit ſententiam, Iſraëlitarum tempore vaſtiſſimas illas in Aegypto excitatas moles; in *aegyptiac. orig. inueſtigat. cap. XXI. p. 387. ſeqq.* Primam, qua hoc probet, rationem illi ſuppeditat maxima, in quam Iſraëlitae excreuere, in Aegypto multitudo, quae tandem aliquot millibus ſexcenta millia virorum, plusquam viginti annos natorum iſtic exceſſerit; qui porro per annos quam plurimos ſupra ſaeculum ex vulgari ſententia, vel per tria plus minus ſaecula, ſecundum verba exodi, ad opus aedificationis fuerint adhibiti. Quo temporis interuallo tot homines praeter duarum triumue vrbium munitionem aliud perfeciſſe nihil, non eſſe credibile: longe contra veroſimilius, ſtupendae molis opera, qualia pyramides, ab illis exſtructa. Addit porro, non eſſe veroſimile, reges eo tempore fuiſſe auſos, tot millia ciuium ad inutile ac ſtultae vanitatis opus per viginti annos adigere, ad quod Iſraëlitae Aegyptiis iam ſubiecti, nullo negotio compelli potuerint. Obſeruat etiam, ex ratione operis, quam PLINIVS adferat, *hiſtor. nat. lib. XXXVI. cap. XII.* eamdem confirmari ſententiam. *Pyramides*, inquit PLINIVS, *regum pecuniae otioſa ac ſtulta oſtentatio, quippe cum faciendi eas cauſſa a plerisque tradatur, ne pecuniam ſucceſſoribus aut aemulis inſidiantibus praeberent, aut ne plebs otioſa eſſet.* Priorem rationem vt ineptiſſimam reiicit, poſteriorem prorſus in Ebraeos, ſi plebis nomine intelligantur, quadrare. Namque *Exod. V. verſ. 8.* Iſraëlitis obiicitur, *quod deſides ſint, atque ideo poſtulent abire ex Aegypto ad ſacrum Deo in deſertis faciendum.* Denique ex eo, quod PLINIVS addit, *veſtigia complurium incboatarum exſtare*, idem liquere putat.

putat. Inde namque intelligi, abruptum ſubito opus, ad quod maxima multitudo hominum ſimul fuerit adhibita: quod optime in Iſraëlitas conueniat, qui ex medio opere abducti, tot pyramides inchoatas reliquerint & imperfectas, quas neque Aegyptii tanta dein clade adfecti, ſeu magnam partem in mari rubro exſtincti, perficere voluerint, aut potuerint. Mitto, quod vltimo loco addit, pluribusque ediſſerit, nec locum, in quo conditae pyramides, ab Iſraëlitarum habitatione fuiſſe alienum, aut longe remotum. Sunt haec omnia ita comparata, vt ſententiam IOSEPHI admodum probabilem reddant. Extra omnem vero dubitationis aleam eam non ponunt. Inter alia enim illud vel maxime obſtat, quod pyramides non fuerint lateritiae, ſed lapideae, quod HERODOTVS, DIODORVS Siculus, PLINIVS, *locis* ab ipſo viro doctiſſimo *p. 391. citatis*, diſerte teſtantur. De Iſraëlitis autem conſtat, in lateribus coquendis, & oppidis ex iis exſtruendis, eos iuſſu Aegyptiorum operam poſuiſſe ſuam. Quod HERODOTVS tradit, ex lapidicidinis arabici montis, lapides magnis moliminibus aduectos, & hinc exſtructas pyramides, eius rei nec veſtigium nec vmbra in hiſtoria Iſraëlitarum deprehenditur. Quare, quae cum IOSEPHO hac de re ſtatuit vir doctiſſimus, non certiora eſſe puto, quam cetera, quae ipſe pro incertiſſimis habet.

Sed, vt reliqua perſequamur, cum Pharao ſeruilibus operibus, etſi duriſſimis, Ebraeos opprimere non poſſet; ad crudeliora conſilia conuerſus, obſtetricibus ebraeis praecipit, vt omnem Ebraeorum progeniem maſculam ſtatim a natiuitate ſuffocent, ſequiori dumtaxat ſexui vita conceſſa. FL. IOSEPHVS, Pharaonem iuſſiſſe, ait, ἑβϱαίων γυναικῶν τοκετοὺς παϱατηϱεῖν τὰς Ἀιγυπτίων μαίας, *Ebraeorum mulierum partus obſeruare Aegyptiorum obſtetrices; antiquit. iudaic. lib. II. cap. V. p. 54.* Obſtetrices itaque aegyptias, non ebraeas fuiſſe cenſuit. Sed verba Moſis מילדות העבריות ebraeas fuiſſe ſuadent. Nec de aegyptiis dici poteſt, eas timuiſſe Deum. Vtriusque etiam gentis ebraeae atque aegyptiae neutiquam tanta fuit familiaritas, vt mulieres ebraeas aegyptias admiſiſſe obſtetrices, credibile ſit. De obſtetricibus vero illis, quaecumque demum fuerint, porro dicitur, quod a tam nefario ſcelere abhorrentes, Deique timentes, pueros & puellas aeque ſeruauerint. Quod cum animaduertiſſet Pharao; accerſitas obſtetrices acriter obiurgauit, quod imperata neglexiſſent. Illae vero reſpondent: *Non ſunt aegyptiarum inſtar ebraeae mulieres: ſunt enim vegetae, &, antequam ad eas venerit obſtetrix, pepererunt.* Vocem חיות non vna eademque ratione omnes reddunt. ONKELOS eam vertit חכימן id eſt, *peritae*, ſcilicet artis obſtetriciae; quemadmodum & HIERONYMVS interpretatur: *obſtetricandi habent ſcientiam.* At propria & genuina vocis ſignificatio eſt: *viuidae, vegetae,* ſenſusque eſt, mulieres ebraeas, cum ſint corpore robuſto & vegeto, ſine ob-

obſtetricis auxilio eas parere. Omnino ita ſe rem habuiſſe, nonnulli putant, adeoque obſtetrices illas ab omni diſſimulatione, mendaciique crimine abſoluunt. Sed merito quis dubitauerit, an de omnibus mulieribus ebraeis hoc dici potuerit, eas ſine obſtetricis opera peperiſſe. Immo ſi obſtetricum non interueniſſet opera, non potuiſſet *verſ. 17.* dici, *obſtetrices etiam ſeruaſſe pueros.* Diſſimulatione itaque aliqua vſae ſunt. Alii proinde dicunt, non diſſimulationem, ſed pietatem obſtetricum placuiſſe Deo, eumque non illam, ſed hanc praemio adfeciſſe. Rectius forte alii, diſſimulationem vitio carere, contendunt; cum & interrogans ob prauum conſilium iure veritatem explorandi excidit, & veritatis manifeſtatio non in vtilitatem, ſed damnum aliorum ceſſura eſſet. Hoc certum, Deo iſtam obſtetricum pietatem valde probatam; vnde non tantum iſtis benefeciſſe dicitur, ſed additur etiam: *itaque, quia Deum timuerunt obſtetrices, fecit eis domos*, hoc eſt, numeroſam prolem, rerumque omnium abundantiam illis conceſſit.

*** Vid. *Exod. V. 5. ſeqq.* Cauſſa autem, cur Pharao tam ſtolide ſe gereret, & diuinae potentiae reluctaretur, fuit, quod ipſe animum ſuum ad malum obfirmauerit, induraueritque, idque permittente ex iuſto iudicio Numine. Ita enim intelligendum, quod *cap. VII. 3.* alibique legitur, vbi Deus dicit: *indurabo cor Pharaonis.* Quod enim hic Deo tribuitur, id *cap. IX. 34.* ipſi Pharaoni adſcribitur; conf. & *cap. VII. 13. VIII. 32.* Sed hac de re theologi ex inſtituto.

* Prima erat, mutatio omnium aquarum, quae in Aegypto erant, in ſanguinem, vnde piſces mortui, foetorque extitit, & aquarum, quas Aegyptii biberent, penuria, *Exod. VII. 17. ſeqq.* Altera erat, ranarum ingenti multitudine immiſſio, adeo vt domus omnes & conclauia implerent, & loca etiam ſicciſſima, quod contra naturam earum eſt, peterent. Vox צפרדעים omnium confeſſione *ranas* ſignificat. Nonnulli ex Iudaeis crocodilos ea ſignificari putant, quos ſolide confutat SAMVEL BOCHARTVS, *hierozoic. part. II. lib. V. cap. II.* Etſi autem ranae morſu non noceant; maximam tamen moleſtiam atque nauſeam tanta earum multitudo adferebat. Tertia plaga erat pediculorum, qui homines pariter ac bruta vexarent, procreatio. Id enim vox כנים ſignificat, quam LXX interpretes per σκνῖφας ſeu *culices* reddiderunt; ſed perperam, vt itidem SAM. BOCHARTVS erudite oſtendit; *hierozoic. part. II. lib. IV. cap. XXIII.* Ex puluere autem terrae dum pediculi producti ſunt, hoc praeter naturae ordinem factum indicatur: quod de reliquis plagis idemtidem eſt obſeruandum. Aegyptiis autem non poterat non haec plaga admodum moleſta eſſe, quippe quos munditiei ſtuduiſſe, veteres memoriae prodiderunt. Cum etiam magi Aegyptiorum hactenus praeſtigiis ſuis miracula Moſis & Aaronis imitati eſſent; Deus, vt id amplius facerent, iis non permiſit. Vnde ſublimiorem

vereque diuinam hic ſubeſſe potentiam, agnoſcere coacti ſunt, dicendo ad Pharaonem: *hic eſt digitus Dei, Exod. VIII. 18. 19.* Quartam plagam conſtituerunt *muscae caninae.* Ita enim vocem ערב verterunt LXX interpretes, quos pluribus defendit SAM. BOCHARTVS, *hieroz. part. II. lib. IV. cap. XV.* Alii, mixturam quamdam ſeu colluuiem animalium hac voce innui, putant, quod verbum ערב *miſcere* ſignificat. Et eo etiam tendit verſio germanica B. LVTHERI. Eadem mens IOSEPHO fuiſſe videtur, dicenti: θηρίων γὰρ παντοίων καὶ πολυτρόπων, ὧν εἰς ὄψιν ὐδεὶς ἀπηντήκει πρότερον τὴν χώραν αὐτῶν ἐγέμισεν, *varias & multiformes beſtiolarum ſpecies immittit, quales nemo ante eam diem vmquam viderat, tanta copia, vt tota regio malo hoc repleretur; lib. II. cap. V. p. 63.* Prior tamen praeferenda videtur ſententia. Et ſane, cum muscae caninae acerrime mordeant, & ſanguinis animalium ſint adpetentiſſimae; moleſtiſſimam hanc Aegyptiis fuiſſe plagam, vt concludamus, par eſt. Legenda, quae erudite ad *h. l.* notauit IOAN. CLERICVS. Additur autem, ceu ſingulare quidpiam, eum tractum, in quo Iſraëlitae inhabitabant, muscarum immunem fore, vt discrimen, quod inter Aegyptios & Iſraëlitas eſſet, luculenter conſpiceretur. Vnde fere colligas, a praecedentibus plagis non plane immunes fuiſſe Iſraëlitas. Secus tamen IOSEPHO viſum, ſaltem de prima plaga, qua aqua in ſanguinem conuerſa ad bibendum inepta reddita eſt, ita differit, vt ad ſolos Aegyptios eam reſtringat. Cum enim dixiſſet, aquam non ſanguinis modo colorem prae ſe tuliſſe, ſed ſi quis ſiti coactus eam potaſſet, illum ſtatim acri dolore correptum, addit: ἦν δὲ τοιῦτος μὲν Αἰγυπτίοις, Ἑβραίοις δὲ γλυκὺς καὶ πότιμος, καὶ μηδὲν τῦ κατὰ φύσιν παρηλλαγμένος· *eratque talis Aegyptiis ſolis, Ebraeis vero dulcis ac potabilis, & omnino priſtinam naturam retinens; loc. cit. p. 63.* Id certum, discrimen illud, quod inter Aegyptios & Ebraeos hic adparuit, diuinae potentiae luculentiſſimum fuiſſe documentum, non minus, ac illud, quod definito a Moſe tempore muscae & venerunt & diſceſſerunt. Pharaone in ſua pertinacia perſeuerante, ſequebatur quinta plaga. Peſtilentia nimirum, magna pecudis, quae Aegyptiorum erat, pars corrupta periit, ſalua & incolumi pecude Iſraëlitarum. Intendebantur enim plagae, acrioribusque caſtigationibus Pharaonis expugnare pertinaciam Deus voluit. Sed irritum & hoc fuit; nec dimoueri a peſſimis conſiliis ſe paſſus eſt rex aegyptius. Moſes itaque atque Aaron cineres e fornace ſumtos plenis manibus in aërem ſpargebant, quo facto puſtulae cum maxima inflammatione doloribusque acutiſſimis coniunctae, Aegyptios, & quidquid ſupererat pecudum, inuadebant. Ipſimet magi earum non fuerunt immunes, ſed eodem, ac reliqui laborabant morbo, hinc & Pharaoni adeſſe non poterant. Et haec quidem ſexta fuit plaga. Pharaone autem haec omnia inſuper habente, ſubito, cum Moſes manum ad caelum

pro-

Digitized by Google

porrexiſſet, maxima vehementiſſimaque exorta eſt tempeſtas, grandine inuſitatae magnitudinis omnia proſternente, tonitrubus ſimul & fulminibus vehementiſſimum omnibus terroren incutientibus. Quidquid fere ſub dio hominum pecudumque erat, occiſum eſt, omnis item herba paullo altior, arboresque omnes, grandine contuſae atque confractae ſunt. Aegyptiis eo maiorem haec incutere terrorem debebant, quod eiusmodi tempeſtas plane ibi inſolita eſſet. In ſuperiori enim Aegypto numquam, in inferiori raro admodum pluere ſolet; quod iam HERODOTO obſeruatum, *lib. III. cap. X.* Cum vero nec hac ratione Pharao, vt mentem mutaret, induci poſſet, ſed potius ſe, vt impuberes pedem Aegypto efferrent, permiſſurum diſerte negaret; ingens locuſtarum exercitus, vento orientali ex Arabia aduectus, totam, quacunque patet, Aegyptum texit, & quidquid ſupererat viroris in herbis atque arboribus, abſumſit. Spem quidem tum rurſus Pharao fecit, ſe omnes Israëlitas dimiſſurum, quam tamen irritam fuiſſe ſtatim adparuit, cum locuſtae vento diuinitus excitato iterum auectae, & in mare Erythraeum coniectae eſſent. Nona hinc ſequuta eſt plaga, ortis ſubito denſiſſimis tenebris, quae toti Aegypto incubuere, cum interea Israëlitae ſolita luce & caeli ſerenitate fruerentur. Eleganter CLEMENS Alexandrinus: *θεωταὶ δέ ἑβραῖοι ἐγίνοντο, ὧν ἕτεροι κακῶν ὑπέμενον, ἀκινδύνως ἐκμανθάνοντες τὴν δύναμιν τοῦ Θεοῦ.* *Ebraei ſpectatores erant malorum, quae alii ferebant, ſine periculo diſcentes Dei potentiam; ſtrom. lib. I. p.345.* Tenebrae autem iſtae non per eclipſin ſolis, ſed per nubes denſiſſimas, ſolis lucem intercipientes, effectae ſunt. Eclipſis enim, vt alia taceam, raro trium horarum ſpatium excedit, nec tantam inducit caliginem, vt homines ſe mutuo videre nequeant. Nec vero, tam craſſum aërem fuiſſe, ſtatuendum eſt, vt inſtar aquae turbidae fuerit; cum ita omnibus Aegyptiis ſtatim pereundum fuiſſet. Verba etiam ebraea: וימש חשך *& palpabuntur tenebrae*, rectius transferuntur: *& quisque in tenebris palpabitur.* Niſi dicere velis, *ὑπερβολικῶς* hoc dictum, tenebras tantas ſore, vt palpari queant. Vid. IACOB. BONFRERIVS, ad *h. l.* Certe & LXX interpretes habent *ψηλαφητὸν σκότος*, & vulgatus: *tam denſae, vt palpari queant.* Interim IOSEPHO hinc enata eſt errandi occaſio, cum, tenebris iſtis, aut aëris potius craſſitie, reſpirationem quoque Aegyptiorum impeditam, adſerit. *Tenebrae*, inquit, *profundae & luce deſtitutae circumfundebantur Aegyptiis, ὑφ' οὗ τάς τε ὄψεις ἀποκλειομένοις καὶ τὰς ἀναπνοὰς ἐμφραττομένοις ὑπὸ παχύτητος οἰκτρῶς τε ἀποθνήσκειν συνέβαινεν καὶ δεδιέναι μὴ καταποθῶσιν ὑπὸ τοῦ νέφους, quibus, cum occluſa iis eſſent lumina, & impedita reſpiratio craſſitie, miſere vt interirent, contingebat, & timerent, ne nube abſorberentur; antiquit. iudaic. lib. II. cap. XIV. p. m. 64.* Haec more ſuo fingit IOSEPHVS. Ex Moſis narratione id non

non colligas. Idem cenſendum de auctore *libri ſapientiae*, qui *cap.XVII. 2. ſeqq.* aegyptias haſce tenebras ita deſcribit, vt multa de ſuo addat; quorſum cumprimis illud pertinet, quod de ſpectris, quibus rerriti ſint Aegyptii, refert: *Cumque*, inquit, *putarent, peccata ſua latere, & obſcuro obliuionis velamine tegi poſſe*, ἐσκορπίσθησαν θαμβούμενοι δεινῶς καὶ ἰνδάλμασιν ἐκταρασσόμενοι, *horribiliter diſſipati ſunt, & ſpectris conterriti;* & porro: οὐδὲ γὰρ ὁ κατέχων αὐτοὺς μυχὸς ἀφόβως διεφύλασσεν, ἦχοι δὲ καταράσσοντες αὐτοὺς περιεκόμπουν καὶ φάσματα ἀμειδήτοις κατηφῆ προσώποις ἐνεφανίζετο; *ac ne angulus quidem, in quo erant, poterat eos metu liberare, ſed ſonitus circumfuſus incutiebat eis pauorem, & terribiles laruae occurrebant, quarum conſpectu cohorreſcebant, &c.* Nobis, quae Moſes hac de re dicit, ſufficiunt. Tandem, cum tot plagae & calamitates ad flectendum cor Pharaonis non ſufficerent, vltima, eaque omnium acerbiſſima, ſequuta eſt. Quidquid enim primogenitorum in vniuerſo Aegypto erat, a rege & primoribus regni ad infimae ſortis homines, ne quidem primogenitis brutorum exceptis, horae velut momento periit. Vtrumne Deus ſit in iſta primogenitorum ſtrage, angeli cuiusdam miniſterio, quaeri ſolet: nec deſunt, qui hoc adfirmant, quorum rurſus alii bonum, alii malum intelligunt. Ipſi ſane Deo iſta caedes diſerte tribui videtur, *cap. XI. 4.* conf. & *cap. XII. 12. 23. 29.* Vnde nonnulli probabilius eſſe putant, nullum hic angeli creati miniſterium interceſſiſſe. Targum eum, qui iſtam ſtragem edidit, *verbum* vocat, & auctori *libri ſapientiae* ex veteris eccleſiae iudaicae diſciplina audit: ὁ παντοδύναμος λόγος Θεοῦ *cap. XVIII. 15.* Nec obſtare cenſent locum, *Pſalm. LXXVIII. 49.* cum ibi non dicatur מלאכים רעים, ſed מלאכי רעים *nuntii malorum*, nec de caede primogenitorum, ſed de reliquis potius plagis ibi ſermo ſit. Nihiloſecius, cum ipſi Deo tribui poſſint, quae angelorum miniſterio peregit, & *cap. XII. 23.* a Deo, ſeu Domino transeunte, diſtinguatur המשחית ὀλοθρευτής; praeferenda videtur illorum ſententia, primogenitorum aegyptiorum percuſſorem, angelum, aut, ſi mauis, angelos fuiſſe, quorum miniſterio Deus vſus ſit. Deus autem & ipſe transiiſſe dicitur, vt ſignificetur, ipſius nutu & mandato omnia geſta, cumprimis, quod ipſemet populi ſui ſaluti conſuluit, plagam hanc, ſi modo ordinem ab illo praeſcriptum obſeruarent, ab eis auertendo, ne vlla ratione ad eos pertingeret. Plura de decem iſtis plagis Aegyptiorum, praeter interpretes, aliosque, dabit IO. CONRADVS DIETERICVS, in *antiquitatibus biblic. veter. teſtament. p. 467. ſeqq.*

** *Exod. XII. 33.* Ortam hinc ethnicorum, de eiectis ob lepram & ſcabiem Iſraëlitis, calumniam, ſupra iam obſeruauimus.

§. XIII.

§. XIII.

Priusquam autem hoc fieret, Deus in libertatis Iſraëlitis redditae memoriam, in poſterum annum a menſe Niſan inchoari, * ſimulque agnum maſculum aut hoedum, anniculum, labis omnis immunem, mactari, & certis adhibitis ritibus comedi, foribus aedium, in quibus Ebraei erant, ſanguine eius prius adſperſis, voluit, idque vt deinceps quotannis ab iis fieret, iuſſit. Ita enim caedem primogenitis Aegyptiorum imminentem, euadere poterant, ne quis Ebraeorum ſimul periret. Et hinc paſchatos feſtum in hac gente originem habuit: ** quod dum celebrabant, in rerum itidem hoc tempore in Aegypto geſtarum memoriam, a decimo quarto die primi menſis, ad vigeſimi primi veſperam, abiectis panibus fermentatis, azymis tantum illis vtendum erat. Nec illud praetermittendum, quod Numinis iuſſu ſupellectilem varii generis, vaſa aurea atque argentea, ab Aegyptiis petierint, his etiam ad commodandum pronis, diuitias ita & opes maximas Aegyptiorum ſecum ablaturi.

* Ita enim diſerte praecipit: *menſis hic vobis erit caput menſium, primus hic vobis anni menſium erit*, *Exod. XII. 2.* Patet inde, Ebraeos hactenus alia anni tempeſtate annum inchoaſſe, auctumno ſcilicet, vt ex *Exod. XXIII. 16.* colligitur, eoque menſe, qui poſtea Tisri dictus; vt ille contra, quo ex Aegypto egreſſi ſunt, Niſan vocatus eſt. In rebus ciuilibus morem, ab auctumno anni initium numerandi, eos retinuiſſe, docet FLAV. IOSEPHVS; de diſtinctione enim anni apud Aegyptios vſitata cum dixiſſet; addit: Μωυσῆς δὲ τὸν νισὰν, ὅς ἐςὶ ξανθικὸς, μῆνα πρῶτον ἐπὶ ταῖς ἑορταῖς ὥρισεν, κατὰ τῦτον ἐξ αἰγύπτυ τὺς ἑβραίυς προαγαγών· ὗτος δ᾽ αὐτῷ καὶ πρὸς ἁπάσας τὰς εἰς τὸ θεῖον τιμὰς ἦρχεν. ἐπὶ μὲν τοίγε ὠνὰς καὶ πράσεις καὶ τὴν ἄλλην διοίκησιν, τὸν πρῶτον κόσμον διεφύλαξε. *Moſes autem Niſan, qui eſt Xanthicus* (iuxta Macedones) *menſem primum in ſuis faſtis ordinauit, quod eodem Ebraeos ex Aegypto eduxiſſet; eumdem etiam omnium, quae ad rem diuinam pertinerent, exordium fecit; alioqui, quod ad venditiones & emtiones, reliquamque diſpenſationem attinet, priſtinum ordinem obſeruauit; antiquit. iudaic. lib. I. cap. IV. p. m. 9.* Duplicem itaque apud Ebraeos fuiſſe annum, eccleſiaſticum & politicum, quorum ille menſe Niſan, hic menſe Tisri initium ceperit, multorum eſt ſententia; quae tamen diſplicet ABR. CALOVIO, in *chron. bibl. ſect. I. qu. V.* Quae autem ceteroquin temporum computandi apud Ebraeos fuerit ratio, adcurate docet AEGIDIVS STRAVCHIVS, in *diſſertat. de computo talmudico-rabbinico*, item in alia, de *anno Ebraeorum eccleſiaſtico*; vtraque exſtat in THOMAE CRENII *faſce I. exercitation. philo-*

Digitized by Google

philologico-hiſtoricarum, *p. 246. ſeqq.*

** De agro paſchali multa dici poſſent, niſi ad alium locum haec pertineret tractatio, & ab aliis etiam, praeſertim a SAMVELE BOCHARTO, prorſus exhauſta eſſet; *hierozoic. lib. I. part. II. cap. I.* Quae prolixe & magno eruditionis adparatu hac de re BOCHARTVS ſcripſerat, in compendium miſit HERMANNVS WITSIVS, nomen paſchae, tempus, locum, miniſtros, conuiuas, ritus, myſterium, ordine ediſſerens; *de oecon. feder. Dei cum hominib. lib. IV. cap. IX. p. 708. ſeqq.* Nos, inſtituti noſtri habentes rationem, duo ſaltem obſeruabimus, quorum alterum ad ritus huius originem ſpectat, alterum, ad diſcrimen rituum, in Aegypto, & poſtquam Ebraei inde iam egreſſi erant, adhibitorum. Ad prius quod attinet, Deum tum aliis inſtitutis, tum & agno paſchali, ritibus ſuperſtitioſis, Zabiorum, Aegyptiorumque obuiam ire voluiſſe, Ebraeorum quorumdam eſt ſententia, ſpeciatim MOSIS MAIMONIDIS, in *moreb. nebochim*, *part. III. cap. XXXVI.* quam & magno conatu ornandam defendendamque ſibi ſumſit IO. SPENCERVS, de *legibus Ebraeor. ritualib, earumque rationibus, lib. II. cap. IV.* Quam vero hic vir doctiſſimus ingenio ſuo abutatur, vel ſpecimine quodam oſtendere liceat: omnia enim diſcutere, integri libri opus eſſet. Inter paſchatos leges prima erat, *quod agno maſculo ſollemniter mactato celebrari deberet.* Hanc ſtatim Aegyptiis oppoſitam SPENCERVS putat, quippe quibus in more poſitum fuerit, inter animalia *ſacrorum* titulo donata, *arietem* honore praecipuo colere, vel quod ſymbolum foecunditatis eſſet, vel quod arieti caeleſti adfinitate quadam propiore, coniungi crederetur. Quod ne fruſtra dixiſſe videatur, primo animalis in paſchate mactandi vrget *ſpeciem*, quod *agnus* eſſe debuerit, aut *hoedus;* etſi fateatur, agnum in paſchate communiorem fuiſſe victimam, neque hoedum mactatum, niſi cum agnos deſiderarent; quod & THEODORETO obſeruatum, *quaeſt. XXIV. in Exodum.* Cuius rei non magis ſpecioſam excogitari rationem poſſe putat, quam quod Aegyptii ab vtriſque, ouibus & hoedis, magis tamen ab illis, religionis cauſſa ſibi temperauerint. Vrget deinde, animalis in paſchate mactandi *ſexum.* Agnus enim, ſiue hoedus, maſculus eſſe debebat. Hoc autem nihil ethnicorum, Aegyptiorum praecipue, dogmatis aut inſtitutis magis aduerſum inſtitui poſſe, pronuntiat; ſiquidem eorum pleríque crediderint, feminini generis victimas plus apud deos valere, quam maſculini. Quod variis documentis comprobare adnititur. Separationem agni paſchalis ſollemnem die menſis decimo, vt decimo quarto mactaretur, nihil aliud ſibi voluiſſe, niſi vt Iſraëlitae omnem erga animal illud adfectum ſuperſtitioſum deponere diſcerent, & ſe non impetu aliquo temerario, ſed conſulto & ſubducta ratione, vanitatibus Aegypti renuntiare, & animal apud Aegyptios ſacratiſſimum mactare, teſtarentur. Eo minus

Digitized by Google

minus autem hac de re dubitandum, quod & alias Deus ea animalia, quae veteres Aegyptii maximi fecerunt, in lege ſua, *ſtudioſe vili facere*, (ita enim viro docto loqui placet) *& maxima contumelia tractare videatur.* Sic, cum Aegyptii vaccam Iſidi ſacram, & cultu diuino proſequendam exiſtimarent; Deum vaccam extra caſtra, tamquam animal euitandum, comburi iuſſiſſe, & aquam luſtralem ex illius cineribus ad populi immunditias eluendas, confici. Nec aliam odii iſtius capitalis, quo Aegyptii erga Iudaeos per multa ſaecula exarſerint, eſſe cauſſam, quam quod illi, ſpreta ab his atque contemtim habita ſacra ſua, quam aegerrime ferrent. Denique & circumſtantias illas plane ſingulares in paſchatis primi celebratione ſollemniter obſeruandas, haud leue opinioni ſuae adferre momentum exiſtimat. Quod enim ſanguis agni non in populum, ſed ſuperliminare & anteriores aedium poſtes, adſpergi debuerit, eo nihil aliud Deum voluiſſe, quam *vt agnum illum in infimum animalium ordinem ſtudioſe deprimeret, & quod Aegyptii maxime colebant, Iſraëlitae ſe plane contemnere, palam & aperte declararent.* Praeterea cum paſchalis agnus eo temporis articulo mactari debuerit, quo in procinctu ſtabant Iſraëlitae, vt in deſertum abirent, & Aegypto valedicerent; hoc ipſo ſignificare Deum voluiſſe, ſe in ipſos Aegypti deos, quos populi ſui dentibus tradidit, vindictam exercere. Denique, non in Aegypto tantum, ſed & terra promiſſa, agnum illum fuiſſe offerendum, vt non minus redemtionis ab Aegypti ſeruitute memoriam celebrarent, quam Aegypti ſuperſtitionibus renuntiarent.

Sed vel haec ipſa, quae hactenus attulimus, documento ſunt, quam infirmo fundamento ſententia, quam SPENCERVS defendendam ſumſit, innitatur. Tam enim futilia cuncta ſunt, vt vix, ſerio eum rem iſtam egiſſe, quis ſibi perſuadere queat. Enimuero, cur agnus in paſchate adhiberi debuerit, longe aliam rationem ſcriptura ſacra adfert, quae non ſemel, agnum in veteri teſtamento Chriſti ſeruatoris figuram atque imaginem fuiſſe, teſtatur; *I. Petr. I. 18. 19. Apoc. V. 6.* alibique. Et iampridem etiam a patriarchis agni in ſacrificia Deo offerebantur. Lepidum vero prorſus, immo tanto viro indignum eſt, dum ita rationes ſubducit: apud Aegyptios aries praecipuo quodam honore colebatur, ergo ad eorum ſuperſtitionem euitandam agnus mactari debuit. Cur maſculus eſſe debuerit agnus, non procul nobis arceſſenda eſt ratio, qui, teſte ſcriptura ſacra, Chriſtum ſeruatorem eo repraeſentatum fuiſſe, credimus. Generatim etiam eo ſignificabatur, offerendum Deo eſſe, quod in ſuo genere eſſet praeſtantiſſimum. Ideo hoc factum, quod Aegyptiorum plerique crediderint, feminini generis ſacrificia plus apud deos valere, quam maſculini, vnde probabit? Immo & falſum eſt, crediidiſſe hoc Aegyptios. Secus ſe rem habere, condocet nos HERODOTVS: τὰς μὲν νῦν καθαρὰς ἄρσενας τῶν βοῶν,

βοῶν, καὶ τοὺς μόσχους οἱ πάντες Αἰγύπτιοι θύουσι, τὰς δὲ θηλέας οὔ σφι ἔξεστι θύειν· *bones mundos eosque mares ac vitulos, vniuerſi Aegyptii immolabant, feminas vero mactare eis non licet; lib. II. cap. XLI.* Idem & recte obſeruatum IOAN. CLERICO, ad *Exod. XII. 5.* Ad ſeparationem agni paſchalis quod attinet, eius rationes longe ſolidiores adfert SAM. BOCHARTVS, *loc. cit.* quas inter haud poſtrema eſt, quod adcuratius hac ratione obſeruari potuerit, an forte defectus aliquis in agno eſſet, quamuis in adplicatione eo ipſo condoceamur, ſeparatum a peccatoribus & in ſacrificium pro omnium hominum delictis deſtinatum eſſe Chriſtum, agnum illum, qui totius mundi peccata portat. Quas quidem rationes licet indignas SPENCERVS iudicet, vt eas refellat; longe tamen probabiliores ſunt, quam inanis illa de adfectu erga animal Aegyptiis ſacrum deponendo, quae non temere cuiquam in mentem veniſſet, niſi ipſe exemplum praeiuiſſet. Dum vero porro ſuam exinde probare adnititur ſententiam, quod & alias Deus ea animalia, quae veteres Aegyptii maximi fecerunt, in lege ſua contemtim habuerit; incertum per aeque incertum probat, & aliquid adſumit, quod nondum euictum eſt. Eorum enim, quae Deus de vacca ruffa extra caſtra comburenda, cuius cineres purificationi populi inſeruire debebant, ſanciuit, longae aliae fuere rationes, quam quas SPENCERVS comminiſcitur, vt alibi demonſtrabitur. Odii etiam, quo Aegyptii Iudaeos proſequuti ſunt, ratio, non tam a ſacrorum diuerſitate aut oppoſitione, quam quod Aegyptii grauiſſimas calamitates Iſraëlitarum cauſſa perpeſſi erant, arceſſenda. Circumſtantiae denique illae, quas memorat, ſingulares ſententiam eius euertunt potius, tantum abeſt, vt confirment. Namque, quod ad ſanguinem attinet, quo ſuperliminare & duo poſtes aedium adſpergi debebant, longe aliam eius rei rationem ipſe Moſes verbis diſertis adfert: *Erit ſanguis ille pro vobis in ſignum, ſuper illas domus, vbi eritis, vt videns ſanguinem illam, transeam praeter vos: ſic non erit in vobis plaga exitialis, cum caedam primogenita in terra Aegypti, Exod. XII. 13.* Quis hic non miretur, inſuper haberi a viro docto rationem hanc manifeſtiſſimam, eiusque loco inanem coniecturam adferri, hoc ideo factum, vt agnum eo magis contemnere diſcerent Iſraëlitae. Frigidum hoc adeo eſt, vt cordatioribus grauedinem moueat atque tuſſim. Nec ſe rectius habet, quod de altera circumſtantia addit, dum eo temporis articulo mactare atque comedere agnum debuerint, quo in procinctu erant, vt Aegyptum relinquerent. In contemtum deorum aegyptiacorum hoc factum, ne minimo quidem indicio conſtat; bene autem res ipſa, & finis ſacramenti huius, in memoriam liberationis ex Aegypto a Deo inſtituti, hoc requirebat. Et hinc porro ratio petenda, cur in Palaeſtina quoque agnum paſchalem comedere debuerint, cui alteram de aegyptiacae ſuperſtitionis euitatione, ſine omni

pror-

prorſus fundamento SPENCERVS addit.

Ne autem cauſſae ſuae defuiſſe videatur; obiectiones etiam diſſentientium proponit, & ad eas reſpondere adnititur. Prima haec eſt, quod viri quidam docti exiſtiment, ζωολατρείαν eo tempore nondum apud Aegyptios viguiſſe. Sed huic non immorabimur; cum non adeo magni momenti ſit, & facile SPENCERO concedamus, ζωολατρείαν iam tum apud Aegyptios fuiſſe vſitatam. Maioris momenti altera eſt, in memoriam liberationis ex Aegypto agnum paſchalem inſtitutum. Quod adeo manifeſtum eſt, vt ipſe fateatur SPENCERVS: *ſi quis veritatem tam apertam in dubium vocaret, temeritatem eius vel ipſum paſchatos nomen abunde redargueret.* Interim praeter huncce paſchatos finem & alium acceſſiſſe putat. *Si enim*, inquit, *hoc ſolum in conſilio habuiſſet Deus, cum ritus paſchatos inſtitueret, nihil opus erat, vt agnum, eumque maſculum, anniculum, quatridui ſpatio a grege ſeparandum, & integre comedendum poſtularet.* Recte quidem: namque & nos adſerimus, atque fatemur, praeter liberationis memoriam & alium ſubfuiſſe finem, idque vel maxime ex ritibus antea memoratis conſtare. Sed quisnam alius ille finis ſit? id quidem eſt, de quo quaeritur. Num aegyptiacae ſuperſtitionis euitatio? id vero luculentioribus, quam hactenus factum, documentis comprobandum erat. Interim SPENCERO haec placet ſententia, qui contra, alium illum finem, Meſſiae eiusque mortis & paſſionis fuiſſe repraeſentationem, ſibi perſuadere nequit. Tertia enim, quam ipſe ſibi proponit, obiectio haec eſt: *inſtabit forſan aliquis, quod ſententiam meam veri diſſimilem reddat, ratio illa myſtica, quam noui teſtamenti ſcriptores aliique, cuius pene paſchatis circumſtantiae adcommodare videntur*, quod adlatis exemplis, & ſcripturae ſacrae dictis, ipſemet vlterius ediſſerit. Sed quid ad haec SPENCERVS? *Huic*, inquit, *ſententiae & ipſe magis fauerem, ſi validiore argumento, quam coniectura tenuique ſimilitudine niteretur.* Itane quod ſcriptores ſacri noui teſtamenti diſerte docent, pro coniectura ſaltem habendum? Neſcio, quo loco vir ille doctus hosce ſcriptores habeat; cum, illorum teſtimonio hanc ſententiam niti, ipſemet faſſus ſit, & res ipſa doceat. Nonne vero de ipſius ſententia longe rectius dici poterat, quod inani prorſus coniectura, & ne quidem ſimilitudine quadam nitatur? Interim ipſe non diffitetur, multa legis & paſchatis inſtituta fuiſſe, quibus multa in vita & morte Chriſti tamquam parallela reſponderunt; *at perperam*, inquit, *inde colligitur, Deum omnia, feſtum paſchale ſpectantia, ea praecipue de cauſſa ſtatuiſſe, vt imaginem quamdam rerum in Chriſto futurarum exhiberent.* Neutiquam id perperam inde colligitur; cum ſcriptorum noui teſtamenti teſtimonio conſtet, ritus paſchales huc maxime fuiſſe comparatos. Idque antiquioribus etiam Iudaeis, quibus diuina ſcrutari myſteria curae cordique fuit, indicio

Lll 2 Moſis

Moſis, vel alia quacumque ratione innoteſcere potuiſſe, non eſt, quod dubitemus. Quamquam & noui teſtamenti ea ſit felicitas, vt nunc clare & euidenter, quae ſub iſtis vmbris & tegumentis occultata fuerunt, perſpicere valeamus. Vnde, quod de antiquioribus illis Iudaeis adfert, ſua ſponte corruit. Sed aliud quid adhuc, quod regerat, ſupereſt. *Nec minus*, inquit, *in aperto eſt, multa paſchatis instituta ad Chriſtum, niſi collo obtorto, trahi non poſſe. Nam lege permittente, non agnus tantum, ſed & hoedus victimae paſchalis locum non raro occupauit: quamuis autem Chriſtus ſub agni nomine quandoque proponatur, illum ne ſemel quidem in ſcripturis hoedi nomine notari videas. Et (vt alia iam taceam) quid eſt in Chriſti vita vel morte, quod in agno aſſato depingi vel adumbrari potuit?* Ego vero exiſtimo, nullum eſſe paſchatos ritum, qui non facillime elegantiſſimeque ad Chriſtum adplicari queat. Longe profecto felicius hoc procedit, quam deriuatio horum rituum ab Aegyptiorum inſtitutis, quibus fuerint oppoſiti. Ad ea etiam, quae a SPENCERO in contrarium adlata ſunt, exempla, facile reſponderi poteſt. Etenim, etſi aliquando pro agno ſubſtitutus ſit hoedus; hoc tamen, vt ipſe ſupra faſſus eſt, vrgente demum factum eſt neceſſitate, cum ſcilicet agnus non adeſſet. Hinc non inter hoedum, ſed agnum & Chriſtum inſtituenda eſt comparatio. Per agnum autem aſſatum, mortem Chriſti quam aptiſſime repraeſentari, res ipſa docet. Agni namque ad ignem aſſatio irae diuinae ardorem exprimit in peccatores merito accenſae, quo eum torreri oportuit, qui peccatorum ſe vadem praeſtitit. Hinc illae Meſſiae patientis querelae: *Cor meum cerae inſtar eſt, liqueſcit in viſceribus meis. Aruit, vt teſta, virtus mea, & lingua mea adhaeſit faucibus meis; Pſalm. XXII. verſ. 15. 16.* Poſſem vlterius demonſtrare, ad minutiſſimas περιστάσεις vsque ſingulos agni paſchalis ritus in Chriſtum eiusque mortem quadrare, niſi abunde hoc iam ab aliis factum eſſet.

Ad illud potius, quod ſecundo loco de agno paſchali obſeruandum nobis ſupra diximus, progredimur. Diſcrimen nimirum aliquod fuiſſe videtur inter ritus paſchatos in Aegypto, & deinceps in terra Canaan celebrati, ſeu, vt Iudaeorum magiſtri loquuntur, בין פסח מצרים לפסח דורות *inter paſcha Aegypti & ſequentium aetatum.* Idque nonnulli hisce in capitibus conſtituunt; primo, in ſeparatione ſeu depoſitione agni, quarto ante mactationem die. In Aegypto enim id neceſſe fuiſſe, ne forte inter Aegyptios, hoſtes Iſraëlitarum infenſiſſimos, iis agni defuiſſent, ſi tempore paſchatos iam inſtante eos voluiſſent conquirere, cuius rei ratio ceſſabat in Palaeſtina. Ex hiſtoria paſſionis Chriſti quoque conſtat, ſeparationem ſeu depoſitionem eiusmodi tum non fuiſſe obſeruatam. Diſcipuli enim primo demum azymorum die magiſtrum rogant, *vbi vis, vt profecti paremus, vt edas paſcha? Marc. XIV. 12.* Deinde, legem

legem de ſuperliminari & poſtibus ſanguine agni adſpergendis, itidem in Aegypto tantum locum habuiſſe, putant. Ratio namque legi huic addita tantum Aegyptum reſpicit, *Exod. XII. v. 12. 13.* conſtatque ex *II. Chron. XXX. 15. 16.* & *XXXV. 5. 6. 10. 11.* in Iudaea agnos paſchales in atrio templi mactatos fuiſſe, ibique eorum effuſum eſſe ſanguinem. Idem de lege, quae non niſi accinctis & calceatis, cum baculo in manu & raptim, agnum paſchalem comedendum, praecipit, cenſendum. Id enim iſtius temporis poſtulabat ratio, cum in procinctu erant, vt Aegyptum relinquerent, Aegyptiis etiam, vt quam citiſſime exirent, vrgentibus. In Palaeſtina poſtquam conſtituti erant, eos non ſtantes, ſed ſedentes, nec raptim, ſed pacate, agnum paſchalem comediſſe, Chriſti itidem & diſcipulorum eius exemplo comprobari poteſt. His denique addunt legem de non egrediendo ex aedibus, ne inciderent in angelum percuſſorem. Non tantum enim ratio legis in primo tantum paſchate locum habebat, ſed eam non fuiſſe obſeruatam, vel Chriſti ſeruatoris, eadem nocte, qua agnum paſchalem comederat, cum apoſtolis ad montem olineti ſe conferentis, exemplo patet. Et haec quoque diſcrimina, excepto vltimo, recenſent ebraei doctores in *tract. Miſch.* פסחים *cap. IX. §. V.* quibus alia adhuc addunt Karraei, quae leuioris fere momenti ſunt. Vid. IOAN. MEYERVS, de *origine & cauſis feſtorum iudaicor. p. 237.* Ceterum de tempore diei, quo mactandus comedendusue fuerit agnus paſchalis, magna eſt inter eruditos controuerſia. A Moſe enim id exprimitur per. בין הערבים *inter duas veſperas.* Iudaei, qui rerum ſuarum conſultiſſimi eſſe debebant, hic ipſimet maximopere inter ſe diſſentiunt. Karraei enim volebant, paſcha mactandum eſſe אחר שקיעת השמש *poſt ſolis occaſum, ante ſtellarum ortum vsque ad ſubmerſionem lunae,* quae eſt initium tenebrarum, atque ab ipſis *veſpera tertia* vocatur. Nimirum tempus, quo paſcha mactari volebant, ipſis eſt *veſpera ſecunda,* quae adeo media inter הערבים *duas veſperas,* primam ſolis ad occaſum tendentis, & hanc, tertiam. At reliqui Iudaeorum doctores, quos Rabbiniſtas vocant, magno conſenſu huic ſe opponunt ſententiae, etſi ipſi quoque inter ſe non ſatis conueniant. Nonnulli enim exiſtimant, tempus inter *duas veſperas* incipere ab hora ſexta diei, hoc eſt, a meridie, cum ſol incipit declinare ad occidentem: qua in ſententia verſantur R. SAL. IARCHI, R. DAVID KIMCHI, & ex chriſtianis SAM. BOCHARTVS, *hieroz. loc. cit.* Sed repugnat ratio, nec vllo ſcripturae ſacrae teſtimonio comprobari poteſt, illud diei tempus, quod a meridie vsque ad ſolis occaſum procedit, veſperae nomine venire. Rurſus ABEN ESRA duas iſtas veſperas ita intelligit, vt vna ſit ab occaſu ſolis, altera a defectu lucis in caeli nubibus. Quod tamen temporis ſpatium peragendis iis, quae ad agni paſchalis mactationem, aſſationem, comeſtionem pertinebant, nimis

nimis anguſtum fuiſſe videtur. Praeferenda itaque citra controuerſiam illorum ſententia, qui per duas veſperas illud temporis ſpatium intelligunt, quod initium capit, cum ſol occidere incipit, & ad eius vsque occaſum ſe protendit, ſeu ab hora nona iudaica circiter ad vndecimam. Ita ratio denominationis ſibi conſtat, & tempus quoque ad omnia, quae ad agni paſchalis comeſtionem erant neceſſaria, ſufficit, & perpetuus formulae huius in aliis quoque ſcripturae ſacrae locis vſus reſpondet; quod pluribus & ex inſtituto euincit MELCHIOR LEIDEKKERVS, de *republ. Ebraeor. part. I. lib. IX. c. IV. p. 545. ſeqq.* Accedunt Ebraeorum quorundam, praeſertim ipſius FLAV. IOSEPHI, ſuffragia. Hic enim de paſchatos feſto verba faciens, καθ' ἣν, inquit, (ἑορτὴν) θύουσι μὲν ἀπὸ ἐνάτης ὥρας μέχρι ἑνδεκάτης, *quando a nona quidem hora vsque ad vndecimam hoſtias caedunt, &c.* de *bello iudaic. lib. VII. cap. XVII. p. m. 968.* add. AEGIDIVS STRAVCHIVS, in *breuiario chronolog. part. ſpeciali, lib. IV. cap. IX. quaeſt. VI. p. 370. ſeqq.*

*** Diuerſum equidem a paſchatos feſto erat feſtum azymorum, cum eodem tamen ratione temporis coniunctum. Paſcha nimirum celebrandum erat circa veſperam decimi quarti diei menſis primi. In quo licet cum agno paſchali panes azymi comederentur; feſtum tamen ipſum azymorum poſtridie demum, ſcilicet decimo quinto eiusdem menſis coepit, continuatumque eſt per ſeptem dies, quorum tantum primo & ſeptimo conuocatio ſancta & quies ab omnibus operibus ſeruilibus fuit. *Exod. XII. 15. ſeqq. Leuit. XXIII. 6. ſeqq. Deut. XVI. 3. ſeqq.* Primus itaque atque vltimus huius feſti dies, cum feſti eſſent, vocati ſunt יומים טובים *dies boni*, nec eorum obſeruatio multum differebat ab obſeruatione ſabbathi: reliqui dies vocabantur מועד קטון ſeu *minor ſollemnitas*; in quibus licet tam arcta abſtinentia ab omni opere non obſeruaretur, attamen inter eos & reliquos dies ordinarios aliquod conſtituebatur diſcrimen. Feſtum autem hocce azymorum, Iſraëlitis ſummam feſtinationem maiorum ex Aegypto egredientium, in memoriam reuocare debebat, accedentibus & ſublimioribus cauſis, quas Paulus apoſtolus tangit, *I. Cor. V. 7.* Reliqua circa ritus huius obſeruationem Ebraeorum doctores expediunt, ſpeciatim & FL. IOSEPHVS, *antiquit. iudaic. lib. III. cap. X. p. 93. ſeqq.* conf. & IO. LIGHTFOOTVS, in *miniſterio templi Hieroſolymitani, cap. XIV. tom. I. oper. p. 741. ſeqq.* item THOMAS GOODWIN, in *Moſe & Aaron, lib. III. cap. IV.*

* Quo iure id factum ſit, cum rei alienae ablationem lege diuina vetitam eſſe conſtat, quaeri ſolet. Nonnulli, Aegyptios in iſtam ablationem conſenſiſſe, putant; eo quod maluerint rebus iſtis carere, quam diutius in mortis praeſentiſſimae periculo verſari. Ex Aegyptiorum itaque donatione Iſraëlitas iſta adquiſiuiſſe. Hoc & FL. IOSEPHVS innuere videtur, cum ait: δώροις

δώροις τε τὰς ἑβραίους ἐτίμων, οἱ μὲν ὑπὲρ τοῦ τάχιον ἐξελθεῖν, οἱ δὲ καὶ κατὰ γειτνιακὴν πρὸς αὐτοὺς συνήθειαν, donis bonorabant Ebraeos, alii quidem, vt celerius exirent, alii propter vicinitatis conſuetudinem; antiquit. iudaic. lib. II. cap. V. p. 65. Videtur equidem, non ſine Numinis directione ſingulari factum, vt Aegyptii ad vaſa aurea argenteaque Iſraëlitis commodanda adeo proni eſſent; forte etiam ob calamitates imminentes, aut aliarum metum, de iis recuperandis non adeo fuerunt ſolliciti; at inde donationem, ni fallor, nondum colligere licet. Ita etiam hac de re loquitur Deus, *Exod. III. 22.* vt, ſuum, non Aegyptiorum hoc eſſe beneficium, ſignificet. Alii itaque, vt ſine peccato hoc fieret, diuinam hic interceſſiſſe diſpenſationem, putant; non ſatis perpendentes, eam, quod cum iuſtitia diuina pugnet, in legibus naturalibus locum habere non poſſe. Mihi rectius iſti ſentire videntur, qui, Deum ex cauſſis iuſtiſſimis harum rerum dominium ab Aegyptiis ad Iſraëlitas transtuliſſe, cenſent. Cum enim ſupremus rerum omnium ſit arbiter, & Iſraëlitae per tot annos ſine mercede Aegyptiis ſeruiuerint; dubium nullum eſt, quin hoc facere potuerit. Huc ſpectant, quae HVGO GROTIVS, de *iure belli & pacis, lib. I. cap. I. §. X. n. VI.* diſputat, cum docet, obiectum legis mutari poſſe, vt lex ipſa non mutetur. Dixi etiam hac de re *inſtit. theol. mor. part. II. cap. II. §. XIII.* add. IO. CONR. DANNHAVERVS, *colleg. decalog. p. 846.* AVG. PFEIFFERVS, *dub. vexat. cent. I. loc. XCI. p. 226.*

§. XIV.

Denique, cum & de primogenitis Deo conſecrandis legem Moſes dediſſet; * die decimo quinto primi menſis, anno poſt promiſſionem primam Abrahamo factam, ſeu eius vocationem, quadringenteſimo trigeſimo, ** certo quodam ordine in quincurias diſpoſiti, ex Aegypto egreſſi ſunt, *** non recto verſus Palaeſtinam, ſed deflexo ad mare rubrum, & Arabiae deſerta, itinere. * Sexcenta millia virorum, qui arma ferre poterant, exierunt: ** progredienteſque primo ex agro Rahmeſenſi Succothas peruenerunt, & hinc profecti Ethami non procul a deſerto caſtra metati ſunt, viam illis ipſomet monſtrante Deo, per columnam nubis, quae noctu ignis inſtar lucebat. ***

* *Exod. XIII. 2.*

** Diſerte *Exod. XII. 40.* dicitur: *peregrinatio autem filiorum Iſraël, qui commorati ſunt in Aegypto, fuit CCCC XXX annorum.* Peregrinatio nimirum filiorum Iſraël, non excluſiue, ſed incluſiue intelligenda eſt, vt comprehendantur anni peregrinationis patriarcharum, Abrahami, Iſaaci, & Iacobi. Quod & minime abſurdum cenſeri debet; cum in diuina promiſſione patriarchae atque illorum poſteri con-

iun-

iungantur, *Gen. XIII. 15.* Accedit, quod *Exod. l. c.* non dicatur, Iſraëlitas cccc xxx annos in Aegypto haeſiſſe, ſed filiorum Iſraël, qui in Aegypto bene longum tempus commorati ſunt, tempus peregrinationis finiri epocha cccc xxx annorum. Cumque certum ſit, ab introitu Iacobi in Aegyptum, vsque ad Iſraëlitarum exitum, totidem annos non effluxiſſe, immo quodcumque adſumatur horum annorum initium, eamdem non exſurgere ſummam, niſi illud a promiſſione prima Abrahamo facta, ſeu, quod perinde eſt, a vocatione eius capiatur; hinc quoque annos iſtos computandos eſſe, firmiter concluditur. Idque porro inde confirmatur, quod *Ebr. XI. 9.* de Abrahamo apoſtolus dicat, *per fidem peregrinatus eſt in terra promiſſionis*, quod documento eſt, Iſraëlitarum peregrinationem rectiſſime ad patriarchas quoque extendi. Cumprimis vero idem ex *Gen. XV. 13.* colligitur, vbi nonnulli obſeruant, diſtincte in hocce oraculo deſcribi, primo quidem peregrinationem: *peregrinum erit ſemen tuum;* tum ſeruitutem: *& facient eos ſeruire*, & denique ſtatum adflictionis: *& adfligent eos.* Omne hinc videtur eximi dubium, quod & cccc annorum & quartae generationis diſerte ibi iniiciatur mentio, & terminus a quo, peregrinatio Abrahami ſcilicet eiusque ſeminis, conſtituatur. Nec obſtat, quod quadringentorum ſaltem annorum hic fiat mentio. Frequens enim eſt etiam in diuinis litteris, vt numerus rotundus & plenus pro praeciſe perfecto adhibeatur: quamquam non deſint, qui annos iſtos quadringentos ab expulſione Iſmaëlis numerent, vt adeo loca *Gen. XV. 13. & Exod. XII. 40.* inter ſe conueniant, ratione finis, ſed differant ratione initii. Denique & Paulus apoſtolus idem confirmat, dum, *fedus*, inquit, *a Deo ſanctum, ſpectans in Chriſtum, lex, quae poſt 430 annos fuit, non antiquat, ita vt promiſſionem reſcindat; Gal. III. 17.* Innuit diſerte, a promiſſione Abrahamo facta, vsque ad exodum gentis iſraëliticae cccc xxx annos effluxiſſe. Atque haec cum ita ſint; in errore verſantur manifeſto, qui initium huius epochae introitum Iacobi in Aegyptum ſtatuunt; quibus praeter alios & GERHARDVS IOANNES VOSSIVS ſuffragatur; at ea ratione, vt initium annorum cccc xxx ab ingreſſu Ioſephi in Aegyptum capiat, ab ingreſſu Iacobi autem ad Iſraëlitarum exitum annos cccc effluxiſſe, contendat; *iſagog. diſſert. VII. c. VIII.* Etenim ab ingreſſu Iacobi ad exitum Iſraëlitarum annos tantum cc xv (non autem cc xxv, vt nonnulli volunt) elapſos eſſe, ſequentem in modum luculenter euinci poteſt: a deſcenſu Iacobi in Aegyptum, vsque ad mortem Ioſephi effluxerunt LXXI anni; inde ad natiuitatem Moſis LXIV; hinc vsque ad exitum LXXX; vnde efficitur ſumma ccxv annorum, cui ſi addantur ccxv anni, qui a promiſſione Abrahamo facta, vsque ad introitum Iacobi in Aegyptum elapſi ſunt, exſurget tandem inde ſumma cccc xxx annorum. Poſſunt

vero

vero, qui ſecus ſentiunt, annosque illos CCCC XXX ab introitu Iacobi in Aegyptum computandos cenſent, & hac ratione erroris conuinci. Inter nepotes Iacobi Kahatus fuit, filius Leui, qui cum eo in Aegyptum deſcendiſſe dicitur, *Gen. XLVI. 11.* Iam ſi ponamus, Kahatum vnum eo tempore annum natum fuiſſe, & anno aetatis ſuae vltimo, ſcilicet centeſimo trigeſimo tertio, genuiſſe Amramum; hunc autem itidem anno aetatis ſuae vltimo, ſcilicet centeſimo trigeſimo ſeptimo, genuiſſe Moſen; ab ingreſſu tamen Iacobi vsque ad natiuitatem Moſis non niſi CC LXX anni elapſi ſunt: quibus ſi addantur LXXX anni Moſis, (tot enim vsque ad exitum gentis iſraëliticae vixit) emergit inde ſumma annorum CCCL, adeoque ad minimum quinquaginta anni deficiunt. Cum vero antea ex mera liberalitate ſuppoſitum ſit, Kahatum vnum tantum annum natum fuiſſe, cum in Aegyptum deſcenderet, cum plures eſſe potuerit; item, eumdem anno demum aetatis centeſimo trigeſimo tertio, Amramum autem centeſimo trigeſimo ſeptimo genuiſſe, cum, vtrumque citius genuiſſe, certum ſit; manifeſtus ſecus ſentientium error eo magis hinc eluceſcit. Sed nec illi audiendi ſunt, qui initium CCCC XXX iſtorum annorum a natiuitate Iſaaci arceſſendum exiſtimant. Ita quidem praeter R. BECHAI, NACHMANIDEM, aliosque, exiſtimat WILHELMVS LANGIVS, de *annis Chriſti*, *lib. II. cap. IV.* At annorum non reſpondet numerus, qui optime ſibi conſtat, ſi initium a prima promiſſione Abrahamo facta capiatur. Nimirum a promiſſione iſta, de cuius tempore ſupra ad *period. I. ſect. III. §. I.* dictum, vsque ad natum Iſaacum effluxerunt XXV anni: a nato Iſaaco vsque ad natiuitatem Iacobi LX anni; a natiuitate Iacobi vsque ad deſcenſum eius in Aegyptum CXXX anni: vnde exſurgit ſumma CC XV annorum: quibus ſi addantur anni CC XV, quibus Iſraëlitae in Aegypto commorati ſunt, ſumma erit annorum CCCC XXX. Sequitur inde, a condito mundo vsque ad exitum Iſraëlitarum ex Aegypto, elapſos eſſe annos MMDXIII. Namque a condito mundo ad diluuium MDCLVI ſupra numerauimus: a diluuio ad promiſſionem Abrahamo factam CCCC XXVII effluxerunt: hinc vsque ad exitum gentis iſraëliticae CCCC XXX elapſi ſunt; ex quibus omnibus efficitur ſumma MMDXIII annorum. Conſentit nobiscum IACOBVS VSSERIVS, *annalib. aet. mundi III. p. 11.* itemque IO. HARDVINVS, in *chronologia vet. teſtam. p. 524.* Patet vero etiam ex dictis, nullam prorſus eſſe rationem, quae textum ebraeum hic corruptum, euincat; quod cum IOAN. MORINO, in *exercitationib. bibl.* ſibi perſuadet ISAACVS VOSSIVS, *chronol. ſacr. cap. II. p. 114.* Iuxta noſtram enim explicationem cuncta ſibi conſtant, omnibusque dubiis facile ſatisfieri poteſt. Spatium etiam CC XV annorum, quo in Aegypto Iſraëlitae commorati ſunt, ſufficere, vt in tantam multitudinem excreſcerent, deinceps comprobabitur. Nec obſtat, quod *Exod. XII. 40.* in codice

Digitized by Google

Samaritano pariter ac verſione LXX interpretum addatur: *in Canaan & in terra Aegypti.* Licet enim ita verborum Moſis ſenſus recte exprimatur, noſtraque confirmetur ſententia; non tamen inde ſequitur, in ipſo textu ebraeo verba iſta exſtitiſſe; cum ab interpretibus per modum gloſſematis addi potuerint. Conf. AEGIDIVS STRAVCHIVS, *breuiar. chronolog. part. ſpec. lib. IV. cap. VI. p. 316. ſeqq.* ABRAHAMVS CALOVIVS, in *chron. bibl. p. 76. ſeqq.*

*** In ebraeo *Exod. XIII. 18.* eſt vox חמשים, quam interpretes diuerſimode capiunt. LXX vertunt: πεμπτῇ γενεᾷ *quinta generatione;* quos etiam IOAN. CLERICVS ad *h. l.* ſequitur, qui & putat, THEODOTIONEM voce ficta πεμπταίζοντες idem ſibi voluiſſe. Nec obſtare cenſet locum, *Gen. XV. 16.* cum aetates diuerſimode ſupputari queant. AQVILA vertit ἐνοπλιςάμενοι, & vulgatus *armati*, quos & alii ſequuntur, a quibus non procul diſcedunt, qui eam reddunt per εὔζωνοι, *accincti*, *expediti*, qui ONKELOSVM ſibi praeeuntem habent. At cur per חמשים generatio quinta intelligenda ſit, nulla ratio reddi poteſt. Immo cum de modo exitus ex Aegypto ibi ſermo ſit; vix probabile, hoc ſibi voluiſſe Moſen, idque eiusmodi voce, quae non niſi incertiſſima coniectura eo trahi poteſt, indicaſſe. Multo minus *armati* hac voce deſignari poſſunt; cum nec vocis ſignificatio eiusmodi quid ſuadeat, & a ſeruili Ebraeorum conditione prorſus abhorreat, eos armis inſtructos fuiſſe. Cum etiam feminis onuſti eſſent, ſecumque familiam traherent, εὔζωνοι ſeu *expediti* vix dici poterant. Ego, hac voce nihil aliud ſignificari, puto, quam certo ordine eos fuiſſe diſpoſitos. Indicare nimirum Moſes volebat, Iſraëlitas non vt fugitiuos in ſumma confuſione aufugiſſe, ſed certo ordine per quincurias diſpoſitos inde egreſſos. Hoc certe tanti populi multitudo requirebat. Potuitque facile fieri, vt in tribus primum & familias diſtributi, tum in reliqua diſpoſitione quinarii numeri ratio haberetur. Ita voci חמשים ſua vis & propria ſignificatio conſtat: nec ſubintelligendum aliquid nimis remotum eſt: ne dicam, quod res ipſa hoc poſtulet; cum de modo exitus ex Aegypto ibi ſermo ſit. Simul vero patet, nullum in hac voce praeſidium inuenire IOAN. TOLANDVM, inde vt euincat, Ebraeos inter & Aegyptios fuiſſe bellum ſeruile, illosque armata manu ſe in libertatem vindicaſſe. Quae viri ſomnia iam ſupra ad §. XII. confutauimus.

* Ratio indicatur *Exod. XIII. 17. 18.* Oſſa quoque Ioſephi, quod maiores Iſraëlitarum iurato illi promiſerant, ſecum tulerunt; *ibid. verſ. 19.*

** Cum viri adulti, qui arma ferre poſſint, vix ſextam populi partem conſtituant, mulieresque, pueri & puellae omnino quinque partes conficiant; neceſſe eſt, totum populum iſraëliticum, qui ex Aegypto egreſſus eſt, ad minimum trecentas capitum myriades confeciſſe. Vnde, ſi ſtatuamus, Iſraëlitas

litas ſaltem ccxv annos in Aegypto commoratos, dubium enaſcitur, an tam breui temporis interuallo in tantam multitudinem excreſcere potuerint. Sed dubio huic abunde ſatisfecit, & rationibus adcurate ſubductis, id & ſine miraculo fieri potuiſſe, ad oculum demonſtrauit IAC. VSSERIVS, in *chronologia ſacra*, *annalibus* eius ſubiuncta, *cap. XI. p. 63. & 64.* Eſt tamen addendum, ſingularem acceſſiſſe Numinis benedictionem, iuxta promiſſionem Abrahamo de ſobole eius augenda factam. Nec praetermittendum, quod veteres de aegyptiarum mulierum fertilitate tradiderunt, cum hoc omne dubium, ſi quod forte ſupereſſet, eximere queat. ARISTOTELES auctor eſt, aegyptias mulieres tres quatuorue liberos vno partu edere, idque frequenter, de *hiſt. animal. lib. VII. cap. IV.* Sic & PLINIVS: *Tergeminos naſci, certum eſt, Horatiorum Curatiorumque exemplo; ſupra, inter oſtenta ducitur, praeterquam in Aegypto, vbi foetifer potu Nilus:* & iterum: *in Aegypto ſeptenos vno partu ſimul gigni, auctor eſt Trogus; hiſt. nat. lib. VII. cap. III.* Aquam Nilaticam feminas foecundiores facere, teſtatur SENECA, *quaeſt. natur. lib. III. cap. XXV.* Dubitari rurſus poſſet, an tantae hominum multitudini, non adeo magnum terrae tractum occupanti, alendae, ſuffecerit Aegyptus? Sed, cum veteres magno conſenſu, & fertiliſſimam & populoſiſſimam fuiſſe Aegyptum, tradant; nec inde quidquam, quod Moſaicae narrationis fidem labefactet, colligi poteſt. De fertilitate prorſus ſingulari PLINIVS: *Tritico nihil eſt fertilius, hoc ei natura tribuit, quoniam eo maxime alat hominem; vtpote cum e modio, ſi ſit aptum ſolum, quale in Byzacio Africae campo, centum quinquaginta modii reddantur. Miſit ex eo loco diuo Auguſto Procurator eius ex vno grano (vix credibile dictu) quadringenta paucis minus germina, exſtantque ea de re epiſtolae. Miſit & Neroni ſimiliter CCCXL ſtipulas ex vno grano. Cum centeſimo quidem & Leontini Siciliae campi fundunt, aliique ex tota Baetica, & inprimis Aegyptus; hiſtor. natur. lib. XVIII. cap. X.* De paludibus aegyptiacis radices vario ſapore naſci, variaque genera caulium ac fructuum, quae cibum paratiſſimum omnibus, praeſertim pauperibus praebeant, auctor eſt DIODORVS Siculus, *lib. I. p. 30.* Piſcibus eam abundare, idem docet, *loc. cit.* idque confirmat HERODOTVS. *lib. II. cap. XCIII.* Non minus & magnam coturnicum in Aegypto fuiſſe copiam, idem teſtatur DIODORVS, easque ex mari per magnos greges eo ſe conferre, refert, *loc. cit.* Sed populoſiſſimam quoque Aegyptum fuiſſe, cauſtat. *In ſacris litteris notatum eſt*, inquit DIODORVS, *Aegyptum antiquis temporibus habuiſſe vrbes pagosque inſignes vltra 18000; l.c. p. 19.* HERODOTVS, *ſub Amaſi*, inquit, *rege, dicitur, vrbes habitabiles in ea fuiſſe 20000; lib. II. c. CLXXVII.* Sub Ptolomaeo Lagi recenſitas in ea fuiſſe plures, quam 30000 vrbes, rurſus DIODORVS refert, *loc. cit.* Vnius autem

Digitized by Google

vrbis quanta incolarum multitudo fuerit, vel Thebarum exemplo conſtat, de qua ſacerdos aegyptius, ex litteris aegyptiis obeliſcorum referebat germanico: *habitaſſe quondam ſeptingenta millia, aetate militari;* apud CORNEL. TACITVM, *annal. lib. II. cap. LX.* Haec aliaque, quae adhuc adferri poſſent, qui ſecum expenderit, facile deprehendet, nihil de populi iſraëlitici multitudine dixiſſe Moſen, quod fidem ſuperet. Conf. & IO. MARSHAMVS, in *can. chron. ſaec. XV. p. 420.* & IO. CLERICVS, ad *Exod. cap. I. 7. 12.* it. ad *cap. XII. 37.*

*** Varia hac de re quaeri ſolent. Primo, fueritne duplex columna, altera nubis, altera ignis, an vna eademque, quae interdiu nubis, noctu autem ignis ſpecie adparuerit? Nec deſunt, qui prius adſerunt, exiſtimantque, columnas iſtas alternis vicibus ſibi inuicem ſucceſſiſſe, vt vna euaneſcente, altera adpareret. At longe probabilius, vnam ſaltem fuiſſe, quae interdiu nubis ſpeciem, noctu ignis aut flammae lucentis retulerit, eo quod nubes interdiu facillime cernatur, ignis vel lux, noctu. Nihil enim obſtat, quo minus vna eademque columna vtroque officio fungi potuerit. Accedit, quod *Exod. XIV. 19.* & *Num. IX. 21.* vnius ſaltem columnae mentio iniicitur. Immo cum inter Ebraeos & Aegyptios conſtituta eſſet; illis quidem ignis inſtar lucebat, his autem vt denſa nubes adparebat, *cap. XIV. 20.* Nec improbandam cenſeo viri clariſſimi CAMPEGII VITRINGAE ſententiam, columnam illam ex materia lucida conſtitiſſe, nubeque quadam fuiſſe circumdatam, & eidem quaſi incluſam; *obſeruat. ſacrar. lib. V. cap. XIV. §. X. p. 173.* Recte itaque & PHILO vnam tantum columnam hic agnoſcit, qui & eleganter eam τεράςιον μεγαλεργημα τῆ φύσεως, *ingens naturae miraculum*, vocat: τεράςιον δέ φάσι συμβῆναι κατ' ἐκεῖνον τὸν χρόνον μεγαλεργημα τῆς φύσεως, ὅ μηδείς πωμέμνηται πάλει γεγονές· νεφέλη γὰρ εἰς εὐμεγέθη κίονα σχηματισθεῖσα, προήει τῆς πληθύος, ἡμέρας μὲν ἡλιοειδὲς ἐκλάμπουσα φέγγος, νύκτωρ δὲ φλογοειδὲς, ὑπὲρ τοῦ μὴ πλάζεσθαι, κατά τὴν πορείαν, ἀλλ' ἀπλανεςάτη ἕπεσθαι ἡγεμονίᾳ τῆς ὁδοῦ· τάχα μέντοι καὶ τῶν ὑπάρχων τις ἦν τοῦ μεγάλου βασιλέως ἀφανὴς ἄγγελος, ἐγκατειλημένος τῇ νεφέλῃ προηγήτωρ, ὃν οὐ θέμις σώματος ὀφθαλμοῖς ὁρᾶσθαι· *Fertur illo tempore, accidiſſe ingens naturae miraculum, quale numquam auditum fuerat, poſt hominum memoriam: praecedebat populum nubes in magnae columnae ſpeciem, ſolari ſplendore lucens interdiu, noctu vero flammeo, vt eius ductu abſque periculo erroris incederent. Credi tamen poteſt, aliquem e ſummi regis praefectis angelum, nube inuolutum, eos duxiſſe, quem nefas ſit adſpici mortalibus oculis; de vita Moſis, lib. I. p. m. 628.* In eo autem fallitur, columnam iſtam ſolari ſplendore luxiſſe interdiu, noctu vero flammeo. Interdiu enim nubis, noctu autem ignis eam exhibuiſſe ſpeciem, diſerte Moſes dicit. Recte equidem

dem etiam angelum in columna iſta fuiſſe, agnoſcit: ſed, dum creatum intelligit iterum errat; etſi hac in re alios quoque ex recentioribus ſibi ſuffragantes habeat. Ipſum enim Dominum in columna nubis & ignis populo praeiuiſſe, diſerte dicitur *Num. XIV. 14.*

Ceterum ſingularem plane & hic ſententiam excogitauit vir clariſſimus HERMANNVS VON DER HARDT. Per iſtam enim nubis & ignis columnam nihil aliud, quam ignem ſacrum, quem populo iſraëlitico praetulerit Aaron, intelligit. *Perpetuus itaque*, inquit, *hic ignis ſacer in toto itinere non extinguendus, exercitum Aarone comite ſemper antecedens, interdiu ſpectantibus, & eminus intuentibus, denſo ſuo fumo nubem oculis obiecit. Vt viderent ante exercitum fumum ex ara adſcendentem. Ignis enim ardens, fumo cinctus, interdiu eminus conſpici non poteſt, ob ſplendorem ſolis, qui ignis lucem ſuperat, adeoque viſui, maxime remotiorum, ſubducit. Neque ſupereſt, quod oculos feriat, praeter denſi fumi nubem, in ſolis luce conſpicuam. Nocte vero in tenebris, ignis clariſſime eluxit, adſcendens ex ara in fumo. Atque ex hoc ſacro igne ab Aarone, rerum ſacrarum & cultus diuini antiſtite atque praeſide, nutrito, cum interdiu conſpiceretur fumus adſcendens, dicebatur columna nubis. Quod fumus tamquam nubes denſa, ex ara inſtar columnae adſcendens, ab omnibus conſpiceretur. Nocte cum ex fumo clarius effulgeret ipſe ignis, ex ara adſcendens, dictus fuit columna ignis. Quod ignis flammas in aërem inſtar columnae mitteret, ac oculos ſpectantium perſtringeret. Sicuti ignis ex incendio vrbis Gibeae cum fumo adſcendens, dicitur columna fumi, Iudic. XX. 40.* in *ephemerid. philolog. diſcurſ. VI. p. 86. & ſeqq.* Vlterius hanc ſententiam defendere adnititur in *vindiciis ſecundis ephemeridum philolog. p. 93. ſeqq.* Sed merito aliis haec viri docti ſententia diſplicuit. In tota enim narratione Moſaica, vbi de columna nubis & ignis agit, ne minimo quidem verbo ignis ſacri mentio iniicitur. Immo nec veſtigium occurrit, ex quo hoc colligas. Ignem ſacrum eumque publicum & perpetuum ſemper in eccleſia exſtitiſſe, dicitur quidem, ſed non probatur. Aaronem iam tum, cum populus iſraëliticus ex Aegypto egrederetur, ſacerdotem, rerumque ſacrarum antiſtitem fuiſſe, perperam ſupponitur; cum, diu poſtea demum ſacerdotio eum ornatum fuiſſe, conſtet. Praeterea in locis iſtis, vbi columnae nubis & ignis mentio iniicitur, per inſignem & violentam detorſionem a propria vocum ſignificatione diſcedit; quod contra legem interpretationis praecipuam eſſe, ipſemet vir doctus diffiteri nequit. Diſerte etiam Moſes hoc ceu ingens miraculum deſcribit, quod & PHILONI, vt antea diximus, obſeruatum; ideoque & ſaepius eius rei, ceu plane ſingularis, meminit. At iuxta iſtam viri docti ſententiam, nihil hac in re ſingulare fuit. Columnam iſtam nubis & ignis longe altiſſimam fuiſſe oportet, vt a tot hominum millibus conſpice-

 retur,

Digitized by Google

retur, quod vtique de fumo, ex ara portatili adſcendente, dici nequit. Sed fumus quoque iſte a vento facile diſſipari, ignisque interdum ab imbribus exſtingui potuiſſet, ſaltem valde imminui ac impediri, quo minus flammam omnibus conſpicuam emitteret; cum columna contra iſta nubis & ignis numquam non a tot hominum millibus fuerit conſpecta. Accedit, quod diſerte dicatur, columnam iſtam nubis ideo datam genti israëliticae, vt illi viam monſtraret, fuiſſe quoque in ea ipſum Dominum, *Num. XIV. 14.* qui illi praeiuerit, & hancce gentem in deſerto duxerit; quae profecto de igne, quem auctor fingit, ſacro, dici nequeunt. Sed mitto reliqua, quibus euerti penitus haec ſententia poteſt: quam & praeter CASP. CALVOERIVM, in *gloria Moſis*, *diſſert. I.* IOAN. IACOBVM CRAMERVM, in *theologia Israëlis*, *part. II. cap. V. ſ. VII. ſeqq.* & IOAN. MARCKIVM, *diſſertat. biblica VIII. ad h. l.* confecit atque confutauit CHRISTIANVS MVNDENIVS, peculiari eaque erudita commentatione, de *columna nubis & ignis*, Goslariae MDCCXII edita, praeſertim *p. 55. ſeqq.*

Id potius adhuc disquirendum, an nubes illa, quae obumbraſſe populum israëliticum, & a ſolis radiis in locis illis deſerti ſiticuloſis & praeſeruidis defendiſſe dicitur, diuerſum quid fuerit a columna illa nubis & ignis. Subinde nimirum nubis, populum ebraeum obumbrantis, fit mentio, vt *Num. XIV. 14. habitatores terrae huius audierunt, quod nubes tua protegat illos;* & *cap. X. verſ. 34. nubes quoque Domini ſuper eos erat per diem, cum incederent;* item *Pſalm. CV. verſ. 39. expandis nubem in protectionem eorum;* conf. & *Sap. X. 17. XVIII. 3.* Et hisce quidem, qui iſtud adfirmant, ſcripturae oraculis nituntur. Verum nihil obſtat, quo minus columnae nubis idem recte tribuatur, quae interdiu ita ſe expandere potuit, vt populum velut obumbraret, & radios ſolis ab iis arceret. Nec obſtat locus *Num. XIV. 14.* vbi a columna nubis, nubes populum obumbrans, diſerte diſtingui videtur. Namque eodem in loco & diſtinctim columna ignis memoratur, quam tamen a columna nubis non fuiſſe diuerſam, antea obſeruauimus. Nubis autem dum primo obumbrantis, & deinde columnae nubis mentionem facit, id ἐπεξηγητικῶς intelligi poteſt, vt per columnam nubis explicet, qualem nubem, quae populum obumbrauerit, intelligat. Denique & illud in controuerſiam venit, quando columna nubis & ignis adparere inceperit, quando deſierit? Prius equidem ſtatim poſt egreſſum Israëlitarum ex Aegypto, cum Ethami caſtra poſuiſſent, antequam per mare rubrum transirent, factum fuiſſe, ex *Exod. XIII. 21.* longe eſt manifeſtiſſimum. Dubium tamen inde oriri poterat, quod Moſes Iethronem ſeu Chobabum, ſocerum ſuum, qui altera vice tum ad eum, poſt Israëlitarum ex Aegypto egreſſum, veniſſe videtur, rogitans, vt apud ſe maneret, hac vtatur ratione; *tu enim noſti, in quibus locis*

per

per deſertum caſtra ponere debeamus, & eris ductor noſter; Num. X. verſ. 31. Quod ſi iam tum columna nubis & ignis Iſraëlitis praeiuiſſet, viam iis monſtratura; non videbatur neceſſe eſſe, vt Moſes Iethronem ductorem in deſerto expeteret. At praeiuiſſe certum eſt; cum dudum poſt Iſraëlitarum exitum iſtud contigerit. Nec hinc te expedies, ſi vel maxime transpoſitionem quamdam, quae quorumdam eſt ſententia, admittamus, & haec verba, *Exod. XVIII.* poſt *v. 26.* inferenda ſtatuamus; adeo vt ſemel tantum ad Moſen venerit Iethro. Namque & quae *Exod. XVIII.* narrantur, diu poſt Iſraëlitarum ex Aegypto exitum contigerunt. Quod ſi dicas, columnam nubis & ignis equidem iam tum adfuiſſe, ſed Moſen ignoraſſe, an ſemper in toto itinere praeſens futura eſſet; aliquid, quod parum probabile eſt, adferes. Cum enim columnam hanc eum in finem populo huic Deus conceſſiſſet, vt viam illi monſtraret; non poterat dubitare Moſes, eam ſemper praeſentem futuram. Placet itaque prae reliquis ſententia IACOBI BONFRERII, docentis, Iethronem ideo ſaltem itineris ducem a Moſe expeti, non, vt viam monſtraret, ſed vt ſubinde in rebus dubiis conſilio ſuo illis praeſto eſſet, ob locorum peritiam, vt e. g. fontes oſtenderet, vnde aqua totis caſtris peti poſſet, quae hinc inde ob hoſtium vicinitatem obſeruanda, & ſic porro; *comment. ad Num. X. 31.* Quando columna iſta nubis & ignis adparere deſierit? diſerte in ſcriptura ſacra non dicitur. Falluntur autem Ebraei, qui poſt mortem Aaronis eam euanuiſſe putant. Nam adhuc poſt eam, paullo ante mortem Moſis, mentio eius iniicitur; *Deut. XXXI. 15.* Sed fundamento quoque deſtituuntur, qui poſt ingreſſum in terram Canaan, columnam iſtam Iſraëlitis viam monſtraſſe, contendunt. Veroſimile potius, mortuo Moſe columnam iſtam euanuiſſe, cum iam in eo eſſent Iſraëlitae, vt per Iordanem terram Canaan ingrederentur. Nec enim tum amplius eadem opus habebant. Ita & AVGVSTINVS ſentit, *quaeſtionib. in Ioſ. quaeſt. III.* & poſt eum alii. Conf. ANDREAS MASIVS, ad *cap. III. Ioſ. verſ. 3.* De myſterio autem huius columnae, ſeu facis igneae, Iſraëlitis in Arabia praelucentis, legi meretur CAMPEGIVS VITRINGA, *obſeruation. ſacrar. lib. V. cap. XVI. p. 194. ſeqq.*

§. XV.

At Pharaonem facti mox poenituit, quod tot hominum millia imperio ſuo ſe ſubducere paſſus eſſet. Inſtructo itaque ſubito exercitu, cum curribus ſexcentis eos inſequutus, proxime, cum ad mare caſtra poſuiſſent, ad eos acceſſit. Summo metu perculſos anxioſque Ebraeos Moſes Numinis mandato bono animo eſſe iuſſit, eo quod Aegyptii in ſuam ſe praecipites daturi eſſent perniciem. Mox ange-

angelus Domini, qui Iſraëlitis praeerat, columnam nubis, quae exercitum praecedebat, poſt eum, inter Iſraëlitarum & Aegyptiorum collocabat caſtra, ea quidem ratione, vt, qua parte Aegyptiis obuerſa erat, obſcura & tenebricoſa adpareret, qua autem Iſraëlitas ſpectabat, fulgorem emitteret. * Hinc Erythraeum mare, baculo Moſis percuſſum, ſciſſum ita eſt, vt aquae murorum inſtar vtrimque conſiſterent, atque Iſraëlitis viam, qua transire poſſent, praeberent. ** Salui eum in modum incolumesque cum euaſiſſent; Aegyptii contra ferocia ſtolidi, & plane occoecati, eamdem viam ingreſſi, ſed a Numine conturbati, magnoque timore correpti, cum reuerti vellent, aquis ad curſum conſuetum redeuntibus obruuntur, miſereque pereunt, ne nuntio quidem cladis ſuperſtite. ***

* Hoc ſatis conſtat ex *Exod. XIV. v. 20.* Senſum verborum ebraeorum recte expreſſit ONKELOS: והוה ענגא וקבלא למצראי ולשראל נהר *& fuit nubes & obſcuritas Aegyptiis, Iſraëlitis vero lux.* Eum ſequuntur & alii interpretes.

** Inter maxima omnino miracula ſciſſio illa ſeu diuiſio maris Erythraei referenda, vt transire per illud Iſraëlitae potuerint. Reuera eiusmodi quid contigiſſe, non ſcripturae ſaltem ſacrae, ſed ethnicorum etiam teſtimoniis conſtat, apud quos rei tam inſolitae memoria fuit conſeruata. Vnde & illi, apud quos ethnicorum ſcriptorum maior eſt auctoritas, quam ipſius ſcripturae ſacrae, cum transitum populi ebraei per mare rubrum negare non audeant, ſingulari tamen Numinis potentia mare illud ita diuiſum, vt transire poſſent, inficiantur, & ad naturales potius cauſſas ſe recipientes, Moſen obſeruato rubri maris refluxu, tam exiguae latitudinis ſinum facile & ſine vllo miraculo traiicere potuiſſe, contendunt. Ita iam olim quosdam exiſtimaſſe, ex ARTAPANI teſtimonio conſtat apud EVSEBIVM, *praeparat. euangel. lib. IX. cap. XXVII.* Cum enim dixiſſet, populum ebraeum *multis ab Aegyptiis cum poculis, tum veſtibus corrogatis, aliaque multiplici gaza, traiectis Arabiae fluminibus, magnoque confecto itinere, ad mare rubrum perueniſſe;* a Memphitis hoc ita narrari, ſubiicit, quod Moſes obſeruato reciprocantis aeſtus tempore, ſicco mari vniuerſam multitudinem transmiſerit: καὶ Μεμφίτας μὲν λέγειν, ἔμπειρον ὄντα τὸν Μώϋσον τῆς χώρας, τὸν ἄμπωτιν τηρήσαντα, διὰ ξηρᾶς τῆς θαλάσσης τὸ πλῆθος περαιῶσαι· *atque a Memphitis quidem ita narrari, Moyſum, totius regionis ſcientiſſimum, obſeruato reciprocantis aeſtus tempore, ſicco mari vniuerſam multitudinem transmiſiſſe.* At, ab Heliopolitanis longe aliter rem iſtam narrari, addit: Ἡλιουπολίτας δὲ λέγειν, ἐπικαταδραμεῖν τὸν βασιλέα μετὰ πολλῆς δυνάμεως, ἅμα καὶ τοῖς καθιερωμένοις ζώοις, διὰ τὸ τὴν ὕπαρξιν τοὺς Ἰουδαίους τῶν Αἰγυπτίων χρησαμένους διακομίζειν· τῷ δὲ Μωύσῳ θεί-

θείαν φωνὴν γενέσθαι, πατάξαι τὴν θάλασσαν τῇ ῥάβδῳ· τὸν δὲ Μώυσον ἀκούσαντα, ἐπιθίγειν τῇ ῥάβδῳ τοῦ ὕδατος, καὶ οὕτω τὸ μὲν νᾶμα διαστῆναι, τὴν δὲ δύναμιν διὰ ξηρᾶς ὁδοῦ πορεύεσθαι. ab Heliopolitanis vero ſecus; quippe regem abeuntes Iudaeos, quaeque ab Aegyptiis mutuo acceperunt ſecum aufferentes, ingenti cum exercitu cum animantibus conſecratis perſequutum eſſe: at Moyſum, vti mare virga percuteret, diuinitus admonitum, aquam virga tetigiſſe, ac diſcedentibus ilico fluctibus, copias ſicco tramite deduxiſſe. Ex hocce ARTAPANI teſtimonio tria diſcimus: primo, transitum iſtum Ebraeorum per mare rubrum nec ethnicis ignotum fuiſſe; deinde, iam tum fuiſſe, qui, cum maris refluxus eſſet, eum contigiſſe, arbitrarentur; denique alios, repudiata illa ſententia, miraculum potius in iſto tranſitu agnouiſſe, vt Heliopolitas, quorum, vt ad Moſis narrationem, ita & ad veritatem propius accedit ſententia. Videtur vero, ſi nonnullis credimus, ſimile quid, de refluxu ſcilicet maris, in animo habuiſſe FL. IOSEPHVS, ſiquidem tranſitum Israëlitarum itineri Alexandri per mare Pamphylium contulit; *antiquitat. iudaic. lib. II. cap. VII. p. m. 68.* Θαυμάσει δὲ, inquit, οὐδεὶς τοῦ λόγου τὸ παράδοξον, εἰ ἀρχαίοις ἀνθρώποις καὶ πονηρίας ἀπείροις εὑρέθη σωτηρίας ὁδὸς καὶ διὰ θαλάσσης, εἴτε κατὰ βούλησιν θεοῦ, εἴτε κατ' αὐτόματον, ὁπότε καὶ περὶ τὸν Ἀλέξανδρον τὸν βασιλέα τῆς Μακεδονίας χθὲς καὶ πρώην γεγονόσιν ὑπεχώρησεν τὸ Παμφύλιον πέλαγος, καὶ ὁδὸν ἄλλην οὐκ ἔχουσιν, παρέσχεν τὴν δι' αὐτοῦ καταλῦσαι τὴν Περσῶν ἡγεμονίαν τοῦ θεοῦ θελήσαντος. *Nemo autem mirari debet tamquam incredibilia, ſi priſcis hominibus & ad malitiam etiam tum rudibus, de ſalute periclitantibus, via per mare patuit, ſiue Dei voluntate, ſiue naturae ſponte, quandoquidem & heri & nudius tertius Alexandri ductu Macedonibus mare Pamphylium ceſſit, & aliam viam non habentibus illuc iter aperuit, cum Deus eius opera ad deſtruendum Perſarum imperium vti decreuiſſet.* Non malo quidem conſilio, ſed vt ethnicis eo magis perſuaderet, quae narrabat, incaute tamen iſta ſcripſit IOSEPHVS. Interim & quod de Alexandro adfert, diuinae potius potentiae, quam naturalibus tribuere videtur cauſſis. Certe non alium in finem eius rei mentionem facit, quam vt oſtendat, transitum Israëlitarum per mare rubrum, non incredibilem cuiquam videri debere. In ipſo autem iſto tranſitu maximum omnino miraculum agnoſcit, quod ex antecedentibus luculenter patet, vbi inter alia Moſen ita loquentem inducit: ἀλλὰ σὴ μὲν ἡ θάλασσα, σὸν δὲ τὸ περικλεῖον ἡμᾶς ὄρος· ὡς ἀνοιγῆναι μὲν τοῦτο σοῦ κελεύσαντος, ἠπειρωθῆναι δὲ καὶ τὸ πέλαγος· εἶναι δὲ ἡμῖν ἀποδράναι καὶ δι' ἀέρος, δόξαν ἰσχυΐ τῇ σῇ τοῦτον ἡμᾶς σώζεσθαι τὸν τρόπον. *Tuum eſt, Domine, hoc mare, tuus & mons, qui nos claudit, & hic poteſt te iubente aperiri, & illud in terram verti: poſſumus & per aërem ſublimes eſ-*

(*Buddei Hiſt. Eccleſiaſt. Tom. I.*)

ſugere, ſi ita nos ſeruari tibi placeat. Haec de mente IOSEPHI nos dubitare non ſinunt. Ceterum, quae de Alexandri per mare Pamphylium tranſitu idem adfert, ita comparata ſunt, vt cum tranſitu Iſraëlitarum per mare rubrum nullo modo conferri queant; quod patet ex iis, quae STRABO, *lib. XIV. p.666.* ARRIANVS, *lib.I. p.m.53.* aliique, hac de re commemorant.

Ex recentioribus vir doctiſſimus, IO. CLERICVS peculiari diſſertatione de *maris Idumaei traiectione, commentario* eius in *pentateuchum* ſubiuncta, hoc egit, vt probaret, tranſitum populi iſraëlitici factum eo tempore, quo maris refluxus eſſet; ventum autem, qui ſimul ortus eſt, aeſtum maris in oceanum reflui auxiſſe, vt ita commode Iſraëlitae tranſire potuerint. Non tamen ſine miraculo hoc factum, contendit, idque primo, *ob vim venti plane inſolitam, & reciprocationem maris tantam, quanta nulla vmquam ſimilis forte conſpecta ſit.* Deinde, *ſi nihil,* inquit, *praeter ſolitum contigiſſet, non erat, cur Aegyptii gauderent, aut cur Iſraëlitae adeo terrerentur, cum ſe clauſos viderunt, inter mare & montes; exſpectato enim refluo maris motu, euadere poterant; neque ignoraſſe videntur tot myriades oceani naturam, a quo perpaucorum dierum itinere eorum priſtinae ſedes aberant.* Denique, & ea in re miraculum fuiſſe, adferit, *quod Moſes, qui alioqui nihil, niſi ſolitum aeſtum, exſpectare potuerit, praedixerit Iſraëlitis, exitium inſtare Aegyptiis, eos vero incolumes euaſuros.* Huic vero viri docti ſententiae neutiquam ſubſcribere poſſum. Etenim, ſi Moſes occaſione iſta maris in oceanum reflui in tranſmittendo populo iſraëlitico vſus eſſet, huius rei, ſi veritatem diſſimulare noluiſſet, omnino debuiſſet facere mentionem. Dum vero non fecit, facile apud homines profanos in eam venire ſuſpicionem poteſt, non optima vndiquaque fide eum res ſuas litterarum monumentis conſignaſſe, ſed data opera quaedam diſſimulaſſe, quae ad rei veritatem plene percipiendam ſcire, omnium intererat. Quod tamen vel cogitare nefas eſt. Nullam vero refluxus maris mentionem fieri, res ipſa docet; cum ne verbum quidem in tota iſta narratione occurrat, vnde eiusmodi quid colligas. Et ſi vel maxime verba Moſis ita explicari poſſent, vt non obſtarent iſti ſententiae; inde tamen non ſequeretur, Moſen refluxus iſtius marini feciſſe mentionem. Sed accedit, quod verba Moſis huic ſententiae e diametro obſtent; cum *Exod. XIV.29.* dicit: *Et Iſraëlitae ſicca via per medium mare iuerunt,* והמים להם חומה מימינם ומשמאלם *& aquae illis inſtar muri a dextra eorum & a ſiniſtra eorum.* Quo ipſo, vtrimque reuera aquas conſtitiſſe, vt per eas tranſiuerint Iſraëlitae, aperte ſignificatur. Verba equidem haecce Moſis nimis extendunt, qui fluctus maris glaciei inſtar concretos ſibi fingunt; quod & PHILO Iudaeus feciſſe videtur, dum ab eo commemoratur ῥῆξις θαλάσσης, ἀναχώρησις ἑκατέρου τμήματος, πῆξις τῶν κατὰ τὸ ῥαγὲν μέρος διὰ παντὸς

τὸς τοῦ βάθους κυμάτων, ἵν᾽ ἀντὶ τειχῶν ἢ κραταιοτάτων, *ruptio maris, diſceſſio vtriusque fragmenti, concretio fluctuum, qui ad partem diuiſam erant, per omne profundum, vt loco murorum eſſent firmiſſimorum; de vita Moſis, lib. III. p. m. 691.* At nec a propria iſta verborum ſignificatione vltra, quam par eſt, diſcendendum. Et, licet concedamus, in cantico *Exod. XV. 8.* poëticam huius rei deſcriptionem eſſe, cum dicitur: *vento narium tuarum coacervatae ſunt aquae; ſteterunt fluenta, quaſi granorum aceruus, in medio mari coagulatae ſunt abyſſi;* non tamen perinde cenſendum de ſtilo hiſtorico, vbi auctor rem, prout geſta eſt, velut oculis lectorum ſubiicere adnititur. Moſes certe haud obſcure ſimilitudinem illam, *inſtar murorum*, eum in finem adhibuit, vt eo clarius rem exprimeret, & condoceret, vtrimque aquas conſtitiſſe: qua de re vt eo minus dubitaremus, addidit: *a dextra eorum, & a ſiniſtra eorum.* Quodſi figurate eum hic loquutum ſupponamus, nec id voluiſſe, quod aperte verba ſignificant, eum data opera ita loquutum ſtatuamus, neceſſe eſt, vt lectores non poſſint non erroneas de iſto transitu animo concipere cogitationes, quod nemo profecto temere admittet. Sed & locus *Exod. XV. 8.* licet poëtico ſtilo expreſſus, ſciſſionem tamen, prout a Moſe iam deſcripta erat, reſpicit, prorſusque id confirmat, reuera mare rubrum ita diuiſum fuiſſe, vt aquae vtrimque conſiſterent. Ad rem ipſam quod attinet, tempore transitus Iſraëlitarum per mare rubrum non fuiſſe refluxum, ſeu detumeſcentiam ordinariam, ex rationibus chronologicis etiam & ſiderum tunc temporis poſitu, luculenter euinci poteſt, & ab aliis iam euictum eſt. Nimirum, ex circumſtantiis a Moſe commemoratis patet, transitum illum paullo ante mediam noctem coepiſſe, & ad tertiam vsque horam matutinam duraſſe. Praeterea ex rationibus chronologicis manifeſtum eſt, ea ipſa nocte, qua transitus factus eſt, lunam meridianum obtinuiſſe hora circiter ſecunda vel tertia, adeoque adfluxum ſeu intumeſcentiam tum ad ſupremum gradum perueniſſe, initium autem eius retro numeratis ſex horis, fuiſſe hora veſperae octaua vel nona. Vnde conſequitur, vix vllum transitus Iſraëlitarum momentum ſenſibilis detumeſcentiae tempus attigiſſe; etiamſi concedatur, lunae ad meridianum acceſſum aliquot minutis citius aut ſerius eueniſſe. Res adhuc manifeſtior euadit, ſi porro obſeruetur, traiectionem maris rubri paullo poſt plenilunium aequinoctio verno ſatis propinquum, ſuſceptam fuiſſe; quo tempore, ſi ordinarius maris aeſtus tunc locum habuiſſet, aquae fuiſſent altiſſimae; cum circa aequinoctia, itemque in pleniluniis ac nouiluniis, prae ceteris anni temporibus, maria turgere aquis & aeſtuare ſoleant. Adcurate & ſolide haec omnia demonſtrauit IO. GVIL. BAIERVS, theologus Altorffinus, vir clariſſimus, in *diſſertatione mathematica ad Exod. XIV. an tempore transitus Iſraëlitarum per mare rubrum,*

fuerit ordinarius refluxus, ſeu detumeſcentia? Ienae anno MDCXCVII habita.

Ceterum, vt nunc reliqua perſequamur, non deſunt, qui exiſtimant, Israëlitas non recto itinere per mare rubrum ab vno littore ad aliud transiiſſe, ſed ſemicirculo in mari facto, in littus aegyptium rediiſſe. Ita praeter ebraeos quosdam doctores, PAVLVS BVRGENSIS, ALPHONSVS TOSTATVS, aliique: qui vt in eam ingrederentur ſententiam, inducti maxime ſunt loco, *Num. XXXIII. 6. 8.* vbi dicitur, Israëlitas *Succhotis iuiſſe Ethamum, quod in extremo deſerto; tum profectos Ethamo rediiſſe Phi-hachirotas; vnde poſtquam diſceſſerant, mari traiecto, iter trium dierum confeciſſe per deſertum Ethami, & Marae caſtra metatos.* Hic cum Ethami & ante & poſt transitum maris mentio fiat; collegerunt inde, ad idem, vnde digreſſi erant, littus eos rediiſſe. Id vero cum plurimis ſcripturae locis, & verbis clariſſimis Moſis aperte repugnet; obſeruandum, Ethami nomine & oppidum veniſſe ad occidentale maris Idumaei littus, in deſerti finibus, qua ſuperiorem Aegyptum reſpicit, & eodem etiam totam ſolitudinem trans mare rubrum illi oppoſitam, fuiſſe inſignitam: vt adeo rectiſſime dicatur, eos Ethamum, oppidum ſcilicet, veniſſe, priusquam mare rubrum transiuerint, & rurſus, poſtquam mare illud traiecerant, per deſertum Ethami trium dierum itinere confecto, Marae tandem caſtra metatos fuiſſe. Fieri etiam prorſus non potuit, vt ea ratione transitus perageretur; cum breuior circulus tot hominum myriades non ceperit, longior autem ſatisque capax ſi ſtatuatur, difficile erit intellectu, qui tot homines tam breui temporis ſpatio iſtud iter conficere potuerint. Conf. NATALIS ALEXANDER, *hiſt. eccleſ. vet. teſtam. aetat. mundi quarta, diſſert. I. artic. II. prop. I. p. 366.* qui & *prop. II. p. 367.* contra eos diſputat, qui, tempore transitus refluxum maris fuiſſe, contendunt. Quod ſi, recto itinere ab vno littore ad aliud Israëlitas transiiſſe, ſtatuamus quemadmodum reuera transierunt; non eſt incredibile, non adeo magno temporis ſpatio transitum illum fieri potuiſſe. Mare enim Erythraeum, qua deſinit, arctiſſimum eſſe, geographorum teſtimonio conſtat. STRABO: Ἀράβιος κόλπος ποταμοῦ δίκην ϛενός ἐϛι μακρὸς, *ſinus arabicus eſt inſtar fluuii arctus & longus; lib. II. p. p. 158.* DIODORVS Siculus latitudinem tam in receſſu, quam oſtiis, ſedecim circiter ſtadiorum eſſe, auctor eſt; *bibliothec. lib. III. p. 172.* Iam ſi porro ponamus, ſpatium illud Numinis iuſſu aquis nudatum quam latiſſime patuiſſe, vt ingens multitudo ſimul illud intrare potuerit; fieri omnino potuiſſe, vt aliquot horarum ſpatio Israëlitae mare illud transirent, intelligemus. Add. IO. CLERICVS, *diſſert. cit. p. 541.*

*** Conf. *Exod. XIV. 24. ſeqq.*

§. XVI.

§. XVI.

Laudibus Deo, ob liberationem iſtam miraculi plenam, cantatis,* caſtra iterum Ebraei mouent, iter in deſerto proſequuturi; ſtationibusque duodecim ad montem Sinai peruenerunt.** Incommoda varia vt in hocce itinere eos exceperunt; ita vbique longe maiorem Numinis potentiam ac benignitatem experti ſunt. Namque in Mara, cum aquae ob amaritiem ad potum ineptae eſſent; ligno quodam iuſſu Dei in eas coniecto, dulces factae ſunt, gratumque & ſalubrem populo praebuere potum.*** Dum in deſerto Sin verſabantur, annona, quam ex Aegypto ſecum attulerunt, abſumta, ne tot millibus mortalium fame pereundum eſſet, primo coturnicum tantam vim immiſit,* quae omnibus exſatiandis ſufficeret; tum Manna,** inſtar roris caeleſtis dedit, loco panis deficientis, beneficio quotidie, excepto ſabbatho, quamdiu in deſerto commoraturi eſſent, iterando; cuius initium die ab exitu trigeſimo quarto factum.

* Canticum hocce Moſis, quod inter ea, quae ad nos peruenerunt, antiquiſſimum eſt, exſtat *Exod. XV. 1. ſeqq.* FLAV. IOSEPHVS dicit, id a Moſe compoſitum fuiſſe ἐν ἑξαμέτρῳ τόνῳ, *verſu hexametro; antiquit. iudaic. lib. II. cap. VII.* Quod non omnibus perſuadebit. Sed de Ebraeorum poëſi alibi.

** Computatis ſcilicet iis, in quibus commorati ſunt, priusquam mare rubrum transirent, & connumerato loco, vnde profectionis initium ducitur. Prima itaque ſtatio *Rameſſes* fuit, vbi Iſraëlitae a Ioſepho collocati erant, *Geneſ. XLVII. 11.* & vbi conuenerant, qui hinc inde diſperſi erant, vt coniunctim ex Aegypto egrederentur, *Num. XXXIII. 3.* Altera *Succhot* fuit, vbi Moſes legem Numinis de azymis per ſeptem dies comedendis, deque primogenitorum conſecratione, illis promulgauit, *Exod. XIII. 20.* Tertia *Etham*, quod oppidi nomen eſſe, vnde deſertum Etham forte nomen ſortitum eſt, ad §. *praecedentem* docuimus. Quarta *Pi-hachiroth*, inter Migdolum & mare, e regione Baal-Zephonis, *Exod. XIV. 2.* quae vltima fuit ante tranſitum per mare rubrum. Traiecto mari, Pharaoneque cum ſuis in eo ſubmerſo, per Ethami deſertum tridui itinere proceſſerunt, tandemque *Marae* caſtra poſuerunt; quae adeo quinta fuit ſtatio, ſed poſt tranſitum per mare rubrum, prima, *Exod. XV. 23. ſeqq.* Tum ad *Elim* venerunt, vbi erant duodecim fontes aquarum, & ſeptuaginta palmae. *Exod. XV. 27. Num. XXXIII. 9.* Fuit haec ſtatio ſexta. Tum vlterius iter proſequentes ad *mare rubrum* acceſſerunt, num piſcandi cauſſa? an ob aliam rationem, incertum. Id vero cum facile fieri potuerit, etſi non animo tranſeundi;

ſine cauſſa hic viri docti ſibi ipſis negotium faceſſunt, adeo, vt nonnulli paludem ſeu lacum carecto & iuncis plenum, quam mare Erythraeum, intelligere malint. Sed vt a recepta ſignificatione & vſu vocis ים סוף diſcedamus, nulla nos cogit neceſſitas. Fuit haec ſtatio ſeptima. Octauam ſtationem praebuit deſertum *Sin*, quod eſt inter Elim & Sinai, vbi & coturnicibus ſatiari, & manna cibari coeperunt, *Exod. XVI. 1. ad 33.* Nonam ſtationem *Dophka* praebuit, decimam *Alus*, vndecimam *Rephidim*, vbi murmurante ob defectum aquae populo, Moſes percuſſa petra aquam ſuppeditat *Num. XXXIII. 12. 13. 14. Exod. XVII. 1. 7.* Duodecima denique ſtatio in deſerto Sinai fuit, vbi caſtra metati ſunt Iſraëlitae e regione montis Horebi; quo in loco per integrum fere annum commorati ſunt. *Exod. XIX. 1. Num. XXXIII. 15.* Stationes haſce *Num. cap. XXXIII.* Moſes plenius enumerat, quam in libro Exodi fecerat, vbi ſtationum iſtarum occaſione data ſaltem meminit, cum ibi ex inſtituto eas recenſeat. De hiſce ſtationibus, vt & reliquis, agit HIERONYMVS, qui & ex ebraicis nominum ſignificationibus eas myſtice explicat, *epiſtola CXXVII. ad Fabiolam de XLII manſionibus.*

*** Sunt, qui putant, ipſum illud lignum, quod aquae Moſes immiſit, vi quadam medica, & virtute aquas iſtas dulces efficiendi, gauiſum fuiſſe. Id SIRACIDES innuit: *Dominus creauit ex terra pharmaca, & vir prudens ea non ſpernit: annon ligno dulcuit aqua, vt vis eius innoteſceret hominibus? cap. XXXVIII. 4. 5.* De hocce ligno plurimae etiam exſtant Iudaeorum fabulae, apud PETRVM GALATINVM, de *arcan. cathol. verit. lib. VI. cap. XVII.* aliosque. At ipſius ligni virtute aquas iſtas dulces effectas, ex ſcriptura canonica non conſtat. Intelligi etiam nequit, quo pacto tanta aquae copia ligni cuiusdam efficacia dulcis effici potuerit. Magnum itaque hic omnino agnoſcendum eſt miraculum. Cur autem Deo placuerit, ligni cuiusdam immiſſione iſtud perpetrare, cum vel vnico verbo id fieri potuerit, inquirere noſtrum non eſt. Sufficit, quod diuinae ita viſum ſapientiae. Videmus, paſſim Deum in edendis miraculis certis mediis vſum, quorum nemo reddere poteſt rationem. FLAV. IOSEPHVS recte quidem, ligni nullam fuiſſe efficaciam, agnoſcit, ſed alia comminiſcitur, quorum in narratione Moſaica nullum exſtat veſtigium. Namque inter alia dicit, Moſen, cum precibus eius Deus annuiſſet, arripuiſſe fruſtum ligni forte ibi iacens, & medium per longitudinem ſciſſum in aquam miſiſſe, tumque iuſſiſſe, vt aquam maxima ex parte ex puteo exhaurirent, reliquam enim potabilem fore. Κελεύει τοὺς ἐν ἀκμῇ περιστάντας ἐξαντλεῖν, λέγων τὸ ὑπολειπόμενον ἔσεσθαι πότιμον αὐτοῖς προεκκενωθέντος τοῦ πλείονος. Καὶ οἱ μὲν ἐπόνουν, τὸ δὲ ὑπό τῶν συνεχῶν πληγῶν γεγυμνασμένον καὶ κεκαθαρμένον ἤδη πότιμον ἦν; *iubet robuſtiſſimum quemque certatim puteum exhaurire, dicens, maiore parte euacuata,*

ta, reliquam potabilem fore; quo facto aqua agitatione continua purior reddita, potum iam non adſpernendum multitudini exhibuit; antiquit. iudaic. lib. III. cap. I. p. 71. Nimirum alia ratione miraculum extenuat, & per agitationem aquam iſtam potabilem redditam, innuit. Sed, vt ipſe forte explicare non potuit, quo pacto agitatio illa efficere potuerit, vt aqua amara dulcis fieret; ita, cum nullam huius rei mentionem faciat Moſes, in gratiam gentilium iſtud finxiſſe videtur. Ceterum Moſes, cum iſtud miraculum narraſſet, addit: *ibi* (Deus) *ei* (Iſraëli) *poſuit legem ac ſtatutum, eumque tentauit, & Iehouae Dei tui, inquit, ſi voci obſequaris, quod rectum ei videtur, feceris, mandatisque eius aurem praebueris, omnesque eius leges obſeruaueris, nullum tibi immittam morbum eorum, quos Aegyptiis immiſi &c.* Quaeſitum inde inter viros doctos fuit, quaenam illa lex, quodnam ſtatutum fuerit, quod poſuiſſe ibi Deus dicitur. Sed non neceſſe mihi eſſe videtur, vt leges quasdam ſpeciales ibi conditas ſtatuamus; cum haec verba ad ſequentia ſe referant, quibus generatim obſequium legibus, tum, quas a maioribus acceperant, tum quas ipſe mox laturus eſſet, additis certis promiſſionibus, poſtulat. Hoc vero poſtulato generali praeparatam quodammodo gentem iſraëliticam fuiſſe, ad leges illas, quas mox promulgaturus Deus erat, accipiendas, recté dixeris.

*Non tantum, cum in deſerto Sin verſarentur, priusquam ad montem Sinai peruenerunt, Iſraëlitae coturnicibus ſatiati ſunt, *Exod. XVI. 13.* ſed & deinceps, cum in Kibroth Hattaauah ſtationem haberent, *Num. XI. 18. ſeqq.* In ebraeo vox שלו eſt, quam vulgo *coturnicem* reddunt, ſed cuius obſcurior aliis videtur ſignificatio. Illis, qui coturnices intelligunt, exemplum praeiuit FLAV. IOSEPHVS, quippe qui habet ὀρτύγων πλῆθος, *coturnicum multitudinem; antiquit. iudaic. lib. III. cap. I.* Septuaginta vertunt per ὀρτυγομήτρας, quos etiam ſequitur auctor *libri ſapientiae, cap. XVI. 2. 3. XIX. 22.* & PHILO, de *vita Moſis, lib. I.* Quo ipſo tamen a IOSEPHO non diſſentiunt, ſi illis credimus, qui, ὀρτυγομήτρας coturnicum ſpeciem eſſe, contendunt. Ebraei recentiores non ſatis ſibi conſtant, ſed in eo ſaltem conueniunt, fuiſſe auium ſpeciem; qui autem, ſpeciatim coturnices fuiſſe, aiunt, traditione potius, aliorumque auctoritate, quam certa ratione, nituntur. Hinc in *libro radicum*, R. DAVID KIMCHI: שלו מין עוף הוא שמן באוד ואומרין שהוא שקורין בלעז קליא *Selau ſpecies auis eſt, eaque pinguis valde, & dicunt, eam illam eſſe, quae lingua barbara vocatur Kulia, h. e. coturnix.* Cum itaque illa de coturnicibus ſententia incerto admodum & lubrico fundamento niti videatur; in aliam ingreſſus eſt vir ſummus IOBVS LVDOLPHVS. Cum enim in locum quemdam PORPHYRII περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων, *lib. I. §. XXV.* incidiſſet, vbi exercitum in Africa fame laborantem, ſuperuenientibus locuſtis

cuſtis ſeruatum fuiſſe, dicit; animum eius ſuſpicio ſubiit, annon etiam per שלוים, quibus in deſerto cibati ſunt Israëlitae, locuſtae intelligendae ſint? Rationes eius praecipuae, quibus ſuam ſententiam firmare adniſus eſt, hae ſunt: vocabulum illud שלו, cuius vera ſignificatio aeque ac aliarum vocum plurium in captiuitate babylonica deperdita fuerit, ab ONKELOSO, aliisque interpretibus orientalibus, vt Syro, Arabe, retineri tantum, at non intelligi; occidentales vero ſolius IOSEPHI auctoritate niti, a quo tamen diſſentiant LXX, auctor *libri ſapientiae*, ac PHILO cum ὀρτυγομήτραν non ſint coturnices; vniuerſam Iudaeorum turbam a IOSEPHO itidem diſſentire, vel ſaltem dubitare; quoad rem ipſam vero & ſenſum, niſi in omnibus iſtius hiſtoriae articulis naturae vim facere, & mera miracula fingere velis, textum neque ad ortygometras, neque ad coturnices adcommodari poſſe; contra, ſi vocem hanc de locuſtarum quadam ſpecie munda accipias, ſiue multitudinem, ſiue latitudinem, ſiue altitudinem, ſiue collectionem atque tractationem earum ſpectes, omnia prona eſſe atque intellectu facilia; etiamſi denique nomen hoc inter locuſtas mundas a Moſe nominatas non reperiatur, potuiſſe tamen vnius illarum eſſe, vel ſynonymum, vel ſpeciem aliquam quatuor illarum principalium, cuius nomen ſpecificum ibi expreſſum non eſt. Hanc ſuam ſententiam vir doctiſſimus prolixe proponit & comprobat, in *comment. ad hiſtor. aethiop.* ad *lib. I. cap. XIII. num. XCVI. p. 172.* eamque iterum defendit peculiari diatriba, quae adpendicis ſecundae vicem ad *hiſtoriam aethiopicam* ſuſtinet. Non tamen forte deerunt, quae eam adhuc dubiam aut incertam, ſaltem receptam illam de coturnicibus, probabiliorem reddant. Duriuſculum primo multis videbitur, vocis שלו ſignificationem genuinam tempore captiuitatis babylonicae deperditam; nec eam aut ONKELOSO, aut aliis interpretibus orientalibus, intellectam. IOSEPHVM a LXX interpretibus atque PHILONE, itemque *libro ſapientiae* diſſentire, fruſtra dicitur. Ortygometras enim coturnicum fuiſſe ſpeciem, vel ipſum nomen docet. Et licet ARISTOTELES, *hiſtor. animal. lib. VIII. cap. XII.* a coturnicibus ortygometras diſtinguat; hoc tamen itidem ea ratione intelligi poteſt, vt ſaltem, ortygometras, coturnicum ſpeciem fuiſſe, innuat. Conſenſus itaque PHILONIS, IOSEPHI, & auctoris *libri ſapientiae* cum LXX interpretibus efficit, vt credamus, eos minime ignoraſſe, quid vox שלו ſignificet. Reliqui Ebraeorum doctores, etſi non inter ſe conſentiant, receptam tamen apud multos eorum hanc eſſe ſententiam, quae coturnices intelligit, ex adlato antea KIMCHII loco patet. Vnde & traditionem huius rei in hac gente, in hocce genere non ſpernendam, fuiſſe, conſtat. Sed caput cauſſae in eo conſiſtit, an, quae a Moſe hac de re narrantur, ad coturnices aeque ac locuſtas adcommodari queant? Id vero fieri non poſſe, vir ſummus putat, *niſi*

in omnibus iſtius hiſtoriae articulis naturae vim facere, & mera miracula fingere velis. Ego quidem non puto neceſſe eſſe, vt mera miracula fingamus, ſimul vero, eum non inepte agere, exiſtimo, qui, in carnis huius aeque ac panis ſeu mannae ſuppeditatione, miraculum interceſſiſſe, exiſtimauerit. Interim, ſi non omnia, certe pleraque de coturnicibus ita explicari posſunt, vt ad miracula vbique confugere neceſſe non ſit. Primo enim dicitur, vehementi vento ab occidente ſpirante tantam ſubuectam coturnicum copiam. Ex occidente autem dum aduectae dicuntur, vix aliter hoc capiendum, quam quod ſinum arabicum transiuerint, quem & ingentem coturnicum multitudinem alere tradit IOSEPHVS, *antiquit. iudaic. lib. III. cap. I.* quemadmodum & in ebraeo eſt מים *a mari.* De coturnicibus autem conſtat, quod & maria cateruatim transuolent, & vento vehantur. Vtrumque teſtatur PLINIVS: *Aduolant & hae ſimili modo* (ac grues) *non ſine periculo nauigantium, cum adpropinquauere terris. Quippe velis ſaepe inſidunt, & hoc ſemper noctu, merguntque nauigia. Iter eſt bis per hoſpitia certa. Auſtro non volant, humido ſcilicet, & grauiore vento. AVRA TAMEN VEHI VOLVNT, propter pondus corporum vireſque paruas; hiſtor. natur. lib. X. cap. XXIII.* Sed & DIODORVS SICVLVS: φέρονται αὐτοὶ κατ' ἀγέλας ἐκ τοῦ πελάγους, *feruntur* (coturnices) *gregatim ex mari; lib. I. p. 55.* Dicitur porro, ventum ſparſiſſe ſeu diffudiſſe Selauim in caſtra vel ſuper caſtra. Quod in locuſtas quidem, ſed minime in coturnices quadrare, vir ſummus exiſtimat. Sed fieri tamen potuit, vt coturnices etiam, quas per aërem vento aliquamdiu ferri, ex PLINIO obſeruauimus, ob laſſitudinem, vento etiam forte deficiente, in terram caderent. Praecipuum vir doctiſſimus praeſidium in multitudine τῶν שלוים collocat. Dicuntur enim ſpatia circa caſtra deſerta per iter vnius diei texisſe, & quidem tanta copia, vt ad duos cubitos variis in locis coacceruarentur. Quod cum de locuſtis, ampliſſima terrarum ſpatia aliquando occupantibus, & magno incolarum malo depaſcentibus, facile intelligatur; de coturnicibus dici non poſſe, videtur, niſi & creatas eas a Deo tanto numero, & nouo miraculo vento ſingulari huc adlatas, adſerere velimus. At coturnices quoque immani numero volare, productis in medium veterum teſtimoniis, luculenter comprobauit SAM. BOCHARTUS, *hieroz. part. II. lib. I. cap. XV.* Nec neceſſe fuit, vt coturnices Deus crearet; cum ex variis terrae partibus tantam adducere multitudinem potuerit, quae ſatiandis Iſraëlitis ſufficeret. Quod aeque ei facile fuit, ac, quod eius iuſſu in arcam Noachi ſe contulerunt omnium animalium ſpecies, quae, ne diluuii aquis perirent, ſeruari hac ratione debebant. Cur vero omne hinc miraculum excludere debeamus, nullam ego rationem video. Denique, quod ad collectionem & tractationem τῶν שלוים attinet, Moſes dicit:

Digitized by Google

וישטחו להם שטוח *expandendo ſibi expanderunt*, hoc eſt, aëri expanderunt (coturnices) ſale conditas, vt eas ſiccarent, & ita a putredine conſeruarent. Qua quidem ratione in coturnices non minus, quam locuſtas, hoc quadrabit; nec multum viro doctiſſimo proderit, quod obſeruat, locuſtas ab Arabibus ſoli feruenti exponi, & ita edi. Coturnices enim & hac ratione conſeruari potuiſſe, res ipſa docet. Aliorum itaque nunc eſto iudicium, annon ad coturnices aeque ac locuſtas adcommodari queant, quae Moſes diuinus ſcriptor hac de re narrat. Vnicum adhuc addere liceat. Etſi non negem, locuſtas quasdam ad cibum aptas eſſe, & *carnis* nomine venire poſſe; merito tamen dubito, an Israëlitis tam gratae fuerint, aut eſſe potuerint, vt aegyptiacas delicias hac ratione compenſari crediderint. Certe, & Ioanni baptiſtae locuſtas pro cibo fuiſſe, conſtat, *Matth. III. 4.* Sed eumdem ab auſtero vitae genere ibidem, vt & alias, commendari, nouimus.

** Et nomen, & res ipſa eruditis disceptandi argumentum praebuit. Fieri id ſolet, cum de rebus, a noſtra memoria remotiſſimis, nobisque plane ignotis, ſermo eſt. Ad nomen enim quod attinet, cum Israëlitae hocce cibi genus viderunt, dixiſſe eos, Moſes auctor eſt מן הוא eo quod ignorarent, מה־הוא *quid illud eſſet?* Ebraeorum magiſtri, R. SAL. IARCHI, R. ABEN ESRA, aliique, quibus multi etiam e chriſtianis adſtipulentur, vocem hanc a verbo מנה *conſtituit, parauit*, deriuant, idemque, ac cibum paratum, ſignificare perhibent. Quibus alii opponunt, quod tum ſequentia non ſatis reſpondeaut, nec ſenſus rite fluat, ſi hunc eum eſſe dicas: *vocarunt cibum paratum, quia neſciebant, quid eſſet?* Alii מן particulam chaldaicam aut ſyriacam eſſe putant, quae ſignificet, *quid?* Quo pacto ſenſus verborum ſatis quidem concinnus inde reſultat; ſed, cur Ebraei hac occaſione voce chaldaea aut ſyra vſi ſint, ratio probabilis nulla reddi poteſt. Alii itaque, vocem aegyptiam eſſe, cenſent, quae mannam ordinariam ſignificet, & qua Israëlitae panem iſtum a Deo ſibi ſubminiſtratum, ob ſimilitudinem cum manna ordinaria, inſigniuerint. Quod ſatis equidem veroſimile eſſet, ſi modo conſtaret, hanc vocem olim apud Aegyptios fuiſſe vſitatam, & mannam ordinariam ſignificaſſe. Omnium rectiſſime mihi hinc ſe expedire videntur, qui ex lingua ſyriaca colligunt, particulam מן *quid* in lingua ebraea olim fuiſſe vſitatam, ac deinceps in deſuetudinem abiiſſe. Facile vtique fieri potuit, vt voces quaedam olim vſitatae vſurpari deinceps deſierint. Senſus praeterea verborum ita optime ſibi conſtat. Conſentiunt etiam LXX interpretes, vertendo: τί ἐςι τῦτο, & vulgatus: *quid hoc eſt:* quos & alii magno ſequuntur numero; conf. & AVGVST. PFEIFFERVS, *dub. vexat. centur. I. loc. XCIV. p. 231. ſeqq.* Ad rem ipſam quod attinet, Moſes mannam deſcribit partim a figura & magni-

magnitudine, partim a colore, partim a ſapore. De magnitudine & figura dicit, fuiſſe minutum quiddam inſtar pruinae, & מחספס, h. e. *rotundum*, vt R. DAVID KIMCHI explicat. Etſi enim alii aliter hanc vocem transferant; KIMCHI tamen ideo praeferenda videtur ſententia, quod deinceps *ſemini coriandri* (LXX habent: *κορίȣ σπέρμα*) compareтur, vnde & iidem LXX vocem מחספס reddiderunt: *ὡσεὶ κόριον*. A ſemine coriandri tamen colore differebat, vnde pruinae confertur, diciturque fuiſſe לבן *candidum*, inſtar bdellii: ועינו כעין הבדלח *& ſpecies eius quaſi ſpecies bdellii.* Vbi quidem iterum interpretes, quid בדלח ſit, inter ſe diſſentiunt, aliis cum LXX interpretibus & R. SAL. IARCHI per *cryſtallum*, aliis cum R. ABARBANELE per *margaritam*, aliis aliter eam vertentibus. Sed, quidquid demum per בדלח intelligatur, ex reliquis mannae deſcriptionibus ſatis patet, eam ob candorem ſummum cum bdellio comparari. Atque hoc nobis ſufficit. Ratione ſaporis *Exod. XVI. 31.* melli comparatur, vt *Num. XI. 8.* ſapor eius olei inſtar fuiſſe dicitur. Coniungi vtrumque poteſt, vt ſapor eius fuerit inſtar dulciſſimi olei, vel vt mellitus ſapor fuerit ſolius mannae, oleoſus vero placentarum coctarum, cui admixta erat. Mannam ſaporem, qui ſingulis maxime gratus eſſet, habuiſſe, quorumdam ebraeae gentis doctorum commentum eſt, quorum hac de re placita adfert IOAN. BVXTORFIVS, *diſſert. de manna cap. III.* Satis vero illud ex querela & faſtidio *Iſraëlitarum* refellitur. Supereſt, vt diſquiramus? an manna iſta, quam hactenus deſcripſimus, eadem ſit cum manna ordinaria, cuius apud medicos, rerumque naturalium ſcriptores, frequens mentio. Non enim deſunt, qui hoc adfirmant, adeoque miraculum, quod tum populo iſraëlitico exhibitum fuit, non in ipſius ſubſtantiae noua productione, ſed in modo, quo manna quotidie tanta copia, vt omnibus Iſraëlitis alendis ſufficeret, ſuppeditata fuit, conſtitiſſe, autumant. Ingreſſi in hanc ſententiam ſunt doctiſſimi viri, FRANCISCVS VALESIVS, *philoſ. ſacr. cap. LVI.* LEVINVS LEMMIVS, *explicat. herbar. bibl. cap. III.* HENRICVS SALMVTHVS, ad *Guidonis Pancirolli res memorab. part. II. tit. VI. p. 130. ſeqq.* immo & CLAVDIVS SALMASIVS, in *comment. de manna.* Sed eamdem quoque ſententiam tuendam ſibi ſumſit vir doctiſſimus HERMANNVS VON DER HARDT, in *ephemerid. philolog. diſcurſ. VII. p. 95. ſeqq.* & in *vindiciis, p. 163. ſeqq.* Plerique autem, qui iſtud adſerunt, nituntur conuenientia, quam inter mannam ordinariam, & panem iſtum Iſraëlitarum intercedere, ſibi perſuadent. Verum iſtam conuenientiam ſupponunt potius, quam rite demonſtrant. Etenim manna Iſraëlitarum orto ſole liquefiebat; cum manna ordinaria, quae in Perſia atque Arabia inuenitur, potius incraſſeſcat. Recte praeterea viris doctis obſeruatum, mannam ordinariam ex foliis certarum arborum colligi aut excuti, nec vsquam in terra

Digitized by Google

inueniri, niſi ſub iis arboribus; cum contra manna israëlitica in terram circa Israëlitarum tentoria e nubibus caderet. Mannam nimirum vulgarem ſpeciem eſſe gummi, certo tempore anni ex certis arboribus defluentis; cum manna israëlitica eſſet ros aliquis inuſitatus, & diuino miraculo eue𝔠tus. Re𝔠te id quoque & erudite obſeruatum IOANNI CLERICO, ad *Exod. XVI. 21.* His addere porro licet, quod in deſerto manna Israëlitis fuerit ſuppeditata, vbi alias eiusmodi quid non reperitur, & quidem quotidie per annos quadraginta. Quod ſi virtute diuina mannam ordinariam eo delatam, idque tam diu & tanta copia, quam diu Israëlitarum indigentia hoc requirebat, dicas; non minus hoc erit miraculum, quam ſi a Deo ipſam mannam creatam ſtatuas. Manna quoque die ſabbatho non reperiebatur, quod de ordinaria dici nequit. Sed Deus quoque in vrna ſeruari eius particulam voluit, & in adyto reponi in perpetuam rei memoriam. Quod ſine ratione, certe ſine praegnanti cauſſa factum eſſet, ſi manna ordinaria fuiſſet, cuius copia Israëlitis ſemper fieri potuiſſet, inde vt cognoſcerent illud panis genus, quo patres eorum in deſerto Deus nutriuerat. Mitto ſcripturae dicta, quibus inter maxima miracula refertur, quod populum israëliticum manna cibauerit; vt *Pſalm. LXXVIII. 24. 25.* item *Pſalm. CV. 40.* itemque, quod *Exod. XVI. 15.* & *Deut. VIII. 3.* Moſes diſerte dicat: *Cibauit te* (Deus) *manna, quod nec tu cognouiſti, nec patres tui cognouerunt.* Quae omnia ſi iunctim ſpectentur, de noſtrae ſententiae veritate quemquam dubitare prorſus prohibent. Non me fugit, quae hic excipiat vir doctiſſimus HERMANNVS VON DER HARDT, in *vindiciis, p. 169. ſeqq.* Sed ea ingenioſiora, quam ſolidiora eſſe, quilibet, aequa lance rem omnem trutinans, facile deprehendet. Mannam Israëlitarum naturalem non fuiſſe, praeter alios etiam demonſtrauit ANTONIVS DEVSINGIVS, *faſcicul. diſſertation. de manna, p. 458. ſeqq.*

§. XVII.

Sabbathi hinc renouata memoria,* ex Sinis ſolitudine caſtra in Raphidim mouent, ibique aquae defectu laborantes, excitata ſeditione, in Moſen inſurgunt. Sed petra Horebi, Moſis baculo praeſentibus Ebraeorum ſenioribus percuſſa, aquam emiſit ea copia, vt omnibus potandis ſufficeret.** Eodem in loco, cui ob Israëlitarum cum Moſe contentionem, Maſſah & Meriba nomen inditum, dum haerebant;*** Amalekitae in eos faciebant impetum, at a Ioſua, preces interea ad Deum fundente Moſe, victi, ſuae audaciae promeritas dedere poenas, memoria eorum tandem ob facinoris improbitatem, ab Ebraeis prorſus delenda.* Sed & Iethro, Midianitarum ſacer-

ſacerdos, idemque ſocer Moſis, ibidem poſt victoriam ab Amalekitis reportatam, ad eum venit, ex cuius conſilio Moſes iudices inferiores conſtituit, eo quod ipſe ſolus tot negotiis expediendis, litibusque omnibus componendis, non ſufficeret.**

* *Exod. XVI. 23. 24.* Qui enim hic ſabbathum primum inſtitutum putant, falluntur, quod alibi oſtenditur.

** Notanda hic prima eſt populi murmuratio, qua animum incredulum & immorigerum prodidit. Si aquam a Deo petiiſſet, nihil feciſſet, quod contra officium eſſet. Iam vero vocata in dubium Numinis potentia, conuitiis laceſſere Moſen, crimen grauiſſimum erat. Hinc & Moſes: *quare mecum rixamini? quare Dominum tentatis;* Sed parum iſtis apud populum furibundum proficiebat. Ipſum enim, quod Deus in eos contulerat, beneficium, quodue ipſimet maximi antea fecerant, illi exprobrantes, omnemque mali culpam in eum conferentes, *quare*, inquiunt, *ſic nos eduxiſtis ex Aegypto, vt nos, libros noſtros, pecudesque noſtras ſiti enecaretis?* Moſes cum Numinis auxilium imploraſſet, adſumtis ſecum aliquot e ſenibus Israëlis, virga, qua tot miracula iam ediderat, rupem in monte Horebo, in cuius vertice ſymbolo maieſtatis ſuae Deus praeſentiam ſuam ſignificauit, percutere iuſſus eſt, vnde magna ſtatim aquae copia profluxit. Seniores nimirum quosdam ſecum adſumere iuſſus eſt, vt teſtes huius rei eſſent, ex rupe, a Moſe percuſſa, aquam profluxiſſe. Facile enim ceteroquin in eam deuenire ſententiam potuiſſent, aquarum fontem caſu ibi repertum, aut iam antea Moſi notum fuiſſe. Recte id obſeruatum R. IS. ABARBANELI, ad *Exod. XVII. 5.* Quo minus vero totus populus ad ſpectandum miraculum admiſſus fuit, ad confuſionem euitandam factum videtur. Num vero iam antea aquae vena in rupe iſta fuerit, an iuſſu Numinis ſubito aqua ibi extiterit, nobis non liquet. Prius ſi adſeras, maximum nihiloſecius miraculum eſſe non deſinet, quod petra baculo Moſis percuſſa, aqua iſta ſtatim eruperit: ne dicam, quod nemini mortalium ſine Numinis indicio, venam aquae ibi eſſe, conſtare potuiſſet. Rem iſtam in medio itaque relinquit PHILO, quem hac de re audire iuuabit. Τούτων μὲν οὖν πολλὴν ἦγον ἀφθονίαν οὐκ ἐπιλειπόντων, ὕδατος δὲ καὶ πάλιν πιέσασα δεινὴ σπάνις ἐπιγίνεται, καὶ πρὸς ἀπόγνωσιν ἤδη τραπομένων σωτηρίας, λαβὼν Μωϋσῆς τὴν ἱερὰν ἐκείνην βακτηρίαν, δι' ἧς τὰ κατ' Αἴγυπτον ἀπετέλεσε σημεῖα, θεοφορηθεὶς τὴν ἀκρότομον παίει πέτραν· ἡ δ' εἴτε προϋποκειμένης πηγῆς φλέβα καιριὸν διακοπεῖσα, εἴτε καὶ τότε πρῶτον ὕδατος ἀφανέσιν ὑπονόμοις εἰς αὐτὴν ἀθρόου συρρυέντος, καὶ σφόδρα ἐκθλιβέντος, ἀναστομωθεῖσα τῇ βίᾳ τῆς φορᾶς, κρουνηδὸν ἐκχεῖται, ὡς μὴ τότε μόνον παρασχεῖν ἄκος δίψους, ἀλλὰ καὶ πρὸς πλείω χρόνον τοσαύταις μυριάσιν ἀφθονίαν ποτοῦ. *In hac copia ciborum* (de coturnicibus antea loquu-

Digitized by Google

tus erat) *intercucit magna potus inopia; iamque deplorata erat ſalus omnium, cum Moſes ſumta ſacra illa virga, per quam in Aegypto prodigia patrauerat, Numine correptus, ſummum petrae apicem percutit; quae* (petra) *ſeu vena opportuno ictu aperta, ſeu aquis tum primum eo corriuatis per occultos cuniculos, erumpentibusque prae impetu, more fontis tantum profudit, quantum & ad ſitis remedium, & ad diuturnam aquationem ſuffecit tot millibus; de vita Moſis, lib. I. p. 635.* Vix tamen credibile, venam quamdam aquae iam antea ibi exſiſtentem, tantam aquarum copiam emittere potuiſſe: vnde alterum veroſimilius, Numinis potentia & voluntate ſubito aquam, quae omnibus ſufficeret, ibi confluxiſſe. Nec ideo ſtatuendum, ipſam petram in aquam mutatam fuiſſe, quae quorumdam eſt ſententia. Quod enim *Pſalm. CXIV. 8.* dicitur: *qui conuertit petram in ſtagna aquarum, & rupem in fontem aquarum*, hoc ratione quadam poëtica ita dictum, res ipſa docet. Ceterum inſignem fuiſſe aquarum copiam, quae ex petra profluxit, vel inde conſtat, quod tot hominum millibus potandis ſuffecerit. Idque confirmat etiam *Pſalmus LXXVIII. v. 15. 16. diuiſit rupes & potauit eos abundanter, vti ex abyſſo. Educebat flumina ex rupe, & decurrere fecit aquas, vti riuos.* Id vero ita capiendum, aquam iſtam ſuffeciſſe omnibus, quam diu eo in loco commorati ſunt Israelitae; etſi non deſint, qui, hancce rupem toto iſto, quo in deſerto vixerunt, itinere, aquam illis praebuiſſe, exiſtimant, quamuis de modo & ratione inter ſe non conſentiant. Iudaei comminiſcuntur, rupem in omni profectione Iſraëlem vbique comitatam, quin etiam, vbi tabernaculum ſubſiſteret, eam quoque conſediſſe, atque manſiſſe in atrio conuentus. Hinc & rupem, quae primum percuſſa eſt in Sin, eamdem fuiſſe, quae in Kadeſch denuo a Moſe percuſſa fuerit, eo quod morte Miriami exaruiſſet, exiſtimant. Legendus de hisce Ebraeorum commentis IO. BVXTORFIVS, in *hiſtoria petrae in deſerto, cap. V.* Sapientior reliquis Iudaeis PHILO eſt, qui, Iſraëlitas aqua iſta ex rupe profluente hydrias ſuas impleuiſſe, auctor eſt: τὰ γὰρ ὑδρεῖα πάντ' ἐπλήρωσαν ὡς καὶ πρότερον ἀπὸ τῶν πηγῶν αἱ πικραὶ μὲν ἦσαν φύσει, μετέβαλλον δ' ἐπιφροσύνῃ θείᾳ πρὸς τὸ γλύκιον. *omnes enim hydrias impleuerunt, ſicut prius ad fontes amaros in dulcem naturam verſos Dei prouidentia; l. c.* Quod ſi ita capiatur, quemadmodum omnino capiendum videtur, Iſraëlitas hydrias aqua iſta impleuiſſe, vt ad certum tempus in itinere iſtis ſufficeret; nihil, quod abſonum ſit, PHILO adſerit, etſi a Moſe iſtud non referatur. Sunt vero alii, qui, riuos ex rupe iſta per totum deſertum ſe diffudiſſe, autumant, adeo vt quamdiu Iſraëlitae in eo peregrinarentur, aquam illis ſuppeditarent. Et hi quidem ea maxime nituntur ratione, quod Paulus *I. Cor. X. 4.* petrae ſpiritualis, quae Iſraëlitas in deſerto ſequuta ſit, mentionem faciat: ἔπινον

ἐκ

ἐκ πνευματικῆς ἀκολουθούσης πέτρας. Hoc enim ea ratione capiunt, vt per petram ſpiritualem, aquas ex petra Chriſtum repraeſentante profluentes, & Iſraëlitas per totum deſertum comitantes, intelligant. Ita praeter alios reformatae cumprimis eccleſiae doctores, CHRISTIANVS SCHOTANVS, in *bibliotheca ſacra hiſt. vet. teſtam. tom. II. p. 178.* & MELCHIOR LEIDEKKERVS, de *republ. Ebraeorum, lib. IV. cap. VI. p. 214.* Verum cum apoſtolus diſerte addat, ſe per petram iſtam intelligere Chriſtum, ἡ δὲ πέτρα ἦν ὁ χριστός; omni fundamento haec deſtituitur ſententia; quam pluribus etiam impugnat ABRAHAMVS CALOVIVS, ad *I. Cor. X. 4.* Diiudicanda hinc etiam, quae de petra ſpirituali diſſerit HERMANNVS VON DER HARDT, in *ephemerid. philolog. diſcurſ. VIII. p. 105. ſeqq.* Ceterum percuſſionem hancce petrae, de qua hactenus loquuti ſumus, quaeue anno primo exitus ex Aegypto contigit, diuerſam eſſe ab ea, quae *Num. XX. 2. ſeqq.* narratur, quaeue initio anni quadrageſimi peregrinationis per deſertum facta eſt, praeter alia, locorum etiam diuerſitas docet. Prior enim illa ad montem Horeb, cum Iſraëlitae caſtra haberent in Raphidim, poſterior autem in deſerto Kadeſch contigit.

*** Vid. *Exod. XVII. 7.* LXX interpretes, ceu nomen adpellatiuum, vertunt: πειρασμὸς καὶ λοιδόρησις. Duo haecce nomina *Maſſa* & *Meriba* eidem loco haeſiſſe, vel ex addita ratione, *propter iurgium filiorum Iſraël, & quia tentauerunt Dominum*, liquet. Quod vero IAC. BONFRERIVS, ad *h. l.* exiſtimat, duo etiam loca fuiſſe diuerſa, & vocem מריבה in ebraeo redundare, inane eſt, & vel ex ipſa illa addita ratione denominationis refelli poteſt.

* Conſtat hoc ex *Exod. XVII. 9. ſeqq.* Amalekitae nulla ratione laeſi, per ſummum nefas Iſraëlitas inuadebant. Delectum hinc in caſtris habere iubetur Ioſua, cui ſuprema rerum bellicarum adminiſtratio demandata. Numinis enim potius virtute, quam Iſraëlitarum armis cum vincendi eſſent Amalekitae, omnes educere, neceſſe non erat. Idque deinceps patuit, cum Moſes vna cum Aarone & Huro, in ſummum montis iugum adſcendiſſet. Quamdiu enim eleuatae & erectae erant viri ſanctiſſimi manus, ſuperiores erant Iſraëlitae. Diſcere hinc omnes debent, quanta precum vis ſit & efficacia. Victoria tandem hac ratione ad Iſraëlitas transeunte, rem tam memorabilem ſcriptis conſignare, Moſes iuſſus eſt, ſimulque Ioſuae ſignificare, hanc eſſe Numinis voluntatem, vt Amalekitae omnes data occaſione ad internecionem deleantur: *ſcribe hoc in libro, in memoriam, & dicito audiente Ioſua, me ſub caelo Amaleki memoriam deleturum.* Quod annon ſeuerum nimis fuerit decretum, dubitari forte poſſet. Sed ſummam Amalekitarum iniquitatem poena iſta grauiſſima dignam fuiſſe, facile intelliget, qui ſecum expenderit, eos absque vlla iniuria ſibi illata Iſraëlitas adortos; gentem recens ex ſeruitute aegyptiaca egreſſam, belli rudem, in itinere conſtitu-

ſtitutam, armis non ſatis inſtructam, idque non aliam ob cauſſam, quam aut odio gentis, aut praedae cupiditate; vnde non alio loco, quam peſſimi latrones haberi poterant. Quae cum manifeſta ſint; vt ad Iudaeorum de Amalekitarum crudelitate confugiamus fabulas, neceſſe non eſt. Legi poſſunt apud GVIL. SCHICKARDVM, de *iure regio Ebr. cap. V.* Saniora ſunt, quae R. IS. ABARBANEL, ad *h. l.* habet, & R. MOS. MAIMONIDES, *mor. neuoch. part. III. cap. XLI.* Iungendus SIMON EPISCOPIVS, *inſtitut. theol. lib. II. cap. IX.* qui tamen ſine ratione, verborum Numinis hunc ſenſum eſſe ſtatuit, eos, ſi ſe non dederint, imperioque Iſraëlitarum ſubiecerint, interficiendos eſſe. Quod Deus hic praecepit, a Saule demum exſequutioni datum, ex *I. Sam. XV.* conſtat. Moſes vero eo in loco, quo iſta geſta erant, altare exſtruxit, eique nomen impoſuit: יהוה נסי *Dominus ſignum* ſeu *vexillum meum.* Condocere namque hocce monumento Iſraëlitas voluit, non ipſorum virtute, ſed Numinis auxilio fractos victosque eſſe Amalekitas. Additur vero porro: ויאמר כ־יד על־כס יה מלחמה ליהוה בעמלק מדור ודור *& dixit* (Moſes) *quia manus ſuper ſolium Dei, quod bellum erit Domino contra Amalek, a generatione in generationem.* Quae verba cum obſcuriora ſint; mire torſerunt interpretum ingenia. Immo non defuerunt, qui ipſum textum ſollicitarent, pro כס legendum eſſe נס, exiſtimantes, vt ita ratio his verbis redderetur, cur altari nomen fecerit: יהוה נסי. Ita SEB. CASTALIO & IO. CLERICVS, ad *h. l.* Licet vero tum ſenſus ſatis concinnus inde reſultet; & alias etiam frequentiſſimum ſit, vt nominum impoſitorum ratio per adluſionem quamdam reddatur; nimis tamen violentum hoc iure meritoque cenſetur. Neque etiam ratio his verbis redditur,. cur altare illud ita dictum ſit: ſed ויאמר exponi poteſt: *addidit ſeu adiecit Moſes.* Miſſis autem reliquis virorum doctorum ſententiis, quas in compendio refert AVGVSTVS PFEIFFERVS, *dub. vexat. centur. I. loc. XCV. p. 213.* illis ſuffragari non dubito, qui, verbis יד על־כס יה ad iurandi ritum apud veteres vſitatum reſpici, exiſtimant, vt ſenſus ſit: *& dixit* (Moſes) *quia manus ſuper thronum Iah,* (quia Deus hoc firmiter ſecum conſtituit, atque decreuit, &, vt homines facere ſolent, iuramento velut confirmauit, manu erecta, ſeu throno impoſita, memoriam Amaleki prorſus delendam eſſe) *ideo bellum Domino erit perpetuum contra Amalekum.* Alii equidem ad Moſen potius, quam Deum, iuramentum referre malunt, vt ſenſus ſit: *quia manus* (mea) *eſt ad thronum Dei* (hoc eſt, ad caelum) *erit bellum Domino &c.* Sed iuxta primam explicationem cuncta, ni fallor, rectius fluunt, meliusque cohaerent. Ratio enim ita redditur, cur perpetuum Domino cum Amalekitis futurum ſit bellum; quia ſcilicet firmiter decreuerat, & iuramento velut confirmauerat, memoriam eorum prorſus delendam eſſe. Et quemadmodum non eſt infrequens, vt

vt Deus iurare dicatur, vt vel ex *Ebr. VI.13.* patet; ita nihil obſtat, quo minus ἀνθρωποπαθῶς ritus iurantium, vt manus eleuatio, aut eius in thronum impoſitio illi tribuantur. Praeeuntem autem in hac interpretatione nobis habemus ONKELOSVM, qui verba Moſis ita παραφράζει: אמר בשבועה אמירא דא מן קדם דחילא וגו *dixit: iuramentum adſertum hoc eſt a terribili &c.* conf. & IO. DRVSIVS, *animaduerſ. lib. II. cap. XVI.* & THEODORVS HACKSPANIVS, in *notis* ad *h. l.*

** Vid. *Exod. XVIII. 13. ſeqq.* De Iethrone ſupra dictum, ad *§. XI. huius ſectionis.* Ex eo vero, quod Iethro hocce conſilium Moſi dedit, non eſt colligendum, Moſen tam rudem aut imperitum fuiſſe, vt ipſemet non intelligeret, poſſe ſe hac ratione onere ſingulis ius dicendi ex parte liberari, quod viro cuidam docto placuit: ſed diligentia potius Moſis omnibusque inſeruiendi cupiditas hinc aeſtimanda, qui populi commodis ſuam ſanitatem poſtpoſuit, adeoque Iethronis tandem precibus, vt iudices inferiores conſtitueret, inducendus erat. Conf. HERM. WITSIVS, *miſcellan. ſacror. part. I. lib. I. cap. VII. §. XIX. p. 50.* Iudices autem iſti inferiores non erant vnius generis, ſed diuidebantur in chiliarchos, centuriones, pentacontarchos, & decuriones, idque ea ratione, vt, quod iudicio decurionis abſolui non poterat, deferretur ad pentacontarchum, & ſic porro, vt chiliarchus tandem, quae ipſe dirimere non poterat, ad Moſen referret. Hiſce magiſtratibus, *Deut. I. 15.* adduntur שוטרים *exſequutores iudiciorum* ſeu *adparitores.* Ita enim hanc vocem intelligendam eſſe, docet IOAN. SELDENVS, de *ſynedr. Ebraeor. lib. I. cap. XV.* Acceſſerunt deinceps LXX ſeniores *Num. XI. 24. ſeqq.* de quibus in ſequentibus ſuo loco.

§. XVIII.

Ad montem Sinai cum tandem perueniſſent; viſum Deo, inito cum gente iſraëlitica federe, leges, quibus illis viuendum eſſet, ſollemni quadam ratione promulgare. Facta autem eſt iſta promulgatio in monte Sinai, die ab exitu ex Aegypto, & primo paſchate, quinquageſimo, ab ipſo Deo, ceu ſupremo legislatore, adminiſtris angelis, inter fulgura, tonitrua, flammas, terrae motus, clangores tubarum, ad maieſtatem legislatoris ſignificandam; primo quidem voce in populum iſraëliticum directa, tum & ſcripto, ſeu tabulis lapideis, quibus decem verba ſeu praecepta, ſummam legum diuinarum comprehendentia, inſcripta erant. * Addidit vero Deus deinceps diuerſis vicibus alias leges, caerimoniales & politicas, ad eccleſiam ac rempublicam iſraëliticam ſpectantes.

* Quae de illuſtri hacce & in omne aeuum memorabili legislatione memoratu digna ſunt, paullo diſtinctius explicare iuuabit. Primo itaque notandus

dus eſt *legiſlator*, qui fuit Iehouah Deus Israëlis, *vnicus ille legiſlator, qui ſeruare poteſt ac perdere*, *Iac. IV. 12.* cui, vt omnium creatori, imperium in omnes competit, quiue adeo poteſtate leges omnibus praeſcribendi gaudet; cui etiam Israëlitae, ob ingentia beneficia in illos pariter ac eorum maiores collata, ſingulari quadam ratione ad obſequium erant obſtricti. Atque de hocce legiſlatore vt omnibus conſtaret; promulgationem merito his verbis orditur: *Ego ſum Iehouah Deus tuus.* Nec reprobanda eſt illorum ſententia, qui ſpeciatim filium Dei legiſlatoris hic functum munere contendunt. Angelum enim cum Moſe & patribus in monte Sinai, cum lex promulgaretur, loquutum, docet Stephanus protomartyr, *Actor. VII. 38.* Ille ſcilicet angelus, qui patribus & ipſi etiam Moſi in rubo adparuerat, qui rex, praeſes & ductor erat Israëlitarum, & in cuius medio erat nomen Iehouah, *Exod. XXIII. 20. 21.* qui & ipſa *Dei facies* dicitur, *Exod. XXIII. 15.* quem non alium eſſe, quam angelum illum increatum, ſeu filium Dei, ſatis conſtat. Quod & Paulus apoſtolus confirmat, cum eum, qui *de caelis loquutus eſt, & cuius vox tunc*, cum lex promulgaretur) *terram concuſſit*, Ieſum Chriſtum filium Dei fuiſſe, diſerte teſtatur, *Ebr. XII. 26.* Adfuerunt tamen & *angeli* creati, vt miniſtri, ne quid, quod maieſtatem legiſlatoris augere poſſet, deeſſet. Vnde & Stephanus protomartyr *Actor. VII. 53.* dicit, accepiſſe Israëlitas legem εἰς διαταγὰς ἀγγέλων, *inter diſpoſitiones angelorum*, hoc eſt, inter turmas angelorum ordine militari diſpoſitas. Eſt enim διαταγὴ vox militaris, ſignificans exercitum in aciem diſpoſitum. Ita a LXX interpretibus adhibetur *Iud. III. 23.* & ab auctore *lib. I. Maccab. cap. VI. 35.* Conf. STEPHANVS LE MOYNE, *not. ad varia ſacra*, *p. 183.* Confirmatque idem Moſes, quando, Dominum *cum myriadibus ſanctorum* ad promulgandam legem veniſſe, dicit, *Deut. XXXIII. 2.* Nimirum, vt reges principesque multo magnatum ſatellitio ſtipati ad actus ſollemnes prodire ſolent; ita Deus more humano & hac in re agere cum Ebraeis voluit, vt terrorem animis eorum incuteret, & ad legis obſeruantiam excitaret, quam tam magnifico adparatu latam eſſe, ſemper eos meminiſſe oportebat. Eosdem praeterea angelos, quorum miniſterium in legis promulgatione adparuerat, transgreſſionis ſuae, ſi legem violarent, teſtes & vindices habituri erant. Nonnullis quoque non improbabile videtur, ſonum verborum illorum, quibus concepta fuit lex, in aëre formatum fuiſſe opera angelorum. Deum enim proprie voce non vti, cum hoc ſit imperfectionis, ſed tamen vocem Dei dici, quae extraordinaria quadam ratione ad mentem Dei exprimendam in aëre fiat, quem in finem angelorum vtatur miniſterio. Ita vir clariſſimus HERMANNVS WITSIVS, *de oecon. feder. Dei cum hominibus*, *lib. IV. cap. IV. §. VII. p. 613.* qui & porro addit: cum tonitru & procella legem datam eſſe, tonitru fa-

faciente materiam vocis, quae verba legis proclamabat, ad quam accedere neceſſe fuerit articulationem, quam vocant, quae concinnata fuerit opera angelorum. Simile quid & PHILONI in mentem veniſſe videtur, cuius ibidem locum profert. Mihi vero iſta ſine ratione dici videntur. Etſi enim Deus proprie voce non vtatur, idque imperfectionis ſit; nihil tamen obſtat, quo minus ipſemet vocem formare potuerit, nec angelorum hac in re opus habebat miniſterio. Quodſi non Deus ipſe, ſed angeli vocem formarunt, etiam angeli potius, quam Deus, legem tuliſſe, cenſendi ſunt. Fauere equidem viro docto videtur effatum Pauli apoſtoli *Ebr. II. 2.* vbi τὸν δι' ἀγγέλων λαληθέντα λόγον firmum factum adſerit: vnde videtur ſequi, angelos fuiſſe, qui verba legis pronuntiauerint: ſed ipſemet quoque non diffitetur, non deeſſe, qui de ſola praeſentia & ſtipatu angelorum haec verba exponant, vt *II. Timoth. II. 2.* διὰ πολλῶν μαρτύρων. Addo, nondum euictum eſſe, Paulum de legis promulgatione ibi loqui. Sunt certe doctiſſimi viri, qui de aliis angelorum adloquiis, quibus Dei mandata hominibus expoſuerunt, haec capere malunt. *Intelliguntur*, inquit SALOM. GLASSIVS, *ſermones & reuelationes, quas Deus per angelos, miniſtros ſuos, olim in veteri teſtamento expoſuit. Eae comparantur cum ſermone euangelico, quem Chriſtus noui teſtamenti μεσίτης docuit, & miraculis confirmauit; grammat. ſacr. lib. III. tract. V. can. IX.* add. ABR. CALOVIVS ad *Ebr. II. 2.*

Sed vt reliqua exſequamur, non praetermittendum quoque in hac legiſlatione *miniſterium Moſis.* Mediatoris enim ſeu internuncii munere inter Deum & populum iſraëliticum functus eſt. Hinc legem per angelos ordinatam ἐν χειρὶ μεσίτου, *in manu mediatoris* Paulus pronuntiat, *Gal. III. v. 19.* conf. *Deut. XXXIII. 4. Ioan. I. v. 17.* Nec audiendi ſunt, qui, Moſen eo tempore, quo decalogus promulgatus eſt, non in monte fuiſſe, ſed in eodem ordine ac loco cum populo conſtitiſſe, autumant; quorum iam ſupra profligauimus errorem, ad *§. V. huius ſectionis*, vbi etiam, quot vicibus Moſes ad Deum in montem adſcenderit, diſtincte explicauimus. Lex ipſa, quae tam ſollemni ratione a Deo promulgabatur, decem conſtabat verbis ſeu praeceptis, ſummam legum diuinarum vniuerſalium, omnes homines obligantium, complectentibus, vnde & voce graeca δεκάλογος paſſim dici ſolet; vid. *Exod. XXXIV. verſ. 28. Deut. IV. 13.* Adiunctam habebat comminationem grauiſſimam, in eos, qui haſce leges eſſent transgreſſuri, quod quidem legum proprium eſt; tum & diuinae gratiae promiſſiones iis factas, qui eas eſſent ſtudioſe obſeruaturi, *Exod. XX. 5. 6.* Ad reliquas enim leges quod attinet, eas finita iſta ſollemni promulgatione, diuerſis vicibus Moſes a Deo accepit, *Exod. XXIV. XXV. ſeqq.* conf. quae ſupra ad *§. V.* dicta ſunt. *Modus* etiam *promulgationis* ideo obſeruandus, quod *ore* primum,

mum, tum *ſcripto*, ſeu tabulis lapideis facta ſit. Prius conſtat ex *Exod. XX. 1.* voceque tam ſonora id factum, vt credamus, par eſt, vt omnes percipere dicta clare ac diſtincte potuerint. Vt vero eo minus obliuioni traderentur, tabulis, & quidem lapideis, Deus eas inſcribere voluit. Quod enim lapidi inſculptum aut inciſum eſt, non temere temporis diuturnitate deletur, aut oblitteratur. Argumento vero id etiam erat, perennem iſtam legem eſſe atque perpetuam, omnique tempore eadem homines obſtringi; cum leges contra caerimoniales ad certum tempus durare deberent, abrogandae ſcilicet, cum veniſſet Meſſias, vt vmbra aduentante corpore euaneſcit; quod idemtidem de ciuilibus intelligendum, cum ipſa Ebraeorum republica deſituris. Simul tamen, vt puto, tabulis iſtis lapideis humani cordis durities ſignificabatur, quippe quod nonniſi diuina virtute emolliri & ad meliora flecti poteſt. Solius Dei hoc opus eſſe, ſignificatur, quia ipſe Deus verba illa tabulis inſcripſit. Vnde conſcriptae dicuntur באצבע אלהים *digito Dei*, *Exod. XXXI. 18.* ſcripturaque iſta *ſcriptura Dei* vocatur, *cap. XXXII. 16.* Cumque priores illae tabulae a Moſe confractae. Numinisque iuſſu aliae ab eo confectae eſſent; his itidem Deus ipſe praecepta iſta inſcripſit, *Exod. XXXII. 19. XXXIV. 1.* Praeterea vt binae erant iſtae tabulae; ita & duobus lateribus ſuis מזה ומזה *hinc atque hinc* erant ſcriptae, *Exod. XXXII. v. 15.* Quod nonnulli quidem ita intelligunt, vt exiſtiment, tabulas ita comparatas fuiſſe, vt inſtar libri claudi potuerint, hinc a binis paginis ſe mutuo reſpicientibus fuiſſe conſcriptas: alii vero, ſingulas ab vtraque ſui parte leges illas inſcriptas habuiſſe, quo ipſo cautum fuerit, ne quid praeceptis illis vel demi vel addi potuerit; vid. IAC. BONFRERIVS ad *h. l.* Vt vero nihil certi hac de re definiri poteſt; ita multo minus conſtat, quod praecepta ſingulis lateribus, ſiue bina iuxta priorem ſiue quatuor iuxta poſteriorem ſententiam ſtatuamus, fuerint inſcripta. Quam enim hodie tenemus, decalogi in duas tabulas partitionem, quarum prior officia hominis erga Deum, poſterior erga alios complectitur, ex re ipſa potius, quam Moſaica illa inſcriptione, deſumta eſt. De ipſo tandem decalogo, ſeu legis huius ſenſu & obligatione, ceteriſque, quae obſeruanda ſint, alibi exponuntur.

Supereſt igitur, vt de *tempore* & *loco*, & reliquis legislationis huius circumſtantiis, aliquid addamus. Et ad tempus quidem quod attinet; promulgata lex iſta fuit eodem anno, quo ex Aegypto egreſſi ſunt Iſraëlitae, die ab exitu & celebrato paſchate, quinquageſimo, quod vel inde conſtat, quia in memoriam huius promulgationis inſtitutum erat feſtum pentecoſtes. Incidebat autem ordinarie feſtum pentecoſtes in diem vt menſis Siuan, ſiue quinquageſimum a die ſecunda azymorum, ſeu a die XVI menſis Niſan, quo primus frugum manipulus offerri ſolebat. Conf. FRID. SPANHEMIVS,

chro-

chronol. ſacr. part. I. cap. XV. p. 74. Locus promulgationis erat mons Sina, ſed Sinai, in deſerto Arabiae, alias etiam Horeb, *Deut. V. 2. Exod. III. 1.* itemque *mons Dei*, *I. Reg. XIX. 8.* dictus. Montis iugum vel cacumen ſupereminens duplex fuiſſe, nonnulli obſeruant, prius (venientibus ab occaſu) *Horeb* dictum, quod longe inferius fuerit altero iugo, quod hodie adhuc Sinai adpellatur. Locus ille incultus ac ſterilis, in quo mons ille ſitus fuit, deſertum Arabiae, naturam indolemque legis ſymbolo haud inconcinno adumbrauit, quippe quae ſterilis itidem ac infoecunda cenſetur, cum homines, ob ἀδυναμίαν eam implendi, vitam & iuſtitiam ex ea fruſtra ſperent. Eodemque ipſa nomina montium *Sinai* & *Horeb* collimare videntur. Sinai namque, ſi nonnullos audias, dictus eſt a voce סנה, quae in ebraea pariter ac arabica lingua, *ſpinam*, *rubum*, *ſenticetum*, ſignificat. Horeb autem, חורב *ſiccitatem* & *vaſtitatem* denotat. Ad eum vero montem, cum lex ferebatur, populo accedere non licuit. Cancellis enim non tantum ſeptus fuit, ſed populo etiam ſub mortis poena interdictum, ne ad illum adpropinquaret, aut partem eius tangeret. *Exod. XIX. v. 13.* Immo ipſa animalia, quae ad illum accedebant, interficienda erant. Significatum vtique, lege diuina ſummam requiri ſanctitatem; cuius cum poſt lapſum homines expertes ſint, ad Deum propius illis accedere non licere, eoque nomine eos eſſe miſerrimos, niſi ad Meſſiam ſe vera fide recipiant, cuius merito & ſanguine nobis iterum aditus ad Deum patet; *Exod. X. 22.* Interim licet eminus ſaltem populus ſtaret; triduo tamen praecedenti, veſtium ablutione atque abſtinentia ſe praeparare ad legem audiendam iuſſus eſt, *Exod. XIX. 11. 14. 15.* Reliquae denique περιστάσεις a Moſe diligenter commemoratae, tonitrua, fulgura, ſpiſſae caliginis nebula, montis cacumen obſidens, ad legiſlatoris maieſtatem omnibus exhibendam, reuerentiamque animis populi imprimendam pertinebant; ex parte etiam naturam indolemque legis repraeſentabant; vid. *Exod. XIX. 16. 18. Deut. IV. 11. Ebr. XII. 18.* Iudaeorum magiſtri de illuſtri hacce Moſis legiſlatione more ſuo multa comminiſcuntur, quibus aut recenſendis, aut refellendis non immorabimur. Legi talia poſſunt in *capitulis* R. ELIESERIS, *c. XIX. XLVI.* & alibi; add. IO. BVXTORFII *diſſert. de decalogo.* FLAV. IOSEPHVS, *antiquitat. iudaic. lib. III. cap. IV. p. m. 77.* decalogi promulgationem enarrans, more ſuo multa ex ingenio ſuo addit. Interim profitetur, etſi nonnullis quaedam incredibila videri poterant, ſe tamen ſibi religioni duxiſſe, discedere ab iis, quae a Moſe litteris conſignata ſunt. Cum enim dixiſſet, procellas & fulgura, & fulmina ſignificaſſe, Moſen ex ſententia cum Deo propirio conueniſſe; ſtatim ſubiungit: *καὶ περὶ μὲν τούτων ὡς βούλεται, φρονείτω ἕκαστος τῶν ἐντευξομένων· ἐμοὶ δὲ ἀνάγκη ταῦτα ἱστορεῖν καθάπερ ἐν τοῖς ἱεροῖς βίβλοις ἀνα-*

ἀναγέγραπται· baec lecturi, vt cuique placuerit, accipiant, mihi certe fas non fuit, diſcedere ab illis, quae in ſacra hiſtoria conſcripta babentur. Propoſitum quidem laudandum: modo ab ingenio ſuo, vt intra ſcripturae limites maneret, impetrare potuiſſet. Quod eum non potuiſſe, vel ex adlatis conſtat. Cetera perſequi non vacat.

§. XIX.

Dum Moſes in monte apud Deum commorabatur,* leges porro, quas Ebraeis traditurus eſſet, edocendus; populus, prauo impetu in transuorſum actus, abrepto in ſceleris ſocietatem Aarone,** ad Aegyptiorum imitationem,*** vitulum, quem pro numine adoraret, conflauit. Qua re ita Deum offenderunt, vt pereundum omnibus fuiſſet, niſi precibus ſuis apud Deum obſtitiſſet Moſes; qui, poſtquam e monte deſcendit, maximopere ob tam turpe facinus indignatus, vitulum deturbatum in puluerem redegit, quem in aquam, quam bibebant Iſraëlitae, coniecit. Fratre quoque Aarone acriter increpato, Leuitis imperat, vt armis arreptis in noxios irruerent; quod & promte fecerunt, triaque idololatrarum millia letho dederunt.*

* Conf. quae ſupra ad §. *V. buius ſectionis*, dicta ſunt.

** Populus iſraëliticus, cum Moſen per menſem in monte Sinai morantem exſpectaſſet; eumdem periiſſe, ratus, de alia religione ſibi conſtituenda, conſilia agitare coepit. Ad Aaronem itaque, quem iis ſe abſente praeeſſe Moſes voluerat, primores acceſſerunt, ab eo poſtulantes, vt Numinis ſimulacrum, quod caſtris praeferretur, conflaret. Primoribus id tribuimus, quid id conſenſu & voluntate populi fecerunt; cum, quo pacto ingens illa multitudo ſimul ad Aaronem accedere, & cum illo colloqui potuerit, intelligi nequeat. Culpa vero criminis penes totum populum fuit. Nec audiendi ſunt intempeſtiui Iſraëlitarum defenſores, qui hocce crimen quouis modo ab iis amoliri adnituntur. Quos inter & PHILO eſt, qui illud tribuit quibusdam μὴ βεβαίοις τὰς φύσεις, qui eſſent *inconſtantis animi;* in *vita Moſis, lib. III. p. 677.* vt alii proſelytis Aegyptiorum, qui permixti fuerint Iſraëlitis, & Apis cultui in Aegypto adſueti. Sunt tamen ex ipſis Ebraeorum doctoribus, qui totius populi culpam grauiſſimam in hocce facinore agnoſcunt. Notumque eſt iſtud illorum effatum, *nullam Iſraëli obtigiſſe poenam, in qua non fuerit vncia transgreſſionis vituli.* Dicebant itaque ad Aaronem, *fac nobis Deum, qui nobis praeeat.* Vox אלהים, cum ſit pluralis numeri, hic recte in ſingulari exprimitur; quemadmodum vel ex iſto Nehemiae, *cap. IX. 18.* conſtat: *Fecerunt ſibi vitulum fuſilem, & dixerunt;* זה אלהיך אשר

אשר העלך *hic eſt Deus tuus, qui te eduxit ex Aegypto.* Neque enim Iſraëlitae exiſtimarunt, ipſum aureum vitulum Deum eſſe, ſed ſimulacrum veri Dei illum eſſe crediderunt. Ecquis, tam ſtolidos eos fuiſſe, ſibi perſuaſerit, vt crederent, Aaronem poſſe facere deos, aut vitulo aureo ineſſe diuinitatem? De vitulo iſto, quem ex auro conflauerat, dicebat Aaron: *hic eſt Deus tuus, qui te conduxit ex Aegypto.* Quod profecto de ipſo vitulo intelligere non poterat; quippe qui eo nondum erat tempore, cum Iſraëlitae ex Aegypto educerentur. Immo omne dubium eximit ipſe Aaron, dum ad feſtum concelebrandum populum conuocaturus, *cras*, inquit, *eſt feſtum Iehouae.* Veri itaque Dei ſimulacrum vitulum iſtum eſſe celebrant Cumque hac ratione, quam ab Aegyptiis didicerant, Deus coli nollet; eo ipſo grauiſſimo ſe obſtringebant crimine idololatriae. Ad Aaronem vero quod attinet, is non tantum populo vetita petenti non reſtitit, quod vel maxime ex muneris ratione facere debebat, ſed aurum ad ſe adferri iuſſit, eoque liquefacto, ac in typum coniecto, vitulum aureum conflauit, quem poſtea caelo adcuratius finxit, & ſpectandum populo propoſuit. Verba ebraea ויצר אותו בחרט aliquid habent difficultatis. Nonnulli enim, ad aurum ab Iſraëlitis collatum ea referentes, cum IONATHANE paraphraſte ita interpretantur: *& colligauit illud* (aurum) *in marſupio.* Tuetur hanc ſententiam SAMVEL BOCHARTVS, in *hieroz. part. I. lib. II. cap. XXIV.* Sed rectius verba iſta vertuntur: *& formauit illud caelo;* quemadmodum & LXX interpretes, & plerique veterum ac recentiorum vertunt. Nec obſtat, quod idem vitulus fuſilis dicatur. Primo enim aurum liquefactum, vt diximus, in typum coniecit, cumque craſſior inde vituli forma prodiret; ſcalpro ſeu ſtilo deinceps eam magis expoliuit. Perinde autem eſt, ſiue Aaron ipſe, ſiue per alios id fecerit; cum dubitari nequeat, fuiſſe in gente ebraea viros iſtius artis peritos; immo, ipſum Aaronem eius fuiſſe peritum, ſi dicamus, nihil obſtabit. Ad rationes SAM. BOCHARTI reſpondet IOAN. CLERICVS, ad *h. l.* Nonnulli patrum, vt LACTANTIVS, *lib. IV. cap. X.* TERTVLLIANVS, *adu. Iudaeos, cap. II.* AVGVSTINVS, in *Pſalm. LXXIII.* aliique, non vitulum, ſed vituli ſaltem caput ab Aarone conflatum, exiſtimant. Sed ſcripturae deſtituuntur ſuffragio, quae ſemper vituli, numquam capitis ſaltem vitulini, meminit. In errorem forte inducti ſunt ethnicorum calumnia, aſini caput a Iudaeis adorari, tradentium. Ceterum, Aaronem grauiſſimo ſe obſtrinxiſſe crimine, turpiſſimam populi idololatriam non tantum non impediendo, ſed & promouendo, & exemplum velut praeeundo, ex dictis ſatis conſtat. Fuerunt nihiloſecius, qui eum aut defendere aut excuſare adgreſſi ſunt. Id Iudaei quidam cumprimis agunt. Speciatim in ויקרא רבא multis defenditur, quod metu mortis, inuitus & cunctanter opus ſuſcepit, ſperans, Moſen interea a monte

Digitized by Google

monte deſcenſurum; hinc & non idolo, ſed Iehouae feſtum indixiſſe. Immo ſunt, qui adſerunt, Hurum, quod populo ſe oppoſuiſſet, interfectum, eiusque exemplo Aaronem perterrefactum in placita populi conſenſiſſe. Addunt alii, inſulſa, prorſus & abſona commenta, coniecto auro in fornacem, vitulum boantem ac ſaltantem exſiliiſſe. Talia in *capitulis* R. ELIESERIS, *cap. XLV.* traduntur. Defendunt quoque Aaronem Muhammedani, non ipſum, ſed Samarin quemdam, cui gens Samaritica originem ſuam debeat, vituli exſtitiſſe auctorem, adſerentes. Teſtimonia eorum hanc in rem exhibet IO. HENR. HOTTINGERVS, *exercitat. anti-Morin. §. XXII. fol. 26.* Sed & ex patribus fuerunt, qui mitius de Aarone ſentirent, eumque aut defenderent, aut excuſarent; quod non adeo mirandum, cum & alias ad quaeuis ſanctorum veteris teſtamenti delicta emollienda, proni ſint. Conf. IAC. BONFRERIVS, ad *Exod. cap. XXIII. v. 4. p. 548.* Cumprimis autem ex recentioribus magno conatu, & vana ingenii & eruditionis oſtentatione, id egit FRANCISCVS MONCAEIVS, Frideuallianus Atrebatius, cuius pro Aarone apologia, ſub titulo: *Aaronis purgati*, Atrebatii anno M DC VI edita, aliquoties, etiam Lipſiae anno M DC LXXXIX recuſa eſt. Summa huius defenſionis eo redit: Angelum populi ductorem, a Deo promiſſum, fuiſſe arcam ſeu cherubinum ſuper arcam. Israëlitas itaque, cum Moſes tamdiu in monte commoraretur, more impatientes, deque eius reditu deſperantes, petiiſſe, ſibi fieri deos, qui ipſis praecederent, hoc eſt, poſtulaſſe angelum illum ductorem, ſeu cherubinum a Deo illis promiſſum. Quae illorum petitio cum reprehendi nequeat, nec Aaronem peccaſſe, dum illorum voluntati morem geſſit, & cherubinum ſeu vitulum alatum efformauit, etſi poſtea populus occaſionem idololatriae ea ex re acceperit. Quae omnia tam abſona ſunt, vt vix credibile ſit, ea ſani capitis homini in mentem venire potuiſſe. Falſum eſt, angelum illum ductorem populi, a Deo promiſſum, fuiſſe arcam ſeu cherubinum ſuper arcam: quin potius ipſum filium Dei hunc populi ductorem fuiſſe, ex *Exod. XXIII. 20. 23*, item *XXXIII. 2. 14. 15.* ſupra comprobauimus. Falſum eſt, Israëlitas ab Aarone petentes, vt deos ſibi faceret, nihil aliud, quam angelum illum ductorem a Deo promiſſum poſtulaſſe. Simulacrum enim Numinis externum, iuxta morem & conſuetudinem Aegyptiorum, poſtulabant. Falſum itaque eſt, eos non peccaſſe, cum eiusmodi quid ab Aarone peterent; cum potius grauiſſimo idololatriae crimine ſe obſtrinxerint, vt itidem ex dictis conſtat. Falſum denique eſt, Aaronem non peccaſſe, petitis Israëlitarum relinquendo locum; cum in maximi criminis potius cum Israëlitis venerit ſocietatem: eoque magis culpandus eſt, quo plures eum retrahere debebant rationes, quo minus impiis iſtis populi poſtulatis adnueret. Vnde & ab ipſo Moſe grauiſſime obiurgatur: *Quid tibi fecit*

fecit hic populus, vt induceres ſuper eum peccatum maximum, Exod. XXXII. 21. Et de Deo ipſo, *Deut. IX. 20.* dicitur: *aduerſum Aaron quoque vehementer iratus, voluit eum conterere, &c.* Si innocens fuit Aaron, cur illi iratus fuit Deus? cur eum obiurgauit Moſes? Licet autem illepidum illud MONCEII commentum eo ſpectare videatur, vt romanorum praeſulum, pontifices ſummos Ebraeorum, interque eos Aaronem anteceſſores ſuos iactantium, auctoritati conſuleret, ne ſcilicet peccati iſtius dedecus ac ignominia in illos quoque redundaret, & hoc exemplo mortales condiſcerent, ſummos quoque pontifices labi & errare turpiſſime poſſe; ſumma tamen iſta viri impudentia ipſis romanis diſplicuit pontificibus, meliori via hinc ſe euadere poſſe, exiſtimantibus, adeo, vt liber iſte MONCEII anno M DC IX iuſſu Pauli V pontificis in indicem librorum prohibitorum referretur, decretum iſtud confirmante Alexandro VII. Fuerunt hinc & ex romanenſibus, qui commentum iſtud exploderent, & confutarent; quod peculiari commentatione fecit ROBERTVS VISORIVS, doctor Sorbonnicus, anno M DC IX edita. Copioſe quoque contra eumdem diſputat IAC. BONFRERIVS, ad *Exod. XXXII. 4.* Conf. IO. FRIDERICI MAYERI, *tabula prooemialis in Franciſci Monceii Aaronem purgatum*, editioni Lipſienſi libri iſtius addita.

*** Pluribus hoc & ex inſtituto demonſtrabitur in ſequentibus, ad §. XXXVI.

* Dum adhuc in monte erat Moſes, populum ebraeum in deuia abreptum ab ipſo Deo edoctus, ſtatim precibus ſuis iratum placare Numen inſtituit. Hinc de monte deſcendens, cum & Ioſuam, ex clamore populi, praelium aliquod committi, colligentem, rectiora condoceuiſſet; tabulas legis a Deo acceptas, cum propius ad caſtra acceſſiſſet, prae indignatione in terram proiecit, atque confregit. Dictum hac de re ad *§. VI. huius ſectionis.* Tum vero *vitulum, quem fecerant, correptum combuſſit, moluitque, donec comminutus eſſet, ſparſitque in aquam, quam Iſraëlitis potandam dedit, Exod. XXXII. 20.* In ebraeo eſt שרף באש ויטחן *exuſſit igne & commoluit.* Parique ratione id exprimit Moſes, de ſe ipſo loquens, *Deut. IX. v. 21.* Combuſtionis autem voce ſi hoc intelligatur, quod in calcem ſeu cinerem redegerit vitulum, id ſine qualicumque peritia chemica ſeu arte ſoluendi metalla, fieri non potuit. Cuius quidem artis Moſen peritum fuiſſe cum nonnulli ſibi perſuadere nequeant; verba haec ita interpretantur, quod Moſes aurum liquefactum in laminas tenuiſſimas deduxerit, easque in particulas minutiſſimas diuiſerit, vt ita aquae inſpergi potuerint. Ita praeter alios SAM. BOCHARTVS, *hieroz. part. II. lib. II. cap. XXXIV.* ANDREAS RIVETVS, *comment. ad Exod. XXXII. 20.* aliique; & ex Ebraeis R. SAL. BEN MELECH, in *Michlal Iophi*, ad *h. l.* Conf. & MELCHIOR LEIDEKKERVS, de *republ. Ebraeor. lib. IV.* *cap.*

cap. X. p. 227. Obſtant tamen hisce verba ipſa Moſis; etſi ad ea maxime prouocent, qui eam ſententiam defendunt. Si enim liquefactionem indicare Moſes voluiſſet, verbo נסך vſus eſſet, non verbo שרף, quod eſt *comburere.* Cumque addatur: באש *igne;* non aliud quid intelligi poteſt, quam aurum igne *calcinatum*, vt artifices loqui ſolent. Deinde טחן *molere* eſt, adeoque de iſta comminutione, quae lima fit, exponi nequit. Quod ſi vel maxime concedatur, contuſionem ea voce innui, nihil tamen inde, quod illorum cauſſam iuuet, ſequitur. cum, quo pacto aurum, niſi in calcem antea redactum, ita contundi poſſit, vt in puluerem tenuiſſimum abeat, intelligi nequeat. Atque haec cum manifeſta ſint; ſimul vero & illud conſtet, ſolo igne absque chemico quodam ſubſidio liquefieri equidem aurum poſſe, nullo autem modo in puluerem redigi; artis huius qualiscumque vſum hic acceſſiſſe, vt fateamur, neceſſe eſt. Accedit, ſi alia quacumque ratione, limando, terendo, tundendo, aurum in particulas minutiſſimas redactum fuiſſet, non tamen impediri potuiſſe, quo minus particulae iſtae ſtatim fundum petiiſſent, adeoque non potuiſſent aquae inſpergi, populoque ad bibendum exhiberi. Nullam denique rationem video, cur non apud Aegyptios iam tum vſus alicuis artis chemicae eſſe potuerit, a quibus eam didicerit Moſes. Sed hac de re iam ſupra dictum, ad *per. I. ſect. III. §. XXIV.* Aurum autem, ex quo vitulus conflatus erat, ita in puluerem redactum, aquae inſperſit Moſes, torrentis ſcilicet ex monte Chorebo deſcendentis, vt patet ex *Deut. IX. 21.* Cuius quidem rei variae adferri rationes ſolent, quarum pleraeque commenta rabbinica nimis ſapiunt. Quas inter & illa eſt, quod hac ratione noxios ab innocentibus diſcernere voluerit; cum tamen, commune hoc populi, Leuitis quibusdam exceptis, crimen fuiſſe, conſtet. Res ipſa, ni fallor, docet, in ſceleris id factum eſſe deteſtationem. Deſtruere enim primo hac ratione idolum iſtud Moſes voluit, vt ne veſtigium quidem eius ſupereſſet. Immo, cum hoc non ſufficeret, aquam, cui cinis iniectus erat, bibi voluit ab Iſraëlitis, vt eo magis omnium contemtui eiusmodi ſimulacra exponeret, nihilque iis ineſſe diuinitatis, omnes condoceret. Apud Aegyptios enim nemo poterat inſigniori quadam ratione idololatriae, quae apud eos in vſu erat, deteſtationem ſignificare, quam ſi animalia, quae apud illos in veneratione erant, comederent. Idem, vt videtur, ſibi voluit Moſes, in cinerem redigendo aureum vitulum, vt ita bibendo ab Iſraëlitis abſumeretur. His ita geſtis, fratrem Aaronem acriter obiurgat, & ad vindictam de nocentibus ſumendam ſeſe comparat. Verba Moſis iuxta textum ebraeum haec ſunt: *Cum autem videret Moſes, populum eſſe* (decore ſuo) *nudatum, eum enim* (hoc) *nudauerat Aaron, ita vt inter hoſtes ludibrio eſſet, ſtetit in porta caſtrorum &c. v. 25.* Nudatum dicit populum

pulum, hoc eſt, ſpoliatum per inſigne hoc peccatum, & velut exutum gratia diuina atque protectione, adeo, vt inſultibus hoſtium, ſi illum tum inuaſiſſent, plane expoſitus eſſet; vnde omnes, quibus cultus veri Numinis curae adhuc cordique eſſet, ad ſe conuocauit, vt de nocentibus poenam ſumeret. Levitae hinc cum ad eum confluxiſſent, iuſſit eos arma capere, & nocentiſſimos quosque per tota caſtra, ſine vllo propinquitatis & amicitiae reſpectu, interficere. Factum hoc ab illis videtur, qui in criminis ſocietatem non venerant; quibus reliqui, etſi ex eadem tribu, ob criminis conſcientiam reſiſtere non audebant. Omnes Leuitas innocentes fuiſſe, hinc non colligas. Etſi enim omnes ad Moſen confluxerint, quia tamen nec propinquis aut cognatis pepercisse dicuntur, eos ſaltem, qui labis iſtius immunes erant, vltrices ceteris inflixiſſe poenas, manifeſtum eſt. Ceciderunt hac ratione ex populo ebraeo tria circiter millia virorum. Vulgatus habet: *viginti tria millia hominum;* in cuius gratiam vt textum ebraeum, quocum reliquae verſiones omnes conſentiunt, corruptum dicamus, quod IAC. BONFRERIO, ad *h. l.* aliisque ex romanenſibus placet, nulla nos cogit neceſſitas. Moſes, collaudatis ob tam egregium facinus Leuitis, ad Deum reuerſus, & denuo tam enixe pro populo israëlitico deprecatus eſt, vt, ſi Deus admiſſa illis condonare nollet, ſuum potius ex libro vitae deleri voluerit nomen, *Exod. XXII. 32.* Quod qua ratione intelligendum ſit, ſupra iam expoſitum, ad *ſectionis huius §. VII.* De vitulo aureo, de quo hactenus diximus, plura dabunt SAM. BOCHARTVS, *l. c.* IOAN. SELDENVS, de *diis ſyris*, *ſyntagm. I. cap. III.* IOAN. CONRADVS DIETERICVS, *antiquitat. bibl. p. 198. ſeqq.* aliique. Id adhuc addimus, FLAV. IOSEPHVM haucce populi ebraei μοσχολατρείαν ſilentio praeteriiſſe; haud dubie, vt honori gentis ſuae conſuleret: quod hiſtoricum, cui veritate nihil prius, nihil antiquius, facere non oportebat.

§. XX.

Placato, iteratis etiam Moſis precibus, Numine, tabernaculum, omnibus, quae ad illud ſpectabant, Bezaleelis & Ahaliabi maxime opera confectis, erigitur, & ſacerdotium Aaronicum cum omnibus ritibus & caerimoniis, in cultu Numinis ſancte obſeruandis, inſtituitur.* At, vt nihil inter mortales ſemper beatum eſt; ita & Aaroni cum filiis vix initiato, caſus grauiſſimus obtigit, filiis Nadabo & Abihu igne caeleſti correptis & exſtinctis, quod ſiue vitio, ſiue incuria, ignem profanum ad thus adolendum attuliſſent. Hoc exemplo reliqui ſacerdotes cautius ſe gerere diſcere poterant: interim Aaronem atque reliquos eius filios, hos, qui ita perierant, lugere noluit Moſes, ne in iuſtitiam & ſanctitatem Dei iniurii eſſent; cumque aduerſus ſe & omnem populum magis irritarent.**

* Federe poſt μοσχολατρείαν inter Deum & Iſraëlitas reſtaurato, tabernaculi ſtructuram Moſes praecipit, quae ex inſtituto deſcribitur *Exod. XXXV. ad XL.* Vt nexus cum praecedentibus, ſeriesque rerum ſibi conſtet, repetenda, quae diximus ſupra ad *§. V. VI. VII.* Hinc mandatum a Deo accepit, vt menſis ſecundi die primo anni ab exitu ex Aegypto ſecundi, tabernaculum erigeret, illudque & omnia, quae eo ſpectabant, oleo ſacro vngeret, Aaronem quoque cum filiis ſuis ad ſacerdotium conſecraret. *Exod. LX. 2. ſeqq.* Quod & Moſes feciſſe dicitur, *v.16.* ſed non eodem vtrumque tempore Tabernaculum quidem eo, quo hoc facere iuſſus erat, die erexit, & omnia, quae eo ſpectabant, rite inſtruxit, *verſ.17.ſeqq.* Aaronis autem & filiorum eius conſecratio poſtea alio tempore peracta eſt, *Leuit. VIII. 2.ſeqq.* Nec etiam, vt initiatio iſta rite fieret, vnus ſufficiebat dies, ſed integrum ſeptiduum requirebatur, iuxta ritus, iam ante μοσχολατρείαν a Deo praeſcriptos, *Exod. XXIX.* Structura tabernaculi initium ſumſit menſe Tisri, anni primi ab exitu ex Aegypto, adeoque ſex menſium ſpatio omnia eo ſpectantia perfecta ſunt. Quo ſummam artificum induſtriam ac promtitudinem arguit. Eo vero erecto, Deus ſtatim praeſentiam ſuam gloriae ſuae manifeſtatione ſignificauit, legesque per interualla ex eo dedit, quae in ſeptem primis Leuitici capitibus continentur. Iuuatque hac occaſione obſeruare, pleraſque equidem leges caerimoniales poſt μοσχολατρείαν a Deo datas, non tamen omnes. Vnde ſua ſponte corruit illorum ſententia, qui, leges caerimoniales poenae loco ob μοσχολατρείαν Iſraëlitis datas, contendunt. Quae & vel hoc nomine admitti nequit, quod & omni fundamento ſuffragioque ſcripturae deſtituitur; immo eidem, longe alias harum legum rationes adferenti, diſerte repugnat. Sed hac de re in ſequentibus. Ceterum eodem anno ſecundo ab exitu, menſe primo, Iſraëlitae a Deo moniti, paſcha celebrarunt, *Num. IX. 1.ſeqq.* Menſe vero ſecundo eiusdem anni, inito Iſraëlitarum omnium numero, ordineque, quem in caſtra metationibus & profectionibus ſeruare debebant, conſtituto, Leuitae a Deo miniſterio tabernaculi rite admoti ſunt. *Num. I. II. III. IV.* Tribus autem, vt hoc ὡς ἐν παρόδῳ moneamus, vicibus, Moſes cenſum populi ebraei habuit. Primo, anno, quo ex Aegypto egreſſus erat, antequam tabernaculum fieret, cum ſinguli in ſacros vſus dimidium ſiclum contulerunt, *Exod. XXX. 11. 12. XXXVIII. 25. 26.* deinde, ſecundo anno, de quo cenſu Moſes agit *Num. I.* tertio denique, poſtquam prima illa cenſorum aetas praeterierat, *Num, XXVI. 64.* Tandem, cum omnia, quae ad cultum diuinum, iuxta leges caerimoniales rite peragendum, pertinebant, perfecta eſſent, principes tribuum gentis iſraëliticae ſollemnia iſta ſacrificia obtulerunt, quae *Num. VII.* deſcribuntur.

** Ex

** Ex altari ignem ſumere debuiſſent, conſecratum velut contactu altaris & victimarum, & deſcenſu ignis diuini, cuius in praecedentibus mentio, *Leuit. IX. 24.* Hoc vero cum neglexiſſent Nadab atque Abihu, atque praecepti diuini immemores ignem profanum acerris ſuis impoſuiſſent, ſuſſitum oblaturi, igne diuinitus correpti, periere. FL. IOSEPHVS hoc ita narrat: τῶν γὰρ υἱῶν αὐτοῦ τεσσάρων ὄντων, ὡς προεῖπον, δύο οἱ πρεσβύτεροι, Νάβαδος καὶ Ἀβιοῦς κομίσαντες ἐπὶ τὸν βωμὸν οὐχ ὧν προεῖπεν Μωυσῆς θυμάτων, ἀλλ᾽ οἷς ἐχρῶντο πρότερον, κατεκαύθησαν τοῦ πυρὸς ἐπ᾽ αὐτοὺς τὴν ὁρμὴν βαλόντος, καὶ τὰ στέρνα καὶ τὰ πρόσωπα φλέγειν αὐτῶν ἀρξαμένου, καὶ σβέσαι μηδενὸς δυναμένου· καὶ οἱ μὲν οὕτως ἀπέθανον. *Ex quatuor filiis* (Aaronis) *quos dixi, ſeniores duo, Nabadus & Abius, cum in aram intuliſſent victimas, non iuxta praeſcriptum Moyſis, ſed quales antea ſolebant, combuſti ſunt, flamma in eos conuerſa, & vultus ac pectora eorum depaſcente, nec ſuccurri potuit, quin ita occumberent; antiquitat. iudaic. lib. III. cap. IX. p. m. 89.* Diſſentit a narratione Moſis IOSEPHVS in eo, quod θύματα, victimas, non iuxta Moſis praeſcriptum, ſed more conſueto eos obtuliſſe, ſcribit; cum Moſes, ſaltem in eo iſtos peccaſſe, auctor ſit, quod ignem profanum acerris ſuis impoſuerint. Nonnulli equidem vocem θύματα apud IOSEPHVM in generaliori ſignificatione intelligunt, vt de incenſi quoque crematione accipi queat, cum & haec genus quoddam ſacrificii ſit. At, menti eius hoc non eſſe conueniens, res ipſa docet, cum θύματα eiusmodi fuiſſe referat, qualia antea offerre ſoliti fuerint; quamquam nec ſic quidem cum Moſe prorſus conſentiat. Sed id quoque ex verbis IOSEPHI videtur colligi poſſe, ex altari ignem eum erupiſſe, qui Aaronis filios abſumſit. Conſentientes ea in re ſecum & alios habet, qui ad altare holocauſtorum hoc referunt, ac ſi inde egreſſus ignis iuuenes illos exuſſerit. Alii vero a propitiatorio ignem illum accerſunt. Moſes a *domini* ignem *egreſſum* dicit, qua loquendi ratione id ſaltem innui videtur, diuinitus ignem fuiſſe immiſſum, vndecumque eruperit. Quod denique IOSEPHVS addit, flammam vultus & pectora eorum inuaſiſſe, hactenus admitti poteſt, quod ambuſti ſaltem, non prorſus a flamma conſumti ſint. Etſi enim in ebraeo exſtet verbum ותאכל quod vulgatus reddidit: *& deuorauit eos:* ex ſequentibus tamen patet, ambuſtos tantum fuiſſe, & quidem aliqua dumtaxat parte corporis, quandoquidem eorum tunicae lineae abſumtae non fuerunt.

Poterat aliquis in eam ingredi ſententiam, leuius fuiſſe iſtud filiorum Aaronis crimen, quam vt morte ſtatim ideo puniri debuerint. Sed aliter ſentiet, qui ſecum cogitat, violaſſe illos interdictum diuinum, quod ſancte & religioſe obſeruari plurimum ipſius Dei, & populi quoque ebraei intererat. Etſi enim in antecedentibus tale interdictum non memoretur; a Deo tamen

 id

id editum, ex hac ipſa hiſtoria aperte ſatis colligitur. Iam ſi in cultu diuino a Numinis praeſcripto vel in minimis diſcedere ſacerdotibus conceſſum fuiſſet, mox, quae hominum eſt peruerſitas, ſacerdotes, praeſertim ſummi, quiduis ſibi hac in re licere, ſeque pro lubitu Numinis cultum inſtruere aut mutare poſſe, exiſtimare potuiſſent. Cuiusmodi quid ne eueniret, quo peſſumdari omnis vera religio poterat, iuſtiſſimae ſeueriſſimaeque animaduerſionis exemplo cauendum erat. Vnde & Moſes Aaroni, *hoc eſt*, inquit, *quod dixit Iehouah; ab iis, qui ad me propius accedunt, ſancte habebor, & coram omni populo gloriam conſequar;* hoc eſt, declarare hoc exemplo volui, quam caute ſacerdotes in cultu meo verſari debeant, vt hoc ipſo intelligant pariter ac profiteantur, *me ſanctum eſſe*, ab omni labe ac vitio longe alienum, adeoque non alio, quam eo, quem praeſcripſi, modo colendum, & ita populus omnis maiori reuerentia leges meas proſequendo, maiorem quoque mihi gloriam tribuet. Ex eo, quod *verſ. 8. & 9.* ſancitur, ne ſacerdotes, ad miniſterium ſacrum acceſſuri, *vinum* aut שכר *potum inebriantem* biberent, nonnulli colligunt, filios Aaronis forte inebriatos fuiſſe, cumque neſcirent, quid agerent, ignem profanum acerris ſuis eos impoſuiſſe. Doctorum quorumdam ebraeae gentis haec eſt ſententia. Conf. R. SAL. IARCHI, ad *Leuit. X. 3.* Potuit tamen fieri, vt hasce de officio ſacerdotum leges Deus ſanciret, etſi ebrietas, filiorum Aaronis nullam iis occaſionem dedit. Vnde merito hoc in medio relinquitur. Lex vero ipſa, quae vini potusque inebriantis vſum ſacerdotibus prohibebat, prorſus erat neceſſaria. Vt enim facile, qui eum ſibi licitum credunt, modum excedunt; ita qui per ebrietatem intellectus vſum amiſerunt, nec honeſti, nec decori rationem ita, vt decet, obſeruant. Quod vt ſemper vituperandum; tum autem vel maxime in vitio ponitur, cum homines ad ſacra Deo facienda accedunt. PHILO, hoc praeceptum ſacerdotibus datum eſſe, ait, τεττάρων ἕνεκα τῶν ἀναγκαιοτάτων, ὄγκου καὶ λήθης, ὕπνου καὶ ἀφροσύνης, *quatuor de cauſſis, ſcilicet, vt effugiant pigritiam, obliuionem, ſomnum, amentiam;* de *monarchia*, *lib. II. p. m. 825.* Sed & alibi paſſim hac de re diſſerit: immo exſtat eiusdem περὶ μέθης de *temulentia* commentatio, *p. 240. ſeqq.* Hinc & apud alias gentes ſimile quid ſancitum legimus, vt ſacerdotes, ſacris praeſertim operaturi, a vino ſe abſtinerent. Aegyptios ſacerdotes, vino & carnibus ſe abſtinere, auctor eſt HIERONYMVS, *lib. II. aduerſ. Iouinianum;* quod & confirmat PORPHYRIVS, alios omnino vinum non deguſtare, alios parciſſime id facere, referens; de *abſtinentia ab eſu animal. lib. II.* conf. & EVSEBIVS, *praep. euangel. lib. XII. cap. XXV.*

Sed vt ad id, vnde digreſſi ſumus, redeamus, Nadabo & Abio ea, qua diximus, ratione mortuis, Aaron quidem huncce caſum forti tulit animo. Hoc enim diuinus ſcriptor ſibi velle vide-

videtur, cum ait: *Aaron vero ſiluit.* Ita & FLAV. IOSEPHVS hoc intellexit, dum, calamitatem paterno animo grauem ei contigiſſe, dicit, *γενναίως δ᾽ ὑπ᾽ αὐτȣ̃ καρτερηθῆσαν, quam tamen generoſe pertulerit.* Addit: *ὅτι καὶ τὴν ψυχὴν πρὸς τὰ συμπίπτοντα ςεῤῥὸς ἦν, καὶ κατὰ βȣ́λησιν τȣ̃ Θεȣ̃ ἡγεῖτο τὸ πάθος γεγονέναι, erat enim vir fortis, & intelligebat, hoc non ſine Dei voluntate factum; antiquitat. iudaic. lib. III. cap. IX. p. 89.* Recte vero, & ita, vt decebat, hac in re ſe geſſiſſe Aaronem, inde etiam intelligitur, quod Deus reliquis etiam eius filiis, ne externa luctus ſigna ob fratrum mortem ederent, interdixerit. Hoc enim ab iſto, quo tum fungebantur, munere alienum eſſe: ſe potius, vt honori fratrum conſuleretur, vniuerſo populo luctum indicturum. Verba Moſis aut Dei potius apud Moſen ſunt: *ne capita veſtra nudetis, neque veſtes laceretis, ne moriamini.* In ebraeo eſt: אל תפרעו quod ONKELOS vertit: לא תרבן פירוע *non nutriatis comam.* (in capitibus veſtris) Eodemque tendit R. SAL. IARCHI, ad *h. l.* R. ABEN ESRA eamdem ſententiam ex mente aliorum commemorat, ipſemet nihil definiens. Verum, ſi alia ſcripturae ſacrae loca, in quibus verbum פרע occurrit, expendantur; *remouendi* vel *nudandi* ſignificationem ei propriam eſſe, intelligemus. Conf *Num. V. v. 18. Leuit. XIII. 45. Prouerb. I. 25. XIII. 18. XV. 32.* Vnde recte LXX interpretes reddiderunt: *τὴν κεφαλὴν ὑμῶν ȣ̓κ ἀποκιδαρώσατε, caput veſtrum cidari non discooperiatis;* quemadmodum & vulgatus habet: *capita veſtra nolite nudare.* PHILO IVDAEVS quoque de luctu ſummi ſacerdotis verba faciens, & haud dubie ad *Leuit. XXI. 10.* vbi de ſummo ſacerdote dicitur: *caput ſuum non* יפרע *discooperiet*, reſpiciens, rem itidem ita exprimit: *κελεύει δὲ μήτε τὰ εἵματα περιῤῥήττειν ἐπὶ τοῖς οἰκειοτάτοις ἀποθανȣ̃σι, μήτ᾽ ἀφαιρεῖν ἀπὸ τῆς κεφαλῆς τὰ παράσημα τῆς ἱερωσύνης, idem vetatur in domeſtico luctu veſtimenta ſcindere, & inſigne ſacerdotii capiti ſuo detrahere;* de *monarchia, lib. II. p. 828.* Capitis itaque ornamenta luctus cauſſa deponere vetabantur, quod alias in more poſitum erat, vt ſcilicet caput ita nudatum, vel tonderent, vel cineribus inſpergerent. Cumque capitis abraſio in funeribus more gentilium, alias quoque Ebraeis interdicta eſſet, eadem hic quoque merito ſubintelligitur, vt, quemadmodum ſacerdotibus caput nudare prohibitum erat, ita multo magis nefas eſſet, luctus cauſſa illud abradere. Nec obſtat, quod alias, qui in luctu conſtituti erant, caput lugubri quodam velamine tegere ſoliti fuerint. Haec enim conſiſtere ſecum poſſunt, ſi obſeruemus, primo in luctus initio capitis ornamenta Ebraeos depoſuiſſe, tum vero capita ita nudata velamine quodam lugubri inuoluiſſe. Conf. MARTINVS GEIERVS, de *Ebraeorum luctu, cap. XI. §. IV. V. p. 254. ſeqq.*

§. XXI.

§. XXI.

Conſtituta hunc in modum legibus ſanctiſſimis eccleſia & republica Ebraeorum, relicto monte Sinai, vlterius eos progredi Deus voluit. * Signo itaque per nubis eleuationem dato, caſtris ſublatis, ** venerunt in deſertum Pharan, vbi iterum populus moleſtiarum itineris pertaeſus, penuriamque cibi, quo in Aegypto veſci ſoliti erant, aegre ferens, fremere coepit. Hinc ignis diuinitus immiſſus depaſcebat immorigeros, at Moſe deprecante mox exſtinguendus. *** Nihilo ſecius ad ſimiles haud multo poſt redierunt fremitus, carnem flagitantes, quam & immiſſis a Deo in caſtra coturnicibus impetrarunt, ſimul tamen funeſta lue ob improbas eiusmodi querimonias puniendi, vnde & loco, vbi iſtud contigit, nomen impoſitum, quod ſignificat *ſepulchra concupiſcentiae.* *

* Ad eumdem menſem ſecundum, quo contigerunt, quae §. *praecedenti* expoſuimus, referenda adhuc reliqua ſunt, quae poſtremis ſeptemdecim Leuitici capitibus exſtant; ſpeciatim leges, quae ibi commemorantur, quippe quae hocce tempore latae ſunt. Blasphemus quoque extra caſtra eductus, iuſſu Dei lapidibus obruitur, *Leuit. XXIV. 10. ſeqq.* Quae octo prioribus *Num.* capitibus non continentur, itidem iam ad §. *praecedentem* attigimus, quemadmodum & paſchatos celebrationem, *Num. IX. 5.* commemoratam, quippe quae ad primum eius anni menſem pertinet. Nonnulla hinc in itinere mox ſuſcipiendo obſeruanda conſtituta, ſpeciatim duas tubas argenteas Deus fieri iuſſit, quibus coetus conuocaretur, ſigna profectionum expeditionumque darentur, & ſacrificiorum tempore clangeretur. *Num. X. 1. 18.* Iam cum in eo eſſent, vt caſtra mouerent, Iethro Moſis ſocer altera, vt videtur, vice ad eum venit; eumque Moſes ducem & comitem in itineribus ſibi expetiit. Quod quo pacto intelligendum ſit, cum tamen columnam ignis & nubis Ebraei ſibi praeeuntem haberent, iam ſupra ad §. XIV. expediuimus.

** Factum hoc die vigeſimo menſis ſecundi, anni ab exitu ſecundi, *Num. X. 11.* E deſerto itaque Sinai, vbi per integrum fere annum haeſerant, continuo tridui itinere peruenerunt in deſertum Pharanis, *ibid. v. 23.*

*** Cauſſa equidem huius murmurationis non commemoratur. Satis tamen probabile eſt, itineris incommoda, cibique penuriam, nonnullos moleſte tuliſſe. Cum vero lentis itineribus progrederentur, & mannae copia omnibus ſuppeteret: cauſſam conquerendi nullam habebant. Merito itaque illis iraſcebatur Deus, & igne immiſſo immodeſtiam illlam caſtigabat. An e caelo ignis deſcenderit, vel quacumque ratione immiſſus fuerit, non conſtat. IO. CLERICVS ventum vrentem

tem intelligit, quales in ſolitudinibus illis quandoque peſtilentiſſimi ad breue tempus oriantur; *comment. ad Num. XI. 1.* Sed nullas ſententiae ſuae adfert rationes. In caſtrorum partibus extremis conſtituti fuiſſe videntur, qui murmurabant: vnde de plebe ignobili, cui plurimi Aegyptii admixti fuerint, nonnulli hoc capiunt. Moſis autem precibus ſtatim ceſſauit, ſeu exſtinctus eſt ignis. Sitne autem haec murmuratio diuerſa ab illa, quae mox a Moſe deſcribitur? quaeri ſolet. Exiſtimant enim nonnulli, breuiter primum primis *cap. XI.* verſiculis exhiberi, quae vberius deinceps exponuntur. Confirmat horum ſententiam vulgatus interpres, qui has murmurationes ita connectit: *Vulgus quippe promiſcuum &c. verſ. 4.* ac ſi prioris murmurationis cauſſa indicaretur. Sed diuerſas eſſe has murmurationes, & euentus, & variarum περιστάσεων diuerſitas aperte docet. Cauſſalis illa particula etiam in ebraeo non exſtat, ſed quae *verſ. 4. & ſeqq.* ſequuntur, cum prioribus ita connectuntur, vt alias quoque diuerſae hiſtoriae connecti ſolent.

* Auctores alterius huius murmurationis itidem erant homines plebeii, & extranei, qui Israëlitis admixti erant, אספסף, vt Moſes loquitur, *ὁ ἐπίμικτος*, iuxta LXX interpretes. Ab hisce initium ſumens malum latius ſerpſit. Homines ventri gulaeque deditі ciborum varietatem cupiebant, hinc ſpreta manna, niſi cibis, quibus in Aegypto veſci ſolebant, potirentur, ſibi eſurire videbantur. Moſi hinc enata occaſio denuo mannae adcuratam deſcriptionem inſerendi, idque haud dubio in poſterorum gratiam. Operaeque erat pretium repetere, quae iam alibi de re tam mirabili dixerat, vt eo minus poſteri de ea dubitarent. Vt vero ab aliena manu, quod nonnulli volunt, haec addita eſſe, exiſtimemus, nulla nos cogit neceſſitas. Interim, cum animaduerteret Moſes, quorumdam exemplo totum populum abreptum, & circa tentoria nihil aliud, quam querelas & fremitus audiri; ſceleris grauitate perculſus, ad tentorium conuentus ſe contulit, & de moleſtiis grauiſſimis, quas populi tam immorigeri gubernatio ſibi adferret, apud Deum conqueſtus eſt, ſeque ſolum iſti oneri non amplius ſufficere; mori interim ſe malle, quam vt ſe viuente populus ebraeus in deſerto periret. Iſta cum loquutus Moſes eſſet; ſeptuaginta viros ex populi primoribus eligere, & ad tentorium conuentus conuocare iuſſus eſt. Qui enim iam antea conſtituti erant chiliarchi, centuriones, pentacontarchi, decuriones, cum litibus minoris momenti diiudicandis vacarent, in onere totum populum gubernandi parum ſubleuabant Moſen. Septuaginta itaque iſti viri cum ad tentorium conuentus adeſſent, ſpiritu prophetico aeque ac Moſes ipſe, donati ſunt, populum vniuerſum eo facilius vna cum Moſe ad officium reuocaturi, ne Eldado quidem atque Medado, qui in caſtris remanſerant, exceptis. An vero hinc ſynedrii iſtius magni, quod ſequiori aetate in gente iu-

iudaica fuit, repetenda ſit origo, ſuo loco disquiremus. Promiſerat etiam Deus furenti populo carnem, non ad pauculos dies, ſed per integrum menſem ad ſatietatem vsque. Quod licet ipſi Moſi, diuinae potentiae magnitudinem non ſatis perpendenti, *ἀδύνατον* videretur; euentus tamen, hoc fieri potuiſſe, comprobauit. Tantam enim שלוים ſeu *coturnicum* vim caſtris eorum immiſit, vt ad faſtidium vsque omnes carnibus ſatiarentur. Dum vero carne iſta veſcebantur, prauae ſuae cupiditatis animique ingrati poenas dederunt grauiſſimas. *Ira* enim *Iehouae in populum accenſa eſt, & maximam plagam populo iniunxit.* Nimirum, iterata licet murmuratione laceſſitus, benigne tamen hunc cibum conceſſurus iis videbatur Deus. *Num. XI. 18.* Sed cum cibum auide arripientes, tantum Numinis beneficium grato animo non agnoſcerent; irae diuinae vim ſuo merito experti ſunt. Quae iſta plaga fuerit, qua correpti ſunt, non conſtat. Qui enim igne conſumtos ſtatuunt, priorem murmurationem cum hacce pro vna eademque habent. Quos falli antea demonſtrauimus. Subitaneo mortis genere plurimos, etiam ex primoribus periiſſe, *Pſalm. LXXVIII. 31.* innuitur: *cum furor Dei adſcendit in eos, & occidit pingues eorum, & electos Iſraël incuruauit.* FLAV. IOSEPHVS hic iterum more ſuo multa mutat, miſcet, addit; *antiquitat. iudaic. lib. III. cap. XII.* Diuerſas, quae *Num. XI.* recenſentur, murmurationes pro vna habet; aliquem ex populo exſtitiſſe, fingit, qui multitudinem admonuerit, ne obliti beneficiorum Moſis, ipſi mala itineris imputent, neue deſperent; cauſſam murmurationis eſſe dicit aquae penuriam, & quod metuerint defectum mannae; & quae alia ſunt eiusdem commatis.

§. XXII.

Non tantum populus ſubinde quiritans multum negotii Moſi faceſſiuit, ſed Aaron ipſe atque ſoror eius Miriam, vt iam ſupra diximus, * in illum inſurrexere, grauiter ideo a Deo caſtigati, Miriam etiam lepra petulantiae poenas luente. ** Contigit id, cum in Chazeroth caſtra poſuiſſent; ex quo loco cum Rithmam in Pharanis ſolitudine proceſſiſſent, duodecim in Cananaeam miſſi ſpeculatores, qui, fertiliſſimam eſſe, omnique frugum genere abundare, omnes vno ore adfirmarunt: at decem illorum, cum dixiſſent, a gentibus bellicoſis, & munitas vrbes tenentibus eam incoli, metum animis Ebraeorum ac deſperationem eius potiundae, iniecerunt. Hinc fremitus & ſeditio, Ioſua atque Calebo, quod erigere eos, rem, vti erat, repraeſentando vellent, in magnum diſcrimen adductis. *** Vix Moſis precibus placatum Numen, moriendum prius omnibus, qui viginti annis maiores eſſent, decreuit, quam terrae tam felicis compo-

tes

tes redderentur. Hinc diuturna illa & quadraginta annos duratura in deſerto mora, caeſis inſuper & disiectis, qui intempeſtiuo impetu Cananaeos inuadere auſi erant. *

* *§. VIII. huius ſectionis.*

** Cum ex loco, cui praua Iſraëlitarum concupiſcentia nomen *Kibroth-taauah* fecit, Chatſerothas veniſſent, quae decima quarta eorum fuit ſtatio, contigit iſtud, quod de Aaronis atque Miriamae cum fratre Moſe contentione *Num. cap. XII.* narratur. Cauſſa indicatur, quod id factum ſit על אדות האשה הכשית *propter vxorem Cuſitim, quam duxerat, quod mulierem Cuſitim duxiſſet.* Vocem כשית LXX interpretes verterunt Αἰθιόπισσαν, quemadmodum & vulgatus: *Aethiopiſſam.* Eſtque hoc, ſi nonnullos audias, intelligendum de filia regis Aethiopiae, quam Moſen, cum adhuc in aula Pharaonis degeret, poſtquam Aethiopas ſubiugaſſet, in vxorem duxiſſe, auctor eſt FL. IOSEPHVS, *antiquitat. iudaic. lib. II. cap. X.* Quae iampridem exploſa eſt fabula. Alii itaque, Aethiopiſſam dici ipſam Zipporam, exiſtimant, & quidem ab atro colore atque deformitate. Hinc &, minus Moſi eam placuiſſe, addunt, idque eidem ab Aarone & ſorore exprobratum. Ita nonnulli ex ebraeae gentis doctoribus, qui, Aaronem & ſororem Moſi vitio vertiſſe, aiunt, ab vxore quod ſe abſtinuerit, non tam religionis cauſſa, quam quod minus formoſa eſſet. In alterum rurſus extremum prolabuntur illi, qui formoſiſſimam eam fuiſſe, tradunt, reprehenſumque adeo a fratre & ſorore Moſen, quod mulierem tam formoſam negligeret. Itaque כשית *Aethiopiſſam* κατ' ἀντίφρασιν dictam exiſtimant. His errandi occaſionem ONKELOSVS praebuit, qui, neſcio, quam ob cauſſam, vocem כשית reddidit per שפירתא *pulchram.* Conf. & SAL. IARCHI ad *h. l.* Cum vero ſatis conſtet, & inuictis argumentis a viris doctiſſimis comprobatum ſit, ſub nomine כוש comprehendi etiam Midian, ex qua orta erat Zippora; aliunde vt denominationis iſtius arceſſamus rationem, neceſſe non eſt. Conf. SAM. BOCHARTVS, *geographiae ſacrae part. I. lib. IV. cap. II.* Atque hoc vt ſatis manifeſtum eſt; ita, non aeque patet, quid ſequentia ſibi verba velint: *dixeruntque* (Aaron & Miriam) *an per Moſen dumtaxat loquutus eſt Iehouah? annon etiam per nos loquutus eſt?* Iſta expoſtulatio quam habeat cum cauſſa murmurationis antea indicata, ſeu Zippora adfinitatem, non temere dixeris: habetque ea res praeſtantiſſimos interpretes ſollicitos. Videre hoc licet ex iis, quae prolixe ad *h. l.* diſſerit IAC. BONFRERIVS. Sed cum res ad meras coniecturas redeat, ipſeque Moſes nos ignorare voluerit, quae contentionis iſtius ob Zipporam ratio fuerit; ne oleum, quod aiunt, operamque incerta inueſtigando perdamus, noſtri erit officii. Veroſimile eſt, propinquos Moſis, ſpeciatim Aaronem & Miriamam a Zippora, quacumque demum id fa-

ctum ratione, offenſos, idque illos ita accepiſſe, ac ſi ob viri ἐξοχὴν ſe illis multum praeferret; hinc, vt in contentionibus fieri ſolet, in ipſum inſurrexerunt Moſen, ſeque illi aequiparare audebant, eo quidem euentu, vt hanc illorum audaciam ipſemet reprehenderet Deus, Moſisque prae ceteris dignitatem luculento teſtimonio confirmaret, *Num. XII. 4. 5. ſeqq.* Ceterum de iſta ἐξοχῇ, quam Moſi *h. l.* Deus non tantum prae Aarone & ſorore, ſed & prae reliquis vatibus omnibus tribuit, iam ſupra ad **§. XI.** diximus. Non tantum vero Deus eos increpuit, ſed Miriama etiam lepra petulantiae ſuae poenas luit, precibus Moſis ſanitati reſtituta, poſtquam ſeptem diebus Numinis iuſſu a caſtris remota fuiſſet.

*** Quando *Num. XIII. 3.* dicitur, Deum iuſſiſſe, vt exploratores mitterentur, ita hoc intelligendum eſſe, quod hoc permiſerit, ex *Deut. I. 22.* patet. Iſraëlitae nimirum, diuinis promiſſionibus fidem, vt decebat, non habentes, explorandam prius terram Canaan cenſuerunt, quam ad eius occupationem ſe accingerent. Iſtudque conſilium ſuum cum Moſi aperuiſſent, Deus quidem id non tam probauit, quam permiſit. Selecti itaque ſunt ex principibus populi viri duodecim, pro numero tribuum, qui tum ipſum ſolum eiusque fertilitatem, tum vrbes, incolasque & reliqua, quae ſcire Iſraëlitarum intererat, ſpecularentur. Quod & ea, qua iuſſi erant, fecerunt ratione, totam Cananaeae longitudinem a meridie in auſtrum peragrantes. Cum Hebronem veniſſent; Achimanem, Seſain & Thalmain ibi viderunt, viros fortitudine praeſtantes, ex gente Hanaki. Ad ſuos reuerſuri cum in Vallem Escol veniſſent; palmitem, e quo botrus vnus praegrandis pendebat, ſecuerunt, quem e vecte ſuſpenſum tulerunt ſecum, aliosque ibidem collegerunt fructus, prout iuſſi erant, fertilitatem terrae populo hac ratione demonſtraturi. Elapſis diebus quadraginta, (quod myſterio non carere nonnulli putant) in caſtra reuerſi, terrae praeſtantiam omnes vno quidem ore collaudarunt, fructibusque oſtenſis dictis fecerunt fidem, ſed de incolarum robore & magnitudine, vrbiumque munimentis talia adiecerunt, quae Iſraëlitis metum incuterent. Frementem hinc atque indignantem populum fruſtra compeſcere adniſus eſt Calebus, victoriam Ebraeis, ſi modo audacter Cananaeos adgrederentur, promittens. Reliquorum enim, qui pericula exaggerabant, potius inueniebat fidem ſermo, quippe qui adſeuerabant, ***non poterimus adſcendere in eum populum, nobis enim eſt potentior.*** Addebant, quod Ebraeorum animos ab illa terra non alienare non poterat: ***terra, quam explorandi cauſſa peragrauimus, abſumit incolas ſuos.*** Quae quidem verba Ebraeorum magiſtris occaſionem dederunt, lepidum prodendi commentum. In omnibus enim locis, in quae exploratores venerint, virum praecipuae dignitatis mortuum, aiunt: idque ideo, ne incolae in funere eius occupati, ad exploratores attenderent: exploratores autem,

qui

qui hoc pro inſigni Numinis beneficio reputare debuiſſent, cauſſam iſtius rei non ſatis perpendentes, in eam ingreſſos ſententiam, terrae iſtius vitio contingere, vt cito homines moriantur. Conf. R. SAL. IARCHI, ad *Num. XIII. v. 33.* De aëris vitio, quod minus ſalubris fuerit, שהאויר שלה רע haec exploratorum verba etiam accipit R. ABEN ESRA, ad *h. l.* eidemque ſententiae & IAC. BONFRERIVS, ad *h. l.* adſtipulatur. Alii de bellis mutuis & inteſtinis incolarum hoc capiunt, quod tamen Iſraëlitis terram hanc inuiſam facere non potuiſſet, ſed potius in ſpem erigere, eo facilius ab hoſte externo vinci poſſe, quorum inter ſe vnitae vires non ſint. Praeferenda itaque forte iſtorum ſententia, qui, exploratores hoc ſibi voluiſſe, contendunt, incolas huius terrae bellis perpetuis cum gentibus vicinis, Syris, Arabibus, Aegyptiis expoſitos eſſe. Quod veriſſimum quidem erat, & deinceps euentu & experientia comprobatum; Ebraeos autem a terrae huius occupatione deterrere non debebat, quippe qui, ſi praeceptis diuinis obedirent, certiſſimam ſibi ſemper polliceri poterant victoriam. Ceterum Iſraëlitae, inconſulto iſto exploratorum ſermone ad deſperationem inducti, palam in Moſen & Aaronem inſurgebant, & eousque tandem progrediebantur, vt de eligendo principe, ſub cuius ductu in Aegyptum redirent, agitarent conſilia, fruſtra intercedentibus Calebo & Ioſua, & ſaniora, variis rationum momentis ſuadentibus. Adeo enim efferati erant, vt lapidibus eos obruendos cenſerent. Sed ipſius quoque Moſis ac Aaronis, etſi coram tota concione in faciem prolaberentur, in iis compeſcendis irritus labor fuit. Gloria itaque Numinis, dum hac ſuper re inter ſe contendebant, in tentorio conuentus ſe Iſraëlitis omnibus conſpiciendam praebuit, auditaque ſimul eſt vox Dei, peſtilentia vniuerſum populum ſe deleturum, comminantis. Quod ſimul ac Moſes audiuit, iram Numinis deprecari non intermiſit, etſi maioris potentiorisque populi imperium Deus ei promitteret, effecitque ſuis precibus, vt hac quoque vice vltimam a gente tam immorigera perniciem auerteret Deus, interim tamen decerneret, ex iſtis, qui tum viuebant, Iſraëlitis, & miracula in eorum gratiam edita viderant, & nihiloſecius de potentia Numinis dubitauerant, neminem in terram Canaan, patribus eorum promiſſam, ingreſſurum, praeter Calebum atque Ioſuam. Dubium autem hic oriri poterat, cur Moſes & Aaron itidem hic ab ingreſſu in iſtam terram excludantur, cum tamen peccatum, ob quod excluſi ſunt, tum nondum commiſerant? Tanti vtique momenti hoc nonnullis Ebraeorum doctoribus viſum, vt exiſtimarent, ipſum etiam Moſen peccaſſe, dum in mandato, quod exploratoribus in terram Canaan mittendis dedit, improuide talia eloquutus ſit, quae timorem animis Iſraëlitarum iniicere potuerint. R. ISAACI ABARBANELIS hanc eſſe ſententiam, iam ſupra *§. IX.* obſeruauimus, vbi & eam ex-

explosimus. Nec neceſſe erat, vt cum Calebo & Ioſua hic diſerte Moſes & Aaron exciperentur, quia in congregatione populi non comprehendebantur, ſed potius populo, qui contra eos fremebat, opponebantur. Poena itaque ad populum, ſeu omnes, qui ſe Moſi & Aaroni opponebant, ſpectabat, quod cum Caleb & Ioſua non faciebant, merito excipiebantur: ipſum Moſen & Aaronem excipi, neceſſe non erat; cum populo murmuranti cum iis res eſſet. Nec obſtat, quod Moſes, cum *Deut. I.* iſtud Numinis decretum, quod nemo Iſraëlitarum, excepto Calebo & Ioſua, terram Canaan ingreſſurus eſſet, commemoraſſet, ſtatim ſubiungat: *etiam mihi propter vos iratus fuit Deus, dicens, & tu in illam terram non intrabis; verſ. 37.* Quae enim ibi ordine narrationis breuitatis cauſſa coniunguntur, non ſtatim tempore fuere coniuncta. Sed potius ad peccatum ſuum reſpicit, quo eamdem Numinis poenam in ſe deriuauit, cui tamen Iſraëlitarum fremitus occaſionem dederat, *Num. XX. u. 12.* conf. quae ſupra ad §. *IX.* dicta ſunt. Hocce vero decretum ſuum, de Iſraëlitis omnibus, excepto Calebo & Ioſua, in deſerto conſumendis, Deus non tantum Moſi indicauit, ſed iterum, cum & Aaron praeſens eſſet, repetiit, ſimulque ſeueritatis & iuſtitiae exemplum ſtatuit, decem iſtis exploratoribus, qui Iſraëlitis fremendi cauſſam dederant, ſubitanea morte correptis. Perierunt enim במגפה לפני יהוה *in plaga coram Domino.* Talmudici doctores referunt, auctas eorum linguas ad vmbilicum & vermibus eroſas, eo quod linguis peccaſſent. Quod ex ipſis verbis Moſis elicere, more iudaico, adnititur R. SALOMON IARCHI, ad *h. l.* Sed faceſſant ineptiae iſtae. Plura eorumdem hominum de exploratoribus paſſim exſtant commenta, quae in compendio fere IARCHIVS exhibet: ſed & in tractatu talmudico *Sota*, & iis, quae ad eum obſeruauit IO. CHRISTOPHORVS WAGENSEILIVS, legi poſſunt; add. MELCHIOR LEIDEKKERVS, de *republ. Ebraeor. lib. IV. cap. XIV.* FLAV. IOSEPHVS hancce de exploratoribus hiſtoriam more ſuo refert, rhetoricis pigmentis cuncta exornans, & in quibusdam a Moſaica narratione diſcedens. Cum etiam a Moſe repreſſam ſeditionem commemorat, occaſio hinc ei enaſcitur ediſſerendi, quanta Moſis fuerit auctoritas, & quanta erga mortuum etiam ſit veneratio; *antiquit. iudaic. lib. III. c. XIII.*

* Iſraëlitae Numinis iſto, quod antea commemorauimus, decreto in ſummam primum triſtitiam coniecti, mox intempeſtiua promtitudine peccatum velut emendaturi, interdicente licet Moſe, iamque id nolle Deum, aperte ſignificante, montem conſcendunt, magna ferocia terram occupaturi promiſſam, ſed ab Amalekitis & Cananeis, qui ſumma montium occupauerant, percutiendi, vt Chormam vsque praecipiti fuga ſe recipere cogerentur. FLAV. IOSEPHVS addit, Moſen, cum vidiſſet, tum ſuos accepta clade conſternatos, tum hoſtem victoria recenti elatum

Digitized by Google

elatum, veritum, ne praeſenti ſucceſſu non contentus maiora moliretur, decreuiſſe, copias retro in deſertum reducere. *Cumque populus*, ita pergit, *poſtbac in ducis poteſtate ſe fore, polliceretur, malo admonitus, nihil absque ipſius conſilio proſpere ceſſurum, motis caſtris itum eſt in deſertum boc animo, vt non prius contra Cananaeos pugnam capeſſerent, quam ſigno diuinitus accepto; antiquit. iudaic. lib. IX. cap. I. p. 103.* Id ex Moſe conſtat, Iſraëlitas accepta clade flectere Deum lacrimis, vt ſententiam in ſe latam reuocaret, fruſtra conatos, per aliquod temporis ſpatium in deſerto Kades permanſiſſe. Sunt, qui exiſtimant, occaſione cladis iſtius, quam Iſraëlitae ab Amalekitis & Cananaeis acceperunt, inſequutaeque hinc ex decreto diuino calamitatis, qua quotidie aliquot Iſraëlitae in deſerto morte abripiebantur, pſalmum nonageſimum a Moſe compoſitum eſſe. In eo namque, dies hominum ordinarios ad LXX vel LXXX annos redactos eſſe, ſignificat. Vid. IAC. VSSERIVS, in *annalib. aetate mundi quarta, p. 16.*

§. XXIII.

Seueritatis tum in eum, qui legem de ſabbatho transgreſſus erat, exemplo edito, * nouas turbas dederunt Korachus, Dathan & Abiramus, quibuscum & ducenti quinquaginta ex praecipuis populi iſraëlitici viris faciebant. Hi aegre cumprimis ferebant, cum Moſe eminere prae reliquis Aaronem, & in hunc eiusque poſteros collatum ſacerdotium, ideoque in vtrumque conſpirabant. Sed & iſti, iudicio controuerſiae a Moſe ad ipſum Deum delato, a terra cum ſuis abſorpti, & inuſitato modo mortalium numero exemti, ſuae temeritatis poenas dederunt grauiſſimas, ** non minus, ac ducenti illi ac quinquaginta, qui ab illorum partibus ſtabant, igne quippe diuinitus illis immiſſo abſumti. Cum vero poſtero die horum mortem integer Ebraeorum coetus aegre ferret, rurſusque cum Moſe & Aarone expoſtularet; quatuordecim millia & ſeptingenti, ſubitanea morte correpti, perierunt. *** Aaronis inde nouo miraculo confirmatum fuit ſacerdotium, virga eius inter reliquas, quas Iſraëlitarum principes contulerant, effloreſcente, ferenteque amygdalas. *

* Quae de exploratoribus commemorauimus, contigerunt, vti iam dictum, cum Iſraëlitae Rithmae in deſerto Pharanis, iuxta Kades Barneae commorarentur. *Num. XII. 16. XXXIII. 18.* collat. cum *Num. XIII. 26.* Et ea quidem fuit ſtatio decima quinta. Duodecim primas ſtationes iam ſupra ad *§. XVI.* indicauimus. Decima tertia fuit in Kibroth taauah, & decima quarta in Chazerot. In iis quid geſtum, iam in praecedentibus expoſitum. A Rithma vero, vbi decima quinta fuit ſtatio, donec ad E-zion-

ziongaber venerunt, ſeptemdecim habuerunt ſtationes. Nimirum XVI fuit Rimmon-Parez, XVII Libna, XVIII. Riſſa, XIX Kehelatha, XX mons Sepher, ſiue Sopher, XXI Harada, XXII Makkeloth, XXIII Thahath, XXIV Tharah, XXV Mithka, XXVI Hasmona, XXVII Moſeroth, XXVIII Bne-iaakaan, XXIX Horgidgad, XXX Iothbatha, regio fluminibus aquarum irrigua, *Deut. X. 7.* XXXI Abrona, & denique XXXII Eziongaber. Quantum temporis in qualibet ſtatione transegerint, non equidem conſtat; in quibusdam vero per aliquot annos eos permanſiſſe, ex eo colligitur, quod ſpatio XXXVII annorum ſeptemdecim ſaltem ſtationes enumeratae reperiuntur. Ea, qua apud Kades Barneae, ſeu Rithmae, commorati ſunt, omnium maxime diuturna fuiſſe videtur. Vid. *Deut. I. 46.* Vnde & ad eam, vel ſubſequentium primas, quae *Num. cap. XV.* & quatuor ſequentibus habentur tradita, tum ad leges, tum ad hiſtoriarum ſpectantia, nonnulli referunt. Huc itaque etiam referenda, quae de poena in illum, qui ligna colligendo ſabbathum violauerat, ſtatuta leguntur, *Num. XV. 32. ſeqq.* itemque, quae de Korachi & ſociorum ſeditione, & confirmato Aaronis ſacerdotio, mox dicemus. Conf. IAC. VSSERIVS, in *annalib. aetat. mundi quarta, p. 17.* Contigerunt tanto temporis ſpatio haud dubio & alia memoratu digna, quae tamen litterarum conſignare monumentis Moſi viſum non eſt: Iudaeorum, quibus iſtum narrationis Moſaicae defectum ſupplere conantur, commenta non moramur.

** Deteſtanda prorſus, peſſimique exempli iſta, quam hic innuimus, fuit ſeditio. Rem tamen nimis exaggerat FLAV. IOSEPHVS, quando στάσις οὖν, inquit, αὐτοὺς οἵαν οὐκ ἴσμεν, οὔτε παρ' ἕλλησιν, οὔτε παρὰ βαρβάροις γενομένην, κατέλαβεν. *Quapropter tanta ſeditione eſt laboratum, quantam nec apud Graecos nec apud Barbaros vmquam fuiſſe accepimus; antiquit. iudaic. lib. IV. cap. I. p. 103.* Auctor eius princeps Korachus fuit, filius Iizhar, nepos Kaathi, fratruelis Moſis & Aaronis. Hi enim Amramo nati erant, fratre Kaathi primogenito; *Exod. VI. 19. 20.* Hic aegre ferebat, ſummam rerum adminiſtrationem penes Moſen, penes Aaronem autem ſummum ſacerdotium eſſe. Ad vtramque enim dignitatem, ob tam propinquam cognationem, non minus ſibi, quam Moſi & Aaroni, ius eſſe, ſibi perſuadebat. Hinc odium, quod inter propinquos acerrimum eſſe ſolet, hinc inuidia. Dathan, Abiram, & On, Pheleti filius, Rubenitae erant; qui haud dubio eo facilius in criminis pertrahebantur ſocietatem, quod ob ius primogeniturae praecipuam in populo dignitatem ipſumque imperium ſibi deberi, exiſtimarent. His autem ex reliquis tribubus indiſcriminatim adſociabantur praecipuae dignitatis viri ducenti & quinquaginta. Sunt enim rerum nouarum cupidi mortales, ſeque facile ad praua, modo dux non deſit, abripi patiuntur. Korachum cum Dathane, Abiramo & One

One, factionis principes fuiſſe, indicat Moſes, cum dicit ויקח קורח & *ſumſit Korachus, & Dathan, &c.* ſcilicet *ſecum alios.* Ita enim haec verba capienda eſſe, res ipſa docet, quorum vim nec chaldaeus paraphraſtes adſequutus eſt, dum vertit: ואתפליג *& diuiſit ſe;* nec LXX, cum reddunt: καὶ ἐλάλησε Nimirum ad ſolum Korachum verbum illud referendo, quod aut ſe ipſum, quod valde durum, aut verba ſumſiſſe dicatur, exiſtimarunt. Korachus itaque cum plerique ſociorum ſumtis tandem animis ad Moſen atque Aaronem acceſſerunt, dixeruntque; *ſatis vobis ſit, omnem coetum, quotquot ſumus, ſacrum eſſe, Iehouamque inter Iſraëlitas verſari, quare ſupra coetum Iehouae vos effertis?* Quod ſi FLAV. IOSEPHVM audiamus, priusquam ad Moſen & Aaronem iſta loquuti ſunt, Korachus ſermone ad modeſtiam compoſito apud contribules ſuos diligenter diſſeruit, non eſſe Moſi permittendum, vt veterem rerum formam pro lubitu innouet: grauem hanc eſſe iniuriam, quod homo nouus ita ſe latenter in dominationem inſinuet, vt, priusquam ſentiri poſſet, populi libertas opprimatur; & quae reliqua ſunt eiusdem generis; *l. c.* Quae non prorſus ab omni veroſimilitudine abhorrent. Conf. R. SAL. IARCHI, ad *h. l.* Hoc certum, cum iam Korachus in ſceleris ſocietatem variis artibus reliquos pertraxiſſet, tum demum magna ferocia ipſum Moſen & Aaronem acceſſiſſe. Sermo autem, quo tum vtebantur, ita comparatus erat, vt aliquid ex vero trahens, & ad fallendum totus compoſitus, ſpeciem ſingularem iſtorum hominum malignitati conciliaret. Verum namque erat, totum popu'um eſſe ſanctum, quippe quem Deus ſibi in peculium ſelegerat: verum quoque, Deum in medio totius populi eſſe, quod omnes & ſinguli pro maximo diuini fauoris documento reputare debebant: ſed inde non ſequebatur, Deum Aaroni eiusque filiis ſacerdotium non commiſiſſe, multo minus, quod per calumniam addebant, Moſen & Aaronem proprio auſu ſe extuliſſe ſupra ceteros. FL. IOSEPHVS addit, id egiſſe homines ſeditioſos, vt ſacerdotium Aaroni ademtum in Korachum transferretur, populumque tam concitatum fuiſſe, vt ad lapides conclamaretur: *concurrebatque*, inquit, *incondita multitudo in concionem, vbi ſtans ante Dei tabernaculum vociferabatur:* διώκειν τὸν τύραννον, καὶ τῆς ἀπ' αὐτῦ δυλείας ἀπηλλάχθαι τὸ πλῆθος, τῇ τῦ θεῦ προφάσει βίαια προστάγματα κελέυοντος, *tollendum tyrannum, & populum e ſeruitute eximendum, cui ſub religionis praetextu dura imperata imponerentur; loc. cit. p. 104.* Sed iſta nimis rhetoricam ſapiunt. Quid vero ad iſta Moſes? *Haec cum audiniſſet, in vultum ſuum concidit;* forte vt aduerſarios ſuos ita placaret, quae nonnullorum eſt ſententia, aut, quod probabilius, vt precibus a Deo in rebus tam deſperatis auxilium impetraret. Hoc enim Moſi ſollemne erat. conf. *Num. XIV. 5. XX. 6.* Idque ex eo etiam confirma-

(Buddei Hiſt. Eccleſiaſt. Tom. I.) Sss cur.

tur, quod ſtatim a Deo, quid faciendum, edoctus, ad ſeditioſos dixerit: *craſtino mane notum faciet Iehouah, quis ſuus ſit? & quemnam ſibi ſacrum propius adeſſe velit? &c.* Optimum hoc eſt diſceptandi liteſque dirimendi genus, ſi factis ipſis, aut certis rerum documentis, innocentia adſeratur. Tum enim multis verborum ambagibus opus non eſt. In proximum, qui inſtabat, diem iudicium dilatum, vt thuribula, & reliqua, quae neceſſaria erant, ſibi comparare poſſent; quamuis ſimul ad ſaniora conſilia capeſſenda, ſi mens non laeua fuiſſet, iſto temporis ſpatio vti potuiſſent. Simul vero Moſes graui oratione illorum immodeſtiam illis exprobrauit, ſtultamque & ineptam ambitionem redarguit. Quae dum fiebant, Dathan, Abiramusque praeſentes non erant; quos dum Moſes accerſiri ad ſe iubet, non tantum magna cum contumacia & ſuperbia ſe venturos negarunt, ſed contumelias quoque atrociſſimas, & dicta ad ſeditionem manifeſtam ſpectantia, in Moſen iecerunt. Quamobrem iuſta indignatione percitus vir ſanctiſſimus ad preces iterum ſe conuertit, Deumque, ne ſuffitum eorum propitius acciperet, neue illorum molitionibus faueret, ſed ſuam potius voluntatem luculento ſigno demonſtraret, orauit. Simul teſtatus eſt, ſe gratis populo huic praefuiſſe, nec vlla ratione pro rege ſe geſſiſſe, adeo vt ne aſinum quidem ab iis acceperit: לא חמור אחר מהם נשאתי *ne vnum quidem aſinum ab iis ſumſi.* Regum mos & conſuetudo erat, iumenta ſubditorum ad ſuos vſus ſibi vindicare. Quem & Samuel exponens, *ſeruos,* inquit, *veſtros, ancillas & ſtrenuos iuuenes, & aſinos veſtros capiet, iisque in negotiis ſuis vtetur. I. Sam. VIII. 16.* Idemque propheta, cum ſe regio more vſum negat, *cuius,* inquit, *aſinum accepi? cap. XII. verſ. 3.* Hinc &, quin lectio recepta codicum ebraeorum hic recte ſe habeat, nullum eſt dubium; etſi LXX interpretes pro חמור legiſſe vidantur חמור, dum verba Moſis ita interpretantur: *οὐκ ἐπιθύμημα οὐδενὸς αὐτῶν εἴληφα.* Sed, vt proſequamur reliqua, orta luce adfuerunt ſinguli cum acerris, magnoque populi concurſu facto, quod auidi omnes eſſent, tantae rei euentum cognoſcere, gloria Numinis omnibus facta eſt conſpicua, in nube, vt credere par eſt. Hinc feralis in omnes, etiam eos, qui improbum illud ſeditioſorum hominum facinus non improbauerant, pronuntiata ſententia, morte ſubitanea ex templo e medio eos tollendos, declarans. Hic vero Moſes cum fratre Aarone, ne omnes eodem exitio inuoluerentur, pro ſingulari ſuo in populum ebraeum amore in vultum concidens, precibus ſuis, vt reliquis, qui ſeditioſorum hominum auctoritate ſe abripi paſſi erant, Deus parceret, impetrat. Sed Korachus, & Dathan, Abiramusque iuſtiſſimas ſuae peruicaciae daturi erant poenas. Populo enim ab iſtorum tabernaculis recedere iuſſo, ne vna periret, Moſes, qui cum ſenioribus populi ad eos acceſſe-

ceſſerat, quid illis eventurum ſit, ſignificat, fore namque, vt inuſitato mortis genere, a terra quippe abſorbendi, omnes pereant. Atque id ea quoque ratione contigit: *Diſrupta eſt terra, quae ſub iis erat, & aperuit os ſuum, deglutiitque eos, domos eorum, omnes homines ad Korachum pertinentes, & vniuerſas* (eorum) *facultates.* Non infrequens eſt, vt terrae hiatus, quos chasmata vocant, ex cauſſis naturalibus exſiſtant. Sed hic omnia per miraculum eueniſſe, res ipſa omnesque περιστάσεις ſatis oſtendunt. Dum etiam dicitur: וירדו חיים שאלה *& deſcenderunt viui ad inferos*, nihil aliud innuitur, quam per iſtum in viſcera terrae deſcenſum numero viuentium eos exemtos eſſe, ſeu viuos quaſi ſepultos eſſe, cum reliqui homines mortui demum terrae committantur. Et ita quidem duces ſeditionis puniti ſunt. Reliqui, qui iis ſe adſociauerant, centum & quinquaginta viri, igne e tabernaculo erumpente, dum ſuffitum offerebant, abſumti ſunt. Ceterum cum On Pheleti filius, principibus coniurationis initio annumeretur, nec tamen vlla deinceps eius mentio fiat, quid ei factum, quaeri poſſet. Sunt, qui, eum ſtatim ad ſaniora rediiſſe conſilia, putant, & partes coniuratorum deſeruiſſe, adeoque & euaſiſſe poenam, qua illi exſtincti ſunt. Propius forte ad veritatem illi accedunt, qui, vna cum reliquis eum periiſſe, exiſtimant: nullam autem eius fieri mentionem, quod reliquis fuerit ignobilior. Certe, cum *verſ. 32.* dicitur *omnes homines, qui Karachi erant*, terrae hiatu abſumtos eſſe, de ſociis coniurationis, quos inter & On iſte fuit, qui forte in tentorium eius ſe recepe-rant, & a ducentis illis & quinquaginta, qui igne perierunt, diuerſi erant, recte hoc intelligitur. De filiis enim Korachi hoc intelligi non poſſe, palam eſt. Etenim hosce patre ſuperſtites fuiſſe, nec illa clade ſimul periiſſe, non vno documento euincitur. Diſertis enim verbis *Num. XXVI. verſ. 11.* dicitur: *filii Korachi non ſunt mortui.* Fuitque longo deinceps tempore Korachidarum familia inter Leuitas celeberrima. Vnde & pſalmi quidam, a XLII vsque ad XLIX, & alii nomen illorum in fronte gerunt. Admodum itaque eſt veroſimile, filios Korachi iam tum adultos, & a familia patris remotos, ac in ſuis ſingulos tentoriis habitantes, facinus patris deteſtatos, poenaeque adeo illi inflictae, immunes fuiſſe. Conf. MICHAEL WALTHERVS, *harm. bibl. p. 217.* Sed de ipſo Koracho etiam quaeri ſolet, num cum ducentis illis & quinquaginta igne caeleſti conflagrauerit? an vero cum Dathan & Abiramo terrae hiatu abſorptus ſit? Pro vtraque enim haud contemnendis rationibus pugnatur ſententia, quas in compendio exhibet HERMANNVS WITSIVS, in *diſſertat. de ſeditione & exitio Core*, quae cum aliis, *meletematibus* eius *Leidenſibus* ſubiuncta eſt, *§. XXXV. & XXXVII. p. 270. ſeqq.* Praeferenda tamen eorum ſententia, qui & illum a terra abſorptum credunt. Israëlitae enim non

minus a Korachi, quam Dathanis & Abirami tentoriis diſcedere iuſſi ſunt, & receſſerunt quoque: *verſ. 26. 27.* it. *29. 30.* De improbis quoque illis, quorum numero & Korachus comprehendebatur, generatim dicitur, quod terra aperuerit os ſuum, & abſorpſerit illos, *verſ. 32. 33.* Praeterea, qui igne perierunt, ducenti iſti & quinquaginta viri fuerunt, non adnumerato Koracho, *v. 35.* Quibus denique accedit, omneque ſimul dubium eximit, quod diſerte hoc dicatur *Num. XXVI. v. 10. & aperuit terra os ſuum, & abſorpſit eos & Korachum &c.* Reliqua ex *Num. XVI. v. 39. ſeqq.* conſtant.

*** Vid. *Num. XVI. 41. ſeqq.* Mirum, Iſraëlitas poſt tam luculenta diuinae iuſtitiae experimenta, nondum conquieſcere. Videntur autem in eam ingreſſi ſententiam, Korachum cum reliquis ſeditioſis non tam ſua culpa periiſſe, quam quod precibus Moſis Deus illud dediſſet. Plane ac ſi hominum inſtar in alterius gratiam aliquid ageret Deus, quod iuſtitiae repugnet. Hinc Korachum cum ſuis excuſantes, cauſſam cladis, qua innocentes oppreſſi fiat, in Moſen conferunt. Recte id FLAV IOSEPHO obſeruatum: *Cum enim ſemel animos hominum occupaſſet haec perſuaſio, nihil ſine Dei voluntate geri,* οὐκ ἐβούλοντο ταῦτα χωρὶς τῆς εἰς Μωυσῆν χάριτος τοῦ Θεοῦ πεπρᾶχθαι, *arbitrabantur, Deum in gratiam Moſis iſta facere;* κατηγόρουν δ' αὐτοῦ τὴν ὀργὴν τοῦ Θεοῦ γίνεσθαι τοσαύτην, οὐχ οὕτως διὰ τὴν τῶν κολασθέντων ἀδικίαν, ὡς Μωυσέως πραγματευσαμένου, *huic igitur imputabant omnia, tamquam non peccatorum odio Deus ſaeuiret, ſed a Moyſe ſollicitatus, &c. antiquitat. iud. lib. IV. cap. IV. p. 108.* Quod vero idem IOSEPHVS addit, exſtinctorum cognatos egiſſe apud populum, rogantes, vt ſuperbae ac nimiae Moſis poteſtati modum aliquem ſtatueret, ex ſuo finxit ingenio. Reliqua ad hanc hiſtoriam ſpectantia ſilentio praetermittit, quae tamen ex ipſa Moſis narratione ſatis intelliguntur. Narratur quoque haecce hiſtoria *Sap. XVIII. 21. ſeqq.* ſed, vt nonnulla addantur, ex mente, vt puto, & ſententia veterum Iudaeorum. Aaronis pietas valde extollitur, viciſſeque vi morali dicitur, non vi corporali, nec armorum efficacia, ἀλλὰ λόγῳ τὸν κολάζοντα ὑπέταξεν, *verbo ſubiecit ſibi punientem, cum recitaret iuramentum & foedus patribus promiſſum;* producitur porro Aaron cum habitu pontificali, depellens τὸν ὀλοθρεύοντα, *angelum exterminatorem.* Conſentiunt illa cum iis, quae & alii Iudaei de *angelo mortis*, ab Aarone cohibito, comminiſcuntur. Vid. R. SALOM. IARCHI ad *h. l.*

*Quaeritur: quotnam fuerint virgae? Sunt enim qui, vna cum virga Aaronis tredecim fuiſſe, exiſtimant. His exemplum praeiuit interpres vulgatus, *v. 6. cap. XVI. Num.* ita transferens, vt, duodecim fuiſſe virgas, *abſque virga Aaronis*, innuat. At in ebraeo eſt: *duodecim virgae, & virga Aaronis in medio virgarum.* Vtroque mo-

modo hoc intelligi poteſt, vel vt duodecim virgis ea, quae Aaronis fuit, adnumeretur, vel ut praeter duodecim illas, Aaronis quoque adfuiſſe cenſeatur. Sed, ſi perpendamus, Ephraimi & Manaſſis poſteros duas conſtituiſſe tribus, manifeſtum eſt, duodecim fuiſſe tribus absque tribu Leuitarum. Hinc & duodecim virgae adlatae ſunt, quibus virga tribus Leui ſeu Aaronis dum acceſſit, fuerunt vtique tredecim. Ceterum FLAV. IOSEPHVS auctor eſt, virgas illas tribuum nominibus fuiſſe inſcriptas, Aaronemque in ſua inſcriptam habuiſſe Leuiticam. Addit etiam, eas facile dignoſci potuiſſe, quod eſſent & a principibus, qui eas attulerant, & a populo notatae; *antiquitat. iudaic. lib. IV. cap. IV. p. 108.* Miraculum in eo conſiſtebat, quod virga Aaronis prae aliis vna nocte & frondes & flores, & fructus protulerit, non etiam exaruerit, ſed germinans ita, florida, ac fructifera permanſerit. Aliis miraculis, quae Ebraeorum magiſtri comminiſcuntur, vt ea augeamus, neceſſe non eſt. Quemadmodum autem ad ſacerdotii Aaronici confirmationem totum hoc negotium ſpectabat; ita iſtud hac quoque imagine eleganter adumbratum fuiſſe, nonnulli obſeruant. Amygdalina enim virga adhibita fuit, vt ſignificaretur, vigilantiam cumprimis in ſummo ſacerdote requiri. Floret ea virga, nec marceſcit vmquam, vt indefeſſum virtutis ac ſanctitatis ſtudium in ſacerdotibus innuatur, vnde non poſſunt non fructus tandem ſuauiſſimi exſiſtere. Add. AMBROSIVS, *lib. X. epiſt. LXXXII.* Veteres etiam in illa Aaronis virga imaginem Chriſti, eiusque ex Maria virgine natiuitatis quaeſiuerunt, qua de re copioſe ABRAHAMVS CALOVIVS, ad *h. l.*

§. XXIV.

Cum triginta nouem annis per arabicas ſolitudines Iſraëlitae erraſſent; tandem tempus aderat, vt Cananaeae poſſeſſionem adirent. Primo itaque menſe, anni ab aegyptiaco exitu quadrageſimi, ad Kadeſch, oppidum in deſerto Sin,* conſederunt, vbi mortua Miriama Moſis ſorore,** populus denuo ob aquae penuriam*** conuitiis in Moſen debacchatur, laceſſito etiam inanibus querelis Deo. Sed & his mox finis impoſitus eſt, potum ſubminiſtrante rupe, quam Moſes baculo ſuo bis percuſſit; qui ſimul cum fratre Aarone, quod diffidentiam quamdam in Numinis potentiam prodidiſſet, diuino decreto introitu in terram cananaeam excluſus eſt, vt iam ſupra indicauimus.*

*Oppidum hocce Kadeſch in extremis Idumaeae finibus, verſus Ezion-gaber & mare rubrum, ſitum erat; conf. *Num. XX. 14. 15. XXXIII. 36.* & *Deut. II. 8.* Diuerſum hocce oppidum Kadeſch a Kadeſch Barnea fuiſſe, nul-

multorum eſt ſententia, cui etiam adſtipulatur IAC. VSSERIVS, in *annalib. aetat. mundi IV. p.18.* & ABRAH. CALOVIVS, ad *Num. XX.1.* At negant hoc alii, ſpeciatim IO. LIGHTFOOTVS, in *centuria chorographica Matthaeo praemiſſa, cap. VII. p. m. 174.* eumque ſequitur IO. CLERICVS, ad *Num. XX. 1.* Ad rationes etiam diſſentientium prolixe reſpondet LIGHTFOOTVS, ſed ita, vt neutiquam difficultates omnes tollat. Prior itaque & mihi placet ſententia, quam & calculo ſuo adprobat, totumque iter Iſraëlitarum in deſerto mirifice illuſtrat CHRISTOPHORVS CELLARIVS, *geograph. antiqu. lib. III. cap. XIV. p. 692.* Fuit ea ſtatio, quam Iſraëlitae apud Kadeſchum habuerunt, XXXIII.

** Miriamam vtroque fratre, Moſe & Aarone, ſeniorem fuiſſe, & aetatis annum CXXX attigiſſe, ex *Exod. II. 4.7.* colligitur. Vnde, cum naſceretur Moſes, puellam grandiuſculam eam fuiſſe, adparet. Vid. IAC. VSSERIVS, *l. cit. p. 28.*

*** Ob Miriamae mortem aquae penuria laboratum, Iudaeorum commentum eſt. Aquae enim ex petra in Raphidim percuſſa profluentis riuos, Iſraëlitas hactenus comitatos credunt, idque Miriamae merito tribuunt. Ea autem mortua, riuos illos exaruiſſe. Conf. R. SAL. IARCHI, ad *h. l.* Ex hac ipſa autem aquae penuria rectiſſime colligitur, Kadeſch, de quo hic ſermo eſt, diuerſum fuiſſe a Kadeſch Barnea, vbi nulla aquae penuria. Quod dubium vt tollat IO. LIGHTFOOTVS, *l. c.* fruſtra ſupponit, aquae riuos ex petra in Raphidim percuſſa ſemper Iſraëlitas comitatos, qui, cum altera vice in Kadeſch-Barnea veniſſent, exaruerint; quam ſententiam ſupra iam ad *§. XVII.* exploſimus. Nec vllam vir doctiſſimus rationem reddere poteſt, quam ob cauſſam exaruerint. Vereor, ne tandem ad commentum iudaicum de morte Miriamae redeundum ſit. Ceterum hancce petrae percuſſionem, vt aqua inde eliceretur, diuerſam eſſe ab illa, quae in Raphidim contigit, & *Exod. XVII.* deſcribitur, itidem iam ſupra ad *§. XVII.* obſeruauimus.

* Hac de re iam ex inſtituto ſupra ad *§. IX. huius ſectionis* diximus.

§. XXV.

Idumaeis tranſitum per terram ſuam negantibus,* Iſraëlitae ad Horem montem diſcedunt, quo in loco, mortuo Aarone, filius eius Eleazar, ei ſufficitur.** Victo hinc Haradenſium, qui in meridiano Cananaeae tractu habitabant, rege, omnibusque eius regionis incolis trucidatis, vrbibusque ſolo aequatis,*** dum Idumaeorum fines illis circumeundi erant, denuo moleſtiarum itineris pertaeſi, more ſuo ad fremitus & conuicia ſe conuertunt.* Nec impune iſtud ferunt, ſed immiſſi ſerpentes, morſibus ſummum ardorem inferentibus,

bus, noxios perimunt. Sapientiores hinc facti a Moſe auxilium poſtulant, quod & attulit, iuſſu Numinis aeneum ſerpentem, rei longe ſublimioris imaginem, erigendo, quem qui intuebantur, conualeſcebant.

* Miſerunt Iſraëlitae ad reges Idumaeorum & Moabitarum nuntios, eosque rogarunt, vt per terras illorum ſibi tranſire liceret. Sed tulerunt repulſam. *Num. XX. 14. 21. Iud. XI. 17.* Cum vero tranſitum plane innoxium deſiderarent, iniquum erat, illum denegare. Idque eo magis, quod Idumaei ob cognationem cum Iſraëlitis ad hoc obligati erant. Lectu digna ſunt, quae hac de re PHILO Iudaeus diſſerit, *de vita Moſis, lib. I. p. m. 639.* Videtur autem in narratione Moſaica pugna quaedam eſſe, ſiquidem hic tranſitum Iſraëlitis denegatum docet, quem *Deut. II. 29.* iis conceſſum, innuere videtur. Legati enim, quos ad Sichonem Chesbonis regem miſit, vt itidem tranſitum ab eo peterent, dixerunt: *Sic fecerunt mihi Eſaui poſteri Sehirem habitantes, & Moabitae Harem.* Haec itaque vt inter ſe concilient viri docti, nonnulli quidem exiſtimant, in poſteriori loco non tam de tranſitu, quam cibi ſubminiſtratione, ſermonem eſſe. Nimirum legatos illos a Sichone duo petiiſſe, & tranſitum, & cibi pro parata pecunia ſubminiſtrationem; & quod ad poſterius attinet, prouocaſſe ad exemplum Idumaeorum, qui idem feciſſent. Verum cum non conſtet, Idumaeos cibum ſubminiſtraſſe Iſraëlitis, & de tranſitu ſaltem legatis ſermo ſit, cibum vero pro pecunia parata, tum demum, ſi tranſitus concedatur, expetant, praeferenda illorum ſententia videtur, qui, Idumaeos & Moabitas tranſitum quidem per medias ipſorum regiones negaſſe, ſed per extrema tamen ditionis ſuae conceſſiſſe, autumant. Vid. IAC. VSSERIVS, in *annalib. p. 18.* MICHAEL WALTHERVS, *harm. bibl. p. 156.*

** Magna hic oritur difficultas, ſi conferamus, quae Moſes *Deut. X. 6.* de loco, in quo mortuus eſt Aaron, refert. Verba haec ſunt: *Iſraëlitae a puteis Bne-Iakan profecti ſunt Moſeram, vbi mortuus & ſepultus eſt Aaron, filiusque eius Eleazar, loco patris ſacerdotio functus eſt. Hinc profecti ſunt in Gudgodam, e Gudgoda vero in Iothbatam, tractum, vbi ſunt aquae torrentes.* Primo enim verba haec loco plane alieno poſita videntur; cum nec cum praecedentibus, nec cum ſequentibus rite cohaereant. Deinde, Aaron hic in Moſerah mortuus dicitur; cum tamen ex *Num. cap. XX. 22. 23.* conſtet, eum mortuum eſſe in monte Hor. Praeterea, hic Iſraëlitae ex Bne-Iakan profecti dicuntur Moſeram; cum contra *Num. XXXIII. 31.* dicatur, ipſos ex Moſerah, quae fuit ſtatio XVII, veniſſe ad Bne-Iakan. Denique, iuxta ordinem itinerum, prout *Num. XXXIII.* referuntur, ex Bne-Iakan venerunt Gudgodam ſeu Horgidgadam, hinc Iothbatham, ex Iothbata Abronam, ex Abro-

Abrona Eziongaberum, ex Eziongabero Kadeſchum, ex Kadeſcho ad Horem montem, vbi mortuus eſt Aaron, cum contra, ſi Moſerae mortuus ſit, id contigiſſe oportet, antequam in locis iſtis memoratis Iſraëlitae ſtationes ſuas haberent. Haec itaque cum nonnulli conſiderarent, aut in loco Deuteronomii, aut Numerorum, turbatum ordinem ſtationum iudicarunt, idque haud dubie librariorum culpa. Ita cum HVGONE GROTIO, aliisque viris doctiſſimis, & IO. CLERICVS, ad *Deut. X. 6.* Videturque haec facillima hinc ſe expediendi ratio, modo in auctoritatem ſcripturae ſacrae non eſſet iniuria. Alii itaque, ne ſecarent nodum, quem ſoluere tutius eſt, varias excogitarunt conciliationes; refertque hac de re VATABLI, MARBACHII, TREMELLII, TOSTATI, aliorumque ſententias, MICHAEL WALTHERVS, in *harm. bibl. p. 167.* Quid Iudaei, vt hinc ſe expedirent, commenti ſint, patet ex iis, quae R. SAL. IARCHI, ad *h. l.* diſſerit. Mea haec eſt ſententia: primo quidem, non ſine ratione haec a Moſe *Deut. X.* commemorari, quae a *v. 6.* ad *10.* exſtant, cum in eo ſit, vt beneficia Dei populo iſraëlitico in memoriam reuocet: inter quae & illud, quod per Eleazaris in locum Aaronis ſubſtitutionem ſacerdotium continuauerit: qua occaſione, vt fieri ſolet, ſtationum & locorum, in quibus eo circiter tempore Iſraëlitae fuerunt, meminit. Cum etiam veroſimile ſit, integro iſti tractui, in quo mons Hor fuit, nomen Moſerah ſeu Moſeroth fuiſſe, rectiſſime & ſine contradictione dicitur, Aaronem & in monte Hor, & in Moſerah, ſeu tractu illo, in quo mons Hor ſitus fuit, mortuum eſſe. Idem vero nomen Moſerah & Moſeroth cum & ingenti tractui, & loco peculiari, haud dubie proprium fuerit, *Num. XXXIII.* vbi ſtatio Iſraëlitarum XXVII deſignatur, locus aliquis ſpeciali ratione Moſerah dictus, ſed *Deut. X.* ingens ille tractus eiusdem nominis intelligitur. Nulla itaque & hic eſt pugna. Cum enim Iſraëlitae ex Moſeroth, ſeu loco ſpecialiter ſic dicto, profecti eſſent, venerunt ad puteos Bne-lakan; hinc vero per varias ſtationes tandem ad ingentem illum tractum Moſerah dictum, in quo mons Hor fuit, venerunt. Ex iſtis vero ſtationibus, in quibus Iſraëlitae fuerunt, priusquam a puteis Bnelakan ad montem venirent, priores ſaltem breuitatis cauſſa commemorat, omiſſis reliquis, ſimulque ὡς ἐν παρόδῳ nos condocet, Iothbatam fuiſſe regionem fluminibus aquarum irriguam. Ita, ni fallor, cuncta ſibi conſtant, & omnis difficultas euaneſcit. Quod autem ad Aaronem attinet, cum ei mors immineret, montem Hor cum fratre Moſe, & filio Eleazaro conſcendit, vbi cum Moſes eum veſtibus exuiſſet, iisque induiſſet Eleazarum, mortuus eſt. *Num. XX. 24. ſeqq.* Id autem de veſtibus ſacerdotalibus eſt intelligendum: ſignificabaturque hac ratione, Eleazarum eius in ſacerdotio eſſe ſucceſſorem. Nec eſt, quod ambigamus, Eleazarum deinceps eo modo, quo Deus praeſcripſerat, rite conſecra-

ſecratum eſſe. Permanſit ſacerdotium penes Eleazaris poſteros, vsque ad tempora Eli, qui & ſacerdos ſummus & iudex fuit, & ex Ithamare deſcendit; in Zadoko a Salomone conſtituto Eleazaris progenies hanc dignitatem recuperauit. Vid. IO. SELDENVS, de *ſucceſſ. in pontif. lib. I. cap. I.*

*** *Num. XXI. 1. 3. ſeqq.* Non omnes, ſed eas ſaltem, quas tum ceperunt, delerunt Iſraëlitae, ſoloque aequarunt. Namque Ioſua demum Haradi regem cepit, *Ioſ. XII. 14.* & quae ſupererant vrbes, expugnatae deletaeque ſunt ab aliis Iſraëlitarum, *Iud. I. v. 16. 17.* Quod autem tanta ſeueritate vſi ſunt Iſraëlitae, ex Numinis mandato fecerunt. Conſtitutum enim Deo erat, Cananaeos per Iſraëlitas punire. Ceteroquin a crudelitate hoc non abfuiſſet, quam in bellis etiam tum naturae leges, tum gentium cultiorum mores damnant.

* Ex monte Hor profecti Iſraëlitae & deflectentes a via campeſtrium, quae ab Elatha, & Eziongaber & mari rubro recta ad Idumaeam ducit, ad latus orientale circumiuerunt terram Idumaeam, & caſtra metati ſunt in Tſalmona, quae fuit ſtatio XXXV. Ibi iterum in Moſen inſurrexerunt. Cauſſa erat, moleſtia itineris. Hinc dicitur: *animum in via deſpondit populus.* Accedebat locorum, in quibus verſabantur, ſterilitas: *nam hic neque panis eſt, neque aqua;* & denique mannae faſtidium. Iſtam improbitatem vt Deus vlciſceretur, ſtatim illis immiſit: הנחשים השרפים *ſerpentes vrentes.* Naturales fuiſſe ſerpentes, non eſt, quod dubitemus. Qui enim diabolos fuiſſe putant, vt nonnulli ex Iudaeis, lubrico nituntur fundamento, quod ſcilicet angeli etiam שרפים adpellitentur. Dicti autem iſti ſerpentes ſunt שרפים *vrentes*, quia flatu & morſu adurunt, caloremque hominibus inducunt intenſiſſimum. Hoc & R. SAL. IARCHIO ad *h. l.* obſeruatum. Id vero cum variis ſerpentum generibus commune ſit, quodnam ſpeciatim hic per שרף intelligatur, quaeri ſolet. Haud pauci, *preſterem* ſeu *cauſonem* intelligi, putant, quibus vocum conuenientia fauere videtur, cum verbum שרף idem ſit, ac ἐμπρῆσαι vel κατακαῦσαι. At SAM. BOCHARTVS rationibus haud contemnendis probauit, *hydrum* potius vel *cherſydrum* voce iſta ſignificari, qui parum inter ſe differant. Qui enim hydrus hyeme fuerat, dum aqua erat in lacunis, poſtquam ea defecit aeſtu, & in ſicco degere cogitur, fieri cherſydrum, i. e. hydrum ἐν χέρσῳ in ſicco degentem. Tum vero infeſtante ſiti, in calidis regionibus virus habere multo acrius & nocentius. Nec obſtare huic ſententiae, quod Iſraëlitae eo in loco verſati ſint, vbi aquae penuria laborauerint. Etſi enim aquae potulentae defuerint, potuiſſe tamen paluſtres & lutulentas hinc inde eſſe, in quibus laterent hydri; immo hydros deficiente aqua fieri, vti dictum, cherſydros. Hoc pluribus confirmat in *hieroz. part. II. lib. III. cap. XIII. p. 424.* Acutiſſimis itaque doloribus, & hos inſequuta mor-

Digitized by Google

morte ſubitanea, ſi quem eiusmodi ſerpens momordiſſet, ſapientiores facti Iſraëlitae, facinoris grauitatem intelligentes, magnoque inde dolore perfuſi, ad Moſen ſe recipiunt, eumque deprecatorem ſibi apud Deum expoſcunt. Quo officio ille quoque promte & ex voto perfunctus, ſerpentem aeneum facere, eumque perticae imponere iuſſus eſt; quem ſi quis a ſerpente morſus adſpiceret, is ſtatim ſanitati reſtituebatur. Impia prorſus non minus ac inconcinna hic eſt ſententia IOAN. MARSHAMI, qui aegyptiacas praeſtigias, & imagines magicas in hocce ſerpente aeneo ſibi deprehendere videtur *Statione trigeſima quinta*, inquit, *Tſalmona (ab imagine dicta) fecit Moſes ſerpentem aeneum, & poſuit eum ſuper perticam, quem cum percuſſi adſpicerent, ſanabantur. Sic*

- - peſtis nigris inſerta medullis
Excantata fugit.

Aegyptii inprimis μαγείᾳ τινὶ ἐπιχωρίῳ *ob ſerpentum incantationem celebrantur, poſt eos Pſylli Africae populi. Nearchus Alexandri magni in India comes, refert, ſerpentes ibi ſcatere incolisque moleſtos eſſe; ſed* ἐπῳδοὺς περιφοιτᾶν πεπιστευμένους ἰᾶσθαι, καὶ εἶναι σχεδόν τι ταύτην μόνην ἰατρικὴν, *circumuagari incantatores, qui mederi putantur, & hanc fere ſolam eſſe medicinam; Strabo lib. XV. p. 706. Apud Colchos (illi autem Aegyptiorum coloni habentur) Medea draconem aurei velleris cuſtodem fertur,* ἡδείῃ ἐνοπῇ θέλξαι, *ſuaui voce mulſiſſe; apud Apollonium, argon. lib. IV. v. 1. 7.* Plura alia eiusdem generis addit vir doctus, tandemque concludit: *Apud Ebraeos etiam ſerpentes excantandi ratio viguiſſe videtur, cum Dauid pſalm. LVIII. 5. Salomon eccleſ. X. 8. Ieremias cap. VIII. v. 17. ſerpentum meminerint, qui incantari nollent. Moſes autem ſerpente aeneo perticae impoſito non tam ſerpentes igneos incantabat, ne nocerent, quam eorum venenum extinguebat, & morſus arte leuabat. Erat* τὸ πυρωπὸν ἀλεξιτήριον τῆς τοσαύτης πληγῆς, *amuletum igneum iſtius calamitatis; in can. chron. ſaec. IX. p. 148. 149.* Hic vero rationem in viro doctiſſimo merito deſidero. Quae enim eſt iſta probandi vis: apud Aegyptios aliasque gentes magicae artes, quibus ſerpentes incantarent, in vſu fuere, ergo iisdem vſus eſt Moſes! Eſto, non fuiſſe artes iſtas ignotas in gente ebraea, num ideo probatae ſunt aut vſurpatae viris ſanctis? Incantationes praeſtigiasque magicas ipſemet Moſes ſeueriſſime prohibuit, aut Deus potius per Moſen, & nihiloſecius eas ab ipſomet Moſe adhibitas credamus? Praeterea ſerpentem iſtum aeneum Numinis iuſſu Moſes fecit, quod ipſemet diſerte teſtatur, non ex ſuo ingenio, non ad imitationem Aegyptiorum. Taceo, quam ineptum ſit, imaginibus eiusmodi, ſeu figuris Taliſmanicis vim talem tribuere. Quidquid enim hac de re crediderint veteres, quidquid tradant recentiores quidam, imaginum, quacumque demum arte confectarum, eiusmodi virtutem aut efficaciam eſſe non poſſe, in-

inter omnes, vel primis ſanioris philoſophiae elementis imbutos, aut non omni prorſus rationis vſu deſtitutos, ſatis conſtat. Longe itaque rectius auctor *libri ſapientiae, cap. XVI. 7.* non imagini, quae ſerpentem referebat, ſed diuini Numinis potentiae, quod eius adſpectu ſanati ſint Israëlitae, tribuit: *ὁ γὰρ ἐπιστραφεὶς οὐ διὰ τὸ θεωρούμενον ἐσώζετο, ἀλλὰ διὰ σὲ τὸν πάντων σωτῆρα· nam conuerſi ad illud ſignum ſanabantur, non per id, quod intuebantur, ſed per te omnium ſaluatorem.* Contra MARSHAMVM ex inſtituto etiam diſputat NATALIS ALEXANDER, *hiſtor. eccleſ. vet. teſt. aetat. mundi IV. diſſert. VI. p. 510. ſeqq.* & HERM. WITSIVS, *aegyptiac. lib. II. cap. VIII. §. III.* it. IAC. BASNAGIVS, *hiſtoire des Iuifs, tom. II. lib. III. cap. XIX. §. XXVII.* add. SALOM. DEYLINGIVS, *obſeruation. ſacrar. part. II. obſeruat. XV. p. 156. ſeqq.* Serpentem iſtum aeneum imaginem fuiſſe ſeruatoris, ipſemet nos condocet *Ioan. III. 14.* Comparationem inter vtrumque pluribus exſequuntur theologi, ſpeciatim & SAM. BOCHARTVS, *loc. cit.* Singularis eſt ſententia FRANCISCI BVRMANNI, contendentis, per ſerpentem aeneum non tam Chriſtum, quam diabolum cum Chriſto in crucem eleuandum, ibique omnibus viribus ſuis ſpoliandum, ſignificatum fuiſſe; in *comment. belg. in Num. XXI. 1. 2.* Qua in re praeeuntem ſibi habuit IOANNEM ESPAGNEVM, in *tract.* cui titulus; *Schibboleth, oper. tom. II. p. 171.* Eamdemque argumentis vtique ſpecioſis ſibi exornandam ſumſit CAMPEGIVS VITRINGA, *ſacrar. obſeruationum lib. II. cap. XI.* cui nonnulla oppoſuit MELCHIOR LEIDEKKERVS, de *republ. Ebraeor. part. I. lib. IV. cap. XV. p. 243.* Valdeque dubito, an cum apertis Chriſti ſeruatoris verbis *Ioan. III. 14.* ſententia iſta commode conciliari queat. Conf. & IOAN. SAVBERTVS, in peculiari diſſertatione, de *ſerpente aeneo*, GEORGIVS MOEBIVS, in *exercitationib. ſacris*, de *ſerpente aeneo*, FRIDERICVS BALDVINVS, in *paſſione typica, typo II. p. 90. ſeqq.* Iudaeorum hac de re ſententias peculiari itidem diſſertatione expoſuit IOANNES BVXTORFIVS.

§. XXVI.

Diuerſis poſtea ſtationibus in vallem, quae eſt in agro Moabitico, ſub vertice Phisgae, qui ſolitudinem reſpicit, peruenerunt.* Hinc miſſis ad Sichonem Emoraeorum regem, cui Chesbone ſedes erat, legatis, ab eo tranſitum per eius ditiones petierunt. Quo illis denegato, & Sichone inſuper cum exercitu occurrente, res ad praelium venit. Victis autem Emoraeis, & ad vnum omnibus interfectis, oppidis agriſque eorum potiuntur Ebraei. Similia mox fata Ogus Baſanenſium rex expertus eſt.**

 *Sta-

* Stationem XXXVI Punon illis praebuit, *Num. XXXIII. 42.* & XXXVII Oboth, *Num. XXI. 10.* & *XXXIII. 42.* Hinc XXXVIII in Iie Abarim ad fines Moabitarum, ſeu in deſerto Moabi, habuerunt, *Num. XXI. 11. XXXIII. 44. Deut. II. 8.* Diſcedentibus inde, vt tranſirent vallem vel torrentem Zered, ne Moabitis vim inferrent, Deus vetuit, *Num. XXI. 12. Deut. II. 8.* ad *13.* Stationem porro XXXIX Dibon-Gad, & XL Almon Diblathaim, quae & Beth-Diblathaim, praebuerunt, *Num. XXXIII. v. 45. & 46.* Tranſituris hinc terminum Moabitarum Arem, & adpropinquaturis e regione Ammonitarum, ne his quoque arma inferrent, Deus prohibuit, *Deut. II. 18. 19.* Caſtra metati itaque ſunt trans Arnonem fluuium, qui eo tempore Moabitas & Emoraeos diſterminabat, *Num. XXI. 13. Deut. II. v. 24.* Hoc dum Moſes, *Num. XXI. v. 13.* memorat, addit: *ideoque memorantur, in narratione bellorum Iehouae, Vaheb in Supha, torrentes Arnonis, & defluxus torrentium, qui declinat ad habitationem Haris & praeterlabitur fines Moabi.* In ebraeo eſt, בספר מלחמות יהוה quibus verbis libri cuius iam titulum indicari, vulgo exiſtimant; ex quo Moſes quae ſequuntur, retulerit. Alii autem vocem ספר per *narrationem* explicant, vt NIC. LYRANVS, CHRISTOPH. PELARGVS, HVGO GROTIVS; quos & IOAN. CLERICVS ſequitur, qui omnium planiſſime verborum iſtorum ſenſum hunc in modum mihi expreſſiſſe videtur: *Ideoque, quotiescumque poſthac bella Dei auſpiciis ab Iſraëlitis geſta narrabuntur, horum locorum ante omnia mentio fiet, Vahebi nempe, ſiue Matthoris in Supha, & Arnonis eiusque decurſus, &c.* in *paraphraſi* ad *h. l.* Vnde, quae vulgo de *libro bellorum Domini* tradi ſolent, ſua ſponte corruunt. Sed hac de re deinceps. Iſraëlitae inde porro profecti ad loca venerunt, in quibus iuſſu Moſis, aut ipſius potius Dei, mandatis ſuis Moſen inſtruentis, foderunt puteos: in cuius rei memoriam, quod magnam aquae copiam ibi inueniſſent, canticum compoſuerunt, quod Moſes refert *Num. XXI. 18.* & in quo dicitur, principes Iſraëlitarum cum ipſo Moſe (hic enim per מחקק legiſlatorem intelligitur) tanta id effeciſſe facilitate, vt vel ſcipionibus ſuis במשענתם eos fodere potuiſſe videantur. Peragratis tum locis reliquis, *Num. XXI. v. 18. 19. 20.* indicatis, in Kedemotharum tandem deſertum venerunt, *Deut. II. 26.* conſederuntque in montibus Abarimorum ante Nebuntem, quae ſtatio illorum fuit XLII *Num. XXXIII. v. 47.* Conf. IAC. VSSERIVS, in *annalib. vet. & nou. teſt. p. 29.* Ex hocce loco Iſraëlitae nuntios miſerunt ad Sichonem Emoraeum, Chesbonis regem, tranſitum per extrema regionis eius petentes, quo illis denegato, res prope Iahaſam ad praelium venit, eo quidem euentu, vt victo Sichone, tota eius ditio cum omnibus ciuitatibus Iſraëlitis cederet. *Num. XXI. 21. ſeqq. Deut. II. 24. 36.* Dum iſtud Moſes refert, Chesbonem Sichonis regiam cum agris finitimis ad Arnonem Moabitis ereptam

ptam memorat, idque verbis cuiusdam τῶν משלים arguto dicendi genere res memorabiles complectentium, confirmat. *Num. XXI. 26. ſeqq.* Iazere quoque cum oppidis eius, miſſis prius exploratoribus, occupata, Emoraeisque inde expulſis, nihil amplius ex Sichonis regno ſupererat, quod non Iſraëlitis ſubiectum eſſet. *Num. XXI. v. 32.*

** Conſtat hoc ex *Num. XXI. 33. ſeqq.* & *Deut. III. 1. ſeqq.* Inuſitatae magnitudinis ac proceritatis hominem fuiſſe Ogum, colligitur ex *Deut. III. v. 11.* Sub Typhonis nomine eum apud Graecos latitare, exiſtimat GERHARDVS IOANNES VOSSIVS, de *idololatr. gentil. lib. I. cap. XXVI.* Sed omnia ad coniecturas longe incertiſſimas redeunt.

§. XXVII.

Iam Moabitas ordo tangebat,* qui communicato cum Midianitis, vicinis populis, conſilio,** primo ad ſuperſtitionem,*** accerſito Bileamo vate,* mox, cum iſtud ex voto non ſuccederet,** eiusdem Bileami conſilio,*** ad fraudes atque dolos ſe receperunt. Paucis: Moabitidum puellarum amore capti Iſraëlitae, vt idola venerarentur ſe induci paſſi ſunt, interque alia illud Baalis, quod in Peore monte adorabatur.* Facinus erat poena grauiſſima luendum. Capitis itaque poena flagitii iſtius reis irrogata, ipſis primoribus, qui eodem ſe polluerant, in patibula ſublatis.** Populo hinc in luctu conſtituto, & lacrimis veniam admiſſorum a Deo petente, Zimri vir indomitae libidinis, Midianitidem mulierem omnibus ſpectantibus in tentorium ſuum ducit. Quod opprobrium non ferens Pineas, Eleazaris filius, arrepta haſta, virum & mulierem in tentorium ſequutus, ambos in ſcortatione deprehenſos transuerberauit; ob egregium iſtud facinus ab ipſo collaudatus Deo.***

* Victo Baſanenſium rege Ogo, a montibus Abarimorum profecti Iſraëlitae, in campis Moabiticis ad Iordanem e regione Ierichuntis caſtra metati ſunt, quae ſtatio illorum fuit XLII, vbi permanſerunt, donec ſub Ioſua inde profecti, ad Iordanem peruenerunt. *Num. XXII. 1. XXXIII. 48. 49. Ioſ. III. 1.*

** Cum Medianitarum nomine Abrahami ex Kethura poſteri veniant, quibus Iſmaëlitae per connubia aliaque ratione admixti fuerunt, quibus iam ſupra in Arabia ſedes adſignauimus; hic tamen ſpeciatim illi indicantur, qui Moabitis vicini fuerunt. Hi cum in perniciem Iſraëlitarum cum Moabitis conſpirarent, & multiplici ratione in illos iniurii eſſent; promeritas ſceleris ſui dederunt poenas, vt deinceps dicetur.

*** Balakus cumprimis, rex Moabitarum, exemplum hominis ſuperſtitioni ad ineptias vsque dediti, exhibet.

Digitized by Google

Non tantum enim, vatum imprecationibus ſe opprimere Ebraeos poſſe, ſtulte ſibi perſuadebat, ſed, quod iſtis hominibus proprium eſt, a ſpe iſta, quam ſemel animo conceperat, nulla ratione ſe dimoueri patiebatur, etiamſi aliquot experimentis iam didicerat, nihil ſe hac ratione efficere poſſe. Eiusdem exemplo conſtat, quod & aliis obſeruatum, ſummam ſuperſtitionem cum ſumma improbitate conſiſtere poſſe.

* De eo deinceps ad §. XXXVI. dicetur ex inſtituto. Nunc id ſaltem obſeruamus, cum inuito Numine iter ſuſcepiſſet, contigiſſe, vt aſina, qua vehebatur, voce humana loqueretur, &, vt Petrus hac de re verba facit, *inſipientiam prophetae prohiberet*, *II. ep. II. 16.* Reuera eiusmodi quid contigiſſe, non eſt, quod dubitemus. Neque quidquam obſtat, quo minus rerum omnium conditor Deus organa aſinae, etſi ceteroquin ad ſermonem formandum inepta, ita mouere potuerit, vt vocem articulatam, vt homines ſolent, ederet. Vnde audiendi non ſunt, qui in viſione quadam haec omnia contigiſſe, ſibi perſuadent. Nec enim vllum huius rei veſtigium in narratione Moſaica adparet. Nonnulli, vt miraculi huius veritatem adſtruant, ex ſcriptoribus gentilibus exempla & teſtimonia congerunt, quibus conſtat, animalia bruta aliquando vocem humanam emiſiſſe; vid. SAM. BOCHARTVS, *hieroz. part. I. lib. II. cap. XIV. p. 197.* & NAT. ALEXANDER, *hiſt. eccleſ. vet. teſt. aetat. mundi IV. differt. VII. p. 513. ſeqq.* Quae etſi apud eos, qui talia admittunt, vim quamdam habeant; apud reliquos tamen omni deſtituuntur robore. Id mirum alicui videri poſſet, quod Bileamus tanto prodigio tam parum commotus fuerit, vt animali bruto reſponderit, plane ac ſi non prima vice hoc contigiſſet, ſed cum eo colloqui hac ratione conſuetus eſſet. Sed ira forte praepeditus prodigii iſtius magnitudinem non ſatis perpendit. Haud dubie etiam in magnam coniectus eſt admirationem, licet Moſes breuitatis ſtudio id non commemoret: quae admiratio non obſtitit, quo minus aſinae reſponderet, experimentum ita capturus, an loqui perrectura eſſet? Ex hypotheſi de transmigratione mentium humanarum in brutorum corpora, hoc profluxiſſe, vt aſinae loquela Bileamo minime inſolita videretur, non dixerim. Etſi enim opinio iſta apud orientis populos ſatis recepta eſſet; non tamen, qui eam admittebant, ſtatim credebant, bruta voces humanas emittere, aut hominum inſtar loqui, nec credere hoc poterant, niſi exemplum aliquod vidiſſent. Iudaeorum de Bileami aſina commenta qui ſcire auet, SAMVEL BOCHARTVM, *loc. cit.* adeat, vbi hac de re ex inſtituto.

** Pro diris enim, quibus Balakus Bileamum Iſraëlitas deuoturum ſperabat, aliquoties eis iuſſu Dei bene precatus eſt, deque generis huius gloria ac felicitate, & hominum ſeruatore ex ea prodituro, praeclara vaticinia edidit, *Num. XXIII. & XXIV.* Pluribus iſta edif-

ediſſeremus infra ad §. XXXVI. cum de Bileamo verba faciemus.

*** Licet hoc *Num. XXV. 1. 2.* diſerte non dicatur, aperte tamen innuitur *Num. XXXI. 16.* conf. & *Apoc. II. 14. II. Petr. II. 15. epiſt. Iudae, v. 11.*

* De hocce idolo itidem infra ad §. XXXVI. ex inſtituto dicetur.

** Verba Moſis ſunt: *comprehendito omnes primores populi, eosque ſuſpendito Iehouae, coram ſole, vt auertatur ira Iehouae ab Iſraële, Num. XXV. 4.* Vnde colligi poterat omnes populi ebraei proceres hac ratione e medio ſublatos. Verum, cum vix veroſimile ſit, omnes proceres, nemine excepto, in criminum iſtorum ſocietatem veniſſe, ſine iniuſtitia etiam fieri non potuit, vt omnes punirentur. Vnde, quod generatim de omnibus primoribus dicitur, cum reſtrictione de illis, qui peccauerant, intelligendum eſt. Sunt, qui pronomen relatiuum in voce: *ſuſpende eos*, non ad principes populi, ſed ad eos, qui ex populo flagitium admiſerant, referunt, ſenſumque eſſe, putant, tollendos ſeu conuocandos eſſe principes, vt ipſi ceu iudices ferrent ſententiam, iuberentque ſuſpendi eos, qui deliquerant; hinc & verba ebraea vertunt. *fac, vt ipſi ſuſpendant eos.* Sed verbum הוקע hanc interpretationem non admittit: vnde prior praeferenda expoſitio. Conf. IACOBVS BONFRERIVS, ad *h. l.*

*** Cum priuatae ſortis hominibus fas non ſit, alios, quantumuis atrociter peccantes, capitali adficere ſupplicio, quippe quod magiſtratus eſt officium, quo iure Pineas virum iſtum cum ſcorto interfecerit, diſceptari ſolet. Id equidem dubio caret, laudandos vehementer, qui eiusmodi flagitiis iraſcuntur: ſed ſi cuiuis poteſtas ea puniendi concedatur, in magnum periculum omnium ac ſingulorum ſecuritas adducetur, cum improbiſſimus quisque ita innocentiſſimos interficere poſſet, obtendens, illos a ſe flagitio deprehenſos, iuſtoque ſe, vt hoc faceret, zelo concitatum. Quod cum viri quidam docti ſecum expenderent, Pineam, cum ſummi ſacerdotis eſſet filius, priuata hoc auctoritate feciſſe, negarunt; vid. B. CASP. ZIEGLERVS, ad HVG. GROTII, de *iure belli & pacis, lib. II. cap. XX. §. IX.* At, cum penes ipſum ſummum ſacerdotem imperium in gente iſraëlitica non fuerit, multo minus filius eius ea, quae magiſtratus ſunt, gerere potuit. Nec eſt, quod dicas, eiusmodi quid tum forte licuiſſe, quo respublica Ebraeorum nondum conſtituta eſſet. Omnino enim iam conſtituta erat, ipſo Numine ea ſibi tribuente, quae ſummis ceteroquin imperantibus conueniunt. Nihil itaque aliud ſupereſt, quam vt dicamus, ſingulari Numinis adflatu concitatum Pineam eiusmodi quid perpetraſſe. Qui quidem impulſus atque adflatus diuinus eo magis locum habere poterat, quod in iſta gente hoc peractum ſit, in qua penes ipſum Deum ſumma rerum erat. Vnde ſimul patet, hocce Pineae facinus eiusmodi eſſe, quod a nemine mortalium in exemplum trahi debeat. Prolixius hac de re mentem

meam

meam expoſui in diſſertatione, de *iure zelotarum in gente ebraea*, in academia Halenſi anno M DC XCIX ibidem recuſa. Add. & GVIL. SALDENI de eodem argumento diſſertatio, in *otiis* eius *theologicis*, *lib. IV. exercit. I.* Ceterum FLAV. IOSEPHVS, dum & hic ingenio ſuo indulget, multa narrat, quorum in ſcriptura ſacra nullum inuenias veſtigium. Zimri, quem Zambrium vocat, alieno ritu ſacrificaſſe, & alienigena coniuge haud diſſimulanter ſe oblectaſſe, perhibet. Tum conuocatam a Moſe concionem, in qua Zambrius palam factum ſuum defenderit, Moſe nihil quidquam reſpondente, ne hominem inſolentem irritando nouis turbis occaſionem daret. Opportune autem contigiſſe, vt Zambrius cum meretrice, quam palam in tentorium ſuum duxerat, a Pinea interficeretur, cuius exemplo iuuentus ad pulcherrimam virtutis aemulationem accenſa, certatim in eiusdem criminis reos fecerit impetum, & bonam illorum partem ferro confecerit, reliquis peſti inſequuta e medio ſublatis; *antiquitat. iudaic. lib. IV. cap. VI. p. 116.* PHILO Iudaeus itidem auctor eſt, exemplo Pineae concitatos alios, eos, qui illo crimine ſe inuoluerant, interemiſſe: τοῦτο θεασάμενοί τινες τὸ παράδειγμα τῶν τὴν ἐγκράτειαν καὶ θεοσέβειαν ἐζηλωκότων, προστάξαντος Μωϋσέως, ἐμιμήσαντο, καὶ πάντας τοὺς τελεσθέντας τοῖς χειροποιήτοις, συγγενεῖς καὶ φίλους, ἡβηδὸν ἀνελόντες, τὸ μὲν μίασμα τοῦ ἔθνους ἐκκαθαίρουσι διὰ τῆς τῶν προηδικηκότων ἀπαραιτήτου τιμωρίας. *Quo exemplo animati, quotquot aemulabantur pietatem ac continentiam, Moſe quoque iubente, imitati ſunt auctorem vltionis, & omnes ſimulacris initiatos, ſine cognationis amicitiaeque reſpectu, ad vnum deleuerunt, exacto inclementer a noxiis ſupplicio; de vita Moſis lib. I. p. 648.* Sed huiusmodi quid in Moſe non legimus, qui ſolius Pineae meminit, quod ſuum pro nominis diuini gloria, gentisque ſalute, hac ratione demonſtrauerit zelum. Dicitur quidem, facinore a Pinea perpetrato, plagam in Israëlitas cohibitam, qua viginti quatuor hominum millia interierint. At id de plaga diuinitus immiſſa intelligendum eſſe, res ipſa docet. Pineas autem tam praeclari facinoris praemium ampliſſimum retulit. Non tantum enim ab ipſo Deo ideo laudatus eſt, ſed proſpera etiam quaeuis, atque perenne ſacerdotium Deus illi promiſit. Prius indicatur, cum Deus dicit: הנני נתן לו את בריתי שלום, *ecce ego do ei fedus meum pacis*, h. e. ecce, ego do ipſi fedus meum, ſeu paciſcor cum ipſo & polliceor illi *pacem*, proſpera quaeuis & ſalutaria. Poſterius: *& erit ipſi & ſemini eius poſt ipſum* ברית כהנת עולם *fedus ſacerdotii aeterni*, hoc eſt, ad finem vsque reipublicae iudaicae duraturum. Quod & euentu comprobatum. Licet enim ad Eli, qui ex familia Ithamaris fuit, eiusque poſteros, ad tempus dignitas pontificis maximi tranſierit, ad Pineae tamen adeoque & Eleazaris progeniem rediit, Zadoko,

qui

qui ex iſta fuit, a Salomone ſummo ſacerdote conſtituto, vt iam ſupra ad *§. XXV.* obſeruatum eſt. Add. CAROLVS SIGONIVS, de *republ. Ebraeor. lib. V. cap. II.*

§. XXVIII.

Ita Numinis placata ira, ne Midianitae impune, quod in Ebraeos deſignauerant, ferrent, * hi iubente Deo arma contra illos capeſſunt; eosque cum Pinea ** ex improuiſo adgreſſi, vincunt, caeſis maſculis omnibus puberibus, & ad internecionem deletis: quos inter praeter regulos quosdam, principesque eius gentis viros, Bileamus quoque erat, *** direptis praeterea ac incenſis vrbibus omnibus, caſtellis atque pagis. Ad caſtra ſua reuerſi iuſſu Moſis in pueros etiam & mulieres ſaeuierunt, quod nec hisce parcere fas eſſet: ſolae ſeruatae virgines. * Priusquam vero haec expeditio ſuſcepta, tertia vice Iſraëlitarum omnium cenſus initus eſt, mortuis quippe omnibus, quorum nomina priori cenſu deſcripta erant, excepto Ioſua atque Calebo. **

* Non tantum enim per Bileamum diris Iſraëlitas deuouere, ſed per meretrices a veri Numinis cultu auocare conati erant. Quae vtique longe atrociſſima erat iniuria. Hinc iuſſu Numinis bellum in eos ſuſceptum; vid. *Num. XXV. 17. 18.* it. *XXXI. 2.*

** Cum duodecim millibus Iſraëlitarum, quos ex ſingulis tribubus Moſes ſelegerat, Pineam quoque miſſum, diſerte dicitur, *Num. XXXI. 6.* Num vero tamquam belli dux, an tantum vt ſocius? incertum videtur. Belli ducem eum fuiſſe, verba Moſis eo magis ſuadere videntur, quod nullus alius dux commemoretur. Praeclarum etiam fortitudinis ſuae iam ediderat ſpecimen: adeoque non indignus videri poterat, qui exercitui praeficeretur. Neque id inſolens apud Ebraeos, vt ſacerdotes exercitui praeeſſent. Nam & Maccabaei duces non minus erant, quam ſacerdotes, & FLAV. IOSEPHVS, etſi ſacerdos eſſet, ſe ductaſſe exercitum, ſubinde auctor eſt. Alii tamen, Ioſuam ducis munere in hocce bello functum, malunt, cui & hoc conueniebat; vnde, vt diſerte hoc commemoraretur, neceſſe non erat. Pineas autem aderat, vt praeſentia ſua animum militibus adderet, & vt ſacerdotibus reliquis, qui exercitum comitabantur, & ſacra vaſa pariter ac tubas ferebant, praeeſſet. Quod inde etiam confirmatur, quia Pineae mentione facta, ſtatim additur: *& vaſa ſanctitatis ac tubae clangoris in manu eius, Num. XXXI. 6.* Quae quidem verba nonnulli ita explicant, vt per vaſa ſacra nihil aliud, quam tubae intelligantur: aliis autem veroſimilius videtur, arcam federis deſignari, quam Iſraëlitas in bellum profecturos aliquando ſecum ſumſiſſe, conſtat.

*** No-

*** Nomina regulorum iſtorum leguntur *Num. XXXI. 8.* vbi dicitur, quod eos occiderint, על חלליהם *ſuper occiſis eorum*, hoc eſt, quod occiſis reliquis, qui pro regibus iſtis fortiter pugnauerant, ipſos tandem etiam reges occiderint, neminique adeo pepercerint. Ad Bileamum quod attinet, cum *Num. XXIV. 25.* in locum ſuum reuerſus dicatur, neceſſe eſt, eum aut e Meſopotamia ad Midianitas rediiſſe, aut, quod probabilius, cum in eo eſſet, vt in Meſopotamiam reuerteretur, apud Midianitas ſubſtitiſſe, precibus forte illorum inductum, aut vt euentum rerum exſpectaret. Diuino conſilio id factum, vt credamus, par eſt; cum eadem cum Midianitis clade inuolutus, promeritas ſimul ſceleris ſui dederit poenas.

* Si homines ſine Numinis mandato bella gerunt, crudelitatis notam non effugient, ſi in eos quoque, qui illis reſiſtere nequeunt, ſaeuiant. Hinc & rationi & gentium manſuetiorum moribus eſt conueniens, vt in bello omnibus, qui arma ferre nequeunt, aut reapſe non ferunt, multo magis mulieribus & pueris parcatur. Vid. HVGO GROTIVS, de *iure belli & pacis, lib. III. cap. IV. & XI.* Sed cum hocce bellum ab Iſraëlitis iuſſu diuino geſtum ſit, idque in poenam Midianitarum, alia eius fuit ratio, potuitque gens illa penitus deleri. Adultis, ſiue mares, ſiue feminae fuerint, nullam factam eſſe iniuriam, per ſe patet. Illi enim ad minimum conſilium Bileami adprobando, ſi non exſequendo, grauiſſimo crimine ſe obſtrinxerant. Feminae etiam adultae, rerumque hactenus geſtarum conſciae, eadem, qua ſemel hoc fecerant, ratione, ſeducere Ebraeos potuiſſent, ſi fuiſſent ſeruatae. Pueri adultiores facti, ad parentum necem vindicandam conſpirare potuiſſent: poteratque illis perinde eſſe, ſiue morbo, ſiue gladio e medio tollerentur, & forte grauioribus hac ratione calamitatibus eripiebantur. Puellae ſeruari ſine periculo poterant, vtpote non modo ignarae illorum, quae geſta erant, ſed & ad parentum mortem vlciſcendam parum idoneae, facile etiam ad mores & religionem Ebraeorum flectendae. Reliqua, quae poſt hancce victoriam a Midianitis reportatam contigerunt, partim ad exercitus rerumque captarum luſtrationem, partim ad praedae diuiſionem ſpectant. Nimirum non tantum omnes, qui aliquem interfecerant, aut cadauer attigerant, per ſeptem dies ſeorſim caſtra metari, & vna cum puellis captiuis die tertio & ſeptimo aqua luſtrali purificari oportebat, ſed quaecumque etiam hoſtibus abſtulerant, aut igne, ſi eum ferre poſſent, vt metalla, aut aqua luſtranda prius erant, quam caſtris Ebraeorum inferrentur. *Num. XXXI. 19. ſeqq.* Luſtrationes eiusmodi per ignem & aquam apud gentiles etiam in vſu fuiſſe, conſtat, pluribusque comprobat IOAN. LOMEIERVS, de *veter. gentil. luſtrationibus, cap. XVII. p. 223. ſeqq.* Praeda inter milites, qui conflixerant, & reliquum populum diuidebatur, ſumta ex illorum pro ſacerdotibus, ex hu-

huius praeda pro Leuitis portione, praeter res a ducibus oblatas, quae in tabernaculo ad monumentum adſeruatae ſunt. *Num. XXXI. 26. ſeqq.*

** Vid. *Num. XXVI.* Tribus vicibus omnium Israëlitarum cenſum initum, iam ſupra ad *§. XX. huius ſectionis* obſeruauimus. Vltima vice hoc ideo factum, vt agri in terra cananaea mox occupandi, eo rectius inter Israëlitas diuidi poſſent. Filiabus praeterea Zalapheadi hereditas paterna, maſcula prole deficiente, decernitur, eaque occaſione de iure ſucceſſionum lex fertur, *Num. XXVII. 1--11.* Moſi mors denuntiatur, & Ioſua ſucceſſor eius deſignatur, cui ille manus imponit, mandatisque eum inſtruit, *Num. XXVII. 12--23. Deut. III. 26. ſeqq.* Quae omnia priusquam bellum Midianitis inferretur, contigerunt. Sed leges quoque variae, a Deo latae, *Num. XXVIII. XXIX. XXX.* ad hocce temporis interuallum pertinent.

§. XXIX.

His ita geſtis, Rubenitae & Gaditae, cum dimidia parte tribus Manaſſes, agros ad ortum Iordanis ſitos, vtpote pinguibus paſcuis refertos, alendisque pecoribus aptos, a Moſe obtinuerunt, ea quidem lege, vt armati certo numero reliquos Israëlitas trans Iordanem comitarentur. * Moſes autem, vt populum rite ad poſſeſſionem terrae promiſſae capeſſendam praepararet, varias conſtitutiones huc ſpectantes edidit: ** tum vero, cum adhuc eodem in loco cis Iordanem haererent, repetitis prolixa oratione & expoſitis legibus diuinis, quas Ebraeis Deus dederat, aliisque, quae illis in memoriam reuocare ante obitum ſuum conſultum ducebat, commemoratis, additis grauiſſimis adhortationibus, comminationibusque, populo tandem valedixit, *** monteque Nebo conſcenſo, cum terram cananaeam contemplatus eſſet, obiit. *

* *Num. XXXII.* conf. *Deut. III. 12. 20. Ioſ. XIII. 8--12.*

** De Cananaeis ſcilicet, eorumque idolis exſtirpandis, *Num. XXXIII. 50. ſeqq.* poſtquam in eodem capite itinera & ſtationes Israëlitarum in compendio commemorauerat; de terrae trans Iordanem terminis, rationeque eam diſtribuendi, *cap. XXXIV.* itemque de quadraginta octo ciuitatibus Leuitarum, & ſex refugii, quarum tres cis Iordanem ipſemet Moſes deſignauit, *Num. XXXV.* & *Deut. IV. 41. ſeqq.*

*** Die primo menſis vndecimi, anni ab exitu ex Aegypto quadrageſimi, Moſes in campeſtribus Moabitarum ea ad Israëlitas loquutus eſt, quae ab initio *Deut.* vsque ad *cap. IV. 40.* continentur: tum continuato ſermone, quod diuerſis vicibus factum eſſe, vt credamus, res ipſa poſtulat, ea adiecit, quae ad *cap. XXVII.* vsque legimus. Eratque iſta legum diuinarum repetitio eo magis neceſſaria, quod plerique

Iſraelitarum, quibus prima promulgatio facta, iam mortui erant. Tum Iſraëlitis praeceptum de lapidibus, altaris in modum, traiecto Iordane erigendis, diuiniſque legibus eis inſcribendis datum; ritusque benedictionis in monte Ebal praeſcriptus, additis promiſſionibus, ſi legem Dei obſeruaſſent, & comminationibus, ſi eam migraſſent, *Deut. XXVII.* & *XXVIII.* Renouatum quoque fedus fuit, cum Iſraëlitis in Horebo pactum, veniaque delictorum iis, quos eorum poeniteret, promiſſa, rebellibus & peruicacibus denuo poenae grauiſſimae denuntiantur; *Deut. XXIX. XXX.* Reliqua ad vltima Moſis pertinent.

* Quod iam ſupra *§. X. huius ſectionis* pluribus expoſitum.

§. XXX.

Et haec quidem populi ebraei in tam diuturna & difficili per annos quadraginta peregrinatione, fuere fata praecipua. In qua vt per innumera prodigia & miracula, ſingularem Numinis, quam pro hacce gente geſſit, curam & beneuolentiam experti ſunt; ita illud maxime admiratione dignum, quod & cibus & potus mirabili ratione illis obtigerint, * nec veſtes neceſſariae defuerint, ** nec corporum vis in itineris longe difficillimi moleſtiis tolerandis defecerit; *** ne quid de angeli, viam praemonſtrantis, idque per nubem interdiu, & noctu per columnam ignis, praeſentia dicam, quippe quod ſupra iam attigimus. *

* Cibus quidem ſemper, cum manna illis vsque ad ingreſſum in terram Canaan, bis etiam coturnices ad ſatietatem vsque, ſuppeditarentur. Potum autem, cum aqua deficeret, pe[illegible] bis praebuit. Conferenda quae diximus ad *ſectionis huius §. XVI. XVII.* & *XXIV.*

** Id a Moſe ipſo indicatur, *Deut. VIII. 4.* cum dicitur: שמלתך לא בלתה מעליך *veſtimentum tuum non inueterauit a te.* Quae verba nonnulli ita capiunt, ac ſi veſtes, quibus induti fuerunt Iſraëlitae, cum ex Aegypto egrederentur, numquam vſu fuerint detritae; conf. & *Deut. XXIX. v. 5.* Addunt Ebraeorum magiſtri, eas cum ipſis corporibus creuiſſe, idque exemplo cochleae perſuadere conantur, nec lotione vlla opus habuiſſe, nube ignea quippe perfricatas ac dealbatas, nec genuiſſe pediculos, aut ex ſudore oluiſſe, fuiſſe denique ſplendidiſſimas, ab ipſis quippe angelis confectas. Teſtimonia eorum hac de re praeter alios adfert vir clariſſimus HERMANNVS VON DER HARDT, in *ephemerid. philolog. diſcurſ. XII. p. 159.* Digna haec ſunt ingenio Iudaeorum, quibus tamen hactenus nonnulli etiam ex chriſtianis, ſuffragari non dubitarunt, quod veſtes Iſraëlitarum neutiquam fuerint detritae, & cum corporibus etiam eorum creuerint. Ex ipſis pa-

patribus ita ſentiunt IVSTINVS, TERTVLLIANVS, THEODORETVS, CHRYSOSTOMVS, aliique, quorum teſtimonia adferunt, quos deinceps laudabimus, auctores. Immo IVSTINVS martyr, veſtimenta Ebraeorum non modo non attrita, ſed iuniorum etiam vna cum ipſis creuiſſe, diſerte adſerit, in *dialogo cum Tryphone Iudaeo, p. m. 361.* Ergo non dubito, quin diuini Numinis circa hancce gentem prouidentia vel maxime in eo eluxerit, quod nec alimenta, nec veſtimenta, quamdiu in deſerto commorata eſt, eidem defuerint. Miracula autem ſine neceſſitate non eſſe ſtatuenda, arbitror, ne profanorum hominum ludibrio religionem chriſtianam exponamus. Cuius rei exemplum luculentiſſimum hic praebuit ISAACVS PEYRERIVS, qui, argumentum hic ſibi inueniſſe viſus eſt, in quo ingenii petulantiam exerceret; *ſyſtem. praeadam. lib. IV. cap. VI.* Quam hominis profani impietatem ſerio deteſtamur. Iudaeorum vtique commenta, qui adprobant, quotidie in ſingulis Iſraëlitis maxima miracula perpetrata admittant, neceſſe eſt. Quod dignum profecto fuiſſet, vt paullo luculentius a Moſe exponeretur. Ex eius contra verbis ne vnum quidem miraculum colligas. Nihil enim aliud dicit, quam: *veſtimentum tuum non inueterauit a te.* Quod vtique de illo etiam dici poteſt, cui nouarum veſtium copia ſemper ſuppetit. Iam ſi cogitemus, Iſraëlitis oues fuiſſe plurimas, adeoque ingentem lanae copiam, nec defuiſſe inter eos textores, aliosque opifices, ſed nec ab aliarum gentium commercio adeo eos remotos fuiſſe, vt non adquirere potuerint, quae tegendis corporibus inſeruiunt, quaenam ad eiusmodi miracula ſtatuenda nos cogat neceſſitas, non video. Solet etiam Deus non ſine neceſſitate miracula edere. Nec tamen nego, difficultates quasdam in hisce comparandis intercedere potuiſſe; in quibus ſuperandis diuinam illis prouidentiam ſingulari quadam ratione adfuiſſe, exiſtimo, quam adeo merito & Moſes praedicat. Et in hanc quoque ſententiam haud obſcure inclinat IO. CONRADVS DANHAVERVS, nihil aliud ſcilicet a Moſe indicari, quam diuina prouidentia veſtium copiam, quae omnibus ſufficeret, Iſraëlitis obtigiſſe; in libro, *praeadamita quis, p. 518.* add. A TON. BYNAEVS, de *calceis Ebraeorum, lib. II. cap. IX.* FRANC. BVRMANNVS, ad *Deut. VIII. quaeſt. I.* it. HERMANNVS VON DER HARDT, *loc. cit.* Recte FRIDERICVS SPANHEMIVS, hac de re verba faciens, & diuinae prouidentiae effectus ſingulares, quos Iſraëlitae experti ſint, ediſſerens *quamquam*, inquit, *ita adoranda hic venit prouidentia Dei, vt tamen conſendum ſit non defuiſſe Iſraëlitis in longa illa peregrinatione, media omnia ſuppeditata e. g. aut ex deuictis gentibus, aut ex animantium pellibus, lana, pilis, &c. ſiue vt compararent ſibi calceamenta, vel ὑποδήματα, aut repararent detritas veſtes, vel conficerent nouas; quemadmodum nihil illis defuit ad conſtruendum tabernaculum ex Moſis praeſcripto, &c. hiſtor. eccleſ.*

veter. teſtam. epocha IV. num. VI. p. m. 330. Non itaque vitio mihi verti debebat, quod Iudaeorum, miracula ſine neceſſitate fingentium, commenta exploſerim. Sed hac in re cauſſam meam luculenter egit vir doctiſſimus IO. IACOBVS SVRBIVS, in *der ausführlichen Abfertigung, &c. §. XIV. p. 79. ſeqq.* Non equidem neſcio, quae IOAN. MARCKIVS, *exercit. bibl. exercitat. XIV.* & nuper vir doctiſſimus SAL. DEYLINGIVS, *obſeruation. ſacrar. part. II. obſeruat. XVII. p. 184. ſeqq.* in contrarium diſputant; ſed ea ita comparata eſſe exiſtimo, vt haud difficulter dilui queant. A cibo enim, quem Iſraëlitis per miraculum ſuppeditatum certiſſime conſtat, nondum colligere licet, idem de veſtimentis factum, de quibus id tam aperte non legitur.

Ceterum vt conditio Iſraëlitarum in deſerto, vitaeque, quam ibi tenuerunt, ratio eo rectius intelligatur, non abs re, nec a loco hocce alienum erit, obſeruare, pleroſque equidem exiſtimare, totum illud deſertum, in quo Iſraëlitae per annos quadraginta peregrinati ſunt, fuiſſe ſterile, arenoſum, vel ſabuloſum potius. Idque ipſemet paſſim videtur innuere Moſes, cum deſerti huius meminit. Sic *Deut. I. 19.* dicitur: *Et profecti ſumus Chorebo, & peragrauimus totum hoc MAGNVM & TERRIBILE DESERTVM, quod vidiſtis &c.* Et iterum *cap. VIII. 15. Qui te duxit per DESERTVM hoc MAGNVM & TERRIBILE, in quo ſerpentes, cherſydri & ſcorpiones ſunt, eſtque ſiticuloſum penuria aquae.* Haec aliaque loca plerique ita capiunt, ac ſi totum illud, quacumque patet, & vbicumque iter fecerunt Iſraëlitae, deſertum, ſterile fuerit atque arenoſum. Sed id ſibi neutiquam velle Moſen, alii viderunt monueruntque. Fuiſſe enim hoc deſertum ex parte habitabile, cum & Iſmaëlitae, & quos ex Kethura Abrahamus genuit, & ex Eſaui poſteris Amalekitae ibi ſedes ſuas habuerint. De Iſmaële enim diſerte *Gen. XXI. 21.* dici, eum habitaſſe *in deſerto Pharan.* Praeterea non vſque quaque & in omnibus locis ſterile & arenoſum illud deſertum fuiſſe, inde liquere, quod Iſraëlitae ex Aegypto egredientes integros greges ouium atque armentorum ſecum duxerint, *Exod. XII. 38. XVII. v. 3.* Quibus omnibus pereundum fuiſſet, ſi ſterile prorſus in omnibus locis deſerti iſtius fuiſſet ſolum. Has aliaſque rationes cum contra vulgarem ſententiam attuliſſet vir clariſſimus CAMPEGIVS VITRINGA, ſuam de iſto deſerto ita exprimit: *Si quis pede fixo in ora maritima inter Peluſium, ſiue potius montem Caſium & Gazam inde recta iter inſtituat verſus euro-notum ſiue vulturnum, hoc deſertum Arabiae Petraeae, quod medium interiacet inter Aegyptum & Cananaeam, ab occidente in orientem peragraturus; illi primo occurrit ſolum vaſtae extenſionis, plane arenoſum & ſabuloſum, omnimode ſterile, quod absque ſubſidio iumentorum non niſi ſumma cum difficultate pedibus hominum calcatur; quodque proinde habitabile non eſt, & hominibus aut animantibus alendis ineptum.* Has ſi per-

peruaſeris arenas, offendit te alterius ingenii terrae ſolum, firmius, durius, ſolidius, ſed ipſum quoque magnam partem ſterile & infrugiferum, pariter vaſte extentum, & plurium dierum itineris ſpatium complexum, medium inter fauces extremas ſinus Arabici & Cananaeam; quod tandem excipit terra ſoli petroſi, in qua varii iique ſublimis verticis montes, quos inter hiſtoria ſcripturae commendat Pharanis illos, & Sinai, ac Horebi, inter quos conualles ſubinde ſatis amoenae nec infrugiferae. Patet inde, iter meditantem ex Aegypto in Palaeſtinam recte & absque circuitione conficiendum euitare non poſſe, quin deuoret moleſtiam peruadendi ſabuloſam illam eremum, quae Aegyptum a Palaeſtina diuidit, &c. Sed ſi quis ex Aegypto vel ſinum traiiciat Arabicum, vel eundem circumeat, iter vertens in orientem, vel euro-notum (quorum prius Israëlitis contigit) inde vero flectat in ſeptemtrionem, hic ſabulum vitans interiorem illam ſolitudinem ingreditur, vaſtam illam, ſterilem maximam partem, incultam, quae nec ſeritur, nec aratur: attamen hic illic rarius pabulum praebet gregibus pecudum & armentis camelorum, maxime, qua parte deſertum hoc montoſum eſt; obſeru. ſacrar. lib. V. cap. XV. p. 183. Et haec quidem auctor doctiſſimus veterum pariter ac recentiorum teſtimoniis abunde confirmat, lucem mea opinione haud contemnendam, ſi rem ipſam ſpectes, Israëlitarum in deſerto peregrinationi affundens.

*** * Huc videtur referri poſſe, quod *Deut. VIII. 4.* dicitur: ורגלך לא בצקת *& pes tuus non intumuit his quadraginta annis.* Verbum בצק vulgo *intumeſcere* vertunt, ob deriuatum בצק quod maſſam farinae fermento tumeſcentem ſignificat. IACOBVS GVSSETIVS autem docet, & rationibus probat, verbum hoc de tumoribus pedum intelligi non poſſe, ſed contuſionem potius notare, quae fit carni plantarum, dum in terram premitur duritie oſſium, & pondere corporis, a pede hominis diu ambulantis, idque non ſine humiditatis acceſſione; *comment. ling. ebr. p. 143.* Nec procul hinc abire videntur LXX interpretes, vertentes: *ἐτυλώθησαν, occalluerunt;* & vulgatus: *pes tuus eſt ſubtritus.* Id manifeſtum eſt, hoc Moſen ſibi velle, pedes illorum laeſos non fuiſſe; quod cum per miraculum fieri potuerit, ſi Deum pedes nudos, quibus absque calceis incedebant, conſeruaſſe dicamus, nil tamen obſtat, quo minus & ita intelligamus, ſingulari Numinis prouidentia factum, ne calcei deeſſent, quibus pedes contra quaeuis itinerum incommoda munirent. Immo ita intelligendum eſſe, ex *Deut. XXIX. 5.* conſtat aperte. Quod enim hic dicitur, *pes tuus non intumuit*, ibi explicatur: *calceamentum non inueterauit in pede tuo.* Vnde & quod de pedum corporumque corroboratione dictum, ex hoc quidem loco probari nequit; res tamen ipſa id ſatis docet.

* ad *ſectionis huius* §. XIV.

§. XXXI.

§. XXXI.

Iam quod ad veram religionem, qualis hoc temporis interuallo fuit, attinet, ſummam eius aeque ac in religione patriarcharum, abſoluebat fides in Meſſiam, patribus promiſſum, ex gente iſraëlitica, tempore a Deo definito naſciturum, hominumque ſuo ſanguine expiaturum crimina. Cuius quidem doctrinae, federis gratiae fundamentum continentis, luculenta in hacce ſacrae hiſtoriae parte occurrunt documenta: * immo totus legum caerimonialium adparatus huc praecipue comparatus fuit, vt Meſſias, cum beneficiis ſuis, hominum generi exhibendis adumbraretur, & typis variis ac imaginibus repraeſentaretur, ac oculis velut Iſraëlitarum ſubiiceretur. ** Interim per has ipſas leges caerimoniales noua federis gratiae orta eſt oeconomia, *** ad Meſſiae vsque aduentum, ad quem iſtae leges ſe referebant, duratura. Sed id quoque ceu peculiare acceſſit, quod, cum hactenus viua voce ac traditione, doctrina vera a patriarchis viriſque ſanctis propagata eſſet, nunc ea, initium faciente Moſe, * litteris conſignari coeperit, vt inter tot fata, quae poſtea ſubitura eſſet, eo certius conſeruaretur. Religio autem iſta Ebraeorum, etſi veriſſima pariter ac ſanctiſſima, multis tamen ethnicorum calumniis ſequenti aetate expoſita fuit. **

* Hoc paucis demonſtrandum eſt. Res autem omnis eo praecipue redit, promiſſum hominibus ſeruatorem, qui Deus & homo eſſet, hominumque ſuo ſanguine expiaturus eſſet peccata. Isque cum filius Dei ſit, plures vna in diuinitate ὑποστάσεις eſſe, neceſſe eſt. De hocce itaque Dei filio, qui & hominum ſeruator futurus eſſet, varia itidem eaque luculenta in hacce ſacrae hiſtoriae parte occurrunt teſtimonia. Angelus enim ille increatus, qui Iſraëlitis viam in deſerto monſtrauit, & genti huic ſpecialiori quadam ratione praefuit, non alius fuit, quam ipſe Dei filius. Hoc cum iam ſupra ad *§. III. & VIII. huius ſectionis* comprobatum ſit, non neceſſe eſt, vt hic repetamus. Rem omnem extra dubitationem ponit clariſſimum illud Moſis oraculum, quo prophetam ſibi ſimilem Ebraeis promittit, cui obtemperare omnes debeant. *Prophetam*, inquit, *de gente tua, & de fratribus tuis ſuſcitabit Deus, ipſum audies, Deut. XVIII. v. 15.* Non me fugit, quam ſe hic in omnem vertant partem Iudaei, & nonnulli ex chriſtianis interpretibus, ne de Meſſia, ſpeciatim Ieſu Nazareno, haec verba intelligenda eſſe, fateri cogantur. Nonnulli vocem *prophetae* collectiue exponendam putant, ac ſi de prophetis omnibus, ſucceſſiue in gente iſraëlitica excitandis, Moſes loqueretur. Ita praeter alios diſerte hunc locum peruertit R. LIPPMANNVS, Iudae-

daeorum facile petulantiſſimus, in libro *Nizachon num. CXXXVII.* Nec alienus ab hac ſententia eſt HVGO GROTIVS, &, qui eius hac in re veſtigia legit, vir doctiſſimus, IO. CLERICVS, vterque ad *h. l.* Alii ex ipſis quoque Iudaeis, vnum prophetam intelligi, concedunt, ſed hunc aut Ioſuam, aut Ieremiam eſſe, contendunt. Priori ſententiae R. ABEN ESRA, poſteriori R. ISAAC ABARBANEL ſubſcribit. Verum hos omnes in magno verſari errore, haud difficulter demonſtrari poteſt. Etſi enim ceteroquin haud inſolens ſit, vt per enallagen ſingularis numerus pro plurali ponatur, id tamen & hoc loco obtinere, ex ipſo contextu, vbi Moſes ſemper in ſingulari numero loquitur, & pluralis nulla nota occurrit, colligere non licet. Immo repugnant diſerte, quae de hocce propheta dicuntur, quod excitandus ſit e medio populi iſraëlitici, ex fratribus ſuis. Quae ſuperuacanea eſſent, & nihil ſignificarent, ſi de integro prophetarum choro ſermo eſſet; immo vnum quemdam prophetam indicari, aperte oſtendunt. Sequeretur etiam inde, ſingulos prophetas, quos deinceps Deus excitauit, Moſi fuiſſe ſimiles; quod certe eſt falſiſſimum; ne dicam, quod ex veris prophetis etiam quidam deſciuerint & mentiti ſint, vnde quod omnia, quae illis dominus loquutus eſt, dixerint & non alia, & quod in omnibus Iſraëlitae illis obedire debuerint, adſeri nequit. Quarum quidem rationum vim ex ipſis Iudaeis percipiunt, qui Ioſuam potius, aut Ieremiam, quam generatim omnes prophetas intelligere malunt. Quamquam nec horum felicius procedat ſententia, cum nec Ioſua, nec Ieremias Moſi comparari queat, veriſſimumque ſit, quod *Deut. XXXIV. 10.* dicitur: *non ſurrexiſſe amplius prophetam in Iſraële, ſicut Moſes.* In Ieſum contra Nazarenum omnia aptiſſime quadrant. Cum Moſe Deus loquutus eſt a facie ad faciem, quae ſingularis eius prae vatibus reliquis fuit ἐξοχὴ *Num. XII. 8.* Chriſtus, filius Dei μονογενὴς, quae in ſinu patris didicit, nobis adnuntiauit; *Ioan. I. 18.* Miracula, quae Chriſtus edidit, ſiue numerum, ſiue praeſtantiam ſpectes, miraculis Moſis non cedunt, immo in tantum ſuperant, in quantum propria virtute aliquid perficere, praeſtat, quam aliena. Magna denique gloria Moſis fuit, ſed in gente iſraëlitica: Chriſti longe maior, cuius laudibus vniuerſus orbis, tot gentibus cultui eius deditis, perſonat. Nec Iudaeorum illud ſophiſma hic quemquam morabitur, obuertentium, cum noſtra ſententia Ieſus Moſe multo maior ſit, verus quippe Deus, non poſſe ei ſimilem dici. Nam qui maior eſt, ea omnia habet, quae in minori ſunt, & hactenus ei ſimilis dici poteſt, licet ſimul amplius quid habeat, quo illum ſuperat. Illis denique, qui ſe chriſtianos profitentur, libroſque adeo noui teſtamenti recipiunt, hac de re dubitare, prorſus nefas eſt. De Chriſto enim Moſen loqui, Petrus atque Stephanus protomartyr, diſerte teſtantur, ille quidem *Actor. III. 22.* hic autem *Actor. VII. 37.*

Immo ipſe ſeruator haud obſcure huc reſpicit *Ioan. V. 46.* Idque porro conſtat, cum Chriſtus non tantum magnus propheta fuerit, ſed & paſſim ita vocetur, *Luc. VII. 16. XXIV. 19.* alibique, qui e medio fratrum ſuorum eſt excitatus, *Luc. VII. 16. Rom. IX. 5.* qui vt Moſes in tota Dei domo fidelis fuit, *Ebr. III. 2.* & quae a patre ſuo acceperat, eloquutus eſt, *Ioan. VIII. 26. 28.* cuius adeo vocem audire omnes debeant, vt eradicandus etiam ſit e populo ſuo, qui eidem non obtemperauerit, *Matth. XVII. 5. Actor. III. 23.* Quare & non ſine ratione antiqui eccleſiae doctores, IVSTINVS martyr, TERTVLLIANVS, LACTANTIVS, EVSEBIVS, aliique, quorum iam ab aliis loca allegata ſunt, Moſen de Chriſto ſeruatore loqui, agnouerunt, quod & res ipſa docet. & plurimi ex recentioribus luculenter demonſtrauerunt, vt praeter ABR. CALOVIVM, ad *h. l.* PETRVS DANIEL HVETIVS, ad ductum EVSEBII, *lib. III. demonſtrat. euangel. cap. II.* comparationem inter Chriſtum & Moſen inſtituens, *demonſtr. euang. prop. IX. cap. CLXX. §. XII. p. 1065.* SEB SCHMIDIVS, in *colleg. bibl. priori p. 281. ſeqq.* HERMANNVS WITSIVS, *de oecon. feder. diuinor. lib. IV. cap. XIV.* add SAL. DEYLINGIVS, *obſeruation. ſacrar. part. II. obſeruat. XVI. p. 175. ſeqq.*

Non minus illuſtre eſt oraculum illud de ſtella ex Iacob oriunda, *Num. XXIV. 17.* Etſi enim illud a Bileamo profectum ſit; in gratiam tamen Iſraëlitarum haud dubie a Moſe fuit litteris conſignatum. Vnde &, quaenam fides Ebraeorum fuerit, tuto hinc colligere licet. Cumque dubitari nequeat, ſtellae vocem improprie hic capiendam, quisnam hacce imagine exhibeatur? diſputari ſolet. Non deſunt, qui cum Iudaeis Dauidem intelligunt, qui fuerit quaſi lux quaedam in tenebris micans, & cui ſceptrum Iſraëlis ſingulari quadam ratione obtigerit, qui & Moabitas percuſſerit, & eos ſibi tributarios fecerit, *II. Sam. VIII. 2. Pſalm. LX. 10.* Alii, ne nimis veritati repugnare videantur, litteraliter de Dauide, myſtice de Chriſto, haec verba intelligenda eſſe, contendunt. Sed falluntur vtrique; cum haec verba nullatenus Dauidi conueniant. Non enim Moabitarum principes (ita enim ONKELOS, LXX aliique verba ebraea פאתי מואב recte reddunt) multo minus omnes filios Seth percuſſit atque vaſtauit penitus; ſed nec vniuerſa Idumaea hereditas eius & poſſeſſio fuit, nec reliquas ciuitates perdidit. De Meſſia contra ſi intellexeris, omnia recte ſe habent. Is *ſtellae* nomine ſubinde in ſcriptura ſacra venit, *Apoc. XII. 16. II. Petr. I. 19.* immo *ſol iuſtitiae* vocatur, *Mal. IV. 2.* conf. *Eſa. IX. 2. Ierem. XXIII. 5. Zach. III. 8.* Eiusmodi quid de Dauide non legas. Meſſiam ex gente Iacobi oriundum, ſceptrumque Iſraëlis eius, qui eſt ſecundum ſpiritum, tenuiſſe & adhuc tenere notum ſatis eſt. Confregit idem principes Moab, idololatras vicit. & deſtruxit, quantumuis magna illorum in mundo poteſtas eſſet & auctoritas. Immo omnes filios Sethi, hoc eſt, omnes homines

mines

Digitized by Google

mines ſuo imperio ſubiecit, nonnullos quidem per fidem, qui verbis eius morem gerunt, reliquos ad aeternos cruciatus ceu ſupremus omnium iudex damnando. Hinc nec *Edomitae*, iurati ceteroquin fidelium hoſtes, nec *reliquae ciuitates*, ſeu gentes, quaecumque demum fuerint, eius ſe ſubtrahere imperio poterunt. De Meſſia etiam hocce oraculum interpretantur ex ipſis Iudaeis ONKELOS, IONATHAN, atque interpres Hieroſolymitanus, aliique. ORIGENES auctor eſt, Samaritanos hoc inter alia vaticinio inductos, Meſſiae aduentum exſpectaſſe, quod de eo intelligendum eſſe, ipſemet comprobat, *tom. XIV.* in *Ioan. p. 219.* edit. PETRI DANIELIS HVETII. Non minus & EVSEBIVS in eo totus eſt, vt de Chriſto hocce vaticinium explicet; *demonſtrat. euangel. lib. IX. cap. I.* vbi in eam ſimul ingreditur ſententiam, Bileami ſucceſſores hocce vaticinio, quod inter eos conſeruatum ſit, commotos, cum in caelo ignotum quoddam ſidus ad perpendiculum Iudaeae conſpexiſſent, eo properaſſe, vt regem per ſtellam illam ſignificatum adorarent. Cui tamen plurima obſtant ſententiae. Namque magi, qui Ieſum infantem adorarunt, perperam Bileami ſucceſſores, aut ex Meſopotamia aduentaſſe dicuntur: nec certiora ſunt, quod hoc vaticinium inter eos fuerit conſeruatum, & quod eodem commoti, conſpecta ſuper Iudaeam ſtella, eo properauerint. Sed haec diſcutere, huius loci non eſt.

Ex dictis abunde conſtat, inter Iſraëlitas doctrinam de Meſſia ſatis notam fuiſſe. Iam, vt, quaenam illorum religio fuerit, in compendio indicemus, I) crediderunt, vnum eſſe Deum, creatorem caeli & terrae *Deut. VI. 4.* Quod de vnitate Dei dogma ſaepius illis & ſeueriſſime inculcatum fuit, eo, quod idololatria & πολυθεότης apud reliquas orbis gentes vehementer inualuiſſet; conf. *Exod. XX. 3. 4. 5.* II) In vna eademque eſſentia diuina plures eſſe ὑποςάσεις, quarum altera filius Dei, angelus ille increatus, genti iſraëliticae ſpecialiori ratione praefuit, eique viam in deſerto monſtrauit. III) Vnum huncce eumque verum Deum ſupra omnia, ceu ſummum bonum, toto corde, tota anima, viribusque omnibus amandum eſſe; *Deut. VI. 5.* quemadmodum & reliqui homines omnes, ſincero amore proſequendi ſint; *Leuit. XIX. 18.* In quibus ſumma agendorum ſeu officiorum, quae lege diuina ab omnibus requiruntur, conſiſtit. IV) Cum vero nemo mortalium Deum, ita, vt decet, amare, adeoque nec legem ſeruare queat, ne pereundum miſere omnibus eſſet, Meſſiam, ſeu filium ſuum, humanam naturam adſumturum, Deum illis deſtinaſſe, qui ſanguine ſuo mortalium expiaturus eſſet crimina Ad cuius rei adumbrationem, ſacrificia, aliique ritus ſacri ſpectabant, vt mox ex inſtituto demonſtrabimus. V) Vnde porro ſequitur, ſuis operibus neminem placere Deo, aut iuſtitiam atque ſalutem conſequi poſſe; ſed iis demum, qui vera fide Meſſiae meritum apprehenſuri eſſent, ſalutem obtingere, quod

quod & aenei ſerpentis imagine illis eleganter ſignificatum; *Num. XXI. 8. 9.* vi) Interim ab omnibus requiri, vt animum gratum erga Deum, obſequiumque promtum demonſtrarent, idque non tantum ſecundum generalia, ſed & ſpecialia officia, quae iſta foederis gratiae oeconomia, quae tum introducta erat, requirebat. Atque haec ſunt ſumma religionis israëliticae capita, ex quibus reliqua facile deriuari poſſunt.

** De cauſſis equidem & rationibus legum caerimonialium, quas Deus per Moſen Ebraeis dedit, non vna virorum doctorum eſt ſententia. Fuerunt, qui eas reiicerent plane ac damnarent. Veteres certe haeretici, Simoniani, & Caiani, & Archontici, & Cerdoniani, & Marcionitae, & Apellitae, & Manichaei, dum totum vetus teſtamentum reiiciebant, illudque a malo principio ortum contendebant, profecto de legibus caerimonialibus praeclare ſentire non poterant. Immo has vel maxime aut πρόφασιν, aut occaſionem, erroris ſui de duplici principio defendendi, illis praebuiſſe, probari facili negotio poſſet. Sed hac de re ex inſtituto a me dictum in *diſſert. de praerogatiuis fidel. noui teſtamenti prae fidelib. vet. teſtam. §. XXXIII.* Alii, ad minimum ratione omni deſtitutas fuiſſe haſce leges, contenderunt, easque pro vanis, inanibus & prorſus ludicris habuerunt ritibus. Huc gentilium quorumdam calumniae & exprobrationes ſpectant, de quibus deinceps dicemus. Diſputat contra hoſce NATALIS ALEXANDER, *hiſtor. eccleſ. veter. teſtam. aetat. IV. diſſertat. III. p. 404. ſeqq.* Suntque profecto in Numinis ſapientiam iniurii, & manifeſtae impietatis rei, qui ita ſentiunt. Quid enim indignius Numine diuino cogitari poteſt, quam quod leges prorſus nugatorias populo ſuo dederit, ſi modo eiusmodi homines eas pro diuinis habent, aut omnino Deum eſſe credunt. Alii, rationes certas legibus hisce ſubfuiſſe, credunt, ſed in iis adſignandis, tum ab aliis, tum a veritate ipſa disſentiunt. In his cumprimis commemorandi ſunt, qui legum caerimonialium originem a gentilibus, ſpeciatim ab Aegyptiis repetunt, conſultum Deo viſum adferentes, ea, quibus adſueti Israëlitae erant, aut tolerare aut adprobare, aut ad meliorem vſum transferre, cum gentis iſtius duritiei & peruicaciae aliquid dandum eſſet, nec flecti aliter, niſi eius imbecillitati aliquid concederetur, ad meliorem mentem poſſet. Patres quosdam, ſeu veteres eccleſiae doctores, non procul ab hac abfuiſſe ſententia, negari nequit. Omnium inſtar ſit CHRYSOSTOMVS: μὴ τοίνυν ἀνάξιον εἶναι νομίσῃς τοῦ Θεοῦ τὸ δι᾽ ἀστέρος αὐτοὺς καλέσαι· ἐπεὶ οὕτω καὶ τὰ ἰουδαικὰ πάντα διαβαλεῖς, καὶ τὰς θυσίας, καὶ τοὺς καθαρμοὺς, καὶ τὰς νεομηνίας, καὶ τὴν κιβωτὸν καὶ τὸν ναὸν δὲ αὐτόν· Καὶ γὰρ ἐξ ἑλληνικῆς ταῦτα παχύτητος ἔλαβε τὴν ἀρχήν. *Ne opineris Deo indignum, quod magi per ſtellam vocentur: hoc enim modo omnes Iudaeorum caerimonias, omnesque ritus & ſacri-*

ſacrificia, & purificationes, neomenias, & arcam, templumque ipſum reprobabis. Si quidem haec omnia originem a gentium ruditate traxerunt. Exiſtimat nimirum doctor facundiſſimus, vt ex iis, quae addit, liquet, Deum ſe coli paſſum per ea, per quae illi antea daemones coluerant, aliquantulum illa in melius inflectendo, vt eos paullatim a conſuetudine ſua auocaret, & ad philoſophiam altiorem perduceret; *homil. VI. de ſtella, quam viderunt magi.* Similia fere apud IVSTINVM martyrem, *dialogo cum Tryphone Iudaeo, p. 183. 237. 240.* ORIGENEM, in *Num. XXIV. hom. XVIII. ſub fin.* TERTVLLIANVM, *adu. Marcionem lib. II. cap. XVIII.* CYRILLVM, de *adoratione, lib. XVI.* HIERONYMVM, in *Eſa. cap. I.* & *Ezech. XX. 25.* THEODORETVM, de *curat. Graec. adfect. ſerm. VIII.* aliosque legas, qui paſſim laudantur ab iis, qui recenriori aetate eamdem ſententiam defendendam ſuſceperunt. Nec defuerunt ex Iudaeis, qui eadem ſenſiſſe videntur, vt MOSES MAIMONIDES, *moreh neuochim part. III. cap. XLV.* quod & inter recentiores, quorum plerique ὡς ἐν παρόδῳ ſaltem in hoc argumento verſati ſunt, magno conatu egit IOAN. SPENCERVS, in opere notiſſimo multaque eruditione referto, de *legibus Ebraeorum ritualibus, & earum rationibus.* Nec abs re fuerit, aut ab inſtituto noſtro alienum, rationes, quibus vtitur, paucis excutere. Idque vt rite fiat, vt mentem eius ignoraſſe videamur, nobis committendum non eſt.

Nimirum, poſtquam *lib. I.* de rationibus legum & rituum iudaicorum generalibus diſſeruiſſet, & poſt multas alias *cap. XI.* demum ſtatuiſſet, myſteriorum adumbrationem fuiſſe finem ſecundarium legum Moſaicarum, *libro II.* probare adgreditur, Zabiorum ritus multis legibus Moſaicis occaſionem dediſſe; *libro* vero *III.* euincere conatur, Deum in legibus quam plurimis, gentium, praeſertim Aegyptiorum, moribus atque inſtitutis ſe attemperaſſe. Idque ne fruſtra adſeruiſſe videatur, varias rationes *lib. III. diſſertat. I. cap. I. p. 763. ſeqq.* in medium adfert, quibus hancce ſententiam ſuam comprobet. Et primo quidem loco prouocat ad verba Moſis *Deut. IV. verſ. 7. 8. Nam quae gens maxima eſt, cui Dii propinqui ſunt ei, ſicut Iehouah Deus noſter, in omnibus, pro quibus inuocamus eum? aut quae gens maxima eſt, quae habet caerimonias & iudicia iuſta, ſicut eſt tota haec lex, quam ego propono vobis hodie?* Horum namque verborum hunc ſenſum eſſe putat, cum Iſraëlitae, exemplo aliarum gentium, Deum, quem ſenſibus percipere poſſent, cuperent, Deum prodigiis, oraculis, variiſque ſymbolis ſe iis manifeſtaſſe; cumque gentes magna rituum ineptorum ac caerimoniarum farragine laborarent, Deum inſtituto velut delectu, optimas ex hisce tradidiſſe Ebraeis. Putat etiam IONATHANIS. & interpretis Hieroſolymitani, auctoritate hanc explicationem confirmari poſſe. Prouocat porro ad teſtimonium Pauli, qui *Actor. XIII. 18.*

 de

Digitized by Google

de Iſraëlitis verba faciens, *Deus*, inquit, *per quadraginta annos* ἐτροποφόρησεν, *mores eorum tolerauit in deſerto.* Vbi per *mores*, quos Deus tulit, conſuetudines aliquas intelligi putat, pueriles magis, quam profanas, quarum nonnullas Deus ad tempus tolerauerit, alias autem in ſacrorum ſuorum claſſem transtulerit. Nec id de nihilo eſſe putat, immo magnum cauſſae ſuae praeſidium in eo collocat, quod Deus in locis plerisque, vbi de praecipuae notae ritibus & inſtitutis agitur, vocibus, *permittentem & dirigentem potius, quam praecipientem & adhortantem ſonantibus*, vtatur, e. g. *Exod. XX. verſ. 25. Si altare lapideum facere velis mihi, non aedificabis e ſectis lapidibus; Leu. I. 2. Si quis e vobis obtulerit oblationem domino, offeretis de pecoribus, &c.* Addit denique locum Pauli ex epiſtola ad *Galat. IV. v. 3. cum eſſemus paruuli*, ὑπὸ τὰ στοιχεῖα τοῦ κόσμου ἦμεν δεδουλωμένοι, *ſub elementis mundi eramus in ſeruitutem redacti.* Horum enim verborum ſenſum iuxta HVG. GROTIVM, quem *interpretum coryphaeum* vocat, hunc eſſe: *Eramus ſubiecti ritibus illis, qui nobis cum mundo erant communes: qualia ſunt templa, arae, victimae*, νεομηνίαι, *& ſimilia, impoſita Iſraëlitis, in hoc, ne talium amore ad idola dilaberentur &c. Haec quia Iudaeis cum mundo ſunt communia, vocantur* στοιχεῖα τοῦ κόσμου, *a maiore ea vſurpantium parte.* Hiſce argumentis, ex ſcriptura ſacra petitis, varia veterum pariter ac recentiorum ſcriptorum teſtimonia ſubiicit, quibus eadem probata fuerit ſententia, & tum ad argumenta, quae vocat, artificialia progreditur, inter quae praecipuum eſt, quod a maxima, quae inter Ebraeorum & Aegyptiorum ritus interceſſit, adfinitate atque conuenientia, eſt deſumtum. Quae vtique tanta fuerit, vt Aegyptiorum ac Iudaeorum ritus apud ſcriptores Romanos vno eodemque ſubinde loco habeantur; & Iudaei haut raro Aegyptii dicti ſint, prout deinceps christianis Iudaeorum nomen impoſitum fuit. Et ne quis forte obiiciat, conuenientiam iſtam inde ortam, quod Aegyptii multa acceperint ab Ebraeis, omnes ingenii vires intendit, vt euincat, hoc varias ob rationes fieri non potuiſſe; *loc. citat. cap. II. ſect. II. p. 776. ſeqq.* Inter reliqua, quae admodum cumulat, argumenta, illud adhuc momentum trahere videtur, quod ex ipſius ſententia Deus ritus Moſaicos neceſſitate adactus, & fere inuitus inſtituiſſe videatur. Idque ex Ezechielis *cap. XX. 4. 7. 8. ſeqq.* cumprimis *verſ. 25.* comprobat, vbi inter alia Deus dicit: *ipſe dedi eis ſtatuta non bona, & iudicia, per quae non viuerent.* Vbi, ſi SPENCERO credimus, leges rituales, ſua natura prorſus inutiles, intelligendae ſunt, cum & ſermonis prophetici ſeries, visque ipſa loquutionis, & σύμψηφος veterum non paucorum ſenſus idem ſuadeat.

Verum, quantumuis haec omnia & ingenioſe excogitata & magna diligentia adornata ſint, idoneo tamen, ad id, quod auctor cupit, euincendum, robore deſtituuntur. Locum

Deut.

Deut. IV. 7. 8. auctori fauere, nemo credidiſſet, niſi violenta admodum paraphraſi illum eo detorquere, conatus fuiſſet. Negat Moſes, Deum vlli genti tam propinquum fuiſſe, non vno manifeſtationis genere; negat, reliquis gentibus leges ac inſtituta tam iuſta, tamque ſancta, obtigiſſe, quam Ebraeis, nec quidquam aliud dicit. Vtrumque veriſſimum eſt, etſi ad ea, quae apud reliquas gentes in vſu erant, non reſpiciatur: vti reuera non reſpicitur. Nec vlla idonea hoc comprobari ratione poteſt. IONATHANIS ac interpretis Hieroſolymitani auctoritas, vt nobis hoc perſuadeatur, non ſufficit. Per *mores* Israëlitarum, quos Deum in deſerto per quadraginta annos toleraſſe Paulus dicit, SPENCERVS perperam, & ſine vlla ratione, ritus ſacros aut caerimonias intelligit. Vitia enim potius Israëlitarum, idololatriam, defectiones, murmurationes, ſeditionesque, de quibus Moſes ſaepiſſime conqueſtus eſt, intelligenda eſſe, res ipſa docet. Fallitur etiam maximopere SPENCERVS, dum dicit in locis pleriſque, quibus Deus de praecipuae notae ritibus & inſtitutis agit, eum vocibus, *permiſſionem* potius, quam *praeceptionem*, aut *mandatum* ſignificantibus, vti. Caerimoniae namque non ſunt vnius generis. Nonnullae ex praecepto diuino abſolutae neceſſariae erant; aliae in ſe ſpectatae liberae equidem, ſed quoad modum aut certas circumſtantias, lege diuina determinatae. Et ex harum quidem genere, tum ab auctore adductae, tum aliae quaedam leges fuerunt. Sic liberum equidem erat, ſi quis aram Deo erigere vellet, aut ex lapidibus, aut de terra eam facere. At ſi quis ex lapidibus facere vellet, ex lapidibus impolitis eam Deus fieri voluit. Et ita in aliis ſe res habet. Vnde generatim nullatenus concludere licet, in legibus ad ritus & caerimonias ſacras ſpectantibus, permiſſionem potius diuinam, quam mandatum, fuiſſe. Nec maioris ponderis aut momenti eſt, quod ex *Gal. IV. 3.* adfert, vbi leges caerimoniales ςοιχεῖα τȣ̃ κόσμȣ adpellitantur. Στοιχεῖα enim, ſeu *elementa*, audiunt, quod rudimenta quaedam fuerint, Chriſtum ſeruatorem & bona noui teſtamenti primis velut lineis adumbrantia & repraeſentantia; *mundi* autem elementa, quod circa res externas, & in ſenſus currentes, ceu figuras ac imagines rerum caeleſtium ac ſpiritualium, fuerint occupatae. Quae explicatio cum longe rectius ſe habeat, quam illa HVGONIS GROTII auctori laudata, fruſtra inde cauſſae ſuae praeſidium aliquod petit. Veteris eccleſiae doctores quosdam ab ea ſententia, quam tanto ardore defendendam ſuſcepit SPENCERVS, non procul abſuiſſe, ſaltem ita videri, iam ſupra ipſimet faſſi ſumus. Nec tamen illis ſaltem id adeo vitio vertendum, qui aut Graecorum prius litteris, quam chriſtianorum ſacris, initiati, myſteria illa legis non temere adſequi poterant, ad alia quaeuis, Graecorum maxime, res Aegyptiorum euehentium, narrationibus conuenientia, arripienda proni, aut PHILONEM, vel FLAV. IOSEPHVM, cae-

cos

cos duces, ſequuti, a recto hic quam facillime aberrare tramite poterant. Quamquam, an omnium ea mens ſententiaque fuerit, quam vult SPENCERVS, adhuc diſputari poſſet: ſaltem nonnullos ſaniora hac de re docuiſſe, exemplo ORIGENIS, *lib. V. contra Celſum*, *p. 742.* & EVSEBII, *praeparat. euangel. lib. IX. cap. IX.* & *demonſtrat. euangel. lib. I. cap. VII. & IX.* demonſtrare pronum eſſet, ſi diutius his immorari vellem. Recentiorum adhuc ſcriptorum, cum minor aut nulla hac in re ſit auctoritas; eo minus quoque, vt eorum habeamus rationem, neceſſe fuerit. Quod & de Iudaeis cenſendum. Quamquam ceteroquin demonſtrari poſſit, ipſum, ad quem prouocat, MOSEN MAIMONIDEM eius ſententiae aduerſari potius, quam fauere. Speciem equidem habet, quod de conuenientia maxima, quae inter Ebraeorum Aegyptiorumque ritus intercedat, diſſerit. At conuenientia iſta inter ritus Ebraeorum a Deo quidem ipſo inſtitutos ac adprobatos, ac ritus Aegyptiorum, neutiquam tanta fuit, quantam fuiſſe exiſtimat SPENCERVS. Multa enim hic fingit vir doctus, quae omni prorſus deſtituuntur fundamento, vt exemplis deinceps docebimus, cum ad ſpecialia deſcendemus. Quod Romani quidam ſcriptores Ebraeorum atque Aegyptiorum ritus pro iiſdem habuerint, mirum non eſt, cum rerum iudaicarum non ſatis fuerint periti, eoque facilius in hanc deſcendere ſententiam poterant, quod, Iudaeos ab Aegyptiis originem ducere, perperam ſibi perſuaderent. Ex prauis Aegyptiorum moribus, ſuperſtitione cumprimis & idololatria, Ebraeos multa transſumſiſſe, non negamus; ſed hac de re nulla eſt controuerſia. Quodſi vero concedamus, in quibusdam cum Aegyptiorum inſtitutis conſentire ritus diuinos Ebraeorum, nec ea eiusmodi ſint, vt cum aliis quoque gentibus moratioribus vtrisque fuerint communia, & aut ex communi vel rationis, vel traditionis fonte deriuari queant; tum quaeſtio adhuc ſupererit, acceperintne Aegyptii illa ab Ebraeis, aut horum maioribus, Abrahamo, Ioſepho, vel ipſo etiam Moſe, an hi ab illis? Prius quidem ſibi perſuadere SPENCERVS nequit: ſed tamen argumentis euidentiſſimis, ſi opus eſſet, comprobari poſſet. At otium nobis in toto hocce argumento fecit HERMANNVS WITSIVS, in *aegyptiacis*, vbi fuſe & erudite omnia pertractantur, cumprimis *lib. II. cap. I. & ſeqq.* Ad locum denique *Ezech. XX. v. 25.* quod attinet, de eo variae equidem interpretum ſunt ſententiae, vt ex iis, quae ad eumdem THEODORVS HACKSPANIVS adnotauit, liquet. SPENCERO autem vel ipſe aduerſatur HVGO GROTIVS, qui tamen, vt antea diximus, *interpretum coryphaeus* illi audit, ſenſumque horum verborum ita effert: *mentem ipſis ademi, ita, vt meis legibus contemtis, ipſi ſibi leges facerent, duras atque mortiferas.* Qua in explicatione praeeuntem ſibi habet chaldaeum paraphraſtem. Poteſtque ea ex antecedentibus, totaque orationis ſerie, longe firmius demonſtrari, quam SPENCERI

CERI iſta, quae a mente diuini vatis prorſus eſt aliena. Et ita quidem patet, quam lubrico & infirmo fundamento iſta viri docti de cauſſa & ratione legum caerimonialium ſententia innitatur. Eo minus autem admitti poteſt, quo clariora apertioraque ſummi Numinis verba ſunt, quibus Israëlitis iniunxit, ne vllo modo, vllaue ratione gentium mores ac inſtituta imitarentur. *Ne exquiras*, inquit, *de diis gentium dicendo: quomodo coluerunt gentes iſtae deos ſuos? vt ſic faciam ego quoque. Ne facito ſic Iehouae, Deo tuo. Nam quidquid abominationi eſt Iehouae, quidquid odit, fecerunt diis ſuis. Vnamquamque rem, quam ego praecipio vobis, eam obſeruantes facite: ne addito ei, neque detrahito ex ea, Deut. XII. 30. 31.* Similia & *Leu. XVIII. v. 2. 3. 4.* legas: *Adloquere filios Israëlis, edicens eis: Ego ſum Iehoua Deus veſter. Secundum opera terrae Aegypti, in qua habitaſtis, ne facitote: ſimiliter ſecundum opera terrae Canaan, in quam duco vos, ne facitote, & in ſtatutis eorum ne ambulatote. Iudicia mea exercitote, & ſtatuta mea obſeruatote, ambulando in eis. Ego ſum Iehoua Deus veſter.* Iam quis ſibi perſuadeat, Deum aut praeſcripſiſſe aut conceſſiſſe Ebraeis ea, quae non tantum illis interdixit, ſed quae ſibi abominationi eſſe, diſerte teſtatur? Nec de illis, quae turpia eſſe ratio omnes docet, hic ſermo eſt, ſed de ritibus, de ſtatutis, de caerimoniis, quae ideo, quod a gentilibus adhibeantur, Deo erant abominationi, ideoque ne iſta Ebraei imitarentur, ſerio illis iniunxit. Accedit, quod plurima Deus ſanciuerit ritibus Zabiorum, aliorumque gentilium contraria, vt ipſemet SPENCERVS, *libro II.* operis ſui, demonſtrare conatus eſt, quamquam &, quae de Zabiis diſſeruit, vel ſuppoſuit potius, incerto itidem fundamento nitantur, vt ſupra iam euictum. Quidquid vero ſit de Zabiis, generatim gentilium inſtitutis ſuperſtitioſis multa oppoſita eſſe, negari nequit. Speciatim huc nonnulli referunt, quod Deus ſanciuit, ne *Israëlitae circumciderent pilos ad latus capitis, neque corrumperent latus barbae, Leuit. XIX. 27.* item praeceptum de *non geſtando veſtimento ex diuerſis generibus confecto, ib. v. 19.* & quae alia ſunt eiusdem generis. Faceſſant itaque procul & SPENCERI & aliorum hominum, alias, quam decet, rationes legibus caerimonialibus adſignantium, commenta.

Supereſt, vt noſtram demum, quam veritati conſentaneam putamus, paucis hac de re pandamus ſententiam. Praecipue namque leges iſtas caerimoniales eo comparatas fuiſſe, exiſtimo, vt Meſſiam ſuo tempore hominum generi exhibendum repraeſentarent, & Israëlitis velut ob oculos ponerent. Idque primo inde conſtat, quod Chriſtus ſcopus atque finis legis Moſaicae diſerte perhibeatur; *Coloſſ. II. 17. Nemo vos iudicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei feſti, aut neomeniae, aut ſabbatorum, quae ſunt vmbra futurorum, corpus autem Chriſti.* Cumprimis hoc Paulus docet, in *epiſtola ad*

ad Ebraeos, in qua totus in eo eſt, vt legum iſtarum caerimonialium explicationem tradat: remque omnem paucis, & vnico velut verbo complectitur, *cap. X. 1.* cum legem σκιὰν *vmbram* ſaltem *futurorum* habuiſſe, dicit, non autem τὴν εἰκόνα πραγμάτων, *ipſam rerum repraeſentationem.* Eo minus autem principem praecipuamque hanc legum caerimonialium rationem fuiſſe, adſerere dubito, quo magis Israëlitarum intererat, id, quod caput religionis israëliticae conſtituebat, ſemper illis ante oculos velut verſari, & variis ſymbolis & imaginibus illis reuocari in memoriam. Conf. & *Ebr. VIII. 5.* Hinc & alibi, *Gal. IV. 3.* Paulus leges hasce caerimoniales ςοιχεῖα τȣ͂ κόσμȣ adpellitat. quod ſcilicet rudimenta quaedam & prima velut lineamenta rerum deinceps exhibendarum, continerent. Nec dubitabit quisquam hac de re, qui ſecum expendet, praecipuam principemque cultus externi apud Israëlitas partem, ſacrificia conſtituiſſe. Certe, ſi ſacrificiis non fuiſſet colendus Deus, nec ſacerdotibus, nec tabernaculo, nec reliquo multarum legum caerimonialium adparatu opus fuiſſet. Sed ſacrificiorum, quae demum alia probabilis ratio excogitari poteſt, quam quod ſacrificium propitiatorium ſuo tempore a Meſſia offerendum exhibuerint? Eos, qui ſecus ſentiunt, & alias ſacrificiorum cauſſas quaerunt, magnopere falli, iam ſupra demonſtratum eſt, ad *period. I. ſect. I. §. XXX.* Atque ſacrificiorum cum haec fuerit ratio, totum illum caerimoniarum adparatum praecipue & primario ad Chriſtum ſpectaſſe, non eſt quod dubitemus. Accedebant tamen & aliae cauſſae, quas ſecundarias recte dixeris. Primo namque, vt id, quod in religione & cultu externo Israëlitarum praecipuum erat, recte peragi poſſet, multa ad locum, tempus, perſonas & alias circumſtantias ſpectantia, conſtituenda erant. Deinde, cum ad veram hancce religionem in gente ebraea conſeruandam, admodum neceſſarium eſſet, ne ad gentilium ſuperſtitionem ac idololatriam prolaberentur, ad quam ceteroquin proni erant, ſanctionibus variis legibusque huic malo obuiam eundum erat. Et hactenus IVSTINI martyris, HIERONYMI, CYRILLI Alexandrini, aliorumque ſententiam admittere poſſumus, leges caerimoniales eo comparatas fuiſſe, vt gentem israëliticam ab idololatria auerterent. Id quidem de quibusdam, non de omnibus verum eſt; & ſi generatim eas ſpectes, pro ſecundaria cauſſa, non pro primaria habendum eſt. Praeterea cum magna eſſet populi israëlitici σκληροκαρδία, ſapientiae diuinae conueniens viſum fuit, laborioſis iſtis praeſtationibus indomitam populi ferociam velut difficillimo iugo ſubigere. Hinc, licet filius eſſet Israël, & bonorum caeleſtium heres, ſub tutoribus tamen & curatoribus velut erat & ſerui inſtar adhuc habebatur, teſte Paulo; *Galat. IV. v. 1. 2. ſeqq.* Ideoque & iugum has leges vocat Petrus. quod nec ipſimet, qui tum viuebant Iudaei, nec patres eorum portare potuerint; *Actor. XV. v. 10.*

v. 10. Quae veriſſime dicta eſſe, non dubitabit, qui ſecum cogitauerit, praeſtationes, quas lex iſta imponebat, & numero fere ac multitudine fuiſſe infinitas, & magno cum onere, incommodo, & taedio coniunctas, ſummo tamen cum rigore haec omnia ab Ebraeis fuiſſe exacta. Accedebat denique, quod per haſce leges Iudaei a reliquis gentibus diſcernendi eſſent, & ſeparandi, vt omnes intelligerent, hancce gentem peculium aliquod veri Dei eſſe, cui cum gentibus idolis ſeruientibus nihil eſſet commune. Vnde eleganter lex caerimonialis *parietis intergerini* nomine Paulo venit; *Eph. II. v. 14. 15.* quo gentes a communione cum Iudaeis longe fuerint ſubmotae. *Ipſe enim*, inquit, de Chriſto verba faciens, *eſt pax noſtra, qui ex vtroque fecit vnum, & intergerini parietis ſeptum ſoluit; inimicitiis, id eſt, lege praeceptorum, quae in ritibus poſita eſt, per carnem ſuam aboletis, vt ex duobus illis conderet in ſemet ipſo vnum nouum hominem, faciens pacem.* Cum enim diuerſis admodum ritibus & caerimoniis vterentur gentiles & Iudaei, non poterant non odia atque inimicitiae, quae praua mortalium eſt indoles, oriri. Iudaei namque ſuos ritus multum praeſtare credebant caerimoniis gentilium, idque non ſine ratione, quod hi, ac ſi ab illis contemnerentur, interpretabantur, odio hinc & deſpicatui habituri, & ſacra Iudaeorum, & ipſam quoque gentem. Atque hoc aperte apoſtolus innuit. Confirmant id ex ipſis gentilibus ſcriptores graeci & romani, non tantum contemtim de Iudaeorum ſacris loquentes, ſed Iudaeis cum gentibus reliquis nihil fere commune eſſe, agnoſcentes. Omnium inſtar ſit C. CORNELIVS TACITVS: *Moſes, quo ſibi inpoſterum gentem firmaret, nouos ritus, contrariosque ceteris mortalibus indidit. Profana illis omnia, quae apud nos ſacra. Rurſum conceſſa apud illos, quae nobis inceſta, &c. hiſtor. lib. V. cap. IV.* Haec omnia, quae hactenus diximus, ſi probe obſeruentur, haud difficile fuerit, omnium ac ſingularum legum caerimonialium rationem reddere. Conſtabit etiam, leges iſtas fuiſſe neceſſarias, indoli ac genio gentis iſtius adcommodatas, & vt cuncta vnico verbo abſoluam, dignas prorſus diuina ſapientia.

*** Fedus illud gratiae, quod Deus cum hominibus poſt primorum parentum lapſum iniit, quoad ſubſtantiam ſemper vnum idemque eſt. Diuerſas tamen federis huius fuiſſe oeconomias, ſatis conſtat, & alias monuimus. Et prima quidem per omne illud aeuum, quo patriarchae vixerunt, ad Moſen vsque durauit. Altera autem per fedus illud, quod Deus adminiſtro Moſe cum gente iſraëlitica iniit, initium cepit, & ad Meſſiae vsque aduentum durare debuit. Quod quidem fedus, vt vniuerſale illud gratiae poſt lapſum cum hominibus initum ſuppoſuit; ita & particulare illud cum Abrahamo initum non ſuſtulit, ſed confirmauit potius. Federis autem huius, cui oeconomia huius temporis innititur, conditiones ex parte Dei fuere,

promiſſionis de Meſſia hominibus mittendo ad gentem iſraëliticam reſtrictio, ſeu quod ex ea gente Meſſias hicce naſciturus eſſet, *Deut. XVIII. 15. Num. XXIV. 17.* Vnde & per leges caerimoniales tam diligenter hocce beneficium eis inculcandum erat, vt antea diximus. Praeterea, quod Deus ipſe princeps & caput reipublicae iſraëliticae eſſe vellet, vnde & protectio peculiaris ſequebatur; eoque & pertinebant, quod iſraëlitae peculium Dei eſſe deberent, quemadmodum Deus contra, quod ipſorum Deus futurus eſſet, promiſerat, quo ipſo, quidquid bonorum ſpiritualium cogitari poteſt, illis exhibebatur. Conf. *Exod. XIX. v. 5. 6.* Accedebant denique promisſiones variae, de terra Canaan, eiusque perpetua poſſeſſione illis conſeruanda, deque frugum abundantia, vitae longaeuitate, victoria contra hoſtes, & quae reliqua erant. ad huius vitae commoda ſpectantia. Conf. *Deut. XXVII. verſ. 9. 10. XXVIII. 1. 2. ſeqq.* Ex parte Israëlitarum autem requirebatur fidei in Meſſiam per ſacrificia, aliaque ratione, profeſſio, eiusque doctrinae conſeruatio & propagatio per leges caerimoniales diligenter obſeruandas, non excluſis rationibus earumdem legum, antea indicatis. Puritatis porro & ſanctitatis ſtudium ſingulare, hinc & ſeparatio & ſecretio a gentibus reliquis, quarum profani aut impuri mores erant, ſpeciatim, quae ſuperſtitioni aut idololatriae erant deditae. Generatim denique obſequium requirebatur in omnibus quidem legibus, quas Deus praeſcripſerat, cumprimis vero illis, quae & ceteroquin omnibus hominibus datae ſunt, quarum ideo ſummam decem praeceptis comprehenſam Deus repetiit, cum fedus hoc ſollemni quadam ratione cum gente iſraëlitica pangeret. Hinc & decem iſta verba, *verba federis* dicuntur, *Exod. XXIV. 8.* & *fedus* ipſum *Deut. IV. 13.* & tabulae, quibus inſcriptae erant, *tabulae federis, Deut. IX. 9.* Nec tamen eum in finem repetitio iſta facta, ac ſi leges iſtas adcurate ſecundum verum ac genuinum illarum ſenſum ſeruare, aut ex earum obſeruantia iuſtitiam ac ſalutem conſequi potuerint; ſed vt vitam moresque pro viribus ad hanc normam componendo, quantum in ſe eſſet, ſe libenter voluntati diuinae morem gerere velle, teſtatum facerent; cumprimis autem, vt ἀδυναμίᾳ legem iſtam adcurate implendi deprehenſa, neceſſitatem mediatoris, ſuo ſanguine hominum crimina expiaturi, intelligerent, qua quidem ratione lex paedagogia ad Chriſtum fuit, docente apoſtolo *Rom. X. 4.* add. *Gal. III. 19. 21. ſeqq.* . Quodſi itaque fedus hocce iſraëliticum penitius conſideretur, illud nec pro federe operum, nec pro mero federe gratiae habendum fuerit, ſed ex vtroque aliquid traxit. Promiſſa namque ad fedus gratiae, officia vero praeſcripta ad indolem federis operum pertinent. Omnium forte adcuratiſſime dixeris, quoad ſubſtantiam fuiſſe ipſum illud fedus gratiae, quod Deus cum hominibus lapſis iniit, nouis & ſpecialibus promiſſionibus gratiae auctum; habuiſſe tamen intuitu Israëlita-

litarum, praeſtationumque, quae ab illis exigebantur, ſpeciem & ſchema federis operum. Sigillum denique huius federis ſeu ſacramentum fuit *agnus paſchalis*, certa ratione ab Iſraëlitis mactandus ac comedendus; vna cum *circumciſione*, quam ex federe Abrahamitico retinebant. Sed pluribus haec ediſſerunt, qui de oeconomia federum diuinorum ex inſtituto agunt, & ex noſtratibus quidem vir doctiſſimus, IOAN. HENR. MAIVS, in *oeconomia tempor. vet. teſtam. cap. XV. p.399. ſeqq.* qui & hac occaſione ipſius decalogi explicationem tradit, quam & interpretes ad *Exod. cap. XX.* & moralis theologiae ſcriptores, exhibere ſolent. Quo pacto fedus illud initum, legesque a Deo promulgatae ſint, iam ſupra ad §. *XVIII. huius ſectionis* expoſuimus. Oeconomia autem federis gratiae inde orta, *veteris teſtamenti*, voce in ſpecialiori ſignificatione accepta, nomine venire ſolet, de cuius initiatione idem, quem laudauimus, auctor *cap. XVIII. p. 444. ſeqq.* agit. Alias enim in generaliori ſignificatione ſtatum etiam eccleſiae ſub patriarchis denotat. De diſcrimine veteris ac noui teſtamenti, ceteriſque ad huius interualli oeconomiam ſpectantibus, plura dixi in *diſſertat. de praerogatiuis fidelium noui teſtam. prae fidelib. vet. teſtam.* §. *XIII. XIV. ſeqq.*

* Moſen primum ſcriptorem, ſaltem inter θεοπνεύστους, fuiſſe, ſupra iam ad §. *XI. huius ſectionis* obſeruauimus. Ab eo itaque ſcripturae ſacrae prima origo recte repetitur. Sapientiſſimo autem Dei conſilio factum, vt eo praeſertim tempore doctrina ſacra litterarum monumentis conſignaretur, facile agnoſcet, qui ſecum expenderit, ob humanae aetatis decrementum, de quo ipſe Moſes *Pſalm. XC. verſ. 10.* conqueritur, gentium multiplicationem, idololatriae, aliorumque vitiorum incrementum, aliaſque ob cauſſas, traditioni, per quam hactenus doctrina ſacra propagata fuerat, locum amplius commode eſſe non potuiſſe. Id quod paſſim obſeruant theologi.

** Plurima exſtant gentilium in gentem iudaicam conuicia. Sed ea ſaltem perſtringemus, quae ad religionem ſpectant. Haec enim etſi veriſſima, puriſſima & innocentiſſima fuerit, variis tamen eam conſpurcare calumniis non dubitarunt. Nonnulli namque, Iudaeos caelum atque nubes adorare, calumniati ſunt. Notum eſt illud IVVENALIS *ſat. XIV. v. 98.*

Nil praeter nubes & caeli numen adorant:

& illud PETRONII in fragmentis circa finem:

Iudaeus licet & porcinum numen adoret,
& caeli ſummas aduocet auriculas.

Vbi tamen nonnulli, pro *caeli* legendum eſſe cenſent *cilli*, hoc eſt, *aſini*, cum κίλλος idem ſit, ac ὄνος. Quidquid huius ſit, facile fuit aliis, hinc colligere, ac ſi non aliud numen, quam naturam rerum, hoc eſt reuera nullum, colerent, adeoque plane athei eſſent. Et in hanc ingreſſus eſt ſententiam

Digitized by Google

STRABO, Moſen docuiſſe, perhibens: Deum ſolum eſſe τὸ περιέχον ἡμᾶς ἅπαντας καὶ γῆν, καὶ θάλατταν, ὃ καλοῦμεν οὐρανὸν καὶ κόσμον, καὶ τὴν τῶν ὄντων φύσιν, *quod nos omnes contineret, terram & mare, quod caelum & mundum & rerum omnium naturam adpellamus; lib. XVI. geograph. p. m. 760.* Nec abludunt, quae de Moſe ac Iudaeorum religione refert DIODORVS Siculus, *biblioth. hiſtor. lib. XL.* in eclogis apud PHOTIVM, *myriobibl. cod. CCXLIV.* Quae quo atrocior eſt calumnia; eo maior eſt IOAN. TOLANDI, qui eam noſtra aetate renouauit, impudentia; caſtigatus ideo a nobis iam ſupra ad *§. III. & XI. huius ſectionis.* Videtur autem apud gentiles calumnia inde orta, quod Iudaei nihil eorum, quae in terra, aut ſub caelo eſſent, adorarent, vnde nihil aliud, quam caelum ipſum ſupereſſe, quod colerent, ſibi perſuaſerunt. Caelum praeterea *Dei thronum*, ex *Eſa. LXVI. 1.* vocabant, & cum Dauide *Pſalm. CXV. 3.* Deum in caelo eſſe, profitebantur: hinc & orantes oculos in caelum conuertebant. Immo tum in ſcriptura ſacra, tum in Iudaeorum ſcriptis, Deus ipſe *caeli* nomine quandoque venit; neque in veteri tantum, ſed & in nouo teſtamento οὐρανὸς pro Deo ponitur, vt *Matth. XXIII. 22.* Vnde & *Luc. XV. 18. 21. in caelum peccare*, eſt, contra Deum peccare. Hoc paſſim viris eruditis obſeruatum eſt. Atque haec cum ita ſint, facile gentiles in hunc errorem induci potuerunt; obſtante inſuper aut malitia, aut ignauia, quo minus in mentem ſententiamque Ebraeorum adcuratius inquirerent. Conf. IOAN. SELDENVS, de *diis ſyris ſyntagm. II. cap. XVII. p. 370. ſeqq.* itemque CAMPEGIVS VITRINGA, de *ſynagoga veter. part. I. cap. XII. p. 228. ſeqq.* Factum autem nonnulli putant, vt ob hancce gentilium calumniam, Iudaei olim *caelicolae* dicti ſint; quorum cum hinc inde in codice cum Theodoſiano, tum Iuſtinianeo, iniiciatur mentio, non alios, quam Iudaeos, hoc nomine intelligi debere, viri quidam docti contendunt. Quibus tamen obſtat, quod Iudaeis *caelicolarum* nomen per calumniam tribuatur; cum imperatoribus contra de eiusmodi hominibus ſermo ſit, qui reuera magno in errore verſati ſunt. Tribuunt enim illis *crimen ſuperſtitionis;* nomenque illorum vocant *nomen inauditum, nouumque crimen* iis exprobrant. Quae omnia de Iudaeis intelligi nequeunt, quibus pridem ante Honorii ac Theodoſii tempora, caelicolarum nomen, crimenque, a gentilibus impoſitum fuit. Quinam ergo caelicolarum nomine veniant, incertum valde eſt, fluctuantque hac in re viri etiam eruditiſſimi. CHRISTIANVS KORTHOLTVS, cum CAES. BARONII, CASP. BARTHII, IOS. SCALIGERI, IAC. CVIACII, aliorumque, hac de re ſententias enarraſſet, tandem concludit: *de quibus nihil certi ſtatuere auſimus, praeter hoc vnum, quod incerta ſint omnia, quae quidem nos adhuc apud auctores de iis tradita legimus;* in *pagano obtrectatore, lib. II. cap. II. p. 268.*

Sed

Sed vt ad rem ipſam redeamus, non defuiſſe inter gentiles, qui Iudaeis Bacchi cultum tribuerent, ex C. CORNELIO TACITO colligas, *hiſtor. lib. V. cap. V.* PLVTARCHVS id ex inſtituto agit, vt euincat, Iudaeos Dionyſio ſeu Baccho, quem Romani Liberum patrem vocabant, ſacra feciſſe. Verba eius, ſed breuitatis cauſſa latino ſaltem ſermone, referemus, eo, quod multa notatu digna contineant. *Primum*, inquit, *maximae & perfectiſſimae Iudaeorum ſollemnitatis & tempus, & modus, cum Bacchi ſacris congruit. Quod enim ipſi vocant ieiunium, id ſic celebrant, vt maxime feruente vindemia proponant menſas, in quibus expoſitae ſint omnis generis fruges; & ſub tabernaculis deſideat, potiſſimum e palmitibus & hedera, quae contexuntur: & diem, quae feſtum antecedit, tabernacularium nominant. Paucis vero poſt diebus aliam feſtiuitatem non obſcure, ſed omnino aperte Baccho nuncupatam celebrant. Eſt etiam ſollemne apud eos feſtum Cratephoria, a palmitibus geſtandis, & thyrſophoria, vbi thyrſos geſtantes in templum intrant. Quid intus faciant, ignoro: credibile eſt, Bacchi ab iis ſacra peragi. Nam & tubis exiguis, ſicut Argiui Bacchanalibus, vtuntur ad euocationem numinis: & alii progrediuntur citharis ludentes, quos ipſi Leuitas adpellant, ſiue a Lyſio, ſiue ab Euio (vtraque vox Baccho conuenit,) ita dictos. Opinor etiam, ſabbatorum ferias non plane a Baccho eſſe alienas. Quod enim Sabbos etiamnum multi Bacchos adpellent, eamque edant vocem, dum orgia Bacchi celebrant, licet & e Demoſthene oſtendere, & e Menandro, & aliquis fortaſſe dixerit, factum eſſe ob aſebeſim, id eſt, impietatem, qua teneutur bacchantes. Ipſi autem huic ſermoni teſtimonium dicunt. Sabbatum enim colentes maxime ad bibendum & ebrietatem inuicem ſeſe inuitant: aut ſi qua grauior res obſtat, omnino quidem guſtare merum in more habent. Has fortaſſe aliquis eſſe coniecturas adſerat. Sed alia ſunt argumenta, quae plane noſtram demonſtrent ſententiam. Primum enim arguit hoc pontifex maximus, qui feſtis diebus mitratus ingreditur, hinnuli pellem auro contectam indutus, tunicamque ad talos pertinentem geſtans, & cothurnos. Multa autem tintinnabula dependent de veſte, quae inter ambulandum ſtrepitum edunt, vt & apud nos. Sonitibus autem nunc vtuntur in ſacrificiis, & aeratas Dei nutrices adpellant (χαλκοδρυτὰς τοῦ θεοῦ τιθήνας προσαγορεύουσι) monſtraturque in aduerſis ſublimi thyrſus expreſſus, & tympana: quae ſane non alii Deo, quam Baccho conueniunt. Porro autem mel ſacrificiis non adhibent, quod eius admixtione vinum corrumpi videatur, eoque libabatur, & ebrietas parabatur, antequam vitis extitiſſet; & hodieque barbari, qui vino carent, mulſum bibunt, dulcedinem radicibus auſteris & vini ſaporem aemulantibus, medicantes, ac Graeci Nephalia, id eſt, ſobria haec, & libationes melleas diis offerunt, quod vino maxime aduerſam naturam mel habeat.* Bac-

Bacchum vero a Iudaeis coli, id quoque argumento non leui eſt, quod inter multas poenarum formas vna maxime odioſa eſt, qua vino interdicitur damnatis ad certum tempus, quod a iudice praeſcribitur; ſympoſiac. lib. IV. quaeſt. V. p. m. 671. Calumniae iſtius origo atque occaſio ex ipſa hacce PLVTARCHI narratione, in qua veris quibusdam plurima falſa admixta ſunt, ſatis manifeſta eſt. Nec, vt eam a Iudaeis depellamus neceſſe eſt; cum nemo tam ignarus rerum iudaicarum ſit, vt ignoret, a Bacchi cultu hanc gentem quam longiſſime abfuiſſe. Immo eumdem, qui diuinae legis atque inſtitutorum patriorum tenaces fuerunt, adeo exſecrati ſunt, vt ad eum ſuſcipiendum a gentilibus nulla ratione cogi potuerint. Hinc & ipſe C. CORNELIVS TACITVS agnouit, perperam talia Iudaeis tribui. *Liberum patrem*, inquit, de iis verba faciens, *coli, domitorem orientis, quidam arbitrati ſunt, NEQVAQVAM CONCRVENTIBVS INSTITVTIS. Quippe Liber feſtos laetosque ritus poſuit: Iudaeorum mos abſurdus ſordidusque; hiſtor. lib. V. cap. V.* Immo ipſe Auguſtus imperator in litteris ad procuratores Aſiae teſtatus eſt, Iudaeorum ſacra bacchanalia non eſſe; apud PHILONEM *legat. ad Caium p. 1035.* Eo autem grauior atrociorque haec erat calumnia; quo magis inuiſa apud ipſos ethnicos etiam Bacchi ſacra erant. Quod vel ex LIVIO conſtat, qui & originem iſtorum ediſſerit, & quibus ſceleribus occaſionem dederint, indicat: apud quem etiam grauiſſima Poſthumii conſulis hac de re exſtat oratio, qua ſacra iſta damnantur. *Nunquam*, inquit inter alia, *tantum malum in republica fuit, nec ad plures, nec ad plura pertinens. Quidquid his annis libidine, quidquid fraude, quidquid ſcelere peccatum eſt, ex illo vno ſacrario ſcitote ortum eſſe.* Hinc & ſenatus decreto Bacchanalia abrogata ſunt; vid. LIVIVS, *hiſt. lib. XXXIX. cap. VIII. ſeqq.* add. VALERIVS MAXIMVS, *lib. VI. cap. III. §. VII.*

Alia inepta non minus, quam impia, prorſusque maligna eſt gentilium calumnia, qua & aſini cultum Iudaeis exprobrant. Praeter alios huius rei auctor eſt CORNELIVS TACITVS, qui & cauſſam & originem eius ſibi inueniſſe viſus eſt. De egreſſu enim Iſraëlitarum ex Aegypto verba faciens, *ſed nihil*, inquit, *aeque, quam inopia aquae*, (cum in deſerto verſarentur) *fatigabat. Iamque haut procul exitio totis campis procubuerant, cum grex aſinorum agreſtium e paſtu in rupem nemore opacam conceſſit. Sequutus Moſes coniectura herbidi ſoli longas aquarum venas aperit, hiſt. lib. V. cap. III.* & hinc *cap. IV.* addit: *effigiem animalis, quo monſtrante errorem ſitimque depulerant, penetrali ſacrauere.* Similia & PLVTARCHVS habet, *ſympoſiac. lib. IV. qu. V. p. 670.* His accedit APION, qui auctor eſt, Iudaeos caput aſini in templo Hieroſolymitano collocatum veneratos fuiſſe, idque propalatum, quando Antiochus Epiphanes, templum iſtud exſpolians caput ibi illud ex auro pretioſiſſime fabrefactum inuene-

uenerit; vid. FLAVIVS IOSEPHVS, *lib. II. contra Apionem, cap. X.* Huc etiam PETRONII ARBITRI illi verſus ſpectant, quos antea iam recitauimus, praeſertim ſi pro *caeli* legatur *cilli.* Mendacium mendacio auxit DEMOCRITVS hiſtoricus, non tantum Iudaeos aureum iſtud aſini caput adoraſſe, ſed & homines ei immolaſſe, ſcribens, apud SVIDAM, *in voc.* Ἰȣδας. Verba eius ſunt: χρυσῆν ὄνȣ κεφαλὴν προσεκύνȣν, κατὰ τριετίαν ξένον ἀγρεύοντες προσέφερον, καὶ κατὰ λεπτὸν, τὰς σαρκὰς διέξαινον, καὶ ȣ̈τως ἀνῄρȣν; *aureum aſini caput adorabant, & tertio quoque anno captiuum peregrinum illi offerebant, carnibus minutatim disſectis occidentes.* Mitto reliqua. Originem calumniae turpiſſimae nonnulli ex *Gen. XXXVI. 24.* deriuant, vbi Ana inueniſſe dicitur את הימם hoc eſt, iuxta quosdam, *aquas calidas*, at iuxta alios, *mulos*, cum paſceret aſinos Zibeonis patris ſui. Ita NIC. FVLLERVS *lib. III. miſcellan. ſacror. cap. VIII.* reſpiciens praeſertim ad ea, quae ex TACITO & PLVTARCHO antea retulimus. Eadem ſententia ſe probauit GERHARDO IOANNI VOSSIO, de *orig. idololatr. lib. III. cap. LXXV.* quam tamen ceu ridiculam reiicit TANAQVILLVS FABER, *epiſtolar. part. I. epiſt. VI.* vbi aliam, quam multo probabiliorem putat, proponit. Heliopolitanam nimirum in Aegypto regionem, vbi Onias templum iudaici ritus condidit, a conditore Onia τὴν Ὀνίȣ vel τὸ Ὀνιεῖον dictam eſſe; hine Alexandrinos aliosque Graeculos, ad facetias pronos, ob ſimilitudinem vocis ὄνος, Iudaeos, ac ſi ὄνον ſeu aſellum praecipua quadam religione colerent, traduxiſſe. Alii alia commenti ſunt, vt calumniae huius originem detegerent, quae omnia recenſere aut excutere, prolixum nimis foret. Proxime forte ad veritatem acceſſit IO. SELDENVS, ex iure ac more redimendi aſini primogenitum gentilibus perperam intellecto, exprobrationem iſtam ortam, contendens; de *iure nat. & gent. iuxta diſcipl. Ebraeor. lib. II. cap. I. p. 132.* Forte & fama de aſina Bileami, quae non ſine ingenti miraculo loquuta eſt, *Num. XXII. 28. 30.* aut traditio Iudaeorum de aſino Meſſiae, ſi modo gentilibus ea innotuit, errorem iſtum profanorum hominum, ſi non peperit, certe auxit, aut confirmauit. Vid. IOAN. BENEDICTI CARPZOVII *philologema ſacrum de aſino Meſſiae*, Lipſiae M DC LXXI. editum. Ex iſto vero, quod in Iudaeos coniecerunt, conuicio, haud dubie ortum, vt veteribus chriſtianis onolatria obiiceretur, quod & recte iam animaduerſum TERTVLLIANO, in *apologetico cap. XVI.* Frequens enim admodum erat, cum chriſtianis confundere Iudaeos. Alii tamen & alias conuicii huius in chriſtianos coniecti rationes adferunt: qua de re vid. CHRISTIANVS KORTHOLTVS, in *pagano obtrectatore lib. II. cap. I. p. 255. ſeqq.* Quam vana autem iſta ethnicorum de Iudaeorum ſacris fuerit calumnia, cum per ſe pateat, vt prolixe demonſtremus, neceſſe non eſt. Facit hoc FLAVIVS IOSEPHVS, *loc. cit.* vbi Apionis il-

illud illepidum commentum ſtudioſe refellit.

Ne quid tandem conuiciorum aut calumniarum deeſſet, etiam *porcorum* cultum Iudaeis gentiles obiecerunt. Conſtat hoc itidem ex PETRONII ſupra iam adlatis verſibus. Suffragatur quoque PLVTARCHVS, *ſympoſiac. lib. IV. quaeſt. V. p. m. 669. ſeqq.* ex inſtituto disputans: *πότερον οἱ Ἰουδαῖοι σεβόμενοι τὴν ὗν, ἢ δυσχεραίνοντες, ἀπέχονται τῶν κρεῶν; vtrum ſuem venerantes Iudaei, aut potius auerſantes, carne eius abstineant?* tandemque concludens, ex veneratione ſuis Iudaeos carne eius abſtinere. Nimirum ex Aegyptiorum more de Iudaeis iudicat, qui non comedebant animalia, quae colebant. Hinc cum de Aegyptiorum, viliſſima animalia ob cauſſas leuiſſimas diuinis honoribus adficientium, ſacris late diſſeruiſſet, ſubiicit: *οἶμαι δὲ καὶ τοὺς Ἰουδαίους, εἴπερ ἐβδελύττοντο τὴν ὗν, ἀποκτείνειν ἄν, ὥσπερ οἱ μάγοι τοὺς μῦς ἀποκτείνουσι· νῦν δὲ ὁμοίως τῷ φαγεῖν τὸ ἀνελεῖν ἀπόρρητόν ἐστιν αὐτοῖς. Καὶ ἴσως ἔχει λόγον, ὡς τὸν ὄνον δὲ ἀναφήναντα πηγὴν αὐτοῖς ὕδατος τιμῶσιν, οὕτως καὶ τὴν ὗν σέβεσθαι σπόρου καὶ ἀρότου διδάσκαλον γενομένην. Exiſtimo autem Iudaeos, ſi abominarentur porcum, interfecturos eum fuiſſe, ſicut mures necant magi. Nunc tam interficere, quam edere ſuem, iis eſt religio. Et fortaſſis rationi hoc conſentit, ſicut aſino ſuus eſt apud eos honor, qui fontem aquae eis demonſtrauit: ita ſuem eos venerari, vt ſationis & arationis magiſtram.* Non tamen ſibi ipſi ſatis conſtat PLVTARCHVS. Deinceps enim rationes varias, interque eas metum leprae adfert, cur Iudaei ſues auerſentur. Habetque, quod ad vltimam rationem attinet, ſecum conſentientem C. CORNELIVM TACITVM, *qui, ſue,* inquit, *abſtinent, memoria cladis, quod ipſos ſcabies quondam turpauerat, cui id animal obnoxium; hiſtor. lib. V. cap. IV.* Vterque autem, & PLVTARCHVS & TACITVS, a veritate quam maxime diſſentiunt: cum praecipua cauſſa, cur Iudaei ſues auerſentur, ſit interdictum diuinum de carne ſuilla non comedenda. *Leuit. XI. 7. Deut. XIV. 8.* Idque ex grauiſſimis rationibus profectum eſſe, non eſt, quod dubitemus, quas exponere, huius loci non eſt. Legat, qui volet, SAM. BOCHARTVM, *hierozoic. part. I. lib. II. cap. LVII.* & GERH. IOAN. VOSSIVM, de *idololatr. gentil. lib. III. cap. LXXV.* Et licet alia quoque animalia ceu impura Iudaeis interdicta ſint; ſues tamen vel maxime varias ob rationes auerſantur, quas inter haud vltima eſt, quod a gentibus, a quibus duriſſima quaeque paſſi ſunt, carne ſuilla ad defectionem a lege diuina tentarentur. Conf. *I. Maccab. I. 50. II. Maccab. VI. 18. VII. 1.* FL. IOSEPHVS, *antiquit. iudaic. lib. XII. cap. VI.* Ratiocinia, quibus PLVTARCHVS euincere conatus eſt, veneratione Iudaeos a carne ſuilla abſtinere, oppido infirma ſunt. Ex Aegyptiorum enim, animalibus, quae colebant, parcentium, moribus, alias non ſtatim aeſtimare gentes licet. Nec ſequitur, quia Iudaei ſues non interficiunt, ergo ex vene-

veneratione quadam ab iis abſtinent. Murium enim, quos magi interficiebant, & ex quibus nulla ad homines vtilitas, damna autem plurima redundant, & porcorum, qui aliarum gentium vſibus inſeruiunt, & ſine damno domini interfici temere nequeunt, maximum eſt diſcrimen. Sed de hisce, quae hactenus paucis & in compendio diximus, pluribus, & quidem copioſe ac diligenter, agit, vir doctiſſimus, IO. IACOBVS SCHVDT, in *compendio hiſtoriae iudaicae ex gentilium potiſſimum ſcriptoribus collecto, cap. XIX. XX. XXI. & XXII.* qui & *cap. XII.* de gentilium odio & profano contemtu religionis iudaicae, multa notatu digna collegit. Mihi vel ideo haec attingere viſum fuit, quia inde diſcimus, quod & hodie experientia docet, veri Dei cultores turpiſſimis foediſſimisque profanorum hominum calumniis atque conuiciis ſemper expoſitos fuiſſe.

§. XXXII.

Cultus praeterea Numinis externus multis variisque, iisque interdum oneroſis ritibus ac caerimoniis auctus eſt, idque cum ſummo rigore. Iam ſacris faciendis certus conſtitutus locus, tabernaculum ſcilicet portatile,* ſacerdotes quoque certi atque miniſtri deſtinati, illi ex gente Aaronis, hi ex reliquis Leuitis;** dies quoque feſti, praeter ſabbatum, varii.*** Ipſe vero cultus ſacrificiis praecipue, quae varii generis erant, atque oblationibus, aliisque praeſtationibus abſoluebatur.* Sacramentorum quoque auctus eſt numerus, accedente ad circumciſionem agno paſchali.** Ne quid nunc de caerimoniis priuatis, in veſtitu, ciborum diſcrimine, purificationibus, ſimilibusue obſeruandis,*** dicam.

* Ita ordinis cauſſa leges caerimoniales in certas claſſes diſpeſci poſſunt, vt, quae ad *locum*, in quo cultus diuinus peractus fuit, ſpectant, primam occupent. Is in hocce quidem temporis interuallo *tabernaculum* fuit, a Moſe iuſſu Numinis conſtructum. De cuius materia, forma, partibus, myſteriis, multa dici poſſent, niſi hisce prolixius immorari ab inſtituti noſtri ratione alienum eſſet. Ab aliis etiam iam pridem occupatum hoc argumentum, & adcurate pertractatum fuit. Vid. ARIAS MONTANVS, in *adparat. oper. reg. tract. Bezaleel*, ſeu *de tabernaculo;* CAROLVS SIGONIVS, de *republ. Ebraeor. lib. II. cap. VIII.* IO. CONR. DIETERICVS, *antiquitat. bibl. p. 200. ſeqq.* IO. BVXTORFIVS, de *arca federis, cap. VI.* HERMANNVS WITSIVS, *miſcellaneor. ſacror. part. I. lib. I. diſſert. I.* quae de *tabernaculi Leuitici myſteriis* ex inſtituto agit, *p. 393. ſeqq.* PETRVS IVRIEV, *hiſtor. crit. dogmat. & cultuum bonor. & malor. part. II. cap. II. p. 202. ſeqq.* IO. HENR. MAIVS, in *oeconom. tempor. vet. teſtam. cap. XIX. p. 448. ſeqq.* aliique. Facere autem non poſ-

poſſum, quin de origine tabernaculi aliquid adiiciam; cum ad noſtrum hoc vel maxime inſtitutum pertineat. Neque repetam, quae iam ſupra ad *per. I. ſect. III. §. XVIII.* de origine & antiquitate templorum diſputauimus: vbi & contra IO. SPENCERVM euici, nullo idoneo argumento comprobari poſſe, iam Moſis aetate templa apud ethnicos in vſu fuiſſe. Idem vero SPENCERVS, vt tabernaculi originem ab ethnicis deriuet, aliam viam ingreditur; *de legib. Ebr. ritualibus, lib. III. diſſert. I. cap. III. p. 801. ſeqq.* Nam *Aegyptiis,* inquit, *aliisque gentibus in more fuit, deorum imagines aut eorum ſymbola, in thenſis, ναΐσκοις aut tentoriis collocata circumferre, vel vt eos honore ſingulari colerent, vel vt eos haberent indiuiduos viarum ac periculorum ſuorum comites. Cum autem morem illum tollere non ita promtum eſſet, Deo viſum eſt; ad ſaeculi morem & modum ſe dimittere, in tabernaculo habitare, tabernaculum etiam miniſtris eius circumferendum tradere.* Cuius quidem ſententiae ſuae fundamentum praecipuum in loco *Amos V. 26.* collocat: *portaſtis tabernaculum Molochi veſtri, & Chiiun, imagines veſtras, ſidus Dei veſtri, quae feciſtis vobis;* quem adeo prolixe & operoſe explicandum ſibi ſumſit. Nos equidem, vt ea ſaltem obſeruemus, quae ad rem faciunt, non refragabimur, quo minus per tabernaculum Molochi thenſa eiusmodi, ſeu aedicula, in qua idoli cuiusdam imago continebatur, intelligatur; quam etiam ſententiam calculo ſuo comprobat HENR. HAMMONDVS, ad *Act. VII. 43.* Add. IO. SELDENVS, de *diis ſyris, p. 190. ſeqq.* Nec enim inſolens erat, deorum imagines in eiusmodi aediculis circumferre. Neque negabimus, iam tempore Moſis eiusmodi quid apud gentiles in vſu fuiſſe, quamquam nullo alio argumento, quam hoc ipſo Amoſi loco, hoc comprobari queat. Hinc nec illorum ſententiam tuendam ſuſcipiemus, qui ad exemplum tabernaculi israëlitici, aediculas eiusmodi a gentilibus confectas, contendunt, quos inter & THOMAS GODWINVS eſt, de *ritibus Ebraeorum ciuilib. eccleſ. lib. IV. cap. II.* quam vehementer impugnat SPENCERVS, *l. c. ſect. II. p. 819. ſeqq.* Id ſaltem adſero, ſi haec omnia concedantur, nihil tamen inde ſequi, quo eius de origine tabernaculi israëlitici ſententia confirmetur. Duo enim adhuc illi demonſtranda ſuperſunt; alterum, inter tabernaculum israëliticum & aediculas Molochi, tantam interceſſiſſe conuenientiam, vt illud harum imaginem retulerit; alterum, Deum non alia, quam hacce ratione permotum, tabernaculum iſtud in gente israëlitica confici voluiſſe. Quod ad prius equidem attinet, conuenientiam quamdam inter tabernaculum israëliticum & aediculas Molochi, oſtendere adnititur SPENCERVS. Quam vero infeliciter haec ei comparatio ceſſerit, res ipſa docet. Sufficit itaque ad eum confutandum, ipſa eius adlegaſſe verba: *erat tabernaculum teſtimonii templum portatile; erat etiam tabernaculum Molochi ναΐδιον aut templum*

plum paruulum, quod, prout occaſio ferebat, huc & illuc portabatur. Dei tabernaculum arcam & typos duos, imagines nempe cherubicas incluſa continebat; & Molechi tabernaculum illius (FORSAN *& Chiiuni)* τύπον *aut imaginem incluſam amplectebatur. In tabernaculo teſtimonii Deus habitabat, & non raro ſenſibile praeſentiae ſuae teſtimonium exhibebat, vnde* משכן *habitaculum adpellabatur: & in tabernaculo illo idololatrico Moloch per ſymbolum aut imaginem, &* FORTE *per reſponſa ſe praeſentem indicabat &c.* Haec ſi quis legat, ſtatim intelliget, quam lubrico fundamento iſta viri clariſſimi ſententia innitatur. Ad alterum autem quod attinet, ne vnicum quidem verbum protulit, aut proferre potuit, quo probet, Deum tabernaculi conſtitutione moribus gentilium, indolique populi iſraëlitici, ſe attemperare voluiſſe. Eo minus autem hoc eſt veroſimile; quo magis iſtud ſanctitati Numinis aduerſatur, quoque certius conſtat, mores iſtos atque inſtituta gentium, Deo fuiſſe abominationi. Accedit, quod ipſemet Deus, cum conſtrui tabernaculum a Moſe vellet, non ad ethnicos eum ablegauerit, vt formam eius ab iis condiſceret, ſed ipſemet imaginem & formam tabernaculi cum omni illius adparatu adcurate ei praemonſtrauit, addito mandato ſeueriſſimo: *omnino, prout oſtendo tibi, ſtructuram ipſius tabernaculi, & ſtructuram omnium inſtrumentorum eius, ſic ergo curato fieri, Exod. XXV. 9.* & iterum *verſ. 40. vide igitur, & fac: ex ſtructura iſtorum, quae tibi exhibita eſt in monte.* Nec neceſſe eſt, vt in rationibus tabernaculi exquirendis ad vana iſta commenta nos recipiamus, cum grauiora verioraque ſuppetant. Nimirum, cum ipſe Deus regis ſummique principis munere in gente iſraëlitica fungeretur, praeſentiae ſuae ſingularis documentum aliquod externum ſymbolumque exſtare voluit, prout domiciliorum palatiorumque magnificentia, regem ibi adeſſe demonſtrare ſolet. Et huic quidem fini, primo tabernaculum, deinde templum a Salomone exſtructum inſeruire debebat. Idque aperte indicatur *Exod. XXV. 8. Facient mihi ſanctuarium, & habitabo in medio eorum.* Conueniens praeterea erat, vt cultui diuino, ſacrificiisque offerendis, certus locus deſtinaretur: qui vero alius ad hoc aptior erat, quam ille ipſe, qui de Numinis praeſentia teſtabatur? Simul per tabernaculum, vt reliquas cultus Leuitici partes, ſublimiora quaedam, & ſpiritualia Deus adumbrare voluit; qua de re cum diſerte hoc teſtetur Paulus, *Ebr. IX. 1. 2. ſeqq.* dubitare nefas eſt. Haec vero cum nonnulli ex iis, quos antea laudauimus, prolixius explicent, nihil amplius addo.

In tabernaculo hocce & ornamenta, & inſtrumenta erant varia, cultui diuino deſtinata, adeoque a Deo ipſo praeſcripta. Cumque eius, in ſtrictiori ſenſu accepti, duae eſſent partes, *ſanctum*, ſcilicet, atque *ſanctum ſanctorum*, in illo quidem erant *menſa aurea,*

rea, cum *panibus*, quos vocant, *propoſitionis*, ad aquilonem; *candelabrum aureum*, e regione menſae ad meridiem; *altare aureum ſuffitus*, proxime ad ſanctum ſanctorum; in hoc autem, ſeu *ſancto ſanctorum*, quod a *ſancto* per aulaeum quoddam artificioſiſſimum פרוכת dictum discernebatur, erat *arca federis* cum *operculo aureo* & *cherubinis*, quemadmodum in ipſa arca *vrna aurea* cum *manna*, & *virga Aaronis* continebatur, legis Moſaicae volumine ad latus eius repoſito. In atrio autem erat *altare aeneum holocauſtorum*, itemque *labrum aeneum*, ſacerdotum & Leuitarum lotionibus deſtinatum. Haec omnia licet conſideratione digna ſint, praecipue tamen arca federis attentionem promeretur. Myſterio enim eam non caruiſſe, nemo dubitauerit, niſi, cui in re ſeria puerorum more ludere, diuina ſapientia non indignum viſum fuerit. Nihilo ſecius ita ſentit IOAN. SPENCERVS, more ſuo myſteria & hic explodens, arcaeque originem a ſacris gentilium ciſtis, quarum apud veteres frequens mentio, repetens; *loc. cit. lib. III. diſſert. V. p. 1086. ſeqq.* Aegyptios eiusmodi ciſtam fabricaſſe, eamque locum haud ignobilem in eorum pompis habuiſſe, ex APVLEIO probat. Proceſſionem enim idololatricam ad ritum Aegypti celebratam, referens, *ferebatur*, inquit, *ab alio ciſta, ſecretorum capax, penitus celant operta magnificae religionis; de aur. aſin. lib. XI.* Hinc ad PLVTARCHVM prouocat, qui, cum in libello de *Iſide*, ciſtarum, quae apud Aegyptios in vſu fuerunt, ſubinde mentionem faciat, Oſiridis inter alia ritus deſcribens, ita loquatur: *decima nona menſis die noctu ad mare deſcenditur*, καὶ τὴν ἱερὰν κίϛην οἱ ϛολιϛαὶ καὶ οἱ ἱερεῖς ἐκφέρυσι χρυσᾶν ἐντὸς ἔχυσαν κιβώτιον, &c. *& ſacram ciſtam ſtoliſtae (quaſi veſtitores dixeris) vna cum ſacerdotibus efferunt, in qua eſt intus aurea arcula, &c.* Troianos etiam antiquiſſimos arcam quamdam notae ſacratioris habuiſſe, PAVSANIAE teſtimonio confirmat, *lib. VII. p. 435.* Cumque nonnulla eiusdem generis adieciſſet, tandem concludit: *Cum itaque iam dicta fidem faciant, Aegyptios, Troianos, Phoenices, Hetruscos, Graecos, Romanos, & gentes alias, arcas in ſacrorum ſuorum cenſu habuiſſe, ſuadet ratio, vt huiusmodi religionis inſtrumenta, legem Moſaicam antiquitate ſuperaſſe cenſeamus. Nemo enim paullo ſanior dixerit, gentes illas omnes arcarum ſuarum exempla ab obſcura diu & contemta Iudaeorum gente petiiſſe, &c. l. c. ſect. I. p. 1088.* Multa alia ad idem confirmandum cum congeſtaſſet, a pulchritudine etiam arcae argumentum deſumit, remque egregie ſe confeciſſe, exiſtimat, recitatis gentilium teſtimoniis, quibus docet, magnificum & ſplendidum eiusmodi cultum vel maxime decere Deum. Tum vero vehementer in illos, qui hic myſteria quaerunt, inuehitur. *Sat ſcio*, inquit, *nonnullos arcae ſplendore pertractos ad allegoriam (vſitatum illud ignorantiae aſylum, cum vrget textus Moſaici difficultas) confugere ſolitos,*

arcam

arcam ideo auro puro obductam adſerentes, vt puritatem cultus aut verbi diuini (quod auro purificato adſimilatur) populo ſignificaret. At vero in quos fumos atque auras euaneſcet lex diuina, ſi quasuis allegorias & phantaſiae luſus, tamquam legis myſteria, & ſenſus ſacratiores amplecti liceat? &c. l. c. ſect. III. p. 1096. De cherubinis arcae ſuperimpoſitis eadem ratione philoſophatur, ex Aegypto, gentiliumque inſtitutis, originem repetens *cap. III. & IV.* eiusdem *diſſertationis quintae, p. 1109. ſeqq.* Nimirum vt mittamus, quae de voce כרוב eiusque genuina ſignificatione prolixe diſputat, ad formam, quod attinet, cherubinos *ſimulacra aurea* fuiſſe putat *multiformia, ad formam tamen vitulinam propius accedentia*, quod multis rationibus euincere conatur; *l. c. cap. IV. ſect. II. p. 1123.* Et eiusmodi quidem cherubinorum formas a ſymbolis & ſimulacris aegyptiis originem ducere, inde probat, quod deorum ſymbolis & ſimulacris nihil ſacratius habuerit Aegyptiorum religio; quod Aegyptiorum imagines ex auro plurimum conſtiterint; varias quoque animantium formas in vno ſimulacro commiſcendi conſuetudinem Aegypto fuiſſe propriam, & a remotiſſima rerum ſuarum memoria inter eos inprimis vſitatam; & quae alia ſunt eiusdem generis. Summa reliquorum eo tandem redit, cum Iſraëlitae, rituum aegyptiacorum memores, ſimulacra in vitulorum ſpeciem formata impenſius optarent, & caeco ac praecipiti zelo proſequerentur, Deum, cum tot leges eorum moribus adcommodatas inſtituiſſet, & ſacra quaedam apud Aegyptios vſitata in cultum ſuum deriuaſſet, & hoc tandem illis dediſſe, vt cherubinos ſeu ſimulacra, in vitulorum praecipue formas efficta, illis concederet; *loc. cit. ſect. IV. p. 1136.* Interim non diffitetur, cherubinos figuras myſticas & ſymbolicas fuiſſe, & veritatum quarumdam reconditiorum monumenta, ſed & hac ratione ſi ſpectentur, originem illorum ex theologia ſymbolica Aegyptiorum repetendam eſſe; *cap. V. p. 1140.* Et ita quidem tum de arcae federis, tum de cherubinorum origine ſentit SPENCERVS. Quam lubrica vero haec omnia ſint, quamue infirmo nitantur fundamento, vt paucis demonſtremus, non abs re fuerit. Apud Aegyptios, Troianos, Hetruscos, Phoenices aliasque gentes, ciſtas ſacras, deorum cultui dicatas, in vſu fuiſſe, non negamus. An vero iam ante Moſis tempora in vſu fuerint? id quidem eſt, de quo quaeritur. Fidenter quidem adfirmat SPENCERVS: ſed non demonſtrat. Neque enim auctores, ad quos prouocat, hoc dicunt, neque, ſi dicerent, ſtatim hac in re fidem promererentur, cum multorum ſaeculorum interuallo ab iſta aetate, qua Moſes vixit, fuerint remoti. Supponit equidem SPENCERVS, ſi Iſraëlitae ab Aegyptiis arcae ſacrae vſum non acceperint, ſequi, reliquas gentes eumdem accepiſſe ab Iſraëlitis, quod illi tamen tam abſonum videtur, vt *neminem paullo ſaniorem* id dicere poſſe exiſtimet.

Fal-

Digitized by Google

Fallitur autem & hic vir doctiſſimus. Non enim ſequitur, ſi Iſraëlitae arcae ſacrae vſum non acceperunt ab Aegyptiis, ergo reliquae gentes eum acceperunt ab Iſraëlitis. Et qui prius negat, non ſtatim tenetur adfirmare poſterius. Varias enim ob rationes, interdum & caſu fieri poteſt, vt variae gentes in eosdem ritus conſentiant. Nec etiam tam abſonum eſt, ab Ebraeis Aegyptios, & ab his alias gentes ciſtarum ſacrarum vſum accepiſſe. Fuit ſequiori aetate gens ebraea multis inuiſa; at ita obſcuram fuiſſe, vt auctori doctiſſimo videtur, nondum mihi perſuadeo. Immo magnam eius famam olim & exiſtimationem fuiſſe, cum in eius gratiam tot miracula Deus edidiſſet, admodum eſt probabile. Fueruntque adeo & viri eruditiſſimi, qui ciſtarum ſacrarum vſum apud gentiles ab Ebraeorum arca federis deriuarent, quos inter & PETRVS DANIEL HVETIVS eſt, *demonſtrat. euangel. part. I. prop. IX. cap. XI. p. 233.* Sed, inſtas, ſi ab Aegyptiis arcae ſacrae origo non deriuetur, nulla eius ratio reddi poteſt. Allegoricae enim & myſticae rationes diſplicent SPENCERO, illique tutum ignorantiae aſylum audiunt. Nollem talia viro docto excidiſſent, quae non poſſunt non in ipſum ſpiritum ſanctum eſſe iniuria. Leges caerimoniales generatim adeoque & tabernaculum illud Leuiticum, cum omni ſuo adparatu, ad res ſublimiores ſignificandas & exhibendas, comparatas fuiſſe, iam ſupra probauimus. Quis itaque de arca federis dubitet? quae inter tabernaculi iſtius inſtrumenta vel primum praecipuumque obtinebat locum. Sed conticeſcere hic SPENCERVM, omnesque myſteriorum oſores iubet Paulus apoſtolus; quippe qui, vbi ex inſtituto id agit, vt tabernaculi Moſaici myſteria exponat, inter ea, quae ſignificationes rerum arcaniorum habuerunt, diſerte memorat *arcam pacti, vndique circumtectam auro, & cherubim glorioſos obumbrantes propitiatorium, Ebr. IX. 4. 5.* Et licet apoſtolus ipſe myſterium arcae non explicet; ſufficit tamen, quod myſterium ſub ea latuiſſe indicet. Quamquam & quale illud ſit, haud obſcure colligere liceat ex eo, quod *cap. IV.* eiusdem epiſtolae *verſ. 14–16.* dixerat: *habemus igitur pontificem maximum, qui tranſiuit caelos: accedamus cum loquendi libertate ad THRONVM GRATIAE.* Hisce enim ad ſanctum ſanctorum & propitiatorium, quod ſuper arcam federis, apoſtolum reſpicere, qui non videat, caecum eſſe oportet; conf. & *Apocal. XI. 19.* Ipſa autem haecce pluribus explicare myſteria, huius loci non eſt, feceruntque id alii eſt inſtituto.

Nec rectius ſe habent, aut firmiori talo nituntur, quae vir doctus de cherubinis propitiatorii in medium attulit. Prolixum nimis foret, quae ab aliis hac de re disputantur, aut recenſere, aut diſcutere. Paucis ſaltem meam exponam ſententiam. Et ad vocis quidem originem quod attinet, maxime mihi placet ſententia EDMVNDI

CA-

CASTELLI a voce ſyriaca ܟܪܒ *fortis fuit*, vnde ܟܪܘܒܐ quod idem eſt, ac *fortis*, eam deriuantis, in *lexic. heptagl. col. 1705*. Cum enim de angelis praecipue haecce vox vſurpetur, & cherubim propitiatorii angelorum etiam fuerint imagines, iſta deriuatio plane ad rem facit. Sunt enim angeli גבורי כוח *fortes, Pſalm. CIII. v. 20.* Nec inſoleus, vt deperditae radices linguae ebraeae ex lingua ſyriaca repetantur. Quod ad formam attinet cherubinorum, qui propitiatorio incubuere, FRANCISCVS quidem MONCEIVS in eo totus eſt, vt eos forma vitulina fuiſſe probet, in *Aarone purgato* ſeu de *vitulo aureo, lib. I. cap. XVI.* Cuius rei rationem ex iis, quae ſupra contra eumdem auctorem diſputauimus, intelligere licet. Interim in eadem verſantur opinione IAC. GAFFARELLVS, in *curioſitatib. inauditis, cap. VII.* HVGO GROTIVS, ad *Exod. XXV. 18.* aliique. Inter rationes, quae pro hac ſententia allegari ſolent, praecipua eſt, nec contemnenda videtur, quod *Ezech. X. 14.* bos κατ' ἐξοχὴν כרוב vocetur, & iſto nomine ab homine, leone & aquila, diſtinguatur. Ad quod tamen reſpondent, qui ſecus ſentiunt, per cherub ibi non neceſſario bouem intelligi, cum fieri potuerit, vt facies alata obſcurior agnitu repraeſentaretur, quam nomine כרוב propheta expreſſerit: aut, quod probabilius, bouem ibi כרוב vocari, quod ceu vehiculo aptiſſimus, totum currum moderari videretur. Et ſane nihil abſoni eſt, ſi dicamus, vocis כרוב diuerſas eſſe ſignificationes, & tum de angelis, tum de bobus vſurpari, cum & his ob fortitudinis ac roboris rationem non male conueniat, nec inſolens ſit, vt voces quaedam mox hominibus, mox brutis deſignandis inſeruiant. Interim nec ipſi SPENCERO ſententia de forma cherubinorum mere vitulina placet, quippe qui ſimulacra haec *multiformia* fuiſſe putat, *ad formam tamen vitulinam proxime accedentia*; ſcilicet vt originem illorum tanto facilius inueniret. Nec procul adeo hinc abeunt, qui formam cherubinorum mixtam ex humana, leonina, aquilina, & bouina eſſe exiſtimant, vt HIERONYMVS A PRADO, *comment. in Ezech. part. I. ſect. V.* IOAN. BAPTISTA VILLALPANDVS, *tom. II. in Ezech. part. II. c. XXXV. ſeqq.* aliique. Sed perperam ex animalibus Ezechieli prophetae viſis, formam cherubinorum propitiatorii aeſtimant: cum nullo idoneo argumento probari poſſit, eamdem vtrorumque formam fuiſſe; ne dicam, quod nec animalium iſtorum formam recte capiant, vt aliis iam eſt obſeruatum. Ex deſcriptione cherubinorum Moſaica *Exod. XXV. v. 18. 19. 20.* nihil aliud colligere licet, quam paſſas eos habuiſſe alas ſurſum verſus, aliſque ſuis obtexiſſe propitiatorium; vnde alis eos inſtructos fuiſſe conſtat; quae reliqui corporis forma fuerit, inde colligere non licet. Moſi enim viſum non fuit, eam adcuratius deſcribere, ſiue quod hoc non neceſſe duceret, cum de re Iſraëlitis ſatis nota loqueretur, ſiue quod alia quaedam cauſ-

cauſſa ſubfuerit. Recepta tamen fere, nec ſpernenda temere eſt ſententia, qua faciem, reliquumque corpus, formam iuuenum cherubinos habuiſſe. Digniſſima vtique ea eſt, quae angelis tribuatur, quorum ſymbolum cherubinos hosce propitiatorii fuiſſe, non eſt, quod dubitemus. Hinc & Ebraeorum doctorum haec eſt ſententia, vt ex R. SAL. IARCHIO, ABENESRA, IS. ABARBANELE, ad *Exod. XXV. 18.* liquet, quibus & MOSES MAIMONIDES iungendus, in *more neuoch. part. III. cap. I.* Atque haec cum ita ſe habeant, fruſtra & ſine ratione cherubinorum iſtorum origo ex Aegypto accerſitur. Cum Aegyptiorum enim imaginibus, ſi formam, aut ſcopum, aut ſignificationem ſpectes, eos aliquid habuiſſe commune, a SPENCERO adſeritur quidem, ſed non probatur. Quod in generalioribus quibusdam, vt ratione materiae, conuenerint, id nihil ad rem facit, cum inde non ſequatur, Ebraeorum cherubinos ad imitationem ſimulacrorum aegyptiacorum factos fuiſſe. Nec myſtica cherubinorum ſignificatio ab Aegyptiis petenda. Eſto enim, habuiſſe iam eo tempore Aegyptios emblematicas imagines: cherubini tamen eiusmodi quid ſignificarunt, quod haud dubie in Aegyptiorum ſcholis plane ignotum fuit. Angelorum enim in negotio ſalutis miniſterium haud obſcure hisce imaginibus indicabatur. Vnde pronis faciebus incumbebant propitiatorio, illudque intuebantur, cum & angeli in myſteria redemtionis noſtrae geſtiant παρακύψαι, *I. Petr. I. 12.* Ebraeorum denique κακοζηλία fruſtra vrgetur. In eius enim gratiam Deum idololatrica Aegyptiorum inſtituta Iſraëlitis indulgendo, maieſtate ſua atque ſanctitate aliquid indignum admiſiſſe, adſerere, profanum nimis eſt atque impium. De cherubinis generatim ſpectatis diligenter diſſeruit HERM. WITSIVS, in *aegyptiacis, lib. II. cap. XIII. p. 153.*

** Altera legum caerimonialium claſſis eas comprehendit, quae ad *perſonas*, cultui Numinis publico deſtinatas, pertinent. Cum enim ius ſacrorum hactenus penes primogenitos, ceu principes cuiusque familiae fuiſſet, Deus in illorum locum tribum Leui ſubſtituit. Ex hacce autem nonnulli primariis tabernaculi, & deinceps templi miniſteriis admoti ſunt, *ſacerdotesque* ideo dicti, alii ſecundariis, quibus commune *Leuitarum* nomen haeſit. Inter ſacerdotes eminebat ſacerdos magnus כהן גדול quem *pontificem maximum* adpellitant, non ſatis quidem adcurate, vt nonnulli obſeruant, cum apud Romanos plures pontifices eſſent, quos inter eminebat, qui maximus dicebatur, quod de ſummo Ebraeorum ſacerdote dici nequit, qui ſolus erat in ſuo ordine. Magna ſummi ſacerdotis fuit dignitas, non tamen tanta, vt regi aut aequiparandus aut praeferendus eſſet, vt perperam nonnulli exiſtimant. Et hinc eſt, quod גדול מאחיו *magnus prae fratribus ſuis* audiat, *Leuit. XXI. 10.* Ad officia ſummi ſacerdotis quod attinet, fas ei erat, ſacra omnia & omni tempore agere, ſuffitum adolere, victimas in altari

tari offerre, & ſic porro. Quod tamen ſub templo ſecundo, non niſi duobus feſtis a plerisque factum fuit. Haec autem vt illi quodammodo cum reliquis ſacerdotibus communia fuerunt; ita proprium erat, quotannis ſemel intrare ſanctum ſanctorum cum ſanguine expiationis; Deum conſulere per vrim & thummim; conſecrare & initiare ſacerdotes atque Leuitas, & quae alia erant eiusdem generis, quorum nonnulla non a Deo ipſo ſancita, ſed ſequenti demum aetate acceſſerunt. Vid. MOSES MAIMONIDES, de *adparat. templ. cap. XVI.* Quodſi in officio ſuo adminiſtrando impediretur, contrahendo forte impuritatem quamdam, aut alia ratione, per *vicarium* ſacra peragenda erant, qui ſequenti aetate conſtitui ſolebat, quem cum Sagane (סגן) non confundendum eſſe, recte viri docti monuerunt. Contigiſſe autem aliquando, vt in officio ſuo ſacerdos ſummus impediretur, exemplo docet FL. IOSEPHVS, *antiquit. iudaic. lib. XVII. cap. VIII.* Sed iſta ad haec, de quibus loquimur, tempora non pertinent. Inauguratio eius iuxta praeſcriptum Moſis, fiebat lotione, vnctione, & veſtium pontificalium induitione, *Leuit. VIII. 6.* Vnctio in templo ſecundo omiſſa fuit, eo, quod oleum vnctionis deeſſet, adeoque tum inauguratio lotione, veſtium induitione, & ſacrificio peragebatur, vocabaturque מרובה בגדים, cum antea מרובה משיחה audiret. De oleo iſto vnctionis, quod שמן המשחה vocant, itemque de modo vnctionis, multa tradunt Ebraeorum magiſtri, quae nobis hic repetere non licet. Vid. MOSES MAIMONIDES, de *adparat. templ. cap. IV.* Nobis ſufficiunt, quae hac de re expoſuit Moſes ipſe, *Exod. XXIX. 7.* & *Leuit. VIII. 12.* Ex *Pſalm. CXXXIII. 2.* colligas, tam largiter oleum in caput Aaronis effuſum, vt in barbam quoque deflueret, & oras veſtium. Reliqui ſacerdotes oleo ſaltem adſperſi ſunt, non autem per effuſionem vncti, idque ſi Ebraeorum magiſtris credimus, ſemel tantum in deſerto, vt adeo vi iſtius vnctionis ſeu adſperſionis, poſteri quoque illorum conſecrati cenſerentur. At ſummi ſacerdotes iterata vnctione conſecrandi erant, quoties aliquis in alterius locum ſuccedebat. Iura ſummi ſacerdotis plane erant ſingularia, quibus ab aliis ſacerdotibus, multo magis reliquis Iſraëlitis, diſtinguebatur. Namque in luctu nec nudare, nec tondere caput debuit; nec lacerare veſtes: praeterea nefas illi erat accedere ad cadauer, ne quidem patris aut matris, immo ne ex ſanctuario quidem excedere, ſi quis ex eius cognatis mortuus eſſet, debebat: matrimonium autem initurum virginem vxorem ducere oportebat, minime viduam, aut expulſam; & quidem ex ſuo populo, ne cum peregrinis ſemen eius commiſceretur. Quod autem de veſtium laceratione, apud alias quoque gentes ad luctum ſignificandum vſitata, dictum, id ebraei doctores ita interpretantur, non ſcidiſſe ſacerdotem ſummum veſtes ſuas, vt alios, a ſummo ad imum. Sunt &, qui lacerationem

Aa aa 2 ad

ad veſtes ſacerdotales reſtringunt, quemadmodum rurſus alii in luctu ſaltem veſtium lacerationem ſummis ſacerdotibus illicitam fuiſſe, contendunt, in aliis autem caſibus id iis non fuiſſe nefas. Quo nomine CAESAREM BARONIVM, Caiapham lacerando ob Chriſti ſeruatoris confeſſionem, quam pro blaſphema reputabat, veſtem, contra legem egiſſe, in *annalibus* ad *an. XXXIV.* pronuntiantem, reprehendit IS. CASAVBONVS, *exercit. XVI. num. LXXIII.* Quae de matrimonio ſummi ſacerdotis obſeruanda ſunt, pluribus ediſſerit IO. SELDENVS, *vxor. ebr. lib. I. cap. VII.*

Ne quid autem ad externum ſplendorem ſummo ſacerdoti deeſſet, veſtibus quoque pretioſiſſimis Deus eum, praeſertim, cum ſacris operaretur, ornatum voluit. Erant autem ſummi ſacerdotis veſtes vel *albae*, vel *aureae*. Illas nonnulli *extraordinarias* vocant, erantque: *femoralia*, *tunica*, *balteus*, & *cidaris*, quibus induebatur ingreſſurus ſanctum ſanctorum die expiationis, aut crematurus vaccam rufam. Veſtibus hiſce albis cum ſemel indutus fuiſſet in die expiationis, non amplius iis vſum, Ebraeorum magiſtri tradunt. Aurearum, quas vocant, nonnullae illi cum reliquis ſacerdotibus communes erant, vt *femoralia*, *tunica*, *balteus*, *cidaris:* aliae autem propriae, vt מעיל *pallium*, אפוד *ephod*, חשן *pectorale*, ציץ *lamina*, aurea ſcilicet, praetenſa cidari, πέταλον dicta, cum inſcriptione: קדש ליהוה. De quibus omnibus, quo minus prolixe hic exponamus, inſtituti ratio prohibet; ne dicam, quod iam ab aliis diligenter explicata ſint, praeſertim a IO. BRAVNIO, praeclaro & erudito opere, quod de *veſtitu ſacerdotum ebraeorum* conſcripſit. Facere tamen nequeo, quin paucis, quid אפוד *Ephod*, & חשן *pectorale* fuerit, indicem. *Ephod* nimirum erat amiculum conſtans ex lana, hiacynthino, purpura, coccineo, & byſſo retorta, pallio breuius, ſine manicis, quod ſupra pallium induebat pontifex, ab *humeris*, quos *humeralia* ei adſuta, aut, ſi mauis, attexta tegebant, vltra dimidiam corporis partem dependens, & partem pectoris intectam relinquens a pectorali tegendam. Conſtabat ex duabus plagulis, quas fibulae aureae in vtroque humero connectebant, fulgentibus ibidem duobus lapidibus שהם *Schoam*, (quo nomine ſardonychem vulgo intelligunt) tribuum nominibus inſcriptis. Accedebat חשב האפוד *cingulum ephodi*, ſiue duo lora ipſi ephodo attexta, quibus pro cingulo vtebatur pontifex, ne diffflueret ephod, ſed arctius conſtringi poſſet. Haec omnia adcuratius explicat, & oculis ſubiicit IO. BRAVNIVS, *l. c. lib. II. cap. VI. p. 462. ſeqq.* qui & §. CCCCXLIII. ſuccinctam ephodi deſcriptionem ex SAL. IARCHIO exhibet. Graecis dicitur ἐπωμὶς, Latinis *ſuperhumerale:* fuitque, ſi nonnullis credimus, & ceteroquin apud Iſraëlitas ſimile veſtimenti genus in vſu, quod itidem ephod vocabatur, ſed ab ephodo ſummi ſacerdotis multum diuerſum erat. Cum ephodo ſummi ſacerdotis connexum erat חשן *pectorale*, quod

Digitized by Google

quod ex eadem, qua ephod, materia conſtabat, duplicatumque, longitudine pariter ac latitudine tres palmas aequabat; *Exod. XXVII. 16.* Vtrum ad latera conſutum, aut alio modo clauſum fuerit, an vero aut vndique aut in aliquo latere apertum, non ſatis conſtat. Qui audacter adfirmant, clauſum fuiſſe, excepto vnico latere, inſtar marſupii, vt in eo neſcio quae imagunculae recondi potuerint, quas vrim & thummim fuiſſe putant, nihil aliud agunt, quam vt ſuam in adſerendis, quae idoneis rationibus probari nequeunt, temeritatem prodant. Sed hac de re deinceps. Non tantum חשן forte a חשה *ſiluit, latuit,* quod non niſi alto ſilentio Deus per pectorale reſponſa dederit, dictum, ſed & חשן המשפט *pectorale iudicii* vocatur. Iudicem enim agebat ſummus ſacerdos, cum veſtimentis ſacris, praeſertim pectorali, indutus, in rebus arduis Numinis voluntatem, illud conſulentibus indicabat. Quamquam & ceteroquin tum apud Ebraeos, tum apud alias gentes non infrequens erat, vt ſacerdotes ſimul iudicum munere fungerentur. De Aegyptiis hoc conſtat ex AELIANO, *hiſtor. var. lib. XIV. cap. XXXIV.* & DIODORO Siculo, *lib. I. cap. III.* LXX interpretes vocem חשן vertunt per λόγιον, & SIRACIDES, *cap. XLV. 17.* per λογεῖον, ad rem ipſam potius, quam ad radicem חשה *ſiluit,* & concomitans hunc actum ſilentium, aut ab alia radice vocem hanc deriuantes. Videntur & magis de interno, quam externo, ſermone hoc intellexiſſe, quo ſenſu & latine, *rationale iudicii*, vertitur. Indeque ſublimior illa PHILONIS philoſophia fluxit, de gemmis in pectorali cum verba feciſſet, haec ſubiicientis: σύμπας δ' ὁ τόπος καλεῖται λογεῖον ἐτύμως, ἐπειδὴ τὰ ἐν οὐρανῷ πάντα λόγοις καὶ ἀναλογίαις δεδημιούργηται καὶ συντέτακται· τῶν γὰρ ἐκεῖ τὸ παράπαν ἄλογον οὐδέν. *Ceterum tota haec pars, in qua ſitae ſunt,* (gemmae) *rationale vocatur vero nomine, quoniam, quidquid caelo continetur, fabrefactum ornatumque eſt certis rationibus inter ſe congruentibus; nam ibi nihil non ſua ratione nititur; de monarchia lib. II. p. m. 824.* Cuius generis & alia ibidem adfert: quibus longe meliora ſolidioraque ſubſtitui poſſent, ſi ad myſticas veſtimentorum horum rationes exquirendas, digredi animus eſſet. Hoc ipſum autem pectorale primum inter veſtimenta ſummi ſacerdotis facile tenebat locum, & ex Ebraeorum ſententia מחשיה *ornamentum* potius, quam בגד *veſtimentum,* vocandum eſt. Coruſcabant namque in eo duodecim gemmae per quatuor ordines diſpoſitae, quibus inſculpta erant nomina duodecim filiorum Iſraëlis. De gemmis autem iſtis, quarum nomina hodie non ſatis nota ſunt, praeter IOAN. BVXTORFIVM, peculiari diſſertatione de *vrim & thummim*, & IOAN. BRAVNIVM, *loc. cit. lib. II. cap. VIII. ſeqq.* aliosque, qui hac de re ex inſtituto egerunt, legi meretur MATTHAEI HILLERI, viri clariſſimi, *tractatus de gemmis duodecim in pectorali pontificis Ebraeorum,*

rum, qui Tubingae anno M DC XCVIII prodiit, cuique iunctus eſt EPIPHANII, de iisdem liber cum *animaduerſionibus* CLAVDII SALMASII, aliorumque. Pectorali ſiue τῷ חשן, quod paucis hactenus delineauimus, impoſitum erat *vrim & thummim.* Ita enim Moſes: *& pones in pectorali iudicii vrim & thummim, vt ſint ſupra cor Aaronis, cum ingreditur coram Domino; Exod. XXVII. verſ. 30.* Vbi quidem, vt vocum iſtarum ſignificatio nos ſollicitos habeat, neceſſe non eſt. *Vrim* enim idem eſſe, ac *luces, thummim* vero *perfectiones*, conſtat inter omnes linguae ebraeae non prorſus ignaros. Quod & AQVILA, propriae vocum ſignificationis obſeruantiſſimus, recte expreſſit, vertendo per φωτισμοὺς καὶ τελειώσεις. Minus adcurate LXX interpretes reddunt per δήλωσιν καὶ ἀλήθειαν; etſi haud obſcurum ſit, quam vocum iſtarum originem in animo habuerint. Interim & vulgatus interpres & HIERONYMVS eosdem ſequuntur, reddentes per *doctrinam & veritatem.* In iſta vero denominatione tum ad ſplendorem & praeſtantiam gemmarum, tum ad illuminationem eorum, qui hocce oraculum conſulebant, & perfectam adcuratamque deciſionem, reſpici, res, vt puto, ipſa ſatis docet. Quaeri vero ſolet, num *vrim* diuerſum quid fuerit a *thummim*, an vnum idemque ſignificauerint? Nec deſunt, qui prius adſirmant: at ſine ratione. Illuminatio enim iſta, quam vox *vrim* ſignificat, non poterat non cum adcurata quaeſtionis deciſione coniuncta eſſe, vt haec illam iterum ſupponebat. Eiusdem itaque orationis diuerſi ſaltem effectus indicabantur. Hinc & ſubinde per *vrim* reſponſa data legimus, τοῦ *thummim* nulla iniecta mentione; *Num. XXVII. 21. I. Sam. XXVIII. 6.* Quod documento eſt luculentiſſimo, vrim diuerſum quid a thummim non fuiſſe. Sed alia hinc ſtatim exſurgit quaeſtio, num vrim & thummim ipſum pectorale, aut gemmae eidem inſertae, aut ab his diuerſum quid fuerit? Poſterius nonnulli tum ex Iudaeis, tum ex chriſtianis adſirmant. Cumprimis IOAN. SPENCERVS, τῇ ὑποθέσει, de qua deinceps, διηλέγων, omnes in id ingenii vires intendit, vt probet, vrim & thummim a lapidibus pectoralis, multo magis a pectorali ipſo, diuerſum quid fuiſſe. Idque vel ex eo patere putat, quod vrim & thummim pectorali iam perfecto & abſoluto inſeri debuerint, cum gemmae ab artificibus, qui pectorale conficiebant, inſertae ſint: titulos quoque tam auguſtos, *vrim & thummim*, hoc eſt, *luces & perfectiones*, gemmis non bene conuenire: praeterea vbicumque lapidum illorum iniicitur mentio, eos in aureis loculis ab artificibus diſpoſitos fuiſſe, perpetuo legi, at vrim & thummim in pectorali ſolummodo a Moſe collocari, adeo, vt appendices potius pectoralis, quam partes fuerint: eos, qui gemmas iſtas & vrim ac thummim res easdem, diuerſis tantum nominibus ob fines & vſus diuerſos adpellatas fuiſſe, adſerunt, circa rationem, qua Dei reſponſum conſulentibus innotuit, non magis, quam

quam horologia, inter ſe conuenire. Cumprimis vero ad ipſum textum prouocat. Cum enim Deus voluntatem ſuam de lapidibus in pectoralis palis includendis fuſe declaraſſet, tandem addere: *& pones vrim & thummim in pectorali. Niſi vero*, inquit, *a gemmis diuerſum quid eſſet vrim, ad quid nouo mandato caueret legislator, vt haec in pectorali diſponerentur, cum iam antea praecepiſſet, vt gemmae in illius parte anteriore numquam ſeparandae figerentur? de legib. Ebraeor. ritualib. lib. III. diſſert. VII. cap. III. ſect. I. p. 1249.* Verum haec, etſi ſpeciem quamdam habeant, rem tamen neutiquam conficiunt. Cum enim per voces *vrim & thummim* vſus gemmarum in pectorali plane ſingularis ac determinatus indicetur, mirum non eſt, ita quandoque loqui Moſen, ac ſi τὸ vrim & thummim diſtinctum quid a gemmis ac pectorali eſſet. Et ob iſtum quoque vſum titulus tam auguſtus gemmis iſtis rectiſſime tribui poterat, quo & ob ſplendorem ac praeſtantiam ſuam non fuere indignae. De lapidibus illis ſeu gemmis loqui aliter Moſes non poterat, quam in aureis loculis ab artificibus eos diſpoſitos fuiſſe: τῷ vrim & thummim, cum reuera a gemmis diſtinctum quid non fuerit, in pectorali recte ſedes adſignatur, & hactenus pro parte eius habetur, ſi iſta vox ita accipiatur, vt gemmas ei inſertas, vel adfixas potius, complectatur. Nec obſtat, quod modus, quo Deus per gemmas iſtas reſponſum conſulentibus dederit, nobis non conſtet, aut diuerſae auctorum de eo ſint ſententiae. Inde enim, rem ipſam ita ſe non habuiſſe, aut vrim ac thummim diuerſum quid a gemmis iſtis fuiſſe, inferre non licet. In Moſaica denique narratione, quod SPENCERO faueat, deprehendere non licet. Generatim enim cum pectorale deſcripſiſſet, ampliorem & adcuratiorem deſcriptionem annulorum, catenarum aurearum, & vittarum hyacinthinarum, quibus pectorale ephodo adligari debebat, ſubiicit; hinc iterum non ſine ratione inculcat: *& pones vrim & thummim in pectorali.* Ceterum, cum illis, qui vrim & thummim a gemmis diuerſum quid fuiſſe negant, SPENCERVS obiecerit, quod inter ſe, qua ratione conſulentibus reſponſa Deus dederit, non magis, ac horologia, conueniant, diſpicere ipſe debuiſſet, an illi, qui diuerſum quid fuiſſe adfirmant, inter ſe conueniant? & quidnam demum per vrim & thummim intelligant? Nonnulli namque ex Iudaeis, hoc nomine ipſum τετραγράμματον veniſſe, volunt, quod a Deo ſcriptum aut lapidibus inſculptum Moſi traditum ſit, & cuius virtute ſummus pontifex res futuras cognouerit, praedixeritque, aut Dei voluntatem & iudicia expoſuerit. Ita prae reliquis IONATHAN ſentit, in ſua *paraphraſi* ad *Exod. XXVIII. 30.* Conf. & R. SAL. IARCHI, ad *eumdem locum.* Alii, ipſa vocabula *vrim & thummim* ſcripta & pectorali indita fuiſſe, exiſtimant; qua in ſententia R. ASARIA verſatur, in *meor enaim, cap. XLVI.* In pectorali enim

enim duo fuiſſe nomina, alterum *vrim*, alterum vero *thummim*, adſerit, ita quidem, vt, vbi primum inſpexerat, litterae, e quibus reſponſum conſtabat, luxerint. Sed quia coniunctio iſtarum litterarum varie fieri poterat, eum poſtea inſpexiſſe alterum nomen *thummim*, quod litteras velut perfecerit, docueritque veram rationem eas diſponendi, ad legendum reſponſum Dei. IO. BRAVNIVS hanc ſententiam multo probabiliorem credit priori (de nomine יהוה) cum duo illa nomina: אורים & תמים tam expreſſe memorentur: *& indes pectorali vrim & thummim;* cuiusmodi quid de nomine יהוה non dicatur. Interim tamen eam ſuam non facit. Suffragantur autem eidem ROBERTVS BELLARMINVS, *de pontif. Rom. lib. III. cap. II.* CORNELIVS A LAPIDE, ad *Exod. XXVIII. 30.* aliique. IO. SPENCERVS hic tandem illud profert, ex quo non exiguam ingenii gloriam ſperat, vrim & thummim nihil aliud fuiſſe, contendens, quam duas imagunculas pectorali inditas, per quas Deus reſponſum dederit. *Vrim autem*, inquit, *inſtrumentum concauum decore fabrefactum (ſimulacrum forte paruulum effigiem humanam referens) Teraphim antiquitus adpellatum, fuiſſe videtur. Hoc autem reconditum geſtauit ſacerdos intra concauas rationalis plicaturas, & eo mediante Deus aut angelus illius vicem & nomen gerens, ad pontificis interrogata reſpondit, eique quid agendum, quid praeſens, quid futurum eſſet, voce formata reuelauit.* Et nonnullis interiectis: *Cum mos iſte ſimulacra illa fatidica, Teraphim, in dubiis conſulendi, longe lateque per gentes inualuiſſet, iisque conſuetudo, ſaeculorum aliquot vſu confirmata, vulgi adfectus arcte deuinxiſſet; facile in eam ſententiam venio, Deum nempe veterem a Teraphim oracula petendi ritum in pectoralis vrim pene inuariatum Iſraëlitis reſeruaſſe; adeoque vrim eiusdem cum Teraphim muneris & (forte) figurae fuiſſe, ſub nominis diuerſi larua, ſimulacrum. Cum enim Deo iam res eſſet cum difficilis & peruicacis ingenii populo, ex vſu longo morum vbique receptorum impenſe ſtudioſo, niſi genio proprio & moribus antiquis vti licuiſſet, a Dei legibus & inſtitutis, tamquam nouis & exoticis penitus abhorrere voluiſſent. Multa itaque antiquitus vſitata (paululum autem in melius mutata) populo duro & praefracto conceſſit indulgens Numen &c.* Vt vero vir doctiſſimus hanc ſententiam pro noua & inopinata venditat; ita ne *aegroti veteris ſomnia*, vt ipſemet loquitur, meditari videatur, varia equidem in medium adfert: quorum ſumma eo redit, Teraphim fuiſſe ſimulacra fatidica: indeque concludit, cum ad eumdem vſum vrim & thummim conceſſa ſint Iſraëlitis, haec nihil aliud, quam eiusmodi Teraphim, fuiſſe; *l. c. lib. III. diſſert. VII. cap. III. ſect. II. ſeqq. p. 1253.* Quemadmodum vero iam ab aliis, quam lubrico fundamento innitantur, quae a viro doctiſſimo hic adſeruntur, demonſtratum eſt abunde; ita nobis ſatis fuerit, paucis ſaltem quaedam adnotare. Teraphim

phim antiquiſſimis temporibus idola, & quidem domeſtica, quae Latinis *lares* dicebantur, fuiſſe, ſupra ad *per. I. ſect. III. §. XXII.* ex inſtituto probauimus. Eadem etiam tamquam oracula conſulta fuiſſe, ſed tum demum, cum magicae artes apud Chaldaeos iam magna incrementa ſumſiſſent, ibidem obſeruauimus. Vnde & ſequitur, fruſtra a IOAN. SPENCERO ſupponi, Teraphim iam tempore Moſis diuinationis fuiſſe inſtrumenta. Hoc ergo cum falſum ſit, conuenientia, quam inter Teraphim & vrim ac thummim ſibi deprehendiſſe viſus eſt, adeoque praecipuum hypotheſeos, quam defendendam ſumſit, fundamentum ſua ſponte corruit. Praeterea, cum Teraphim idola fuerint, Deum illorum vſum adprobare voluiſſe, ab omni veroſimilitudine abhorret. Eſto, indulſiſſe Deum aliquid populo ebraeo διὰ τὴν σκληροκαρδίαν αὐτῶν, hoc tamen de rebus non prorſus illicitis fuerit intelligendum, aut quae ſalua veritate religionis concedi poterant: quod de idolis profecto, qualia Teraphim fuerunt, dici nequit. Ad ſcripturae ſacrae loca, quibus SPENCERVS probare cupit, vocem Teraphim in ea ſubinde non tam gentium idola, ſed vrim, hoc eſt, icunculam ſacram denotare, quid reſpondendum ſit, facile intelligent, qui ea paullo adcuratius conſiderauerint. Reliqua, quae idem adfert, merae coniecturae ſunt, aut adferta omni fundamento deſtituta. Huc pertinet, quod vrim a thummim, & vtrumque a gemmis diſtinctum quid fuerit; quod pectorale ex vno latere marſupii inſtar apertum fuerit; quod Deus aut angelus clara voce per imagunculas illas, quas fingit, reſponſa dederit, & quae alia ſunt eiusdem generis, quae eadem, qua adferuntur, etiam reiiciuntur facilitate. Nec eſt, quod ſententiae huius aut inuentionis nouitate ſibi tantopere blandiatur SPENCERVS. Ante eum enim iam CHRISTOPHORO CASTRO, *comment. in proph. min. prolegom. lib. III. cap. III.* idem in mentem veniſſe, viris doctis obſeruatum eſt. Vid. IAC. THOMASIVS, de *plagio litterar. §. DCXCIII.* Ex inſtituto contra illum praeter alios diſputat IOAN. BENEDICTVS CARPZOVIVS, ad *Schickard. de iure reg. p. 30. ſeqq.* Receptiſſima ceteroquin eſt ſententia, per vrim & thummim nihil aliud, quam ipſas gemmas intelligi. EPIPHANIVS quidem in opuſculo de *duodecim gemmis in veſte Aaronis*, non tam duodecim lapides in pectorali Moſi memoratos, quam *adamantem* in medio gemmarum intelligit, plane, ac ſi adamas iſte lapis decimus tertius in pectorali fuiſſet. Verum ille tum alias, tum hoc ipſo in loco, rerum ebraicarum tam parum peritum ſe demonſtrauit, vt eius neminem commouere debeat auctoritas. Idem de SVIDA cenſendum, qui EPIPHANII ſententiam ſequutus eſt, in voce ἐφὼδ. Sed haſce iam pridem viri docti reiecerunt fabulas. Rectius alii, vrim & thummim nihil aliud, quam ipſos duodecim lapides pretioſos, qui in pectorali cum nominibus duodecim tribuum iis inſculptis conſpiciebantur, fuiſſe

fuiſſe autumant. Eſtque haec ſententia praeſtantiſſimorum inter Iudaeos pariter ac chriſtianos virorum, vt FL. IOSEPHI, *antiquitat. iud. lib. III. cap. IX.* doctorum vtriusque Gemarae, Hieroſolymitanae pariter ac Babylonicae, *maſſechet ioma cap. VII.* MOSIS MAIMONIDIS, de *vaſ. ſanctuar. cap. X.* IS. ABARBANELIS, ad *Exodi cap. XVIII.* itemque CHRYSOSTOMI, *orat. IV. contra Iudaeos,* AVGVSTINI, *lib. II. quaeſtion. ſuper Exod. cap. CXVI.* aliorumque. Nec contemnendis, vt mihi videtur, nititur rationibus. Nomina enim vrim & thummim gemmis illis rectiſſime conueniunt, quae ob ſplendorem *lucentes*, ob praeſtantiam autem tum naturalem, tum artificialem, *perfectae* dici poterant; quamuis ſimul, vt ego quidem exiſtimo, & forte praecipue, ad vſum illarum reſpiciatur, vt ſupra iam obſeruauimus. Idem praeterea inde conſtat, quod voces *vrim* & *thummim* aliquando pro ipſis lapidibus pretioſis, & hi rurſus pro vrim & thummim ponantur. Sic *Exod. XXXIX. 6. ſeqq.* in iterata pectoralis deſcriptione gemmae memorantur, nulla τȣ̃ *vrim* ac *thummim* facta mentione; rurſus *Leu. VIII. 8.* de *vrim* ac *thummim* Moſes loquitur, lapides pretioſos ſilentio praeterit. Accedit denique, quod rationes, quibus diſſentientes euincere cupiunt, vrim & thummim diuerſum quid a lapidibus illis pretioſis fuiſſe, non adeo magni momenti ſint, vt antea oſtendimus. Haec autem ſi ita ſe habeant, ſupereſt quaeſtio, quomodo reſponſa per vrim & thummim data fuerint? Eſtque multorum ex Iudaeis hac de re haec opinio, factum id per aliquem fulgorem aut lucem, quam gemmae emiſerint, ea quidem ratione, vt litterae illae lucentes eminerent, & ſupra reliquas adſcenderent in altum, cum antea per ſculpturam eſſent profundae. Multa hae de re paſſim apud Ebraeorum magiſtros leguntur, qui cum variis difficultatibus ſe premi ſentiunt, nouis commentis inde ſe expedire conantur. Sic cum in nominibus duodecim tribuum Iſraëlis non omnes alphabeti litterae exſtent, nomina patriarcharum, *Abraham, Iſaac & Iacob*, item voces: שבטי ישראל additas fingunt. Sed, cum non alio, quam talmudicorum traditione, fundamento, haec ſententia nitatur, apud paucos forte hodie fidem inueniet. Nec certiora ſunt, quae alii narrant, vocem auditam eſſe, quae ad propoſitam quaeſtionem reſponderit. Namque nec huius rei vllum in ſcriptura ſacra veſtigium exſtat. Eſt etiam oppido difficile, de re, quam ſcriptura ſacra nos ignorare voluit, certi quid pronuntiare. Hinc & coniecturis ſaltem locus eſt, quas inter minimis pauciſſimisque forte difficultatibus premitur, quae ſummum ſacerdotem, pectorali cum lapidibus pretioſis, ſeu τῷ vrim & thummim, legitime vtentem, per internam reuelationem certiorem redditum ſtatuit, quid ad propoſitam quaeſtionem reſpondere deberet; vt adeo vrim & thummim ſymbolum fuerit praeſentiae Dei, ſignumque lucis & perfectionis propheti-

Digitized by Google

ticae. In theocratica enim iſta regiminis ratione, quam Deus ipſe in gente ebraea conſtituerat, conueniens vtique erat, vt Deus ipſe in rebus magni momenti voluntatem ſuam aperiret, vt alias per prophetas & viros ſanctos, ipſum praecipue Moſen, facere conſueuerat: ſimul tamen diuinae ſapientiae conueniens erat, hoc certo facere ordine, vt diuinae maieſtati honor ſuus atque auctoritas conſtaret. Et huc legitimus pectoralis cum vrim & thummim vſus comparatus fuit. Iam ſi porro cogitemus, modum reuelationis ita comparatum eſſe debuiſſe, vt certo Numinis voluntas ſummo pontifici innoteſceret, & hic velut internuntius quidam inter Deum & homines eſſet, nullam ad hoc, quam internam reuelationem aptiorem fuiſſe, facile intelligitur. Antiquiſſimorum quoque doctiſſimorumque Iudaeorum eamdem fuiſſe ſententiam, prolatis ex Gemara, *maſſachet ioma cap. VII.* & *ſeder olam cap. XIV.* itemque codice *bana bathra cap. VIII.* aliisque Ebraeorum monumentis, teſtimoniis comprobat IOAN. BRAVNIVS, de *veſtitu ſacerdot. ebraeor. lib. II. cap. XX. ſ. DCXLII. p. 615. ſeqq.* Eſtque omnino obſeruatu dignum, ex Iudaeorum, ſaltem quorumdam, ſententia, ſummum ſacerdotem, qui non ea vitae ſanctitate probitateque eſſet, vt ſpiritus ſanctus in eo habitaret, ad reſponſa per vrim & thummim recipienda non fuiſſe aptum. Ita enim diſerte Gemarici in *maſſechet ioma cap. VII.* כל כהן שאינו מדבר ברוח הקודש ושכינה שורה עליו אין

שואלין בו *omnis ſacerdos, qui non loquitur per ſpiritum ſanctum, & ſuper quem Deus non babitat ſua praeſentia, cenſetur ineptus ad interrogationes.* Poſſem nunc vlterius demonſtrare, ſolis ſacerdotibus ſummis, non reliquis ſacerdotibus, non regibus, aut principibus, fas fuiſſe, Deum per vrim & thummim conſulere; ſecus, ac IOAN. SPENCERVS putat; idque non pro quibusuis, ſed pro rege aut principe, aut magnae dignitatis auctoritatisque inter Iſraëlitas viro; & quidem in rebus ardui magnique momenti; ſed haec cum ſatis nota ſint, & copioſe iam explicata ab aliis, nihil amplius addimus. Quam diu autem oraculi huius diuini vſus apud Iſraëlitas durauerit, in ſequentibus ſuo loco expediemus. Plura hac de re praeter MAIMONIDEM, de *vaſis ſanctuarii*, IOAN. BVXTORFIVM, IOAN. BRAVNIVM, aliosque, quos iam ſubinde adlegauimus, & commentatores ad *Exod. cap. XXVIII.* dabunt CAROLVS SIGONIVS, de *republ. Ebr. lib. V. cap. IX.* PETRVS CVNAEVS, de *republ. Ebr. lib. II. cap. II.* GVILIELMVS SCHICKARDVS, de *regio iure Ebraeor. cap. I. theor. II.* & IOAN. BENEDICTVS CARPZOVIVS, ad eum *loc. cit.* HERMANNVS WITSIVS, *aegyptiac. lib. II. cap. II.* ROBERTVS SCHERINGHAMVS, *not. ad tract. ioma p. 184. ſeqq.* IO. CHRISTOPHORVS WAGENSEILIVS, ad *tract. ſotah. p. 157.* IO. CONR. DIETERICVS, *antiquit. bibl. vet. teſt. p. 653. ſeqq.* AVGVST. PFEIFFERVS, *dub. vexat. cent. II. loc. cit. p. 241. ſeqq.* aliique. Sed de veſtibus ſummorum ſacerdotum haec ſufficiant.

 Quae

Digitized by Google

Quae de eorumdem ſucceſſione dici poterant, omnia exhauſit peculiari opere, *de ſucceſſione in pontificatum apud Ebraeos*, IOAN. SELDENVS, nec minus lectu digna, quae in compendio hac de re tradit ADRIANVS RELANDVS, vir clariſſimus, in *antiquitatibus ſacris veterum Ebraeor. part. II. cap. II.* vbi catalogum ſummorum apud Ebraeos ſacerdotum ex diuerſis auctoribus exhibet.

Poſt ſummum ſacerdotem commemorandi hic etiam ſunt *ſacerdotes* reliqui, quo nomine poſteri filiorum Aaronis, Eleazaris ſcilicet, & Ithamaris, veniunt, qui ſequenti aetate, vt omnes ſacris operari poſſent, in certos ordines fuere diſtributi. MOSES MAIMONIDES auctor eſt, Moſen ſacerdotes in octo cuſtodias diſtribuiſſe, quarum quatuor Eleazaris, quatuor Ithamaris poſteros fuerint complexae, & ita rem ſe habuiſſe, donec a Dauide in XXIV cuſtodias diuiderentur; de *vaſis ſanctuar. cap. III.* R. DAVID KIMCHI, non vnam hac de re inter gentis ſuae magiſtros eſſe ſententiam, refert: nonnullos enim octo, alios ſedecim ſacerdotum cuſtodias a Moſe conſtitutas, adſerere; ad *I. Chron. XXIV. 6.* Sed vtrique haud dubie falluntur. Nuſpiam enim ſacerdotes a Moſe in certas claſſes ſeu cuſtodias diſpoſitos, legimus. De ordine autem a Dauide conſtituto ſuo loco dicemus. Munera ſacerdotum erant, ſacrificia quotidie & diebus feſtis in altari aeneo offerre, quorſum & ea, quae cum ſacrificiorum oblatione coniuncta ſunt, pertinent; ſuffitum quotidie facere in ſancto, lucernasque ibi aptare & accendere, ſingulisque ſabbathi diebus mutare panes propoſitionis; eorumdem erat, diebus praeſertim feſtis clangere tubis ac buccinis ad conuocandum populum, *Num. X. 8.* iudicare de leproſis, *Leuit. XIII. 2.* cognoſcere de lepra veſtium & aedium, *Leuit. XIII. 47. XIV. 44.* itemque de variis immunditiei ſpeciebus, & quae alia erant eiusdem generis. Cumprimis vero ſacerdotum erat, docere populum, & de iure ſacro reſpondere, *Leuit. X. 11. Ezech. XLIV. 23. II. Chron. XVII. 9. Hagg. II. 12.* Commune hoc equidem illis erat cum Leuitis, ſpecialiori tamen quadam ratione ad eos ſpectabat. Requirebatur autem a ſacerdote, vt ex gente Aaronitica eſſet prognatus, natusque ex legitimo thoro, nec corporis quodam vitio laboraret, *Leuit. XXI. 17. 18. ſeqq.* Nefas quoque eidem erat, in matrimonium ducere meretricem, repudiatam, aut profanam, *ibid. v. 7.* add. *Ezech. XLIV. 22.* Vidua ſoli ſacerdoti ſummo interdicta erat, non autem reliquis. Non tantum autem moribus ſanctis debebat eſſe praeditus, ſed ab omni ſpecie etiam ethnicismi remotus. Quorſum illud refero, quod caluitiem capiti inducere ei nefas fuerit, aut angulum barbae aufferre, aut inciſionem in carne ſua facere, *Leuit. XXI. 5.* Apud ethnicos enim eiusmodi quid in vſu fuit. Nec luctus ob funera propinquorum quaeuis concedebatur, ſed patrem ſaltem, matrem, filium, filiam, & ſororem virginem lu-

gere

Digitized by Google

gere fas erat, procul tamen itidem faceſſere iuſſis luctus ſignis, quae apud gentiles in vſu erant; *Leuit. XXI. 2. 3. X. 6.* Si quis forte impuritatem quamdam, quae ex Moſis praeſcripto talis cenſebatur, contraxerat, ſacris operari non poterat. Immo reſtituti licet, & aqua luſtrati, eo ſaltem die a ſacris abſtinere debebant; *Leuit. XXI. 21. XXII. 6. 7.* Ad ſacra facienda accedentibus vinum, omnisque potus inebrians, interdictus erat; *Leu. X. 9.* Quod vtique ratio poſtulabat, ne quid temere aut petulanter, aut inconſiderate, in negotio omnium grauiſſimo facerent, aut parum decore ſe gerentes ſummi Numinis laederent maieſtatem. Cumque externae quoque puritatis ſtudioſiſſimos eſſe Deus vellet, ſacris operaturi manus pedesque lauare debebant, eoque lauacrum a Deo ipſo praeſcriptum ſpectabat, *Exod. XXX. v. 18. 19.* His Ebraeorum magiſtri & alia addunt; quae, cum a Moſe non commemorentur, ſed ſequenti aetate introducta ſint, hic a nobis praetermittuntur. Pleraque apud MOSEN MAIMONIDEM legi poſſunt in בית המקדש ſeu de *ratione adeundi templum.* Fuiſſe ſacerdotibus Ebraeorum & veſtes ſacras, femoralia, tunicam, balteum, cidarim, conſtat. De quibus nihil addo, cum cuncta diligenter, opere iam aliquoties laudato, exſequutus ſit IO. BRAVNIVS. De conſecratione autem ſacerdotum ſupra iam dictum, cum de ſacerdote ſummo verba faceremus.

Agmen inter perſonas ſacras claudunt, vltimumque locum tenent *Leuitae*, hoc eſt, omnes poſteri Leui, excepta ſtirpe Aaronica, qui Aaroni dati dicuntur, vt illi ſeruirent, *Num. III. 6.* additurque: *& obſeruabunt cuſtodiam eius, & cuſtodiam totius coetus, coram tabernaculo ad miniſterium ſanctuarii.* Conf. & *Num. XVIII. 2. 3.* Munus itaque praecipuum Leuitarum tempore quidem Moſis erat, ſeruire ſacerdotibus, cum ſacris operarentur, portare tabernaculum, ſingulasque eius partes de loco in locum, erigere illud, atque cuſtodire. Cumque tres eſſent Leuitarum familiae, *Gerſomitarum, Kahathitharum*, & *Meraritarum*, ex tribus Leui filiis, *Gerſom, Kahath*, & *Merari* deſcendentes; diſtincta his in ſanctuario demandata erant munera; *Num. III. 15. ſeqq.* Hinc & proxime iuxta tabernaculum cum ſacerdotibus habebant caſtra ſua, vt illud velut cingerent, eiusque cuſtodiis & reliquis officiis eo rectius vacare poſſent, *Num. I. 50. III. 23. ſeqq.* Poſtea in XXIV. claſſes diuiſi ſunt, quibus totidem capita praeerant, & quaelibet claſſis in ſeptem alias, ita, vt per vices ſingulis hebdomadibus miniſtrarent. Nec alio, quam reliqui Leuitae, loco erant Moſis filii, eorumque poſteri, ſacerdotio in ſolam Aaronis progeniem translato. Quod documento eſt, ſuis commodis nihil dediſſe virum ſanctiſſimum, ſed cuncta ex Numinis peregiſſe praeſcripto. Cum templum exſtructum eſſet, praecipuum Leuitarum munus cantu & excubiis abſoluebatur, cantoresque pariter ac vigiles Dauid rex ſanctiſſimus

in XXIV claſſes diſtribuit. Sed hac de re in ſequentibus erit dicendi locus. Eorum quoque non minus, quam ſacerdotum, quamquam horum praecipue, fuiſſe, docere & erudire populum, iam ſupra obſeruauimus. Add. *Nehem. VIII. 5. ſeqq.* it. *Iud. XVII. 9. 10.* Conſecratio illorum quo pacto peracta fuerit, conſtat ex *Num. VIII. 6.* ad 14. Aetas, qua apti ad munus cenſebantur, *Num. IV. 3.* dicitur fuiſſe a trigeſimo anno ad quinquageſimum; at *Num. VIII. 24.* a quinto & vigeſimo aetatis anno. Quae ne ſibi obſtent loca, nonnulli ex Ebraeorum magiſtris contendunt, quinquennium illud ab anno aetatis XXV ad XXX addiſcendae legi deſtinatum fuiſſe: ita tamen ſpectari poſſe, ac ſi iam ipſum ab eo tempore miniſterium initium cepiſſet. Vid. MOSES MAIMONIDES, de *vaſis ſanctuarii, cap. III.* At alii haud ſine ratione putant, ordinarium Leuitarum miniſterium ab anno aetatis XXV coepiſſe; ſed *Num. IV. 3.* rerum a Leuitis portandarum haberi rationem, quibus aetate prouectiores, adeoque robuſtiores, admoueri debebant. Sic &, quod anno aetatis quinquageſimo dimittendi dicuntur, nonnulli itidem tum ſaltem, cum tabernaculum magno labore ab vno loco in alium transferendum eſſet, non autem deinceps, locum habuiſſe exiſtimant. Veſtes eorum linteae erant, gerebantque praeter tunicam, & ephod, quod tamen ab eo, quo ſummus ſacerdos vtebatur, diuerſum erat. Exemplo Samuelis hoc patere aiunt, qui, cum Leuita eſſet, ephod geſtauerit; *I. Sam. II. 18.* conf. *I. Sam. XXII. 18.* Quod ſi MAIMONIDI fides habenda, prophetarum filiis, illisque, qui ſpiritus ſancti adflatum exſpectabant, proprium hoc fuit veſtimenti genus; de *adparat. templi, cap. vii.* Et hinc rationem reddunt, cur Dauid ephodo amictus fuerit, *II. Sam. VI. 14.* Quamquam alii ex hoc ipſo loco colligunt, eiusmodi veſtimenti genus, quod ephod dicitur, alias quoque apud Iſraëlitas in vſu fuiſſe. Ceterum cum Leuitae per omnes tribus Iſraëlitarum diſperſi degerent, conceſſae illis erant vrbes numero XLVIII quae recenſentur *Ioſ. XXI. 10. ſeqq.* Quas quidem omnes iure aſyli gauiſas nonnulli exiſtimant; cum tamen alii rectius ſex tantum eo iure gauiſas arbitrentur. Nec aliter rem ſe habuiſſe, ex *Deut. IV. 41.* & *Ioſ. XX. 7.* itemque *Num. XXXV. 6.* facile colligas. Errori graeca translatio LXX interpretum *Ioſ. XXI. 27.* fauet, vbi omnes XLVIII vrbes Leuiticae πόλεις ἀφωρισμέναι τοῖς φονεύσασι adpellantur: perperam quidem. Iuxta textum enim ebraeum de ſola vrbe Golan hoc intelligendum, & a reliquis vrbibus aſyla diſtinguenda ſunt. Tempore Ieroboami plerique Leuitae, quod noua iſta ſacra, quae rex impius conſtituerat, ſequi nollent, ad tribum Iudae ac Beniaminis ſe recipere coacti ſunt; *II. Chron. XI. 13. 14.* Nonnullos tamen, reiecto veri Numinis cultu in Ieroboami ſententiam conceſſiſſe, atque idola adoraſſe, ex *Ezech. XLVIII. v. 11.* colligas. Solent denique & *Netinaei* ſacris perſonis, etſi infimi ordinis,

nis, adnumerari, quippe qui Leuitarum fuerint miniſtri. At hi cum a Gibeonitis originem trahant, a Ioſua demum in ſacrorum ſocietatem admiſſi; in ſequentibus de iis erit dicendi locus. Quae autem de his omnibus in compendio diximus, copioſius ediſſerunt, qui de ebraeae gentis antiquitatibus exponunt: quorum nomina ſatis nota ſunt.

*** De ſabbatho eiusque origine & inſtitutione ad *period. I. ſect. I. §. XVIII.* dictum. Memoriam eius *Exod. XVI. 23. 24.* renouatam, itidem iam ad *§. XVII. huius ſectionis* obſeruauimus. Sanctificatio eius ab Israëlitis modo longe rigidiori, quam hactenus receptum erat, exigebatur, adeo, vt eis, qui illud profanaturi eſſent, mortis poena denuntiaretur, *Exod. XXXI. 14.* Praeter cauſſam communem, & ad omnes homines ſpectantem, memoriam ſcilicet creationis, ipſis tamen etiam Israëlitis ſubinde inculcatam, *Exod. XX. 11. XXXI. 17.* peculiaris & Israëlitis propria accedebat, memoria ſcilicet ſeruitutis in Aegypto, & reſtitutionis in libertatem, Dei beneficio factae, *Deut. V. 15.* Quo intuitu inter conditiones federis, cum Israëlitis initi, refertur, *Deut. V. 2. 3. 15.* & inter leges, quas Deus ſpeciatim Israëlitis dedit. Quod cum nonnulli non obſeruarent, exiſtimarunt, ſabbathum poſt exitum demum Israëlitarum inſtitutum. Quos falli, certum eſt. Dictum hac de re in *inſtitut. theolog. moral. part. II. cap. III. ſect. II. §. XXXIII.* Obſeruatio enim eius diei conſiſtebat in Numinis cultu, per recordationem & commemorationem maximorum eius beneficiorum, quae in omnes homines, perſertim gentem ebraeam, contulerat: quae commemoratio non poterat non cum precibus & gratiarum actione coniuncta eſſe; eumque in finem ab omni prorſus opere quieſcendum erat; *Exod. XVI. 29. XXIII. 12. XXXI. 14.* Hinc vero ſequenti aetate apud Iudaeos, cum verus Dei cultus in meram hypocriſin degeneraſſet, multae ſubtilesque ortae ſunt disputationes, de quibus ſuo loco.

Praeter ſabbathum Israëlitis varia erant *feſta*, eaque tum *maiora*, tum *minora*. Maiora tria erant, *paſchatos, pentecoſtes* & *tabernaculorum*, in quibus omnes maſculi comparere coram Deo ex eius praeſcripto debebant. *Exod. XXIII. 17. XXXIV. 23. Deut. XVI. 16.* In his tria maxima beneficia, quae Deus in gentem israëliticam contulerat, eductionem ex Aegypto, legis promulgationem, terraeque Canaan ad poſſidendum traditionem, reuocare ſibi in memoriam debebant. Eumque in finem ſacra publica magna ſollemnitate & laetitia peragenda erant, inſtituendi conuentus, offerenda ſacrificia, & quae reliqua erant eiusdem generis. Ebraeorum magiſtri, Israëlitarum in his feſtis officia ad tria reuocant capita: ראייה *comparitionem*, vt quisque in atrio aut tabernaculi, aut templi, ſe ſiſteret, & holocauſtum ſiue ex quadrupedibus, ſiue ex auibus, adduceret; חגיגה *feſtiuitatem*, vt vnus-

vnusquisque ſacrificium ſalutare primo feſti die offerret, & שמחה *laetitiam*, vt alia adhuc ſacrificia ſalutaria, quae a laetitia nomen habent, offerret. Vid. MOSES MAIMONIDES, in *tract. chagigah, cap. I.* Ceterum non eadem omnes feſti cuiusdam dies ſollemnitate transigebantur. Primus dies paſchatis atque ſeptimus, maxime ſanctus atque ſollemnis erat; itemque primus & octauus feſti tabernaculorum; vt & dies pentecoſtes, & primus dies menſis Tisri. Qui inter primum & vltimum diem, ſi pluribus feſtum conſtaret, intercedebant, non eadem ſollemnitate transigebantur, ideoque מועד קטון nomine apud Ebraeos veniunt. De paſchatos feſto quae ſpeciatim obſeruatu digna ſint, itemque de azymorum, quod cum illo coniunctum fuit, iam ſupra ad §. *XIII. huius ſectionis* expoſuimus. Alterum poſt paſcha feſtum erat *pentecoſtes;* ita graeca lingua dictum, quod quinquageſimo poſt paſcha die, celebrandum eſſet. Alias Ebraeis חג השבועות *feſtum hebdomadum* dicitur, quia ſeptem hebdomades numerandae erant, a die oblationis manipuli paſchalis ad hocce feſtum vsque. Id diſerte a Moſe ſancitum legimus *Leuit. XXIII. 15. a die ſequenti ſabbathum* (ממחרת השבת) *numerabis ſeptem ſabbatha*, (i. e. ſeptem hebdomades.) Vbi quidem diſceptatio inter Iudaeos orta eſt, num per ſabbathum, a cuius ſequenti die initium numerandarum hebdomadum faciendum ſit, ſabbathum hebdomadale, quod κατ᾽ ἐξοχὴν ita dicitur, an vero ipſum paſchatos feſtum, ſeu dies feſtum azymorum ſequens, qui eſt decimus ſextus menſis Niſan, intelligendus ſit? Prius Karaitae defendunt, poſterius Rabbanitae, quorum vt nos morentur certamina, neceſſe non eſt. Solebat autem idem feſtum etiam חג הקציר *feſtum meſſis*, ſcilicet triticeae, quae hordeacea ſerior erat, dici, idque ideo, quod eo tempore meſſis iſta iam finita eſſet, in cuius rei teſtimonium piſti ex tritico nouo panes offerebantur. Vocatur etiam יום הבכורים *dies primitiuorum*, eo, quod Ebraei primitias frugum in illo Deo offerebant. Conf. *Exod. XXIII. 19.* Ratio hocce feſtum celebrandi conſtat ex *Leuit. XXIII. 15. ſeqq.* & *Deut. XVI. 9. 10.* Id cumprimis notatu dignum, quod panes duo ex prouentu tritici illius anni, & quidem fermentati, Deo offerendi fuerint. Qua in re nonnullis dubium ſubortum eſt, eo, quod Deus omne fermentum aeque ac mel procul ab oblationibus, quae in altari fiebant, remotum voluerit, *Leuit. II. 11.* Sed cum verba Moſis *Leuit. XXIII. 17.* clara ſint, nihil aliud ſupereſt, quam vt dicamus, legem illam generalem de fermento non offerendo hic locum non habuiſſe. Conf. MELCHIOR LEIDEKKERVS, de *republ. Ebr. lib. IX. cap. V. p. 555.* Ratioque, cur fermentati panes offerri debebant, in promtu eſt, quod tales erant, quibus quotidie veſcebantur, & quorum primitiae Deo offerendae erant. Sublimiora more ſuo hic ſectatur PHILO, *tractat. de feſtis p. 1192.* Id quoque huic feſto proprium fuit, quod vnius tantum diei eſſet.

Digitized by Google

eſſet. GENEBRARDVM exiſtimantem, per octo dies hocce feſtum celebratum fuiſſe, recte refellit SCALIGER, *can. iſagog. lib. III. p. 227.* SALIANVS autem, GENEBRARDI defenſionem in ſe ſuſcipiens, ſe ipſum traducit turpiter, in *annalib.* ad ann. MM D XLIV. Fuit itaque & minor eius ſollemnitas, quam feſti paſchatos & tabernaculorum. Ad cauſſam denique rationemque feſti huius quod attinet, cum tempus eius reſpondeat tempori legis a Deo promulgatae, quod quinquageſimo poſt primum paſcha in Aegypto celebratum die, factum conſtat; non improbanda illorum ſententia videtur, qui in eius rei memoriam feſtum hocce inſtitutum contendunt; vti iam ſupra obſeruauimus. Accedebat tamen, quod eodem tempore pro frugibus terrae datis, Deo agendae eſſent gratiae. Poſſuntque haec ſecum conſiſtere: fruſtraque adeo ISAAC ABARBANEL ad *Leuit. XXIII. 15.* poſteriorem rationem ita vrget, vt reiiciat priorem. Patetque hinc etiam, quid de IOAN. SPENCERI ſtatuendum ſit ſententia, vt reliquorum feſtorum, ita & pentecoſtes, originem, a gentilium ritibus, more ſuo arceſſentis. Eum in finem paſcha *feſtum* fuiſſe, contendit, *quo Iudaei primitias hordei Deo tulerint, in animi grati teſtimonium;* pentecoſten, *feſtum* εὐχαριςίας *fuiſſe, pro reconditis in horrea frugibus, quo & meſſis aut frumenti primitias obtulerint;* tabernaculorum denique feſtum *ad* εὐχαριςίαν *pro ficubus, vuis, oleis, & aliis arborum fructibus collectis inſtitutum.* (*Buddei Hiſt. Eccleſiaſt. Tom. I.*) Cumque neminem fugiat, ethnicos feſta ſimilia poſt arborum terraeque fructus collectos, in deorum ſuorum honorem celebrare ſolitos fuiſſe, concludit inde, Deum feſta haecce in gente israëlitica inſtituendo, moribus a prima forte humani generis origine receptis, ſe attemperare voluiſſe; *de legib. Ebr. ritualib. lib. III. diſſert. I. cap. VIII. ſect. II. p. 887.* Sed ea, quam animo ſemel concepit, ſententia, hic virum doctiſſimum iterum in transuerſum egit. Nihilque ad rem facit, quod apud gentiles itidem eiusmodi feſta in vſu fuerint, quod tantiſper concedemus. Supereſt enim, vt probetur, Deum iſtorum mores imitari voluiſſe. Accedit vero, quod feſtorum, quae Deus Ebraeis praeſcripſit, longe aliae praeter eas, quas SPENCERVS attulit, fuerint cauſſae, eaeque eiusmodi, quae in ſolam gentem ebraeam quadrant. Quod vt de feſto paſchatos & pentecoſtes iam demonſtratum eſt; ita de tabernaculorum, ad quod nunc accedimus, feſto, ex dicendis patebit. Incidebat illud in decimum quintum diem menſis Tisri, celebrandumque magna laetitia erat octo diebus, ex quibus primus & vltimus reliquis ſanctiores ſollemnioresque erant. Conf. *Leuit. XXIII. verſ. 34.* Cumque menſis Tisri primus eſſet anni ciuilis; hocce feſto annus praeteritus velut claudebatur, & nouus inchoabatur. Vnde intelligitur, quid Moſes ſibi velit, quando *Exod. XXIII. verſ. 16.* ſcribit, celebrandum hocce feſtum fuiſſe, בצאת השנה *in exitu anni;* at *cap. XXXIV.* 22.

22. בתקופת השנה *in anni reuolutione.* Ratio hocce feſtum, variorum cumprimis ſacrificiorum oblatione, celebrandi, conſtat ex *Leuit. XXIII. 33.* & *Num. XXIX. 12. ſeqq.* Praeter alia & hoc peculiare ei atque proprium fuit, quod Iſraëlitae per ſeptem dies habitare in tabernaculis, ex ramis ac frondibus variarum arborum conſtructis, debuerint. *Leuit. XXIII. 40.* Idque, vt ibidem additur, eam ob cauſſam, vt poſteri ſcirent, maiores ſuos, quam diu in deſerto verſati ſunt, cum eos ex Aegypto Deus eduxiſſet, in tentoriis habitaſſe. Indeque etiam conſtat, cur feſtum hocce חג הסכות *feſtum tabernaculorum*, graece σκηνοπηγία, *Ioan. VII. 2.* dictum ſit. Nec praetermittenda illorum obſeruatio, qui monent, Deum huic feſto frigidiora anni tempora deſtinaſſe, & habitationi in tentoriis minus apta, ne Iſraëlitae voluptatis modo & vmbrae capiendae cauſſa hos dies in tentoriis transigerent, ſed vt ad ſublimiores huius inſtituti cauſſas pernoſcendas adducerentur. Licet vero & aliae cauſſae celebrandi hocce feſtum accedere potuerint; cum nihil obſtet, quo minus plura Numinis beneficia ſimul nobis in memoriam reuocemus, haec tamen, quam attulimus, princeps atque praecipua fuit. Quae cum & propria fuerit genti ebraeae, rurſus inde patet, irritum IOAN. SPENCERI, a gentilium inſtitutis & hocce feſtum deriuare adnitentis, eſſe laborem. Interim illud adhuc addendum, quolibet anno ſabbathico, hoc ipſo tabernaculorum feſto, legem diuinam publice omnibus praelegendam fuiſſe; *Deut. XXXI. 10.* cuius rei exemplum exſtat *Nehem. VIII. 1.* Multa hac de re Iudaei in tractatu miſchnico *ſotah, cap. VII. §. II.* ad quem locum conferendus IOAN. CHRISTOPHORVS WAGENSEILIVS. Ritibus huius feſti a Deo praeſcriptis alios deinceps addiderunt Iudaei: inter quos *libamen* ſeu *effuſio aquae*, & *mali citrei* & *faſciculi ramorum circumgeſtatio*; de quibus in ſequentibus ſuo loco. Circumgeſtatio iſta ramorum, ſeu θυρσοφορία, gentilibus occaſionem, Bacchi cultum Iudaeis tribuendi, dedit: qua de re ſupra dictum, cum gentilium in Iudaeorum religionem calumnias exponeremus. Et haec quidem de maioribus Ebraeorum feſtis obſeruanda duximus.

Ad minora, quo nomine *feſtum noui anni*, atque *nouilunia* veniunt, priusquam transeamus, de *die expiationis* aliquid dicendum eſt. Eius licet ſumma eſſet ſanctitas; inter feſtos tamen minus adcurate refertur, quod non cum laetitia, ſed in luctu potius, atque dolore, ieiunioque tranſigebatur. Vocatur יום הכפורים *dies expiationum*, quod non pro ſingulari aliquo peccato, ſed pro peccatis totius anni expiatio fieret. A talmudicis κατ' ἐξοχὴν יומא vocatur. Incidebat in diem decimum menſis Tiſri, qui anni ciuilis primus erat; vnde eo illum comparatum fuiſſe colligas, vt, quo pacto annum praecedentem transegiſſent, in memoriam ſibi reuocarent Ebraei, menteque mutata, peccatorum a Deo impetrare veniam adniterentur. Celebrandus

dus erat iuxta Moſis praeſcriptum non tantum variis ſacrificiorum generibus, & ceſſatione ab omni opere, ſed & ieiunio. Vid. *Leuit. XVI. 3. ſeqq. XXIII. 27. Num. XXIX. 7.* Indeque factum, vt idem dies νηστεία diceretur, vt ex *Actor. XXVII. 9.* liquet. Ritibus hiſce a Deo ipſo praeſcriptis alii deinceps acceſſere, de quibus multa Iudaei diſputant in tractatu miſchnico יומא, quem in latinum ſermonem tranſtulit, notiſque eruditis illuſtrauit ROBERTVS SHERINGHAMVS. Sed iſta huius loci non ſunt. Id cumprimis memoratu dignum, quod praeter arietem in holocauſtum, duos hircos ab Iſraëlitis accipere debuerit ſummus ſacerdos, eosque coram Domino ad fores tabernaculi ſiſtere, ſorteſque ſuper eos iacere, vnam ליהוה, alteram לעזאזל. Tum ille, qui Domino ceſſiſſet, ſacrificio pro peccato deſtinabatur, tandemque ceteris, quae Deus praeſcripſerat, rite peractis, mactabatur, offerebaturque: alterum vero hircum, qui Azazeli ceſſerat, ſummus ſacerdos, poſtquam impoſitis ei manibus, iſraëliticae gentis peccata, edita confeſſione, in eum conieccerat, per virum quemdam in deſertum abduci curabat, ſymbolo futurum, eadem ratione remota velut eſſe ex conſpectu Domini Iſraëlitarum peccata. Quae de voce Azazel, & quid ea ſignificet, exſtant virorum eruditorum ſententiae, ad quatuor reuocari claſſes queunt. Prima illorum eſt, qui per Azazelem ipſum hircum intelligunt, qui in deſertum emittebatur. Idque ex ipſa vocis origine probari poſſe putant, quam compoſitam eſſe contendunt, ex עז *caper*, & אזל *abiit.* Vnde, quae *Leu. XVI. 8.* hac de re dicuntur, ita explicanda erunt: *Sors vna Iehouae, id eſt, in hircum Iehouae mactandum, ſors altera in Azazelem, id eſt, in hircum in deſertum abiturum.* Vid. B. IOAN. FRISCHMVTVS noſter, de *hirco emiſſario diſp. I. cap. I. §. XVII. ſeqq.* At obſtare huic ſententiae videntur verba aperta Moſis, ſortes iaciendas eſſe ſuper hircis, vter ceſſurus eſſet Iehouae, vter Azazeli. Neque videtur hircorum vnus Azazel poſſe dici, niſi ſupponatur, alterum dictum fuiſſe Iehouah; quod omnium confeſſione abſonum foret. Altera ſententia illorum eſt, qui putant, Azazelem fuiſſe aſperum & praeruptum in deſerto montem. Ita plerique Ebraeorum ſentiunt. Quibus forte ſuffragarer, ſi modo aliquis, vbi mons Azazel ſitus ſit, indicauerit. Tertia ſententia illorum eſt, qui per עזאזל ſpiritum malignum, ſed diabolum, intelligunt. Rationes ſunt, quod recepta Ebraeorum ſit opinio, *Azazel* daemonis cuiuſdam eſſe nomen, vt *Sammael, Azael, &c.* Suffragari etymologiam, cum עזאזל idem ſit, ac עז אשר אזלה *capra, quae iuit,* id eſt, creatura, quae principium ſuum non tenuit, ſed a Deo deſciuit. Quae partim lubrica, partim longius petita, & tantum non ridicula eſſe, nemo non intelligit. Interim certum, daemones שעירים *hircos* vocari, *Leuit. XVII. 7. II. Chron. XI. 15.* Vnde nonnulli non adeo abſonum putant, ſi & hic

per Azazel daemon intelligatur. Et intellexerunt ſane praeter Ebraeos, nonnulli veterum chriſtianorum, refragantibus quidem aliis, vt SAM. BOCHARTVS docet, *hierozoic. part. I. lib. II. cap. LIV.* Qua in re tamen caute admodum procedendum. Quodſi enim ita haec ſententia capiatur, ac ſi diabolo ideo hircus iſte deſtinatus fuerit, vt & ille placaretur, perinde, ac ſi diuiſum cum Deo imperium haberet, quemadmodum nonnulli ex Ebraeis capere videntur, impietate non caret. Saniori autem ſenſu admitti poteſt, ſi traditio Chriſti in manum diaboli, habentis quippe imperium mortis, ad illum exagitandum, intelligatur, vt praeter IO. COCCEIVM, *comment. ad Ebr. IX. 25.* hoc explicat HERM. WITSIVS, *oecon. feder. diuin. lib. IV. cap. VI. §. LXXII. p. 676.* itemque IO. VAN DER WAYEN, in *diſſert. priori de hirco Azazel §. CIV. ſeqq.* in *variis* eius *ſacris, p. 185. ſeqq.* Nec contemnendum pro hac ſententia argumentum ex eo petitur, quod Iehouae directe Azazel opponatur. Vltima ſententia eſt viri clariſſimi, SAM. BOCHARTI, qui, cum obſeruaſſet, verbum arabicum *Azala* ſignificare *ſeparare, remouere*, לעזאזל idem eſſe putat, ac; πρὸς ἀναχωρήσεις, hoc eſt, qui forte deſtinatus erat ad ſeceſſus, vt in locum deſerti deduceretur, *in hierozoic. l. c.* Mihi equidem perinde eſt, quam quis eligere ſententiam velit; etſi tertiam, ſi recte intelligatur, rationibus haud contemnendis niti, nec a ſcopo diei huius, qui fuit, mortem paſſionemque Chriſti, & factam per eam peccatorum expiationem adumbrare, alienam eſſe, exiſtimem. Quae Iudaei de lingua coccinea, & hirco ex rupe praecipitato tradunt, in ſcriptura ſacra nullum fundamentum habent, idque recte obſeruatum ROBERTO SHERINGHAMO, ad *tract. ioma cap. VI. §. VI.* add. SEB. SCHMIDII noſtri *de hirco apompapaeo* diſſertatio, *§. XXXVIII. ſeqq.* Summum ſacerdotem, expiationis die non ſemel, ſed aliquoties in ſanctum ſanctorum ingreſſum, ex *Leuit. XVI. 12. ſeqq.* conſtat. Sed cum repetiti iſti ingreſſus ad vnicum illum expiationis actum ſpectauerint; recte etiam a Paulo dici potuit, eum ſemel tantum quotannis ſanctum ſanctorum ingreſſum, *Ebr. IX. 7.* Veſtibus lineis, ſeu albis, indutum eum fuiſſe cum in ſanctum ſanctorum ingrederetur, iam ſupra obſeruauimus; eſtque haec recepta fere Ebraeorum ſententia, cui & plurimi chriſtianorum ſuffragantur. Immo ipſe Moſes hoc aperte innuit *Leuit. XVI. 4.* Sunt tamen, qui diſſentiunt, & aureis veſtibus eum cum ornatum fuiſſe contendunt: quod & operoſe probare admititur MELCHIOR LEIDEKKERVS, de *republ. Ebraeor. lib. XI. cap. IV. p. 633. ſeqq.* At dubito vehementer, an rationes, a viro docto adlatae, & reſponſiones ad argumenta diſſentientium, id, quod cupit, euincant. Quaenam feſti huius, rituumque, quibus celebrabatur, ratio fuerit, nemini obſcurum eſſe poteſt, nec dubitare hac de re quemquam ſinit Paulus apoſtolus, *Ebr. IX. 11. ſeqq.* Cuncta ſe ad peccatorum expiationem, a Chri-

a Chriſto ſuo tempore peragendam, referebant. Nec diffiteri hoc ipſemet IO. SPENCERVS poteſt, qui in diſſertatione de *hirco emiſſario, & praecipuis expiationis iudaicae caerimoniis*, quae in opere eius de *legibus Ebraeor. ritualib.* octaua eſt, & *p. 1425. ſeqq.* exſtat, multa recte & praeclare hac de re monet: plurima tamen adſpergit, eo tendentia, & horum rituum originem a gentilibus repetendam eſſe: cuiusmodi illud eſt, quod *ſect. III. cap. III. p. 1441.* adſerit, hircum illum, qui ſorte ceſſit Azazeli, ad ſolitudinem emiſſum *forte, quod aeui priſci more receptum eſſet, vt quoduis animal, Numini alicui deuotum, ad Numinis illius fines aut ſedes amandaretur;* & quae reliqua ſunt eiusdem generis, ex inſtituto iam diſcuſſa & refutata a IOAN. VAN DER WAYEN, in diſſertatione altera de *hirco Azazel*, quam IO. SPENCERO oppoſuit, in *variis* eius *ſacris, p. 265. ſeqq.*

Sed vt reliqua tandem exſequamur, quae huius loci ſunt, ſuperſunt inter Ebraeorum feſta, a Deo praeſcripta, *nouilunia & feſtum noui anni.* Primum namque cuiuslibet menſis diem feſtum ſanctumque Deus eſſe voluit, variisque ſacrificiis & oblationibus celebrandum, quae *Num. XXVIII. 11. ſeqq.* deſcribuntur. Tubis quoque clangebant eo die, vt itidem Deus iuſſerat, *Num. X. v. 10.* eoque nonnulli referunt, quod *Pſalm. LXXXI. 4.* dicitur: *clangite in neomenia* שופר *buccina, in tempore conſtituto, in die feſti noſtri, nam hoc eſt inſtitutum Israëlis, hoc eſt ius conſtitutum Dei Iacobi.* At alii, hic de feſto noui anni ſermonem eſſe contendunt: traduntque Ebraeorum magiſtri, in nouiluniis Israëlitas vſos eſſe חצצרות *tubis;* at in feſto noui anni שופר *buccina*, in tractatu miſchnico *roſch haſchannah cap. III.* Apud ethnicos neomenias iam antiquiſſimis temporibus celebratas, vel ex HESIODO conſtat, cuius hicce verſus eſt:

Πρῶτον ἔνη, τετρὰς τε, καὶ ἑβδόμη, ἱερὸν ἦμαρ,

Primum nouilunium, quartaque & ſeptima, ſacra dies,

ἡμερ. v. 6. Idque & HERODOTVS confirmat, qui refert, Homerum in neomeniis, vtpote diebus laetis & feſtis, ad ditiorum domos ſe conferre ſolitum, vt eorum munificentiam experiretur; in *vita Homeri, cap. XXXIII.* Nec tamen eſt, quod hinc atque ex ſimilibus documentis colligas, morem neomenias celebrandi Ebraeos a gentibus accepiſſe, quod more ſuo facit IO. SPENCERVS, de *legib. Ebraeor. ritualib. lib. III. diſſert. IV. p. 1045. ſeqq.* Aliae Deo ſanctioresque fuere cauſſae, cur neomenias ipſemet inſtitueret. Erigere ad altiora mentem Ebraei debebant, Deumque, vt lucis omnis, ita temporis ordinisque auctorem agnoſcere, & celebrare, ſimulque condiſcere, omnia temporum initia merito Deo ſacra eſſe, vt ipſius inuocatione cuncta noſtra negotia ſuſcipiamus. Quae neomeniarum celebratio, vt ad imbuendos vera pietate Ebraeorum animos comparata; ita a profana gentium ſuperſtitione procul remota fuit. Atque hinc etiam, quae ratio fue-

fuerit, anni diem celebrandi, patet, cuiusmodi quid apud ethnicos etiam in vſu fuiſſe, non eſt, quod miremur; cum vel ratio ipſa omnes doceat, hoc maxime tempore conueniens eſſe, vt beneficia a Deo anno praeterito in nos collata in memoriam nobis reuocemus, eiusque gratiam & fauorem in poſterum nobis conciliemus. Incidebat hoc feſtum in diem primum menſis ſeptimi, qui primus erat anni ciuilis, quo tempore, cum & meſſis omnis & vindemia peracta erat, gratias ſollemnes Deo agere Iſraëlitis incumbebat. Celebrandus & hicce dies erat, conuentu publico, ceſſatione ab omni opere, & ſacrificiis; quae *Num. XXIX. v. 1. ſeqq.* deſcribuntur. Id ei quoque proprium erat, quod eo die buccina clangebatur, vnde יום תרועה *dies clangoris* dicitur, *Num. XXIX. 1.* & זכרון תרועה, *memoria clangoris*, *Leuit. XXIII. 24.* Idque haud dubie ideo, vt legis diuinae cum tubarum clangore in monte Sinai promulgatae recordarentur, ſeque votis conceptis ad eius obedientiam obſtringerent, quod anni initium requirere videbatur. Ceterum, quae hactenus in compendio de feſtis Iudaeorum diximus, copioſius explicantur a viro doctiſſimo, IO. MEYERO, in libro de *origine & cauſſis feſtorum iudaicorum*, alibi iam a nobis laudato, vbi & contra IO. SPENCERVM, ex inſtituto diſputat. De *annis ſabbathicis & iubilaeis* hic nihil addimus, quia ad inſtituta ciuilia Ebraeorum pertinent; quibus tamen ſublimiores cauſſae ſubfuerunt.

* De ſacrificiorum, quibus praecipue cultus externus hoc tempore abſoluebatur, origine, ſupra dictum; ad *per. I. ſect. I. §. XXX.* Quae iſtorum, tempore patriarcharum fuerit ratio, itidem expoſitum ad *per. I. ſect. III. §. XVIII.* Iam itaque, quae a Moſe de iis Iſraëlitis praecepta ſint, paucis & in compendio ſaltem, addendum. Quod vt rite fiat, obſeruandum, oblationes ſacras, ſeu קרבנות duplicis fuiſſe generis. Quaedam enim ex animantibus conſtabant, Deo offerendis, ideoque *cruentae* erant, hinc & *ſacrificiorum* nomine veniunt, aliae vero *incruentae*, vt *ferta & libamina*.

Sacrificia Ebraeis זבחים dicuntur, quo nomine tamen holocauſta ex auibus comprehendere nolunt, cum זבח proprie id ſit, quod mactatur; *ferta* autem & *libamina* מנחות ac נסכים dicuntur, quamuis vox מנחה interdum in generaliori ſignificatione accipiatur, cum eadem & Abelis ſacrificium ex ouibus veniat. Solent ſacrificiorum quatuor genera conſtitui, עולה *holocauſtum*, חטאת *ſacrificium pro peccato*, אשם pro *delicto*, ושלמים & *ſalutaria*. Holocauſta ita dicebantur, quod tota, paucis exceptis, igne conſumerentur; vnde & עולה vocantur, quia in fumum velut abibant, atque in caelos adſcendebant. Eamdem ob cauſſam & כליל adpellantur, *Pſalm. LI. 21.* Nimirum ſignificabatur, quod offerens ſe totum per fidem in Meſſiam Deo offerret, quemadmodum hic ſuo tempore ſe totum pro hominum peccatis Deo oblaturus erat.

erat. Antiquitas huius ſacrificii ex iis, quae de patriarcharum ſacrificiis ſupra diximus, conſtat. Animalia, quae in holocauſtum offerri poterant, erant boues, oues, caprae, turtures & pulli columbarum: quorum tria priora maſculini generis eſſe debebant. Integra debebant eſſe haec animalia, & immaculata, nec morbo aut ſenio confecta, & tum ea offerebantur ratione, qua hoc deſcribitur *Leuit. I. 4. 5. ſeqq.* Qui eiusmodi holocauſtum offerebat, eidem imponebat manum, ad expiationem peccatorum impetrandam, vt diſerte *Leuit. I. 4.* dicitur. Vnde manifeſtum eſt, holocauſta ad peccatorum quoque expiationem fuiſſe comparata: quod obſeruare iuuat, vt de vera ratione ſacrificiorum eo rectius ſtatuere queamus. Erant praeterea holocauſta vel *publica*, quae totius populi nomine offerebantur, quorſum & agnorum in ſacrificio iugi, ſeu quotidiano, oblatio ſpectat; vel *priuata*, quae quisque ſuo nomine offerebat; non tantum Iſraëlitae, ſed & gentiles. Proprium namque id huic ſacrificiorum generi fuit, quod a gentilibus etiam Deo offerri potuerint. Sequuntur ſacrificia *piacularia* ſeu *pro peccato*, Ebraeis חטאות, Graecis *περὶ ἁμαρτίας* dicta, quae cum אשמות ſeu *ſacrificiis pro delicto*, tum in aliis, tum in eo quoque conueniebant, quod neutris ferta ſeu libamina adderentur, quodque domini nihil ex iſtis comederent, ſed pars altari, pars ſacerdotibus cederet. Interim in aliis diſtincta erant, vt mox dicetur. Nec ſacrificiorum pro peccato vna eademque erat ratio, ſed alia obſeruanda erant, ſi pro tota congregatione, alia, ſi pro principe, alia, ſi pro priuatae ſortis homine, ſeu plebeio, offerebantur, quae omnia diſtincte exponuntur *Leuit. cap. IV. per integr.* Ad ea, quae pro tota congregatione offerebantur, ſpectabat hircus in die expiationis offerendus; *Leuit. XVI. 15.* Quae a plebeiis offerenda erant, a reliquis in eo quoque praeter alia differebant, quod animantibus conſtarent feminis; *Leuit. IV. 28.* Pauperes loco quadrupedis offerre poterant duos turtures, vel duos pullos columbarum; *Leuit. V. 7.* immo ſi nec hoc in illorum poteſtate poſitum erat, decimam ſimilae, ſed ſine oleo & thure; *Leuit. V. 11. 12.* Quod ſi quaeras, pro quibus peccatis eiusmodi ſacrificia oblata fuerint? reſpondeo, exempla a Moſe adlata docere, pro iis id maxime factum, quae aut ex ignorantia, aut errore commiſſa erant, aut etiam ex praecipitantia. Vid. *Leuit. V. 1. 2. 3. 4.* Offerenda tamen etiam erant in ſummi ſacerdotis inauguratione; *Leuit. IX. 7. 8.* itemque in purificatione puerperae, *Leuit. XII. v. 6. ſeqq.* add. *Luc. II. 24.* vt & pro leproſo, *Leuit. XIV. 19.* Quae ſi expendamus, haecce ſacrificia ad peccatum originale, naturalemque, quae inde oritur, hominum immunditiem reſpectum habuiſſe videntur, cuius fructus in peccatis per errorem, ignorantiam, praecipitantiam commiſſis, luculenter conſpiciuntur. Et hinc ratio quoque arceſſenda, cur ſingularis rigor

in

Digitized by Google

in illorum oblatione adhibendus fuerit. Veſtimentum namque ſi ſanguine maculatum eſſet, lauandum erat in loco ſancto ſiue atrio, vaſa teſtacea, in quibus cocta erant, eodem in loco confringi debuere, aenea autem aquae immergi, atque adcurate mundari; *Leuit. VI. 27.* A ſacrificio pro peccato diſtinctum fuiſſe *ſacrificium pro delicto*, ſeu אשם, licet in quibusdam conuenerint, iam ſupra obſeruauimus. In quo autem diſcrimen illud inter חטאה & אשם conſtiterit, tam difficile explicatu nonnullis videtur, vt fere deſperent, certi quid hac de re definiri poſſe. Ipſius quidem ſacrificii diuerſitas haud obſcura eſt, notantque ebraei doctores חטאה ex maſculinis femineisque animalibus fieri potuiſſe, at אשם ex ſolis maſculis; חטאה oblatum fuiſſe, & pro priuatis, & pro tota congregatione, at אשם tantum pro priuatis; fuiſſe praeterea חטאה duplex; vnum, cuius partes quaedam cum adipe offerebantur in altari, alterum, cuius reliquiae (ſanguine in ſanctum illato, & cornibus aenei altaris adſpergendo) extra caſtra exurebantur, cuiusmodi quid in אשם factum non fuerit, ſed & quoad ſanguinis ſparſionem diſcrimen aliquod inter אשם & חטאה interceſſiſſe, & quae reliqua ſunt eiusdem generis; de quibus legendus MOSES MAIMONIDES, in *praefat.* ad codicem miſchnicum *ſebachim.* Sed quodnam inter ipſas hasce voces חטאה & אשם diſcrimen intercedat? id quidem eſt, de quo praecipue quaeri ſolet. Sunt, qui exiſtimant, חטאה eſſe peccatum, quod ſe commiſiſſe certo aliquis nouit: אשם, de quo dubitat. Alii חטאה generatim quodlibet peccatum denotare putant; אשם autem eiusmodi, quo non tantum Deus, ſed & alius homo laedatur. Alii aliter. Vid. MOSES MAIMONIDES, *l. c.* IO. HENR. HOTTINGERVS, de *iure Ebraeor. ſſ. CXXIII. CXXIV.* Receptiſſimum eſt apud doctores ebraeos, diſcrimen conſtituere inter אשם תלוי *ſacrificium pro delicto dubio*, & אשם ודאי *ſacrificium pro delicto certo;* & ad vltimam claſſem ſequentia referunt: (I) *ob rapinam, Leuit. VI. 2.* (II) *ob res ſacras, in vſum ſuum conuerſas, Leuit. V. 15.* (III) *ob concubitum cum ſerua, ſeruo ebraeo deſponſa, Leuit. XIX. 20.* (IV) *ob immunditiem contractam ex repentina cuiusdam morte ad latus Nazíraei, Num. VI. 10.* (V) *ob purgationem a lepra. Leuit. XIV. 12.* Nimirum leproſo purgationis cauſſa non tantum ſacrificium pro peccato, ſed & pro reatu, ſeu delicto, offerendum erat, vt ex *Leuit. l. c.* patet. Haec nonnulli conſiderantes exiſtimant, probari inde poſſe, אשם certo reſpectu leuius peccatum eſſe, quam חטאה. Poſtrema namque duo exempla ſi ſpectemus, manifeſtum eſſe videtur, אשם eiusmodi quid denotare, quod caſu potius, quam vlla hominis culpa, illi euenit. Cuiusmodi peccata, ſi modo peccata dicenda ſint, cum & illis, qui per ignorantiam aut errorem committuntur, leuiora merito cenſeantur, tria praecedentia eo modo itidem ſpectanda putant, vt eodem loco haberi queant.

ant. Quod ea ratione contingere poteſt, ſi homo, qui eiusmodi quid ſine teſte commiſit, etſi a nemine mortalium conuinci peccati cuiusdam queat, ſua tamen ſponte id confiteatur, & oblato ſacrificio eius veniam impetrare cupiat. Eius enim culpa multo leuior eſt, quam eius, qui peccatum confitetur, ſed quod a teſtibus conuictus negare non poteſt. Ita FL. IOSEPHVS hac de re cenſuiſſe videtur, qui arietem oblatum fuiſſe, ait, ab homine, qui peccauerat, ita, vt ſibi quidem conſcius eſſet, ſe peccaſſe, ſed a nullo alio redargui poſſet, aut criminis conuinci; *antiquit. iudaic. lib. III. cap. X.* Propoſuit hanc ſententiam, ſuamque fecit, vir clariſſimus HADRIANVS RELANDVS, in *antiquitatib. ſacris veter. Ebraeor. part. III. cap. V. p. 171. ſeqq.* mihique valde veroſimilis videtur. Per eam enim, ni fallor, omnibus difficultatibus, quae hic moueri ſolent, occurri poteſt, facileque intelligitur, quo pacto in omni peccatorum genere חטאת & אשם differant. Non vero exiſtimandum, omnia peccata hac ratione expiata fuiſſe. Quae enim poenam capitalem promerebantur, aut poenam exeidii, cuiusmodi erant, quae ביד רמה *elata manu* committebantur, ex horum numero exemta erant. Quaenam vero ex Ebraeorum mente ea fuerint, quae manu elata commiſſa dicuntur, exponit MOSES MAIMONIDES, *moreh neuoch. part. III. cap. XXXI.* Superſunt שלמים, Graecis σωτήρια, εἰρηνικὰ, item εὐχαριστικὰ dicta. Alias & *pacifica* vocantur, reſpondetque vox ebraea שלמים. Rationem reddit R. LEVI BEN GERSON, quia ſigna erant concordiae inter offerentem, ſacerdotes & Deum, qui eadem menſa vtebantur, cum pars victimae altari cederet, pars ſacerdoti, pars offerenti; ad *Leuit. cap. III.* Nec vnius generis erant haec ſacrificia. Namque vel ad *praeterita* ſe referebant, vel ad *futura.* Ad praeterita, ſi pro beneficiis a Deo acceptis eidem agendae eſſent gratiae, vocabanturque ſacrificia תודה *confeſſionis.* Ab his diuerſa erant, quae ad impetrandum beneficium aliquod, & quidem ex voto, pertinebant; quemadmodum, quae absque voto offerebantur נדבות *ſpontanea* vocabantur. Vid. *Leuit. VII. 12. 16.* Praeterea vel *publica* erant, quae ab integra congregatione diebus feſtis offerebantur; vel *priuata*, quorumuis Israëlitarum. Quae circa illorum ſacrificiorum oblationem obſeruanda fuerint, adcurate Moſes ipſe exponit, *Leuit. cap. III. per integr.* Nec obſcurum, quorſum ea ſpectauerint. Condocendi erant iis Ebraei, beneficia quaeuis a Deo in nos collata, grato agnoſcenda eſſe animo, precibusque deuotis ab eo omnia, quae nobis neceſſaria ſunt, impetrari. Haec officia Deo tum demum grata eſſe, ſi ex fide in Chriſtum proficiſcerentur, inde intelligebatur, quod pars quaedam altari deſtinata eſſet. Sed hoc ὡς ἐν παρόδῳ. Ebraei doctores ad ſacrificia quoque referunt, *primogenita animantium*, eorumdemque *decimas*, & *agnum paſchalem;* de quibus multa tradunt, quae legi apud illos poſſunt, qui de gentis

ebraeae antiquitatibus ex inſtituto exponunt. Eosdem ſcriptores conſulant, qui ritus & caerimonias circa ſacrificia adhiberi ſolitas, quales erant, conſtitutio victimae ante faciem Dei, impoſitio manuum, agitatio, mactatio, &, ad aues quod attinet, vngue ſectio, ſanguinis adſperſio, & ad baſin altaris effuſio, excoriatio, diſſectio, oblatio in altari, comeſtio, & quae reliqua ſunt eiusdem generis, adcuratius condoceri cupiunt.

A ſacrificiis diuerſae erant oblationes, ſpeciatim ita dictae, ſeu *ferta*, & *libamina*. Ferta ex frugibus terrae, farina ſcilicet triticea aut hordeacea conſtabant, quae aut cruda offerebatur, aut parata ſeu cocta in patella, vel frixa in ſartagine, vel aduſta in furno. Interdum libamina ſibi adiuncta habuerunt, vnde *ferta libaminum* dicuntur, quae holocauſtis (exceptis auium) & ſacrificiis ſalutaribus, non autem pro peccato, aut delicto, niſi tantum leproſi, addi ſolebant; interdum vero ſeparatim ſine libaminibus offerebantur, eaque vel *publica* erant, totius ſcilicet congregationis, vt *manipulus primitiarum*, *duo panes* in feſto pentecoſtes offerendi, & *panes propoſitionis;* vel hominum priuatorum, vt *fertum initiationis*, quo ſacerdos quilibet munus ſuum adibat; itemque illud, quod pontifex offerebat, eo die, quo vngebatur, quodue *fertum* חבתין *patellarium* vocant; *fertum peccatoris*, *Leuit. V. 11.* itemque *zelotypiae*, ſeu mulieris declinantis, *Num. V. 15.* quibus denique ferta ex voto, & ſpontanea accedebant. Vid. MOSES MAIMONIDES, in *tractat. korbanoth, cap. XII. XIII.* Inter ferta & hocce diſcriminis intercedit, quod quaedam agitari debuerint; quaedam etiam cum oleo & thure fuerint oblata. In libaminibus vinum adhibebatur, quod cuiusmodi eſſe debuerit, more ſuo ſollicite Ebraeorum magiſtri quaerunt. Thuris ceteroquin vſus etiam fuit in thymiamate, de cuius praeparatione exſtat lex diuina, *Exod. XXX. 34.* Nimirum & ſuffitum ſibi Deus fieri voluit, & quotidie quidem mane & veſperi in altari aureo ante ſanctum ſanctorum, *Exod. XXX. 7.* Iſraëlitas hoc ipſo, quae precum rite factarum apud ſe ſuauitas ſit, admonens. In ſollemni autem expiationis die a ſummo ſacerdote in ſancto ſanctorum ſuffitus fiebat, quam Meſſiae interceſſio pro mortalibus vim habitura eſſet, demonſtrans; *Leuit. XVI. 13.* Non minus & ſalis vſus frequentiſſimus & in oblationibus & ſacrificiis fuit, *Leuit. II. 13.* Hic vero vt putredini reſiſtit; ita vim animi maſculam vitiorum ſordibus ſtrenue reſiſtentem, in cultoribus ſuis Deus requirit. Mel contra atque fermentum ab altari domini procul remouebantur, *Leuit. II. v. 11.* Omnem enim fucum ac hypocriſin ſerio Deus deteſtatur; conf. *I. Cor. V. 7. 8.* Atque ex hactenus dictis, abunde, vt puto, conſtat, quam operoſus fuerit cultus externus Iſraëlitarum. Quod eo magis pateſcit, ſi dies ſollemnes cogitemus, quibus varii generis ſacrificia & oblationes concurrebant. Sic die ſabbathi praeter quotidiana

tidiana ſacrificia offerenda erant, quae ſabbatho erant propria; *Num. XXVIII. 9. 10.* Atque in diebus feſtis res ſe eadem ratione habebat. Priuatorum ſacrificiorum, in tanta gentis iſraëliticae multitudine, ingentem fuiſſe numerum nemo dubitabit. Adeoque nec mirandum, cultum huncce externum Numinis tot ſacerdotes atque Leuitas ſemper tenuiſſe occupatiſſimos. Copioſius ea, quae de hisce in compendio diximus, exponunt, qui de ſacrificiis Ebraeorum ex inſtituto agunt, VT IOANNES OVTRAMVS, aliique. Quibus iungendus PETRVS IVRIEV, in *hiſtoria critica dogmatum & cultuum bonorum & malorum, part. II. p. 306. ſeqq.* Praeter haec, quae hactenus expoſuimus, & alia Iſraëlitis praeſtanda erant, quae & quodammodo ad cultum Numinis externum referre licet. *Primitiae* huc ſpectant, atque *decimae.* Primitiarum vox, ſi in ſenſu generaliori capiatur, tria complectitur. Πρωτότοκα, *πρωτογεννήματα*, & *ἀπαρχὰς*, ſpeciatim ita dictas. Πρωτότοκα ſunt primitiui animalium foetus, etiam hominum. Πρωτογεννήματα Graecis dicuntur, quae Ebraeis בכורים, munera nempe, quae de frugibus integris, nec dum elaboratis, feſto primitiarum prae aliis frugibus offerebantur: at *ἀπαρχαὶ* Ebraeis תרומות dictae, eae fuerunt, quae de frugibus vniuerſis iam elaboratis, id eſt, in maſſam aut liquorem redactis, ſepoſitae ſacerdoti tradebantur. Exſtant de his leges diuinae *Deut. XXVI. verſ. 1. ſeqq. XVIII. 4.* conf. & *Exod. XXIII. 19. XXXIV. 26.* Decimas iam ante leges a Moſe latas in vſu fuiſſe, iam ſupra docuimus, cum de cultu externo patriarcharum verba faceremus. Nec tamen inde ſequitur, eas iuris naturalis eſſe, vt ibidem obſeruauimus. Quae ab Ebraeis ſoluendae erant decimae, Moſes lege manifeſta ſanciuit. Decimae illae oblatis primitiis a reliquo fructuum aceruo decerpebantur, cedebantque Leuitis; qui iterum ex decimis iſtis decimam partem pendebant ſacerdotibus, quae תרומת מעשר *oblatio decimarum* dicebatur; vt decimae Leuitarum κατ' ἐξοχὴν *decimae*, aut etiam *decimae primae* adpellitabantur. A primis illis decimis, pariter ac ab *oblatione* ſeu decimis decimarum, diuerſae erant, *decimae ſecundae*, ſeu מעשר שׁני, quas a reliqua maſſa dominus ſeparabat, vt eas coram Domino comederet; *Deut. XII. 17. 18.* Iungunt his Ebraeorum magiſtri *decimas pauperum*, ad quas Leuitae quoque atque ſacerdotes obſtricti fuerint, &, quas addunt reliquis pauperum priuilegiis, quae exſtant *Leuit. XIX. 9. 10.* & *Deut. XXIV. 19.* Ceterum, cum non tantum decimae Leuitis atque ſacerdotibus ceſſerint, ſed primitiae etiam maximam partem, ne quid de variis donis & ſacrificiis atque oblationibus, aliisque illorum emolumentis dicam; haud ſine ratione magnos illorum in veteri teſtamento fuiſſe diuitias, inde colligunt. Aequum praeterea erat, vt primitiarum decimarumque oblatione Iſraëlitae gratum erga Deum pro tot in ſe collatis beneficiis animum demonſtrarent. Quae

 cum

cum genuina, cur Deus iſta ſanciuerit, ratio ſit, non eſt, vt a gentilium inſtitutis eam arceſſamus, quod more ſuo, nec ſine eruditionis adparatu, facit IO. SPENCERVS, de *legibus Ebraeor. ritualib. lib. III. diſſertat. I. cap. IX. & X. p. 889. ſeqq.*

Satis quidem diu hisce immorati ſumus; ſuperſunt tamen quaedam, ſilentio neutiquam praetermittenda. Solent ad cultum Numinis externum etiam referri *vota, preces*, & *publica inſtitutio in conuentibus.* Horum omnium quae apud Iſraëlitas fuerit ratio, paucis nobis attingendum. Vota, ſi nuncupentur Deo, ea ſancte & religioſe ſeruanda eſſe, ratio ipſa omnes docet. Idque nec gentilibus ignotum fuit. Patriarcharum quoque iam aetate non inſolens fuiſſe, vota Deo nuncupare. exemplo Iacobi patet, *Geneſ. XXVIII. 20.* & ſupra iam obſeruatum eſt. A Moſe ratio concipiendi vota, praeſertim quoad res Deo conſecrandas, magis determinata eſt. Quaedam enim certo pretio redimi poterant, cum in aliis contra redemtioni locus non eſſet, vt, ſi quispiam per חרם rem quampiam aut perſonam Deo deuouiſſet, *Leuit. XXVII. 28.* Add. IOAN. SELDENVS, de *iure nat. & gent. iuxta diſcipl. Ebraeor. lib. IV. cap. VII.* Si quis voueret, ad quae alias obſtrictus erat, maior in iis ſeruandis diligentia requirebatur: reliqua priusquam vouerentur, praeſtari aut omitti poterant; at voto nuncupato, adcurate erant praeſtanda. *Num. XXX. v. 3. Deut. XII. 17. XXIII. 23.* Rite denique illi demum vota nuncupabant, qui ſui iuris erant, nec ſub aliena poteſtate conſtituti, aut ſi illorum, quibus ſuberant, conſenſus acceſſiſſet, ſique de rebus id facerent, quae in illorum poſitae erant poteſtate, *Num. XXX. 4. ſeqq.* Solebant etiam nonnulli ſe voto quodam Deo velut conſecrare atque addicere; indeque נזרים *Naziraei, ſeparati* ac *ſeiuncti*, a reliqua ſcilicet multitudine, dicebantur. Horum erat, a vino omnique potu inebriante abſtinere, itemque a nouacula, ne tonderentur, quamdiu votum durabat, & ab omni ſuper mortuo pollutione; *Num. VI. 2. ſeqq.* Reliqua, quae iſtis agenda fuerint, praeſertim finito voti tempore, ex *Num. loc. cit. verſ. 8. & ſeqq.* conſtat. Hoc inter Naziraeos adhuc diſcriminis intercedebat, quod nonnulli ad certum tantum tempus, alii ad omnes vitae ſuae dies eiusmodi voto ſe obſtringebant. Iudaeorum doctores more ſuo & hic alia addunt, quae huius loci non ſunt. Vid. IOSEPH. SCALIGER, in *elench. trihaereſ. cap. XXIII.* & IO. DRVSIVS, de *trib. ſect. lib. IV. cap. XVI.* *Preces* praecipuam cultus diuini partem conſtituere; vel ipſa ratio omnes condocet. Neque tantum internae, ſed & externae conſtituunt, praeſertim cum publice in coetu ſeu congregatione multorum hominum precandum eſt. Nec dubium eſt, quin apud Ebraeos cultui publico, praeſertim ſacrificiis, fuerint iunctae. Sitne vero hoc ex praecepto diuino factum? disputari ſolet. Negat id IO. SPENCERVS. Additas

ditas ſacrificiis preces, non abnuit: *Non iniuria*, inquit, *creditur, Ebraeos ſacrificiis ſuis, eucharistiicis, expiatoriis, pacificis, federalibus, aliis, preces aliquas addidiſſe.* At ex praecepto diuino hoc factum, prorſus inficiatur. Nonnullis itaque interiectis, pergit: *Nullum in tota lege praeceptum inuenire datur, quo Iudaei ſacrificio preces addere, eoque tamquam ſupplicandi ritu, vel impetrandi beneficii medio, aut motiuo vti tenebantur. Conſtat quidem, populum in atrio Iudaeorum ſtantem preces pro peccatorum remiſſione concepiſſe, dum ſacerdos ad ſuffitum faciendum tabernaculum ingrederetur: nusquam autem legitur, Ebraeos praecepto aliquo deuinctos id officii religioſi praeſtitiſſe;* de *legib. Ebr. ritualib. lib. III. diſſertat. II. cap. II. ſect. II. p. 977.* Qua in re iam alios ſibi praeeuntes habuit, ſpeciatim ex SOCINI adſeclis IOAN VOLCKELIVM, qui Chriſtum demum ſuos preces Deo fundere docuiſſe, perhibet. Idque antea Iſraëlitis imperatum minime fuiſſe, vel inde conſtare, putat, *quod in illis DC XIII. vt a Iudaeorum magiſtris numerantur, praeceptis, populo illi traditis, nullum fuit, quo ad preces Deo adhibendas compelleretur: quamquam,* (ita pergit) *qui Dei tunc opem numquam implorauit, is (mea quidem ſententia) non ſatis pius fuiſſe exiſtimandus eſt;* de *vera religione, lib. IV. cap. IX. p. m. 512.* conf. & SIMON. EPISCOPIVS, *inſtit. theolog. lib. III. ſect. II. cap. I.* At fallitur magnopere VOLCKELIVS, pariter ac SPENCERVS. Iudaei enim, ex DCXIII praeceptis ſuis, ſextum expreſſe dicunt illud eſſe, *vt fundamus preces ad Dominum*, quod ex *Exod. XXIII. 25.* colligunt, quemadmodum ex ISAACI ATIAE *theſauro praeceptorum*, obſeruat SAM. MARESIVS, ad VOLCKELII *loc. cit. p. m. 523.* Formulas equidem precatorias, ordinemque in illis ſeruandum Iudaei ab Esdra, & viris ſynagogae magnae repetunt; at mandatum precandi inter ſuos ſemper viguiſſe ſupponunt. Memorabili teſtimonio ex R. BECHAI libro, cui titulus כד הקמח hoc confirmat IOAN. BVXTORFIVS, *ſynagog. iudaic. cap. V.* Suffragatur hisce MOSES MAIMONIDES, ad primae claſſis praecepta, quae articulos fundamentales continet, referens praeceptum, *quo Deus nobis praecepit, vt ipſum inuocemus, tempore neceſſitatis; moreh neuoch. part. III. cap. XXXVI.* Et quis dubitet a prima mundi aetate preces ſacrificiis iunctas fuiſſe, cum ratio ipſa dictitet, precibus vel maxime colendum Numen eſſe? Fuiſſetque cultus per ſacrificia plane ἄλογος, ſi ſine precibus oblata fuiſſent. At bene res ſe habet, quod ipſi SPENCERO credibile videtur, Ebraeos ſacrificiis ſuis preces quasdam addidiſſe. Recteque illud ex *Luc. I. 10.* & *Eccleſiaſt. L. 19.* comprobat. Ex priori enim loco tempore ſuffitus, ex poſteriori, cum ſacrificia offerentur, fuſas a tota congregatione preces, condocemur. Idem inde confirmatur, quod tempus veſpertini ſacrificii fuiſſe tempus precum, aperte indicetur; *Actor. III. 1.* Vnde & de tempore ſacrificii matutini pariter ſtatuendum eſſe, recte colligitur.

gitur. Mitto reliqua, quibus idem confirmari poteſt. Quodſi ergo moris fuit apud Ebraeos, ſacrificiis preces iungere, non eſt, quod dubitemus, illud iis praeceptum fuiſſe. Nec enim credibile, eos diuino cultui additures aliquid fuiſſe, quod a Deo praeceptum non eſſet. At expreſſe, inquis, in lege Moſaica hoc mandatum non eſt. Reſpondeo, mandato ſpeciali opus non fuiſſe; cum hoc per ſe conſtaret, & a maioribus ſuis, patriarchis, hoc accepiſſent, cum ſacrificiis preces coniungendas eſſe. Ad preces etiam *benedictiones* merito referuntur, quibus aliis proſpera quaeuis ac fauſta adprecamur. Publicae benedictionis, qua ſacerdotes vti oportebat, formulam Deus ipſe praeſcripſit, *Num. VI. 23. ſeqq.* Additur, quod hac ratione *nomen Dei populo imponere debeant.* Reſpicitur nimirum ad manuum impoſitionem, quae gratiae diuinae in alios conferendae ſymbolum erat, vt ex *Gen. XLVIII. v. 17. 18.* conſtat: qua de re & ſupra dictum. Cum vero toti congregationi manus imponi non poſſet; per *manuum eleuationem* idem ſignificatum fuit. Conf. *Pſalm. CXXXIV. 2. 3.* Trina nominis יהוה repetitio myſterio non caruit; immo haud obſcuram trinitatis perſonarum confeſſionem continet; quod pluribus peculiari diſſertatione demonſtrauit B. IOAN. GERHARDVS noſter. Iudaeorum de benedictionis ritu placita in tractatu miſchnico ברכות legi poſſunt. Denique, quod ad populi informationem, doctrinaeque ſacrae propagationem attinet; certum eſt, & ſupra iam a nobis obſeruatum, ſacerdotum atque Leuitarum fuiſſe, docere ac erudire populum; conf. *Deut. XXXIII. v. 10.* Qua ratione autem, quoue loco id factum, non liquet. In tabernaculo, & deinceps templo, eiusmodi conciones habitas, quales hodie haberi ſolent, non eſt, quod cogitemus. Synagogas ſequiori aetate, vt precibus, ita & legis lectioni, populique adeo inſtitutioni deſtinatas nouimus. At de earum origine non vna eruditorum eſt ſententia. Qui etiam antiquiſſimas faciunt, poſt ingreſſum demum populi iſraëlitici in terram Canaan originem cepiſſe, fatentur. Ad Moſis itaque aetatem non pertinent, adeoque in ſequentibus de iis erit dicendi locus.

** Vt iam ſupra ad *§. XIII. huius ſectionis* expoſitum.

*** Sic ad *veſtes* quod attinet, lege diuina cautum erat, ne in iis conficiendis linum & lanam inter ſe miſcerent. Verba legis ſunt: בגד־כלאים שעטנז לא יעלה עליך *veſtimentum mixtum duplicis materiae, non erit ſuper te; Leuit. XIX. 19.* Quid vox שעטנז ſignificet, apertum eſt; licet de eius origine critici inter ſe non conueniant. Nec multum, eam perſpectam habere, noſtra refert. Clarius, quid ea voce ſibi velit, ipſemet Moſes innuit *Deut. XXII. 11.* לא תלבש שעטנז צמר ופשתים יחדו *ne induas Schaatnez, linum & lanam iuncta.* Vnde conſtat, non aliam, quam lanae & lini mixturam, hac voce prohiberi. Apud Iudaeos quidem multa alia pro mix-

mixtis & vetitis deinceps habita ſunt, at non ex lege diuina, ſed disciplina magiſtrorum. Nec Iſraëlitis prorſus iſta mixtura ita interdicta erat, vt non quibusdam ea vti fas eſſet. Inter veſtimenta enim ſummi ſacerdotis balteus, ephod, & pectorale ex lino & lana conſtabant; quemadmodum & balteus reliquorum ſacerdotum. Quod & FL. IOSEPHVS recte obſeruauit, legem hac de re diuinam ita referens: *μηδεὶς ἐξ ὑμῶν καλῶς τὴν ἐξ ἐρίου καὶ λινοῦ στολὴν φορείτω. τοῖς γὰρ ἱερεῦσι μόνοις ταύτην ἀποδεδεῖχθαι. Nullus ex vobis veſte ex lana & lino vtatur. Haec enim ſolis ſacerdotibus eſt concesſa; antiquitat. iudaic. lib. IV. cap. VIII.* IOSEPHVM mendacii arguit SAM. BOCHARTVS, *hierozoic. part. I. lib. II. cap. XLV.* ac ſi ab omni veritate abhorrerent, quae hac de re ſcripſit. Sed vera eſſe, quae IOSEPHVS hic ſcripſit, modo recte intelligantur, ſolide & euidenter demonſtrat IO. BRAVNIVS, de *veſtitu ſacerdotum ebraeor. lib. I. cap. V. §. LXXIX. p. 86.* Quodſi nunc in rationem legis huius inquiras, promtus eam ſuppeditat IO. SPENCERVS, Zabiis eam oppoſitam, contendens, apud quos mixtae veſtis vſus fuerit frequentiſſimus. Teſtem dat MOS. MAIMONIDEM, *mor. neuoch. part. III. cap. XXXVII.* Si obuertas, ſacerdotibus tamen, cumprimis ſummo, certo modo eiusmodi mixturam permiſſam; reſponſio iterum in promtu eſt, ibi nullum Zabiismi fuiſſe periculum; de *legibus Ebr. ritualibus lib. II. cap. XXI. ſect. III. p. 640. ſeqq.* Nec ſpecie quadam haec ſententia deſtituitur, modo firmiori niteretur fundamento. Etenim quaecumque tum MAIMONIDES, tum alii de Zabiis tradiderunt, dubia adhuc valde atque incerta eſſe, ſupra iam demonſtrauimus. Meraque & nullius momenti coniectura eſt, ſacerdotibus miſturam quamdam lini & lanae in veſtimentis fuiſſe permiſſam, quia nullum ibi Zabiismi eſſet periculum. Vnde vero hoc probabit? Immo, cum Ebraei viderent, ſacerdotibus eiusmodi quid a Deo ipſo concedi, facile in eam ingredi potuiſſent ſententiam, inſtituta illa Zabiorum non adeo mala eſſe. Si enim mala prorſus eſſent, tum Iſraëlitis omnibus, tum multo magis ſacerdotibus ab iis omnibus eſſe abſtinendum. Rationem equidem certam hisce legibus adſignare, difficile eſſe, fateor; ſcioque, quantopere hic viri docti diſſentiant. Sed ideo ſtatim ad Iudaeorum commenta confugiendum non eſt. Illis haud difficulter adſentior, qui, generatim haſce ſimilesque leges eo ſpectaſſe, volunt, vt discrimen aliquod inter Ebraeos, ceterasque gentes, conſtitueretur. Forte & luxum omnem in veſtimentis hac ratione Deus Ebraeos euitare voluit; cum iſta miſtura magis ad ornatum, quam neceſſitatem faciat. Sacerdotum, cum ad ſplendorem externum cultui ſacro conciliandum, ornatior & pretioſior veſtitus eſſe deberet, concedendum illis erat, quod aliis merito denegabatur. Accedere denique & ratio ſymbolica potuit, vt inde diſcerent, id illis adnitendum omni opere eſſe, vt doctrinam vitam-

vitamque incorruptam ſeruarent, atque puram. Quae eo minus contemnenda ratio, quod & aliis legibus, aut ſeminum fructuumque diuerſorum miſturam, aut coniunctionem diuerſorum animalium, Deus prohibuit. Vid. *Leuit. XIX. 19. Deut. XXII. 9.* Ad diſcrimen inter Ebraeos, ceteraſque gentes, conſtituendum, ſpectabat etiam lex diuina, qua *ſuper alis ſeu angulis veſtium* אל כנפי הבגדים facere ציצית h. e. *filamenta*, iiſque פתיל תכלת *filum hyacinthinum* indere iubet; *Num. XV. 38. Deut. XXII. 12.* Hanc legem itidem exceptionem a priori continere, Iudaeorum magiſtri docent, cum ציצית ſeu *filamentum*, vel *fimbria*, ex lana conſtans, veſtimento lineo adnecti potuerit, interiecto filo hyacinthini coloris. Vid. IONATHAN, in *paraphraſi* ad *Deut. XXII. 12.* Filamenta iſta in nouo teſtamento κράσπεδα, ſeu *fimbriae*, vocantur, quas Phariſaei ad pietatis maioris ſpeciem ſibi conciliandam valde dilatabant, reprehenſi ideo a ſeruatore, *Matth. XXIII. 5.* Ibidem *phylactericorum* iniicitur mentio, quorum originem itidem nonnulli ad Moſis aetatem referunt, prouocantes ad *Exod. XIII. 9. 10.* At falluntur mea quidem opinione. Non enim Moſes dicit: facies tibi טוטפות, ſed: *praeceptum, quod tibi datum eſt, ſit tibi* לטוטפות *inſtar phylacterii*, ſeu, vt alii volunt, *inſtar tiarae*, vel ornamenti cuiusdam, quod in capite vel fronte geritur, quodque eo comparatum eſt, vt rei cuiusdam memoriam ſemper in nobis conſeruare & numquam non reuocare poſſit. Rectius proinde ſentiunt, qui poſt captiuitatem demum babylonicam, phylacteriorum vſum apud Iudaeos inualuiſſe, contendunt. Eritque adeo hac de re in ſequentibus dicendi locus. Vltimo loco hic memoranda quoque eſt lex diuina, qua virorum ac mulierum veſtimenta permutare prohibuit, *Deut. XXII. 5.* Cuius rationem nemo non intelligit; cum iſta veſtium permutatio non poſſit non ſtupris, variiſque impuritatum generibus, occaſionem praebere. Vt adeo non neceſſe ſit, ad gentilium iterum ſe hic recipere inſtituta, ac ſi iis, praeſertim cultui, qui Veneri & Marti praeſtabatur, lex oppoſita fuerit; quod more ſuo facit IO. SPENCERVS, de *legib. Ebraeor. ritualib. lib. II. cap. VI. ſect. II. p. 606.*

De *cibis*, quibus Ebraeis veſci fas aut nefas fuerit, itidem variae leges exſtant. Cumprimis, ne ſanguine veſcerentur, ſeueriſſime illis interdictum erat, *Leuit. III. 17. VII. 26. 27. XVII. v. 10. 12. 14. Deut. XII. 16. XV. 23.* Quam legem diuerſam eſſe ab ea, qua Noacho eiusque poſteris, eſus carnis cum ſanguine, hoc eſt, carnis crudae & velut ſemiuiuae prohibebatur, ſupra iam ad *periodi I. ſect. I. §. V.* obſeruauimus. Ratio legis erat, quod ſanguis expiationi vicariae hominum inſeruiens, altari deſtinatus erat. Quod cum aperte *Leuit. XVII. 11.* indicetur; vt aliunde eam arceſſamus, neceſſe non eſt. Et eadem quoque ratio eſt, cur adipis eſus itidem iis prohiberetur, eo, quod ſcilicet illius in altari vſus eſſet,

vt

vt ex *Leuit. VII. 23. 24. & 25.* liquet; conf. *Leuit. III. 17. IX. 10.* Accedebat ad haſce leges diſcrimen animalium, mundorum atque immundorum, quorum illa ad eſum concedebantur, regula hacce generali, quoad quadrupedia, ſuppeditata: *omne, quod habet vngulam diuiſam, & ruminat in pecoribus, comedetis; Deut. XIV. 3. ſeqq.* Cuius quidem legis ratio, cum non ita in aprico poſita ſit, viris doctis multum negotii faceſſiuit. Immo non defuerunt, qui hinc occaſionem, leges Moſaicas omnium ludibrio exponendi, ſumerent. Nihil de ethnicis dicam, ſpeciatim PLVTARCHO, hac de re diſputante *ſympoſiac. lib. IV. problem. V.* Nihil de veteris eccleſiae haereticis, legem Moſaicam reiicientibus, & hocce mundorum ac immundorum animalium diſcrimen irridentibus. Id mirum, inter ipſos patres etiam fuiſſe, qui non procul ab hac ſententia abirent. TERTVLLIANVS namque ſcribere non veretur, nihil tam contemtibile eſſe, quam ciborum exceptionem per Moſen praeceptam, *aduerſ. Marcionem, lib. V. cap. V.* Immo ORIGENES leges Moſaicas de cibis, ſi ſecundum litteram ſumantur, indignas adparere Deo, minusque elegantes ac rationabiles legibus hominum, verbi gratia vel Romanorum, vel Athenienſium, vel Lacedaemoniorum, putat, *homil. VII. in Leuit.* qui & alibi *lib. IV. de principiis cap. II.* in iis legibus reperiri nonnullas a ratione alienas, aut etiam impoſſibiles obſeruatu, adſerit. Similia & apud alios legas: quae quo pacto excuſari queant, non video, niſi cum IOAN. BAPTISTA COTELERIO dicas, talia *apud antiquos oratorie dicta, atque ex iuſto odio erga Iudaeos, & erga iudaizantes chriſtianos; not.* in *epiſtolam Barnabae*, in *bibliotheca patrum apoſtolicor. tom. I. p. m. 30.* vbi copioſe hac de re diſſerit. Impium eſt, de legibus diuinis ita exiſtimare, quibus rationes grauiſſimas ſapientiſſimasque ſubfuiſſe, non eſt, quod dubitemus, etiamſi vel maxime nobis cognitae non ſint. Atque id de hiſce legibus fatentur plerique, rationibus ſuis eas non deſtitui; etſi, quales ſint, inter ſe non conueniant. Morales fuiſſe, praeter IOSEPHVM atque PHILONEM, ex antiquis eccleſiae doctoribus BARNABAS docet, vel quisquis auctor eſt epiſtolae, quae ſub eius nomine exſtat, in *bibliotheca patr. apoſtolic. p. m. 30. ſeqq.* itemque EVSEBIVS, *praeparat. euangel. lib. VIII. cap. IX.* Alii ad phyſicas rationes ſe recipiunt, Deum immunda animalia, ceu noxia ſanitati, Ebraeis prohibuisſe. IOAN. SPENCERVS, licet vtrasque, tum phyſicas, tum morales rationes reiiciat; de illis tamen pronuntiat: *fateor equidem, opinionem illam plus genii habere, quam vulgares, & ad libitum factae nonnullorum allegoriae.* Argumenta hinc varia profert contra rationes naturales; at ea ita, mea opinione, comparata ſunt, vt non deſit, quod ad ea reſponderi queat. Sic, non ſimile vero eſſe, inquit, Deum Iudaeorum coquinis praeſidere voluiſſe, iisque tamquam tot infantibus, inuigilare, ne forte palatum offenderent, aut

aut damni aliquid a cibo inſalubri, vel concoctu difficili, paterentur. Quaſi vero indignum eſſet prudentia legislatoris, etiam ſanitatis ciuium habere rationem. Interim ipſe SPENCERVS, legum iſtarum rationes fuiſſe, contendit, primo, quod Deus hac ratione Ebraeos a reliquis gentibus diſtinguere voluerit; deinde, cauere etiam iis voluiſſe, ne Israëlitae cum ſacerdotibus Aegypti, ciborum etiam diſcrimen obſeruantibus, nimis conſentirent; porro legem generalem munditiem animalium explorandi dediſſe, ne Iudaei animalis alicuius eſum, e ſuperſtitioſa ſanctitatis aut impuritatis inhaerentis opinione, fugere viderentur; & denique, quod animantia, in eſum Israëlitis conceſſa, pleraque alia animantia, dignitate & munditie quadam naturali ſuperauerint. Quae omnia erudite ediſſerit, de *legibus Ebraeor. ritualib. lib. I. cap. V. ſect. III. p. 162. ſeqq.* IO. BAPTISTA COTELERIVS rationibus phyſicis & moralibus antea memoratis itidem & hanc addit, quod Deus Aegyptiorum conſuetudini moribusque hasce leges oppoſuerit. Aegyptios enim multis beſtiis ad praeſagia vſos, cunctaque animalia praeter ſuem, quem exſecrabantur, quoue veſcebantur ſolo, adoraſſe, ex ORIGINE, THEODORETO, aliisque probat: eamque ob cauſſam vetitam Iudaeis porcinam comedere, concludit, & ad immundorum numerum relatas animantes vniuerſas, quae habebantur pro praeſagis: praeterea ex pecudibus diis Aegyptiorum, manſuetiores ſacrificiis & dapibus deputatas fuiſſe, alias vero impurarum nomine donatas, ad *Barnabae epiſtolam, loc. cit. p. 31.* Ego nullus dubito, hasce leges Israëlitis ideo praecipue datas, vt hac quoque ratione a gentibus aliis diſcernerentur, idque luculenter ex *Actor. X. verſ. 14. 15.* probari poſſe, exiſtimo: nec abnuo, fieri potuiſſe, vt Deus hac ratione inſtitutis quibusdam ſuperſtitioſis Aegyptiorum obuiam ire voluerit: ſimul tamen aliam quoque adhuc, eamque magis vniuerſalem cauſſam, cur quaedam animalia pro mundis, quaedam pro immundis habeantur, eſſe, vix dubitabit, qui ſecum cogitauerit, diſcrimen illud iam longe ante Moſis aetatem ipſi Noacho notum fuiſſe, *Gen. VII. 2.* Qua de re iam ſupra dictum, ad *periodi I. ſect. II. §. II.* Quae vero ratio ſit, vt prae ceteris animantibus impuris porcum maxime abominentur Iudaei, erudite diſquirit IOAN. SPENCERVS, *loc. cit. ſect. IV. p. 171. ſeqq.* Non tantum autem animantia impura prohibita erant Israëlitis, ſed & cibis, qui aut ex vaſe, aut alia ratione impuritatem contraxerant, illis veſci nefas erat, quod & de potu cenſendum *Leuit. XI. 34.* Prohibiti quoque erant fructus arborum praeputiatarum, *Leuit. XIX. 23.* Cumprimis lex de haedo in lacte matris non coquendo aliquoties repetita *Exod. XXIII. verſ. 19. XXXIV. 26. Deut. XIV. 21.* In cuius rationem diligenter & erudite inquirit IOAN. SPENCERVS, *loc. cit. lib. II. cap. VIII. p. 443. ſeqq.* ſed vt tandem ad incertos Zabiorum ritus, quibus lex ea oppoſita fuerit, ſe recipiat. Praeſtat

forte

forte in rationibus moralibus adquieſcere, cuiusmodi PHILO ſuppeditat de *charitate, p. 711.* Add. SAM. BOCHARTVS, *hierozoic. part. II. p. 635.* Sed de cibariis Ebraeorum legibus haec ſufficiant.

Supereſt, vt de *lotionibus* atque *luſtrationibus* illorum quaedam addamus. Corporis namque puritati adcurate Ebraeos ſtudere, Moſes voluit; eo, quod haec imago eſſet mentis purae, quae in vero Numinis cultu vtramque facit paginam. Impuritatem itaque omnem, vel quod eius ſpeciem praebere poterat, fugere Ebraeos oportebat; aut, ſi eam contraxiſſent, purificatione atque luſtratione opus erat. Impuri vero non tantum, qui corpus quacumque ratione commaculaſſent, cenſebantur; ſed &, qui aliquid attigiſſent, quod attingere nefas erat. Quo nomine a *naturali* impuritate, *legalem* nonnulli diſtinguunt. Speciatim impurae cenſebantur puerperae, infantes recens nati, mulieresque menſtruatae, & haemorroiſſae; *Leuit. XII. verſ. 2. XV. 19. XVIII. 19. XX. 18. Ezechiel. XVI. 4.* Impuri quoque gonorrhaei atque leproſi, *Leuit. XIII. 45.* Denique & caſus nocturnus pariter ac contactus rei impurae, maxime cadaueris, non tantum humani, ſed etiam bruti animalis, ſponte mortui, impuritatis cauſſa erat; *Deut. XXIII. 10. Leu. V. 3. XV. 5.* Pro diuerſis hisce impuritatum generibus diuerſi erant purificationum atque luſtrationum modi. Interdum ad purificationem certa offerenda erant ſacrificia, vt pro puerpera *Leuit. XII. 2. ſeqq.* & pro leproſo, *Leuit. XIV. 2. ſeqq.* non excluſis reliquis ritibus, ſimul adhibendis, qui ibidem commemorantur. Interdum aqua abluere corpus debebant, impuri ſimul vsque ad ſolis occaſum habendi, vt exemplo, quod *Leu. XV. 16. 17. 18.* exſtat, patet. Quod & de vaſis & veſtibus intelligendum, quae interdum eadem ratione puritati reſtituendae erant, vt ex eodem loco intelligitur. Interdum cinere vaccae ruffae adſpergendi erant, vt impuritas aufferretur, quod tum praecipue locum habebat, ſi ex hominis mortui contactu impuritatem contraxiſſent. Religioſe hunc in finem vaccae ruffae, certis ritibus comburendae, cinis adſeruandus erat, vt ex *Num. XIX. 2. ſeqq.* conſtat, vbi Moſes omnia, quae huc pertinent, diſtincte exſequitur. Quid Iudaeorum deinceps addiderit ſuperſtitio, vel ex MOSE MAIMONIDE, *hilc.* פרה אדומה ſeu *de vacca ruffa*, condiſcere licet. Myſterio quoque res iſta non carebat, prorſusque illis ſuffragor, qui ad Chriſti ſanguinem haec referunt, cuius ea vis eſt & efficacia, vt homines in illum credentes ab omnibus vitiorum ſordibus purgare queat. Id quippe aperte apoſtolus docet, *Ebr. IX. 13.* Interim, quo minus pro ſacrificio proprie & ſtricte ſic dicto haberi queat, nonnulla obſtant: idque oſtendit WOLFGANGVS FRANZIVS, *ſchola ſacrificior. diſp. XIII. §. XXV.* Ex inſtituto omnia edifferit IOAN. BENEDICTVS CARPZOVIVS, duabus de *vacca ruffa* diſſertationibus; add. PETRVS IVRIEV *hiſtor. critic. dogmat.*

Digitized by Google

mat. & cult. bon. & mal. part. II. p. 362. ſeqq. Praeter haſce luſtrationes & expiationes, frequentiſſimae erant & aliae ablutiones ad corporis puritatem cuſtodiendam, praecipue ſacerdotum & Leuitarum, quoties ſacris operaturi erant, non minus & aliorum Israëlitarum. Vnde non immerito Paulus apoſtolus ad ritus caerimoniasque veteris teſtamenti βαπτισμὺς ſeu *varias lotiones* refert, *Ebr. IX. verſ. 9. 10.* In ſummam etiam ſuperſtitionem res iſta tandem degenerauit, Phariſaeis cumprimis lotiones illas adcuratiſſime obſeruantibus, cum de mente a vitiorum ſordibus purganda parum eſſent ſolliciti; quo nomine a Chriſto reprehenduntur, *Matth. XV. 2. XXIII. 25. Luc. XI. 39.* Sed hac de re alibi. Apud gentiles itidem lotiones luſtrationesque frequentiſſimas fuiſſe, conſtat, idque peculiari opere, de *veterum gentilium luſtrationibus*, expoſuit IOAN. LOMEIERVS. Antiquiſſimum etiam ablutionis eſſe ritum, exemplo Iacobi patriarche patet, *Gen. XXXV. 2.* Quem ad exemplum idololatrarum hoc feciſſe iam ſupra negauimus, ad *period. I. ſect. III. §. XII.* Multo itaque minus credendum, leges diuinas hac de re a gentilium inſtitutis originem trahere. Gentiles autem, ſi non patriarcharum, ac Ebraeorum imitatione ritus iſtos adſumſerunt, falſo quodam ratiocinio decepti hoc facere potuerunt. Quemadmodum enim corporis impuritas hominibus aliis taedium maximum adfert; ita perſuadere ſibi potuerunt, & Deum ipſum corporis puritate delectari, eamque vel maxime, cum ſacra facerent, ſectandam. Hinc vlterius progreſſi, externis eiusmodi ritibus omnia facile tribuere potuerunt, etſi de mentis puritate minime ſolliciti eſſent. Nec tamen illis refragatus fuero, qui, vt in aliis, ita hac in re eos, Ebraeos atque patriarchas imitari voluiſſe, contendunt; quae etiam eſt ſententia IO. LOMEIERI, *loc. cit. cap. II. p. 12.* Reliqua, quae hic adhuc dici poſſent, lubentes praetermittimus. Praecipua enim rerum momenta delibare ſaltem, inſtituti ratio poſtulat.

§. XXXIII.

Statui quoque domeſtico, qua coniugum erga ſe inuicem, qua parentum & liberorum officia, variis legibus conſultum Moſes voluit. Cumprimis, quae matrimonii iuxta primam Numinis inſtitutionem, qua gradus conſanguinitatis & adfinitatis, ratio eſſe deberet, luculentis hac de re editis conſtitutionibus, declarauit; nonnulla tamen ob inueteratam conſuetudinem, & quod durae ceruicis Israëlitae eſſent, illis conceſſit, cum prima inſtitutione non ſatis conuenientiam, vt polygamia, diuortium, ius leuiratus, matrimonium cum defunctae vxoris ſorore.*

* De

* De prima matrimonii inſtitutione dictum ad *periodi I. ſect. I. §. XIX.* Quae eius poſt lapſum ratio fuerit, ad eiusdem *ſectionis §. XXVI.* indicatum: &c. ſub patriarchis, ad *ſect. III. §. XIX.* Quae Moſes in legibus Ebraeis a Deo datis hac de re conſtituit, ad duo praecipue reuocari capita poſſunt. In quibusdam enim primaeuam matrimonii inſtitutionem legesque ei innixas, clarius & copioſius exponit; in aliis Israëlitis nonnulla concedit, quae ob gentis iſtius σκληροκαρδίαν temporumque rationem, aut inueteratam conſuetudinem, illis denegari non poterant. Ad priorem claſſem pertinent leges de prohibitis gradibus conſanguinitatis & adfinitatis, *Leuit. cap. XVIII. 6. ſeqq.* De quarum ſenſu & rationibus nihil addimus; cum ea huius loci non ſint. Dixi etiam hac de re in *inſtitut. theol. moral. part. II. cap. III. ſect. VI.* Ad poſteriorem claſſem pertinet *polygamia*, primaeuae equidem matrimonii inſtitutioni repugnans; patriarchis tamen iam per conniuentiam quamdam conceſſa, vt iam ſupra ad *per. I. ſect. III. §. XIX.* obſeruatum; itemque *diuortium*, etiam extra caſum adulterii, ob cauſſam non quamcunque, ſed grauiorem, *Deut. XXIV. 1.* & *Matth. XIX. 7.* porro *ius leuiratus*, patriarcharum aetate itidem iam vſitatum, vt ſupra ad *per. I. ſect. III. §. XIX.* docuimus; hinc a Moſe ob cauſſas grauiſſimas adprobatum confirmatumque, *Deut. XXV. 5. ſeqq.* denique matrimonium cum defunctae vxoris ſorore, non praeceptum, ſed permiſſum, adeoque matrimonii inſtitutioni repugnans, attamen tolerandum ob rationes varias, quas expoſui *inſtitut. theolog. moral. part. II. cap. III. ſect. VI. ad §. XIII.* Haec omnia, quae in compendio indicauimus, ex ipſorum Ebraeorum, qui etſi optimi ſuarum legum interpretes videri volunt, non tamen ſemper hic rem acu tangunt, mente ſententiaque ediſſerit IO. SELDENVS, in *vxore ebraea;* cui iungendus IOANNES BVXTORFIVS, in diſſertatione de *ſponſalibus* & *diuortiis.* His omnibus accedit lex plane ſingularis, de innocentia mulieris, adulterii ſuſpectae, per aquas amaras exploranda, *Num. V. 12. ſeqq.* qua Deus zelotypiae virorum aliquid indulgere voluiſſe videtur; & de qua Ebraei plura diſputant, in tractatu talmudico סוטה, quem in linguam latinam transtulit, notisque eruditis illuſtrauit IO. CHRISTOPHORVS WAGENSEILIVS; cui iungendus ANDREAS ACOLVTHVS, in peculiari commentatione, de *aquis amaris maledictionem inferentibus.*

§. XXXIV.

Sed rempublicam quoque Ebraeorum rite conſtituit Moſes; in qua cum ſummum imperium penes ipſum Deum eſſet, ſingularis plane eius forma fuit, cui inter reliquas gentes nulla vmquam ſimilis fuit, recte ideo *theocratia* dicenda. Praecipuis namque, ut reliqua

Digitized by Google

taceam, ſummi imperii partibus ipſe functus eſt Deus.* Interim magiſtratus inferiores, qui eius velut vicibus fungerentur, conſtituti erant.** Synedrii autem, quod apud Iudaeos deinceps fuit, origo, minime ad haec tempora referenda videtur.*** Sed vt ordine quoque cuncta fierent, omniumque ſecuritati conſuleretur, legibus ciuilibus ſaluberrimis, iisque genio populi adcommodatis, cautum fuit.*

* Etſi Ebraei, quamdiu in Aegypto commorati ſunt, ſine omni ordine non vixerint; in rempublicam tamen demum coaluerunt, cum inde educti, & a Pharaonis tyrannide liberati, ſui iuris facti ſunt. Tum enim rempublicam Numinis iuſſu in hac gente Moſes inſtituit. Cumque a ciuilium rerum magiſtris certae rerum publicarum formae conſtitui ſoleant, quaenam Ebraeorum reipublicae tribui debeat? inter viros eruditos disputari ſolet. Nonnulli, quod mireris, ariſtocratiam in hac gente, priusquam ad reges ſumma rerum perueniret, obtinuiſſe, contendunt, VT PETRVS GALATINVS, CAROLVS SIGONIVS, aliique, apud HENNING. ARNISAEVM, *relect. polit. lib. II. cap. IV.* Alii in contrarium velut currentes, Moſique regiam tribuentes poteſtatem, monarchiam in ea ſibi videre videntur, VT ADRIANVS HOVTVYNVS, iureconſultus Batauus, in *monarchia Ebraeorum, cap. II. p. 7. ſeqq.* At longe rectius hac de re iudicauit FL. IOSEPHVS: ἐκεῖν ἄπειροι μὲν αἱ κατὰ μέρος τῶν ἐθνῶν καὶ τῶν νόμων παρὰ τοῖς ἅπασιν ἀνθρώποις διαφοραί· οἱ μὲν γὰρ μοναρχίαις, οἱ δὲ τῶν ὀλίγων δυναστείαις, ἄλλοι δὲ τοῖς πλήθεσιν ἐπέτρεψαν τὴν ἐξουσίαν τῶν πολιτευμάτων. Ὁ δὲ ἡμέτερος νομοθέτης εἰς μὲν τούτων οὐδοτιοῦν ἀπεῖδεν, ὡς δ᾽ ἄν τις εἴποι βιασάμενος τὸν λόγον, Θεοκρατίαν ἀπέδειξε τὸ πολίτευμα, θεῷ μᾶλλον μόνῳ τὴν ἀρχὴν καὶ τὸ κράτος ἀναθείς. *Innumerae ſunt particulatim gentium & morum apud omnes homines differentiae: alii ſiquidem monarchiis, alii olicharchiis, alii vero democratiis, reipublicae poteſtatem commiſerunt. Noſter autem legislator, nil horum intendens, veluti ſi quis haec dicendo menſuram transcendat verbi, politiam noſtram* THEOCRATIAM *declarauit, Deo praecipue principatum adſignans & potentiam; contra Apion. lib. II. p. 1071.* Suffragantur ei plerique, immo non ſuffragari nequeunt, ſi modo reipublicae israëliticae conſtitutionem paullo adcuratius ſecum expendunt. Primo namque, ſi per omnes ſummi imperii partes ire placeat, eas a Deo ipſo adminiſtratas deprehendimus. Sic leges optimas, ſanctiſſimas, iuſtiſſimasque, genio quoque ac indoli huius gentis adprime adcommodatas, tulit, easque ſollemni quadam ratione promulgauit, *Exod. XIX. XX.* neue dubitare Israëlitae vlla ratione poſſent, ipſum Deum harum legum auctorem eſſe, ipſemet decem verba, ſummam legum continentia, pronuntiauit: idque tanta maieſtate, tantoque ſplendo-

dore, vt populus eum non ferens Moſen internuntium inter ſe atque Deum eſſe vellet, *Exod. XX. 19.* Reliquas leges diuerſis temporibus Iſraëlitis equidem Moſes indicauit, ſed tamquam a Deo, non a ſe ipſo, profectas, numquam non ſollemnem iſtam formulam: *& dominus Moſi dixit*, praemittens. Praeterea iudices & magiſtratus inferiores Deus ipſe conſtituit, *Num. XI. 16. ſeqq. Deut. XVII. 8. 9. 10. 11.* Et licet hic ordo in cauſſis decidendis ſeruaretur, vt grauiores ad ipſum Moſen deferrentur, hic tamen numquam propria auctoritate & velut pro imperio reſpondit, ſed Deum ipſum conſuluit, & ex eius ſententia controuerſias decidit; *Exod. XVIII. 19.* Quod & ſpeciatim exemplo filiarum Zelaphead patet, in quarum cauſſa Deus ipſe ſententiam tulit, & hereditatum iura definiuit, *Num. XXVII. 7. 8. 9.* Neue quis obuertat, Moſis ſaltem tempore haec ita ſe habuiſſe, eum cogitare velim, vrim & thummim Iſraëlitis ideo conceſſa, vt in cauſſis grauioribus ſemper Deum ipſum conſulere poſſent. Iam ſi belli ſuſcipiendi pacemque faciendi ius conſideres, penes Deum ipſum illud fuiſſe, nemo dubitauerit. Ipſius nutu capienda pariter ac deponenda arma erant. Sic victi Amalekitae, ſic Emorraeorum & Baſanenſium reges Sichon & Ochus obtriti, ſic debellatae Cananaeae gentes variae. Hinc & leges in bellis gerendis a Deo ipſo praeſcriptae, *Deut. XX. 10. ſeqq.* & quis ordo in caſtris metandis, quamdiu in itinere conſtituti erant, obſeruandus eſſet, illis iniunctum; *Num. II. 1. 2. 3. ſeqq.* Legatos equidem Moſen ad Edomaeorum regem pariter ac Emorraeorum miſiſſe, ad innoxium per eorum terram petendum tranſitum, *Num. XX. 14. 15. ſeqq.* & *Deut. II. 26. 27.* legimus. Id vero propria auctoritate, ac ſine nutu ac voluntate Numinis eum feciſſe, quis exiſtimet? De iure circa ſacra, quod primo loco commemorandum fuiſſet, nullum itidem eſt dubium. Non ſuo enim, ſed Dei nomine Moſen praecepiſſe, quae ratio eſſet Numen colendi, is demum abnuet, qui numquam libros Moſaicos inſpexit. Ceterum licet in his omnibus Moſi hinc inde quaedam tribuantur; hoc tamen non aliter intelligendum, quam quod Deus opera ac miniſterio eius vſus ſit. Quod cum non animaduerteret, aut animaduertere nollet ADR. HOVTVYNVS, perperam inde collegit, Moſen regem fuiſſe, regiaque poteſtate gauiſum. Quaſi vero ſtatim reges ſint, ſummique imperantes, qui aliquando illorum vicibus funguntur, atque peragunt, quae ab illis ſibi ſunt demandata. Sed iſtum adcurate profligauit errorem AD. RECHENBERGIVS, peculiari diſſertatione de *ficta Ebraeor. monarchia ante Saulem, in vol. II. diſſertation. hiſtorico-politicar. §. XXI. ſeqq. p. 353. ſeqq.* Non rex, ſed ſeruus Moſes fuit, fidelis in omni domo Dei, *Num. XII. 7.* ad *Ebr. III. 2.* Nec obſtat, quod *Deut. XXXIII. 5.* rex dicatur. Praeterquam enim, quod nonnulli haec verba non ad Moſen, ſed ad Deum referant, vt iam ſupra ad §. *XI. huius ſectionis*

Digitized by Google

ſtionis obſeruatum, dici ita potuit, quod velut pro-rex, Dei ceu veri regis, vicibus functus ſit. Quo ſenſu & PHILO Iudaeus eum *ἄριστον βασιλέα καὶ νομοθέτην*, *optimum regem & legislatorem* adpellauit; *lib. II. de vita Moſis, p. 527.* at parum adcurate, vt itidem *l. c.* iam docuimus. Theocraticum porro gentis israëliticae regimen, vt reliqua proſequamur, inde probatur, quod Deus ſpecialiori quadam ratione populi huius curam geſſit. Ex Aegypto enim valida manu, maximisque editis miraculis eum eduxit, & ex duriſſima ſeruitute ereptum ſibi tamquam proprium & peculiarem adſeruit, federe ſpeciali cum eo ad montem Sinai inito, *vt peculium Dei, prae omnibus terrae populis, & regnum ſacerdotum* eſſent, ſi federis leges ſeruaturi eſſent, *Exod. XIX. 5. 6.* Praeterea non vnum clementiae ſingularis erga eum documentum edidit, viamque in deſerto per columnam ignis & aëris monſtrauit, immo ſuae praeſentiae hoc ſymbolum eſſe voluit, de omnibus ad vitam neceſſariis ei proſpexit, pericula quaeuis auertit, & maximis incommodis per ingentia ſubinde miracula liberauit, tandemque hoſtibus illorum proſtratis atque disiectis, in terram patribus eorum promiſſam, illisque ad poſſidendum ex ſingulari gratia donatam, introduxit. Denique nec externa theocratici regiminis ſigna deerant. Tabernaculum ad formam a Deo ipſo monſtratam, adcurate conſtructum, regii cuiusdam domicilii ſpeciem praebuit: quaeque in eo agebantur, venerationem ſummam ac reuerentiam, maximo potentiſſimoque rege praeſente demonſtrandam arguebant, ſacerdotibus cum Leuitarum grege, ſeruitio iſtius deſtinatis, ordine quodam inter eos obſeruato, vt inter regum quoque miniſtros alii alios dignitate ſuperant, & nonnullis propius adire regem licet, quam aliis. Atque hoc Gideon probe intellexit, regnum Ebraeorum acceptare nolens, addita ratione: *Iehoua Deus rex veſter erit. Iud. VIII. 23.* Cauſſae, cur Deus tale regimen in gente ebraea eſſe voluerit, variae adferri poſſunt. Praecipua haud dubie eſt, quod gratiam ſuam atque fauorem ſingularem ita erga hanc gentem declarare voluerit, quod & non luculentiori facere potuit ratione; ſimul &, quale ſpirituale Meſſiae regnum, ſuo tempore per orbem vniuerſum erigendum, futurum eſſet, hoc ipſo ſignificare voluit. De duratione ſtatus theocratici in gente ebraea in ſequentibus ſuo loco dicetur, de quo & plura dabunt HERMANNVS WITSIVS, peculiari oratione, THOMAE GOODWINI libro, cui titulus: *Moſes & Aaron*, praemiſſa; HERMANNVS CONRINGIVS, de *republ. Ebraeor. §. VII. & ſeqq.* cumprimis IOANNES SPENCERVS, diſſertatione de *theocratia iudaica*, erudita & lectu digna, ſi nonnulla, quae & hic cenſuram merentur, demas, quae exſtat in opere eius, de *legibus Ebr. ritualib. p. 300. ſeqq.*

** Hoc iam ex antea dictis conſtat. Addantur, quae ſupra ad §. *XVII. huius ſectionis* diximus.

*** Iu-

Digitized by Google

*** Iudaeorum conſtans eſt haec ſententia, ſynedrium vel concilium magnum, in quo iudices, ſeniores, adſeſſores, LXX adſcripti erant, a Moſe ipſo conſtitutum, ſemper deinceps ſub iudicibus, regibus & pontificibus, ad extremam vsque populi iudaici euerſionem ea in vrbe manſiſſe, in qua ſanctuarii ſedes atque arx reipublicae eſſet. Multa alia de perſonis in illud cooptandis, deque cooptatione ipſa, itemque de auctoritate, & quae reliqua ſunt eiusdem generis, diſputant, quae ex illorum ſcriptis diligenter collecta, in notiſſimo opere de *ſynedriis Ebraeorum* exhibet IOANNES SELDENVS. Vt autem in multis aliis, ita & in iſta de ſynedrii magni origine ſententia, Ebraeorum magiſtros falli, viris doctis obſeruatum eſt. Scripturae loca, ad quae prouocant, id, quod cupiunt, non euincunt. Namque *Exod. XVIII. v. 20. 21.* Moſes decuriones, pentacontarchos, centuriones, chiliarchos inſtituiſſe dicitur. Synedrii nulla ibi mentio. Propius equidem ad rem accedere videntur, quae *Num. XI. 16.* narrantur de conſeſſu LXX virorum, qui iuſſu Numinis vna cum Moſe onus populi portaturi eſſent. At hunc conſeſſum conuenire cum ſynedrio magno, prout a Iudaeorum magiſtris pingitur, vnde probabitur? Cauſſa inſtituti iſtius conſeſſus erat, vt laboris & inuidiae, quae in illum vnice redundabat, parte Moſes ſubleuaretur. Qua ceſſante, ceſſare etiam conſeſſus ille poterat. Nec enim vel verbo innuitur, quod perpetuus ille conſeſſus eſſe, ſemperque durare debuerit. Nec ex loco *Deut. XVII. 9.* eiusmodi quid colligas. Sacerdotes ſaltem, tamquam legum peritos, & Leuitas, iudicemque, ſiue ordinarium, ſiue extra ordinem a Deo excitatum, ſi quis cauſſam quamdam habeat, adeundos, a Deo praecipitur. Iudicium aliquod certo perſonarum numero conſtans, a Deo conſtitutum eſſe, ne verbo quidem innuitur. Accedit, quod nec ſub Ioſua, nec ſub iudicibus, nec ſub regibus vel minimum ſynedrii cuiusdam veſtigium occurrat, ſi diſcedas ab iis, quae Ebraeorum magiſtri pro lubitu comminiſcuntur. Mitto reliqua, quae contra ſynedrii iſtius antiquitatem vrgeri poſſent, quaeue in compendio exhibet HERMANNVS WITSIVS, *miſcellan. ſacror. part. I. lib. II. diſſertat. III. §. LXXX. ſeqq. p. 558. ſeqq.*

* Recenſere hasce leges, aut explicare, noſtri non fert inſtituti ratio. Faciunt hoc alii, vt CONSTANTINVS L'EMPEREVR, de *legibus Ebraeorum forenſibus*, IOAN. HENRICVS HOTTINGERVS, de *iure Ebraeorum*, GVIL. ZEPPERVS, in *legum Moſaicarum forenſium explanatione*, anno M DCC XIV tertia vice cum IOAN. HENRICI SCHRAMMII notis, Herbornae recuſa, aliique; ne quid de illis dicam, qui collationem inter leges Ebraeorum ac Romanorum, aliarumque gentium inſtituerunt, quos indicaui in *introduct. ad hiſtor. philoſoph. Ebraeor. p. 407.* In certas claſſes eas diſpoſitas videre licet apud IOS. ARNDIVM, in *manuali legum Moſaicarum*, & MELCHIOREM LEIDEKKERVM, de

Digitized by Google

de *republ. Ebraeor. lib. V. cap. VIII. p. 291. ſeqq.* Nos id modo obſeruamus, in legibus hisce ſummam Numinis ſapientiam conſpici; cum nihil, quod non aequum, iuſtum, genioque & indoli gentis prorſus adcommodatum ſit, contineant. Quare non ſine ratione in iis commendandis copioſus & facundus eſt PHILO Iudaeus, hinc inde hocce argumentum tractans. Inter alia vero & ex perennitate harum legum, praeſtantiam illarum comprobari poſſe, putat. *Aliarum gentium iura,* inquit, *ſi quis cogitatione percenſeat, innumeris de cauſſis antiquata inueniet, bello, tyrannide, aliisque improuiſis caſibus, vt ſolet fortuna ludere; interdum etiam prae nimia felicitate laſciuientes quidam colla ſubduxerunt legibus, vt vulgus eſt in rebus ſecundis inſolens, comitante ſaturitatem ſuperbia: lex autem ſemper pugnat cum ſuperbia:* τὰ δὲ τούτου μόνου βέβαια, ἀσάλευτα, ἀκράδαντα, καθάπερ σφραγῖσι φύσεως αὐτῆς σεσημασμένα, μένει παγίως ἀφ' ἧς ἡμέρας ἐγράφη μέχρι νῦν, καὶ πρὸς τὸν ἔπειτα πάντα διαμενεῖν ἐλπὶς αὐτὰ αἰῶνα ὥσπερ ἀθάνατα, ἕως ἂν ἥλιος καὶ σελήνη καὶ ὁ σύμπας οὐρανός τε καὶ κόσμος ᾖ. *Sola noſtra lex firma, immobilis, inconcuſſa, tamquam obſignata naturae ſignaculis, manet, ex quo ſcripta eſt in hodiernum vsque, & ſpes eſt, manſuram per omnia ſaecula, immortalem, donec ſol, luna, caelum, totusque mundus manebit; de vita Moſis, lib. II. p. 656.* Plura eumdem in modum ibi addit, & alibi diſſerit, veriſſima, ſi generatim de lege Moſis intelligantur, non aeque de caerimonialibus & forenſibus, quae, etſi in ſe praeſtantiſſimae, ita tamen comparatae erant, vt finem habere poſſent, quem & reuera habuere. Non minus ſplendide de legibus Moſaicis diſſerit, earumque prae aliarum gentium legibus praeſtantiam variis rationibus comprobat FL. IOSEPHVS, *lib. II. contra Apionem p. 1071. ſeqq.* quarum quasdam ex eo repetit EVSEBIVS, *praep. euang. lib. VIII. cap. VIII. p. m. 361. ſeqq.* qui & *cap. VII. p. 357. ſeqq.* nonnulla huc ſpectantia ex PHILONE recitauerat. Idem IOSEPHVS auctor eſt, leges Moſaicas ad plures gentes transiiſſe, nec temere vllam Graecorum aut barbarorum eſſe ciuitatem, ad quam non peruenerint: ὑφ' ἡμῶν τε διηλέγχθησαν οἱ νόμοι καὶ τοῖς ἄλλοις ἅπασιν ἀνθρώποις ἀεὶ καὶ μᾶλλον αὐτῶν ζῆλον ἐμπεποιήκασι. *A nobis itaque declaratae ſunt leges, & cunctis aliis ſemper hominibus zelum ſui potius praebuerunt; loc. cit. p. 1081.* In eamdem & alii ingreſſi ſunt ſententiam, & in variarum gentium, praeſertim Graecorum ac Romanorum legibus, veſtigia ebraicarum deprehendiſſe ſibi viſi ſunt. Poſt IVSTINVM, CLEMENTEM Alexandrinum, EVSEBIVM, aliosque, id cumprimis euincere voluit PETRVS DANIEL HVETIVS, in *demonſtrat. euangel. part. I. prop. IV. cap. XII.* vbi in eo totus eſt, vt probet, *ex Moſis libris complures manaſſe variarum gentium leges, ritus ac hiſtorias.* Et negari nequit, Graecorum Romanorumque leges in variis capitibus

bus cum legibus Ebraeorum conuenire. Id exemplo legum Solonis ipſemet olim comprobaui in diſſertatione, qua *legum Solonis ac Moſaicarum collationem* exhibui, quae exſtat in *ſapientia veterum*, ſeu *dictis ſeptem Graeciae ſapientum explicatis.* Quodſi etiam Graecorum cum Aegyptiis commercia cogitemus; facile rationem perſpiciemus, qua ebraearum legum notitia ad eos peruenire potuerit. Quod confirmare videtur HERODOTVS, dum auctor eſt, legem Solonis, qua vnumquemque apud Areopagitas indicare iuſſit, quo ſe quaeſtus genere tueretur, ſibique victum compararet, & ignauos puniri, ab Aegyptiis eum accepiſſe; *lib. II. cap. XXII.* id quod & DIODORVS Siculus teſtatur *lib. I. p. 32.* Quamquam aliis probabilius videatur, per Phoenices legum ebraearum notitiam ad Graecos veniſſe. Atque hinc quo pacto & ad Romanos ebraeae leges penetrare potuerint, haud obſcurum erit. A Graecis enim eos leges accepiſſe, vt alios taceam, diſerte teſtatur LIVIVS: *cum de legibus conueniret, de latore tantum diſcreparet, miſſi legati Athenas, Sp. Poſthumius Albus, A. Manlius, P. Sulpitius Camerinus, iuſſique inclytas leges Solonis deſcribere; hiſtor. lib. III. cap. XXXIV.* conf. AVR. VICTOR, de *viris illuſtrib. cap. XXI.* AVGVSTINVS, de *ciuit. Dei, lib. II. cap. XVI.* add. IO. VINCENTIVS GRAVINA, in *ſpecimine priſci iuris, p. 29. opuſculorum,* Romae anno M DC XCIX editorum. Ceterum, non diffiteor, caute admodum hac in re verſandum eſſe. Ex qualicumque enim conuenientia, quae inter Graecorum ac Ebraeorum leges intercedit, non ſtatim inferendum, ab his illos leges iſtas accepiſſe. Praeterquam enim, quod caſu interdum contingere queat, vt legislatores in ſanctionibus ſuis conueniant; cum leges Ebraeorum naturali aequitati ſint conuenientiſſimae; ſi aliarum gentium legislatores eamdem, duce ratione, ſequuti ſint, fieri aliter non potuit, quam vt Ebraeorum aliarumque gentium leges conſentirent in multis, & amice inter ſe conſpirarent. Vnde non ſine examine, omnia, quae ab auctoribus antea laudatis de graecarum, hinc & romanarum, ebraearumque legum conuenientia dicuntur, dimittenda eſſe, ſua ſponte patet.

§. XXXV.

De litterarum ſtudiis in gente ebraea vix certi quid adſerere licet. In deſerto, inque diuturna iſta & moleſtiſſima peregrinatione iis locum haud ſatis commodum fuiſſe, facile coniicere licet. Nec tamen dubium, fuiſſe inter eos viros ſapientia & ingenio, variarumque artium notitia florentes. Eos etiam, quibus pietas curae cordique erat, liberos ſuos ad omnem honeſtatem ac ſapientiam erudiuiſſe, dubitare nefas eſt. At ſcholas publicas inter eos iam ea aetate fuiſſe, vix mihi perſuadere poſſum.*

 *Quae

* Quae ſtudiorum ratio in gente ebraea fuerit, cum in Aegypto commoraretur, ſupra diximus, ad *period. I. ſect. III. §. XV.* Atque hinc, quo pacto ſe habuerint, quam diu in peregrinatione iſta moleſtiſſima fuere conſtituti, haud difficulter intelligitur. Fuiſſe, qui varias eruditionis partes, quarum notitiam in Aegypto acceperant, excolerent, & pro temporis, locorumue, in quibus verſabantur, conditione, aliis traderent, & ita eas propagarent, non inficias iuerim: modo rurſus & hoc mihi concedatur, nihil certi hac de re conſtare. Diuinarum vero rerum cognitione, quae ad ſalutem conſequendam neceſſaria eſt, animum imbuendi, nulla vtique iis deerat occaſio. Moſes ipſe non tantum per quadraginta annos doctoris munus ſuſtinuit, diuinam illis pateſaciens voluntatem, ſed ſingulis quoque patribus familias ſerio iniunxit, vt, quae illis praeceperat, filiis ſuis diligenter inculcarent, *Deut. VI. 7.* Per *filios* hic equidem *diſcipulos* intelligit R. SALOM. IARCHI, ac ſi non de parentum, ſed de praeceptorum officio ſermo eſſet, ſine omni neceſſitate a propria ac genuina verborum ſignificatione diſcedens. Non tantum autem patribus familias haec cura liberos erudiendi incumbebat, ſed, cum vix ſperandum eſſet, omnes aeque diligentes hac in re futuros, & ne ſic quidem populi ignorantia diſpelli poſſet, ſacerdotibus inſuper ac Leuitis, vt ſupra obſeruatum eſt, idem demandatum. Conf. *Deut. XXXIII. 10.* Nec dubium, quin iſto officio, prout occaſio tulerit, ſubinde functi ſint. Scholas autem publicas, eo modo conſtitutas, quales hodiernae ſunt, iam tum fuiſſe, inde, mea opinione, colligere non licet. Add. IAC. ALTINGII oratio, *hiſtoriam academiarum ebraearum* exhibens, quae prima eſt, in *heptade orationum*, *diſſertationibus* eius *academicis* addita, *p. 280.*

§. XXXVI.

Nec defuerunt, qui ea aetate veritati doctrinae caeleſtis ſe opponerent, eamque obſcurarent erroribus ſuis atque praeſtigiis. De Aegyptiorum magis hoc certum eſt, quos inter Iannes & Iambres commemorantur.* De Bileamo diſputari ſolet. Id conſtat, quod veri quidem Dei cognitione imbutus; diuinis tamen neutiquam obtemperans monitis, peſſimis artibus ad ſcortationem ac idololatriam gentem israëliticam pelliciendo, eam perdere voluerit, meritoque inde obtinuit, vt in omne aeuum exſecrabile eius nomen eſſet.** Idololatriam praeterea atque ſuperſtitionem paſſim hac aetate magna incrementa ſumſiſſe, non eſt, quod dubitemus, ad quam & ipſi Ebraei aegyptiorum rituum memores, ſe pronos, vituli aurei cultu demonſtrarunt.*** Iidem aliarum quoque gentium hoc ipſo tempore ſe contaminarunt idololatria, & Molochi,* & Baalis Peor** cultum recipi-

recipientes. Quorum ille cum apud Ammonitas, hic apud Moabitas in veneratione fuerit, & haſce gentes foediſſima iam tum ſuperſtitione infectas fuiſſe, inde diſcimus. Diuinationes, ſimileſque artes magicas ac idololatricas itidem in vſu apud varias gentes fuiſſe, leges Moſaicae contra illas latae nos ignorare non ſinunt: *** quod & de oraculis quibusdam gentilium cenſendum.*

* Vt antiquiſſimis temporibus ſapientiae ſtudia in Aegypto floruerunt; ita iam Moſis aetate, immo ante eam hi ipſi Aegyptiorum ſapientes inter ſuperſtitionis ac impietatis promotores praecipuum occuparunt locum. Sine illis ſi fuiſſet Pharao, forte promtius ac lubentius diuinae voluntati morem geſſiſſet, ſaltem facilius miraculis Moſis conuinci potuiſſet. Iſtorum hominum diuerſos fuiſſe ordines, ex *Exod. VII. 11.* diſcimus, vbi memorantur חכמים מכשפים & חרטומים; quorum vltimi & primi etiam *Geneſ. XLI. 8.* occurrunt. Per חכמים *ſapientes*, nonnulli viros eruditos inter Aegyptiorum ſacerdotes intelligunt, qui magicarum ſimul artium fuerint periti. Vocem מכשפים diuerſimode reddunt. LXX interpretes *Φαρμακοὺς* vertunt, plerique praeſtigiatores interpretantur, alii diuinos, ſeu qui diuinationi operam dederint. Certum eſt, & eos ſuperſtitioſas artes, quaecumque demum fuerint, coluiſſe, & a quibus Pharao ſibi aliquid ſubſidii pollicitus ſit. De voce חרטומים eiusque origine, magna inter eruditos eſt contentio. Alii ex aegyptiaca, alii ex arabica, alii ex perſica lingua eam repetunt. Refert varias hac de re ſententias, & fuſe in eas inquirit SAMVEL BOCHARTVS, *hierozoic. part. II. lib. IV. cap. XVIII.* ipſeque apud Arabes vocis iſtius originem ſibi inueniſſe viſus eſt. IOAN. CLERICVS vocem hanc a radicibus chaldaicis & ſyriacis חור *vidit*, & טום *claudere* deriuandam cenſet, eo quod clauſa & ignota aliis hominibus videre ſeu ſcire exiſtimabantur magi, ſeu harioli; ad *Geneſ. XLI. 8.* AVGVSTO PFEIFFERO contra placet ſententia illorum, qui a verbo ſyriaco ܚܪܛ *incidit, inſculpſit,* vocis huius originem arceſſunt, cum characteribus ad magiam exercendam vti eiusmodi hominibus ſollemne ſit; *dub. vex. cent. I. loc. LXXXVIII. p. 222.* vbi & aliorum ſententias adfert. Nobis perinde eſſe poteſt, quaecumque demum vocis origo ſit; cum ex locis ſcripturae ſacrae, in quibus occurrit, certum ſit, ea *magos*, ſeu *incantatores*, ſignificari. Vid. *Dan. I. 20. II. 2.* Sapientum apud Aegyptios varios ordines fuiſſe, conſtat ex CLEMENTE Alexandrino *ſtrom. lib. VI. p. p. 633.* Ad quemnam ex iſtis חרטומים referendi ſint, non liquet; niſi NVMENIO forte adhibere fidem velis, qui Iannem & Iambrem ex ordine *τῶν ἱερογραμματέων* fuiſſe perhibet; apud EVSEBIVM *praeparat. euangel. lib. IX. cap. VIII.*

VIII. Namque de Ianne & Iambre potiſſimum intelligendum, quod Moſes de חרטומים dicit. Nobis id ex hiſce condiſcere licet, viros ſapientes & ſacerdotes in Aegypto, qui veritatis cuſtodes & conſeruatores eſſe debebant, maximos eius fuiſſe corruptores, eosque, qui veri Dei cognitionem vel maxime inculcare ac propagare debebant, eamdem ſummo ſtudio oppresſisſe, aliosque ab ea abduxiſſe. Quod illorum exemplum & alii magno numero ad hodiernum vsque diem imitati ſunt. Duos ex illis, qui haud dubie praecipui fuerunt, Iannem & Iambrem dictos, nobis non conſtaret, niſi ipſe Paulus apoſtolus hoc nos condocuiſſet, *II. Tim. III. 8.* Eorumdemque & apud Iudaeos pariter & ethnicos mentio iniicitur. Namque & paraphraſtae chaldaei, JONATHAN & Hieroſolymitanus, eorum ad *h. l.* meminerunt, & talmudici ſcriptores in tractatu *menachoth*, *cap. IX.* ex ethnicis autem PLINIVS, *hiſtor. natur. lib. XXX. cap. I.* cumprimis NVMENIVS, Pythagoraeus, cuius illuſtre hac de re teſtimonium exſtat apud EVSEBIVM, *praep. euangel. lib. IX. cap. VIII.* quod iam ſupra ad *§. V. huius ſectionis* recitauimus, vbi & PLINII verba iam produximus. Conſ. & HENR. HAMMONDVS, ad *II. Tim. III. 8.* & SAM. BOCHARTVS, *hierozoic. part. I. lib. II. cap. LIII.* Quaeri ſolet, vnde iſti auctores, ipſeque Paulus huius rei notitiam habuerint, eo quod Moſes nomina iſta magorum non prodiderit? IOAN. DRVSIVS in eam ingreditur ſententiam, ex libro quodam veteris eccleſiae apocrypho, cuius titulus *Iannes & Iambres*, & cuius meminerit ORIGENES, *tract. XXXV. in Matth.* haec deſumta eſſe, indeque tum ad Iudaeos, tum ad ethnicos iſtorum magorum nomina promanaſſe, immo ad ipſum Paulum, in *Henoch. cap. XIX.* Mihi vero longe probabilior illorum videtur ſententia, qui in commentariis publicis Aegyptiorum, quos *libros ſacros* vocabant, & quorum DIODORVS Siculus meminit, *lib. I. p. 64.* ea, quae Moſis tempore geſta ſint, adeoque & haecce magorum nomina conſignata fuiſſe, exiſtimant. Inde enim facile fama huius rei cum ipſis magorum nominibus, ad Iudaeos pariter ac ethnicos peruenire potuit. Ad Paulum vero apoſtolum quod attinet, illis haud inuitus ſubſcribo, qui ex diuina reuelatione iſtud ei innotuiſſe, contendunt; quod recte quoque obſeruat LEO ALLATIVS, *diſſert. de engaſtrimytho, cap. XX.* In NICODEMI pſeudo-euangelio, vt hoc ὡς ἐν παρόδῳ notemus, vocantur *Iannes* & *Mambres*; ſed & *II. Tim. III. 8.* quidam codices iam olim habuere Μαμβρῆς, vt vel ex veteri latino interprete patet; quemadmodum & in tractatu talmudico antea adlegato pro Iambres, eſt Mambres. Sed Iambres verum nomen eſſe, vel inde patet, quod ita NVMENIO vocetur apud ORIGENEM, *lib. IV. contra Celſum, p. 199.* & apud EVSEBIVM, *loc. cit.* vt recte obſeruat vir doctiſſimus, IOANNES ALBERTVS FABRICIVS, in *codice apocrypho N. T.* ad *euangelium Nicodemi, p. 250.* De portentis, quae magi iſti aegyptiaci ediderunt, fuerintne vera miracula, an ſaltem

tem praeſtigiae, ſupra iam diſputauimus ad *ſſ. V. huius ſectionis.* Ceterum cum *Exod. XIV. 2.* vox *Baalzephon* occurrat; nonnulli quidem ex Ebraeorum magiſtris, idolum aliquod *ἀποτροπαῖον* intelligunt, a magis aegyptiis arte Teleſmica, ad ſiderum poſitum fabricatum, & iuxta ſinum Arabicum collocatum, quod vi magica viatores, praeſertim Iſraëlitas, faſcinaret, retineret, & perplexos redderet. Vid. ABEN ESRA, ad *h. l.* & IO. HENR. HOTTINGERVS, *ſmegm. orient. p. 429.* Sed quid de eiusmodi imaginibus cenſendum ſit, patet ex iis, quae ſupra de teraphim diſputauimus. Rectius itaque ſentiunt, qui, Baalzephon nomen oppidi eſſe, exiſtmant. Vid. IOAN. SELDENVS, de *diis ſyris ſyntagm. I. cap. III.*

** Bileamus hicce vocatur filius Beor, *Num. XXII. 5.* quod Petrus per mutationem litterarum, apud Graecos haud adeo inuſitatam, effert *Boſor; II. ep. II. 15.* fuitque ex Pethora, Syriae vrbe *Num. XXII. 5. & XXIII. 4.* Ea ſcilicet Syria intelligitur, quae inter Euphratem & Tigrim ſita, Meſopotamiae nomine venit. Vixerat in eo tractu apud Labanem ſocerum Iacobus, filiosque omnes ibi, excepto Beniamine, genuerat; vnde fieri potuit, vt ad veri Dei cultum nonnulli traducerentur, ex quorum poſteris & Bileamus forte fuit, veri Numinis cognitione imbutus. Falluntur, qui ex voce פתורה *Num. XXII. 5.* colligunt, Bileamum ſomniorum interpretem & aenigmatum exploratorem fuiſſe, quia פתר eſt *interpretari;* quibus exemplum praeiuit interpres vulgatus, hanc vocem per *ariolum* reddens; conſtat enim, hocce nomen eſſe proprium vrbis in Meſopotamia. Conf. *Deut. XXIII. 4.* HIERONYMVS, & cum eo alii quidam, eum ex veteri Ebraeorum traditione eumdem eſſe putant ac Elihu, vnum ex amicis Iobi; ſed futilem illam traditionem eſſe, omnique fundamento deſtitutam, oſtendit FRIDERICVS SPANHEMIVS, in *hiſtoria Iobi, cap. XV. ſſ. XVIII. XIX.* Quo loco vero habendus ſit Bileamus, quaeritur. Nonnulli, tum veterum, tum recentiorum, eum pſeudo-prophetam, magum, ariolum fuiſſe, exiſtimant, qui praeſtigiis ſuis homines faſcinauerit, daemonisque mali opera admiranda perpetrare, aut res abditas ac occultas inueſtigare, hinc & praedicere futura, in animum induxerit, magnamque hinc apud homines credulos conſequutus ſit auctoritatem. Ita AMBROSIVS, *lib. VI. Epiſt. XXXVII.* GREGORIVS Nyſſenus, *de vita Moſis*, CYRILLVS, *lib. VI. de orat.* AVGVSTINVS, *quaeſt. XLVIII. in Num.* THEODORETVS, *quaeſt. XL. ſeqq.* aliique, quibus plurimi tum ex noſtratibus, tum ex romanenſibus, & reformatae eccleſiae doctoribus ſuffragantur, laudati GEORGIO MOEBIO, in *hiſtoria prophetae Bileami, diſp. II. ſſ. XXXIII. p. 33. ſeqq.* add. & ISAACVS VOSSIVS, *de Sibyllis cap. VII.* itemque HERM. WITSIVS, *miſcellan. ſacror. part. I. lib. I. cap. XVI. §. XXXIII. ſeqq.* Alii contra, eum verum Dei prophetam fuiſſe, virumque prorſus inſignem, non dubitant; vt TERTVLLIANVS, *lib. IV. adu.*

adu. Marcionitas cap. XLV. HIERONYMVS, *in quaeſtionib. ebr. ad Num. XXII.* FL. IOSEPHVS, *lib. IV. antiquit. iudaic. cap. VI.* & ex recentioribus plurimi, eidem GEORGIO MOEBIO laudati *l. c. p. 34. ſeqq.* quibus & ipſe accedit. Ex ebraeis doctoribus nonnulli eo vsque progreſſi ſunt, vt eum ipſi Moſi aequiparare non dubitauerint. Cum enim *Deuteron. XXXIV. 10.* dicitur: *Non ſurrexit propheta amplius* IN ISRAEL, *ſicut Moſes: non in Iſraël*, inquiunt, *ſed in populis mundi ſurrexit. Et quis ille? Bileam.*

Mihi rem omnium optime expedire videntur, qui Bileamum equidem virum improbum & nequam, ſaltem eo tempore, quo in gratiam Balaki auaritia excaecatus, nihil non egit, vt gentem iſraëliticam perderet, fuiſſe, concedunt, at idololatram, magum, ariolum fuiſſe, abnuunt. Nec a vero me aberrare exiſtimo, ſi dixerim, Bileamum, priusquam a Balako euocaretur, ad maledicendum Iſraëlitis, fuiſſe hominem probum, verique Dei cultorem ſincerum, cui ideo Deus ſe patefacere ſingulari ratione conſueuerit: at per dona a Balako oblata ita captum, vt a priſtina pietate deflecteret, & inſigne ac in omne aeuum memorandum horrendae *ἀποστασίας* exemplum praeberet. Haud difficulter illud demonſtrabimus, ſi paucis perluſtremus, quae de eo a Moſe memoriae prodita legimus. Inſignem viri famam ac exiſtimationem fuiſſe, oportet, cum ea permotus Balakus Moabitarum ac Midianitarum ſenes ad eum miſerit, magna mercede oblata, ſi Iſraëlitis malediceret. In ea itaque Balakus fuit opinione, virum hunc Deo longe eſſe gratiſſimum, qui precibus ſuis, quidquid vellet, ab eo impetrare poſſet. Quam opinionem licet forte magus ac ariolus praeſtigiis ſuis ſibi comparare potuerit; non minus tamen in veri Dei cultorem, eumque pietate inſignem, quadrat. Cum legati regis mandata ei expoſuiſſent: *pernoctate*, inquit, *hic hac nocte, & vobis referam verbum, quod Iehouah mihi dixerit.* Non daemonem, non idolum, ſed verum Deum ſe conſulturum, profitetur: nec mentitur; cum reuera Iehouah, quid fieri vellet, illi reuelauerit. Veri itaque Dei cultorem, non magum, non ariolum hic agnoſcas. Vt anxie inquiramus, vnde nomen Iehouah illi innotuerit, neceſſe non eſt. Cum enim ſupra ad *§. III. huius ſectionis*, euictum ſit, id patriarchis ante Moſen ignotum non fuiſſe; haud difficulter intelligitur, eius notitiam ad alios quoque homines pios, & adeo ad ipſum Bileamum peruenire potuiſſe. Bileamus, cum a Deo admonitus eſſet, ſibi cum legatis iſtis neutiquam eundum eſſe, nec fas eſſe, populo illi imprecari mala, cui Deus ipſe benedixiſſet; diuino mandato ſtatim obtemperat, legatosque dimiſit. *Redite*, inquit, *in patriam veſtram, nam Iehouah mihi, vt eam vobiscum, permittere recuſat.* Nec dubium, quin munera, quae ſecum attulerant, recuſauerit. Ea vocantur קסמים *incantamenta;* HIERONYMVS vertit: *diuinationis pretium:* mune-

munera ſcilicet intelliguntur, quibus gratiam referre ei volebant, ſi mala Iſraëlitis imprecatus eſſet, ſimulque eum permouere, vt eo lubentius votis regis adſurgeret. Si ita porro ſe geſſiſſet Bileamus, optime rebus ſuis conſuluiſſet. Sed, qui primum regis impetum repulerat, alterum non aeque ſuſtinere potuit. Iterum enim ad eum Balakus legatos miſit, plures honoratioresque prioribus, ampliora etiam praemia offerens. Quae cum videret Bileamus, initio quidem recte & cordate reſpondit: *etſi mihi dederit Balakus plenam domum ſuam argento & auro, non ſuſtinuero, praeter imperium Iebouae Dei mei, paruum aut magnum quidquam agere.* Nihil profecto dicit, quod non hominum probum verumque veri Dei cultorem deceat. Quia autem ſimul legatos manere iuſſit, vt cognoſceret, quid Deus porro ſecum loquuturus ſit; documentum inde capere licet, eum iam tum, forte munerum aut pollicitationum ſplendore ac magnitudine captum, vacillare coepiſſe. Rectius vtique feciſſet, ſi mandato diuino, de quo dubitare non poterat, adcurate inhaerendo, iſtis hominibus non amplius praebuiſſet aurem. Interim a Deo hocce reſponſum tulit: *quandoquidem te accerſitum venerunt viri illi, ſurge, ito cum illis, verumtamen, quod tibi dixero, facito.* Quae verba aliquid difficultatis habent. Reuera enim Deum noluiſſe, vt ad Balakum iret, conſtat. Abſit vero, vt hinc, aut mutabilem Deum eſſe, aut aliud velle, aliud prae ſe ferre, concludamus. Talia vel cogitare, nefas. Recte, ni fallor, iam ex veteribus THEODORETVS atque AVGVSTINVS obſeruarunt, permisſionem ſaltem his verbis innui, ſine adprobatione, vt ſenſus ſit: quandoquidem reſponſo iam tibi dato non vis adquieſcere, vadas per me licet; ſed tuo periculo. Nec enim Dei erat, vi quadam retrahere hominem, aut coërcere, voluntatem eius iam ſatis edoctum. Conf. GEORGIVS MOEBIVS, *l. c. diſſert. III. §. XIX. ſeqq. p. 57. ſeqq.* Quae Bileamo in itinere conſtituto contigerint, & quo pacto exceptus ſit a Balako, nota ſunt ex *Num. XXII. 21.* vsque *ad finem.* De aſina, voce humana loquente, iam ſupra diximus, ad *§. XXVII. huius ſectionis.* Deus equidem, cum Bileamus, ſe peccaſſe, agnoſceret, ac domum reuerti vellet, iterum dixit: *ito cum viris, verumtamen, quod tibi dicam, proferto.* Verum nec illud aliter, quam de permisſione, intelligi poteſt. Interim ſapienter Deus haec ita diſpoſuit, vt vel iumenti voce commonefactus Bileamus intelligeret, quantopere Deo Balaki petitum diſpliceret; liberam tamen illi eo eundi poteſtatem fecit, tum quod homines ad meliora amplectenda, ſi ſua ſponte ſequi detrectent, cogere nolit, tum, quod videret, Balakum & Moabitas hac ratione intellecturos, neminem inter mortales eſſe, qui populo iſraëlitico, quem Deus protegebat, nocere poſſet. Ad Balakum ergo cum Bileamus veniſſet, poſtero die Baalis excelſa cum rege adſcendere iuſſus eſt, extrema Ebraeorum caſtra inde proſpe-

ſturus. Montium Moabiticorum iuga intelliguntur, in quibus Baali, haud dubie Phehorio, de quo deinceps, ſacra fiebant. Bileamus tamen non eo animo iſthuc adſcendit, vt Baalem coleret: cum potius vero Deo ibidem eum ſacra feciſſe, ſtatim ſubiiciatur. Nec aliud quid ex eo colligas, quod ſeptem aedificari ibi altaria, ſeptemque iuuencos, ac totidem arietes ſibi adferri voluit. Namque ſeptenarium numerum ſibi quodammodo ſacrum eſſe, Deus ipſe ſubinde teſtatus eſt. Eumdemque in ſacrificiis, quae ab amicis Iobi Deus ſibi offerri voluit, obſeruare licet, *Iob. XLII. 8.* Vnde fere colligas, ſollemne fuiſſe viris ſanctis ante Moſis aetatem, hunc numerum in ſacrificiis obſeruare. Videturque in eo aperta quaedam veri Dei confeſſio contineri, qui intra ſeptiduum omnia fecit. Conf. *I. Chron. XV. 26. II. Chron. XXIX. 21.* Dum victimae adolebantur, ſeorſim ſeceſſit Bileamus, vt Dei ſibi forte occurſuri voluntatem cognoſceret. Non ſemel hoc Bileamo iam antea eueniſſe oportet, qui ea de re ceu non inuſitata loquitur. Quod vt ſummam viri familiaritatem cum Deo, ſi ita loqui fas eſt, arguit; ita nec idololatram nec improbum Bileamum fuiſſe, cui tam inuſitati fauoris documenta Deus dederit, firmiter inde colligitur. Et licet iam auaritia excaecatus magis magisque in propriam perniciem rueret; Deus tamen iſtam gratiam ſtatim illi ſubtrahere noluit, partim vt vel hac ratione ruentem retineret ac reuocaret, partim vt Balaki votum, imprecari mala Bileamum Iſraëlitis volentis, irritum redderet. Dicitur de Bileamo: וילך שפי quod vulgatus transfert: *abiit velociter;* quemadmodum & D. LVTHERVS noſter. Alii vertunt *in vallem*, ſeu locum depresſiorem. Quidquid huius ſit, ſeceſſum quaeſiuit Bileamus, vt commode adloquio diuino frui poſſet. Ad Balakum reuerſus adcurate ea, quae Deus iuſſerat, proloquutus eſt, & non mala, ſed bona quaeuis atque fauſta populo ebraeo precatus eſt.

Animo iam deſciſcere a Deo inceperat Bileamus per auaritiam; nec tamen ſtatim eo vsque improbitatis progredi auſus eſt, vt contra expreſſum Numinis mandatum ageret. Si magus, ſi ariolus, ſi idololatra fuiſſet, non dubitaſſet ea proloqui, quae e re ſua eſſe, aut quibus Balako ſe placere poſſe, credidiſſet. Balakus ſuperſtitione & cupiditate nocendi Iſraëlitis lymphatus, in alium locum Bileamum deduxit, an is forte aptior eſſet ad mala quaeuis Iſraëlitis imprecanda. Sequitur Bileamus, ſacrisque vt antea inſtructis, ſeceſſit, vt ſolus mandata Domini exciperet. Ceſſare demum ab iſto inſtituto Bileamus debuiſſet; ſed animum voluntati Balaki morem gerere cupientem nouo documento prodidit, maximis hoc ipſo peccatis ſe obſtringens. Quidquid autem ageret, non alia ei proferre Deus permiſit, quam quae fauſta & ſalutaria eſſent Ebraeis. Agnouitque ipſe Bileamus, diuinis decretis reluctari nefas eſſe, etſi iſta decreta libenter mutata vellet. Longe pul-

pulcherrimum itaque veraciati & conſtantiae diuinae teſtimonium perhibuit, quando *Deus vir non eſt*, inquit, *vt mentiatur, neque filius hominis, vt eum poeniteat. An dixerit, nec tamen faciet? an loquutus fuerit, nec tamen id praeſtabit? Num. XXIII. 19.* Laudat quoque ex eo israëliticae gentis felicitatem, quod nec *augurium*, nec *diuinatio*, ſuperſtitioſa ſcilicet & idololatrica, in ea eſſet: quod haud dubie non feciſſet, ſi hiſce artibus ipſemet addictus fuiſſet. Quantumuis autem ingratus Balako eſſet hicce Bileami ſermo, vt ſuam etiam indignationem proderet, diceretque, ſi diris deuouere Israëlis gentem nollet, ne ſaltem bene ei adprecaretur; ſpem tamen obtinendi, quod cupiebat, nondum abiecit. In alium itaque iterum conceſſerunt locum, ſacraque, vt antea, ibi fecerunt. Tum Bileamus tandem intelligens, ſuperuacaneum eſſe, denuo Numinis voluntatem, vt antea, hac ſuper re exquirere, quam ſatis edoctus erat, non ſeceſſit ſeorſim, vt antea, ſed ſtatim ad ea, quae a Deo proloqui iuſſus erat, iterum confirmanda, ſe conuertit. Dicitur: *non iuit, vt modo* (fecerat) לקראת נחשים *in occurſum diuinationum*, quod nonnulli ita capiunt, ac ſi, quoties Bileamus ſeceſſerat, non Dominum, ſed daemonem malum conſuluiſſet, adhibitis hunc in finem ritibus magicis ac ſuperſtitioſis. Proinde hic vocem נחשים in malam partem capiunt, ac ſi Bileamus artibus illis amplius vti noluerit, quod videret, nihil iis ſe proficere. Verum haec locum non inuenient, ſi cogitemus, quod diſerte Moſes dixerit, non tantum Bileamum in occurſum Domini proceſſiſſe, ſed Dominum illi occurriſſe, & *verba*, quae proloqui debebat, *in ore eius poſuiſſe, Num. XXIII. 16.* Nihil itaque aliud ſupereſt, quam vt vocem נחשים in bonam accipiamus partem; qemadmodum & verbum נחש interdum accipitur, vt ſenſus ſit: eum non, vt antea, ſeceſſiſſe, vt Dominum, quid fieri vellet, rogaret. Conf. IACOBVS BONFRERIVS, ad *h. l.* Eoque minus nobis hac de re dubitare licet, quod ſtatim additur: *eumque inuaſit ſpiritus Dei*, hoc eſt, ſpiritu prophetico repletus fuit, ab eoque ad vaticinia prorſus egregia edenda concitatus. Eo nimirum hoc contingebat modo, quo & alii prophetae a ſpiritu diuino ad futura praedicenda, ſeu ea, quae Deus illis immediate reuelabat, proloquenda impellebantur, qui mentis ſimul & rationis vſum retinebant, nec inuiti & coacti, ſed ſua ſponte & impulſui ſpiritus ſancti morem gerentes, illud faciebant. Illis enim, qui, Bileamum haec omnia inuitum, ac contra animi ſententiam pronuntiaſſe, vt Deus non multo aliter organa eius, ac aſinae, mouerit, ſuffragari prorſus nequeo; etſi me non lateat, verſari in hacce opinione PHILONEM atque FLAV. IOSEPHVM, illum *lib. I. de vita Moſis, p. 645.* hunc *antiquit. iudaic. lib. IV. cap. VI.* Atque vt vel hinc colligitur, Bileamum neutiquam magum aut idololatram fuiſſe; ita contrarium ex iis, quae de ſe ipſo

praedicat, probari nequit; immo idem potius inde confirmatur. Vocat ſe ipſum virum שתום עין, quod nonnulli vertunt, *cuius apertus eſt oculus.* Exemplum his praeiuere LXX interpretes: *Φησὶν ὁ ἄνθρωπος ἀληθινὸς ὁρῶν, dicit homo verax videns.* At rectius vulgatus interpres habet: *cuius obturatus eſt oculus*, cum שתם idem ſit ac סתם *occludere, obſtruere.* Atque ita, vt reliquos taceam, ex Ebraeis hoc explicant R. ABEN ESRA, & R. SAL. IARCHI. Nimirum recte ſe oculis clauſum vocat, eo quod angelum Domini non vidiſſet, quem aſina eius viderat; quamquam alii aliter haec verba capiant, vt apud IAC. BONFRERIVM ad *h. l.* videre licet. Vocat ſe porro *auditorem ſermonum Dei, qui viſiones omnipotentis videt, qui cadens apertos habet oculos*, alludendo ſcilicet ad ea, quae in itinere ſibi contigerant, vel, vt alii volunt: *qui in ſomnum prolabitur, & tamen oculos mentis apertos habet.* In quibus cum nihil, quod a veritate alienum ſit, occurrat, & ex impulſu inſuper ſpiritus ſancti iſta loquutus ſit, veri potius Dei prophetae, quam magi aut idololatrae, character in iis perſpicitur. Atque id magis adhuc ex luculentiſſimo illo, quod deinceps de ſtella ex Iacob oritura edidit, vaticinio, patet, quod eiusmodi eſt, vt non temere praeſtantius ab vllo propheta ſit profectum; de cuius etiam ſenſu iam ſupra ad *§. XXXI. huius ſectionis* dictum. Nec praetermittendum, quod Petrus apoſtolus, vbi eius mentionem fecit, auaritiam quidem eius, ac improbitatem reprehendit, quo nomine & in aliis noui teſtamenti locis male audit, at magum aut idololatram fuiſſe, non arguit, nec *pſeudo-prophetam* ſed ſimpliciter *prophetam* vocat; *II. ep. II. 15.* His & alia nonnulli addunt, quibus non immorabimur. Nec, quod noſtrae opponi ſententiae, praeter ea, ad quae iam reſponſum, queat, videmus, niſi quis vrgere velit, quod *Ioſ. XIII. 22.* קסם *ariolus* adpellitetur, quodue קסם ſemper in malam accipiatur partem. Enim vero, cum Bileamus, poſtquam ſemel a recto tramite deflectere coeperat, tam illuſtribus diuini fauoris documentis aut retineri in officio, aut reuocari ad meliorem mentem non poſſet, quin maximum tandem ſcelus admitteret; mirum non eſt, eo nomine illum inſigniri, quo veniebant, qui Deo maxime inuiſi erant. Nimirum hoc adhuc obſeruare iuuat, vt, quae noſtra mens ſit, eo rectius intelligatur. Cum hactenus veri non minus Dei cultor, quam vir pius ſanctusque exſtitiſſet, dignusque adeo a Deo habitus fuiſſet, cui ſingulari ratione ſe patefaceret; Balaki donis excaecatus, primum vacillare, mox vehementer ea concupiſcere coepit, quae Deo diſplicere, ignorare non poterat. Hinc inuito non tantum Numine, etſi permittente, iter ad Balakum ſuſcepit, ſed & nihil non egit, vt Balako gratificaretur; valdeque veroſimile, quoties cum Deo loquutus eſt, eum precibus ſuis gentis iſraëliticae maledictionem impetrare voluiſſe. Quo ipſo vt magis magisque

que a vero virtutis & pietatis tramite diſcedebat; ita Deus ſuam gratiam non ſtatim ei ſubtraxit, ſed ea, vt antea conſueuerat, ſe reuelare non deſiit, an vel hac ratione in rectam eum reuocare viam poſſet. At Bileamus, cum iſta ſperneret, & haud dubie aegerrime ferret, ſe hac ratione donis ampliſſimis, a Balako promiſſis, potiri non poſſe, tandem ad maximum turpiſſimumque flagitium progreſſus eſt, conſiliumque ſeducendi per ſcortationem ad idololatriam Iſraëlitas, Balako dedit. Hoc tam exſecrabili facinore *apoſtata* factus eſt turpiſſimus, diuinamque merito expertus eſt vindictam. Nec illis multum refragatus fuero, qui, eum *peccatum in ſpiritum ſanctum* commiſiſſe ſtatuunt, certe eiusmodi hoc fuit, quod commiſit, vt peccato in ſpiritum ſanctum aequiparari queat. Ita ſi de Bileamo ſtatuamus, rationem non tantum videbimus, cur nomen eius ceu exſecrabile paſſim commemoretur, & ille tamquam apoſtata atque ſeductor repraeſentetur, *II. Petr. II.15. Apoc. II. 14.* ſed cuncta ita etiam ſibi conſtant, & ad dubia, quae moueri ſolent, promte reſponderi poterit. Conf. PETRVS IVRIEV, *hiſtor. crit. dogmat. & cult. part. I. cap. V. p.32. ſeqq.*

*** Aegyptios iam ante Moſis tempora in turpiſſimam idololatriam prolapſos, praeter alias res creatas etiam animalia iam tum vt Numina coluiſſe, ex inſtituto ſupra euicimus, ad *per. I. ſect. III. §. XXIV.* Eo tempore, quo Ebraei ex illorum terra egrediebantur, eos idola coluiſſe, inde quoque conſtat, quod Pharao veri Dei mandata parum curauerit. Immo luculentius adhuc inde patet, quod Iehouah in Aegyptiorum deos iudicia ſua exercuiſſe dicatur, *Exod. XII. 12.* & *Num. XXXIII. 4.* Et in priori quidem loco dicitur: *& iudicia in omnes Aegypti deos edam.* Vnde haud ſine ratione magnam idolorum multitudinem & varietatem iam tum in Aegypto fuiſſe, colligitur. Probabile autem eſt, ſimulacra deorum aut animalium, quae colebant, (namque & eorum ſimulacra cultu religioſo eos proſequutos ſupra *loc. cit.* probauimus) eo tempore confracta atque disiecta fuiſſe; cuiusmodi quid deinceps Dagoni Philiſtaeorum idolo, contigit, vt praeter alios R. ABEN ESRA ad *h. l.* obſeruat. Iſto quoque idololatriae veneno quosdam Iſraëlitarum adflatos fuiſſe, non eſt, quod dubitemus. Diſerte namque ſcriptura ſacra hoc variis in locis tradit. Sic *Ioſ. XXIV. v. 14.* dicitur, *auferte deos, quibus ſeruierunt patres veſtri in Meſopotamia & Aegypto.* Conf. & *Ezech. XXIII. 2. 3. 21.* Confirmat idem EVSEBIVS, *lib. VII. praeparat. euangel. cap. VIII.* & ex recentioribus in eo totus eſt IOAN. SPENCERVS, de *legibus Ebraeorum ritualib. lib. I. cap. I. ſect. I. p. 30.* At non ita hoc capiendum, ac ſi omnes Iſraëlitae idolorum cultui addicti fuerint, aut veri Numinis cognitio apud eos fuerit oblitterata. Hoc enim ſi eſſet, non tam promte Moſi, veri Numinis mandata illis exponenti,

Digitized by Google

paruiſſent. Nimis itaque hoc exaggerat IO. SPENCERVS, vt cauſſae ſuae inſeruiat, & talia deinceps inde colligit, quae omni fundamento deſtituuntur, vt ſuo loco oſtenditur. Atque haec cum ita ſe habeant; vix dubium ſupereſſe poterit, quin Iſraëlitae vitulum conflando, & pro Numine colendo, Aegyptiorum mores fuerint imitati. Confirmaturque id inde porro, quod inter animalia, quae Numinum inſtar coluerunt, ſpeciatim bos fuerit. Ita enim praeter alios STRABO: τινὰ μὲν γὰρ τῶν ζώων ἅπαντες κοινῇ τιμῶσιν Αἰγύπτιοι, καθάπερ τῶν πεζῶν μὲν τρία, βοῦν, κύνα, αἴλουρον. *Sunt etiam quaedam animalia, quae Aegyptii vniuerſi colunt, vt de terreſtribus, tria, bouem, canem, felem; geograph. lib. XVII. p. m. 1166.* Oſiridi quoque, qui cum Iſide praecipuum inter Aegyptiorum deos locum occupabat, & de quo itidem ſupra *period. I. ſect. III. §. XXIV.* diximus, duo boues ſacri erant, & pro diis habebantur, quorum alter *Apis*, alter *Mneuis* vocabatur, ille Memphi, hic Heliopoli alebatur. Qua de re iterum audire iuuat STRABONEM: οἱ δὲ Μωμεμφῖται τὴν Ἀφροδίτην τιμῶσι, καὶ τρέφεται θήλεια βοῦς ἱερὰ, καθάπερ μὲν ὁ Ἆπις ἐν Μέμφει, ἐν Ἡλίου δὲ πόλει ὁ Μνεῦις· οὗτοι μὲν οὖν θεοὶ νομίζονται. *Momemphitae Venerem colunt, & ſacram vaccam alunt, quemadmodum Apis in Memphi, Heliopoli autem Mneuis nutriuntur; l. c. p. m. 1155.* De Memphi in ſequentibus porro verba faciens haec, quae itidem huc pertinent, addit: ἔχει δὲ ἱερὰ τό τε τοῦ Ἄπιδος, ὅς ἐστιν ὁ αὐτὸς καὶ Ὄσιρις· ὅπου ὁ βοῦς ὁ Ἆπις ἐν σηκῷ τινι τρέφεται, θεὸς ὡς ἔφην νομιζόμενος, διάλευκος τὸ μέτωπον καὶ ἄλλα τινὰ μικρὰ τοῦ σώματος· τὰ δ' ἄλλα μέλας, οἷς σημείοις ἀεὶ κρίνουσι τὸν ἐπιτήδειον εἰς τὴν διαδοχὴν, ἀπογενομένου τοῦ τὴν τιμὴν ἔχοντος. *Ea Apidis templum habet, qui idem eſt, qui Oſiris. Ibi bos Apis in ſepto quodam alitur, & , vt diximus, apud eos pro Deo habetur, albus frontem, & quaſdam paruas corporis partes, cetera vero niger: quibus ſignis indicant, qui ſit ad ſucceſſionem idoneus, alio defuncto; loc. cit. p. m. 1160.* Spectant huc etiam, quae de Api habet HERODOTVS, *lib. III. c. XXVIII.* vbi itidem eius ſigna tradit, quod & AMMIANVS MARCELLINVS facit, *hiſtoriar. lib. XXII. cap. XIV.* Quod autem STRABO dicit, Apin ex Aegyptiorum opinione eumdem eſſe cum Oſiride, id ita intelligendum, quod exiſtimauerint, animam Oſiridis in Apin migraſſe: ὅτι τελευτήσαντος Ὀσίριδος εἰς τοῦτον ἡ ψυχὴ αὐτοῦ μετέστη, vtloquitur DIODORVS Siculus, h. e. *mortui Oſiridis animam in eum migraſſe; lib. I. p. 76.* In eam autem ingreſſi videntur opinionem, quod bouis in agricultura magnus vſus ſit, quam ſummopere excoluit Oſiris. Hinc PLVTARCHVS ex Aegyptiorum mente dicit, ὡς εὔμορφον εἰκόνα χρὴ νομίζειν τῆς Ὀσίριδος ψυχῆς τὸν Ἆπιν, *Apin cenſendum eſſe pulchram imaginem animae Oſiridis;* de *Iſide* & *Oſiride, p. 362.* qui & *p. 364.* docet, Mneuin, qui Heliopoli nutriebatur, itidem Oſiridi ſacrum

crum

crum fuiſſe, & ſecundos honores poſt Apin tenuiſſe. Atque haec cum in Aegypto vidiſſent Iſraëlitae; mirum non eſt, quod itidem ſub bouis aut vituli imagine Deum exhibere in animum induxerint. Accedit, quod nulla probabilior huius rei ratio reddi queat. Sunt quidem, qui putant, Aaronem exiſtimaſſe, placituram Deo bouis imaginem, eo quod boum ſacrificiis maxime delectaretur. At quis hoc ſibi perſuadeat? Ex eo enim, quod bos in victimam offerebatur, colligere potius Aaron debuiſſet, eum pro deo coli non poſſe, cum abſonum ſit, vt idem animal & victima ſit, & deus, cui offerantur victimae. Alii rurſus, ne nihil hac de re dixiſſe videantur, contendunt, Aaronem voluiſſe Deum ſub tam ridiculo ſchemate exhibere, vt hac ratione ab idololatria populum auerteret. Quod illis demum perſuadebunt, qui numquam, quod Moſes hac de re ſcripſit, legerunt: ex cuius quippe narratione, Aaronem ſerio rem egiſſe, abunde conſtat. FRANCISCI MONCAEII, Aaronem hunc bouem finxiſſe ad exemplar cherubi, cui inſidentem Deum viderat, cum ſenioribus adparuit *Exod. XXIV. v. 10.* in *Aarone purgato* ſiue de *vitulo aureo*, *lib. I. cap. III. p. 29. ſeqq.* comminiſcentis, ſomnia nos non morabuntur, cum ea iam dudum exploſa ſint a viris doctis, & ex ſupra dictis etiam pateat, quid de eius ſententia cenſeamus. Sequitur itaque, cum probabilior cauſſa excogitari nequeat, cur vitulum pro Numine Iſraëlitae elegerint, quam quod ad Aegyptiorum hoc fecerint imitationem, hanc reliquis praeferendam eſſe ſententiam, quam & ex veteribus calculo ſuo adprobat LACTANTIVS: *ad profanos*, inquit, *Aegyptiorum ritus animos transtulerunt. Cum enim Moſes dux illorum adſcendiſſet in montem, atque ibi XL diebus moraretur aureum caput bouis, quem vocant Apin, quo eos in ſigno praecederet, figurarunt; inſtitut. diuin. lib. IV. cap. X. p. m. 265.* Eadem eſt ſententia HIERONYMI, ad *Hoſ. cap. IV.* quam & ex recentioribus ſequuntur viri doctiſſimi, HVGO GROTIVS, ad *Matth. V. 45.* ATHANASIVS KIRCHERVS, *oedip. aegypt. tom. I. p. 291.* vbi & oſtendit, in cultu vituli eosdem ritus ab Iſraëlitis adhibitos, quibus Apis apud Aegyptios colebatur, SAMVEL BOCHARTVS, *hieroz. part. I. lib. II. cap. XXXIV. p. 336. ſeqq.* IO. SPENCERVS, de *legib. Ebraeor. ritualib. lib. I. cap. I. ſect. I. p. 34.* PETRVS IVRIEV, *hiſtor. critic. dogm. & cult. part. III. p. 504. ſeqq.* aliique. Id paucis adhuc obſeruare liceat, eſſe nonnullos, qui idololatriae huius originem itidem ex Aegypto arceſſunt, ſed alia, quam nos id fecimus, ratione. Nonnulli namque, Ioſephum, Iacobi filium, ſub bouis ſymbolo ab Aegyptiis cultum exiſtimant, quorum ſententiae veteres quidam fauere videntur, qui cultum, Serapidis vel Sarapidis, quem cum Apide eumdem faciunt, ad Ioſephum referunt, vt IVL. FIRMICVS, de *errore profanar. relig. cap. XIV.* & RVFFINVS, *lib. II. hiſtor. eccleſ. cap. XXIII.* aliique. Sed hos omnes magnopere falli, iam

ſupra

Digitized by Google

ſupra ad *per. I. ſect. III. §. XXIII.* ex inſtituto demonſtrauimus. Addendum, quod Serapidem cum Api turpiter confundant; cum illius cultus longe poſt Ioſephi tempora in Aegyptum inuectus ſit, quippe cuius nec HERODOTVS, qui de Aegyptiorum diis tam multa ſcripſit, meminit. PHILO Iudaeus *μοσχοποιΐας* originem itidem ex Aegypto deriuat, vocatque *αἰγυπτιακοῦ μίμημα τύφου*; de *vita Moſis, lib. III. p. 677.* quod & alibi repetit. Quae eius verba a viris quibusdam doctiſſimis non recte intellecta ſunt, quia *τύφον* pro *mania* & *ſtultitia* ſumſerunt. Aliis itaque recte obſeruatum, per *τύφον* PHILONIS eumdem intelligi, quem PLVTARCHVS in *Iſide* Typhonem vocat, ſimulque PHILONEM magno errore Typho vel Typhoni tribuere, quae Oſiridis erant propria. Pluribus hoc docet SAM. BOCHARTVS, *hierozoic. part. I. lib. II. cap. XXXIV. p. 340.* Ebraeos autem tam ſtolidos non fuiſſe, vt ipſum vitulum pro Deo haberent, ſed ſub hocce ſymbolo verum Deum colere voluiſſe, iam ſupra ad §. *XIX. huius ſectionis* obſeruatum eſt.

* Molochi in variis ſcripturae locis mentio iniicitur, vt *Leuit. XX. 2. I. Reg. XI. 5. II. Reg. XXIII. 10. Ierem. VII. 31.* alibique. Ex quibus locis id aperte conſtat, Ammonitarum hocce fuiſſe idolum, eiusque cultum iam Moſis aetate in vſu fuiſſe, quippe qui Ebraeis ſub capitis poena interdicit, ne liberos ſuos Molocho ſeu Molecho traderent. Vocatur Molech & *Milcom I. Reg. XI. v. 5. 33.* & *II. Reg. XXIII. 13.* Nimirum a verbo מלך *regnauit*, quod inter aſtra caeleſtia ſolem, ceu regem dominumque caeli ſub hocce ſchemate colerent, vt deinceps dicetur. Recte quoque nonnullis obſeruatum, מֶלֶךְ & מֹלֶךְ reuera vnum idemque eſſe, nec aliud intercedere diſcrimen, quam quod Ammonitae & Syri iuxta ſuam dialectum Molech dicerent, quod Ebraei Melech enuntiabant. Sed in ſcriptura ſacra quoque vocem מֶלֶךְ ita adhiberi, vt idolum, alias *Molech* dictum, ſignificet, ex *Zephaniae cap. I. 5.* probant, vbi dicitur: *Extendam manum meam aduerſus eos, qui ſe incuruant ſuper tectis exercitui caelorum, & eos, qui adorant & iurant per Iehouam*, & *iurant* בְּמַלְכָּם *per regem ſuum*, id eſt, per Molechum ſuum. Hoc ideo obſeruare iuuat, vt conſtet, LXX interpretes, & qui eos ſequutus eſt, Lucam. *Actor. VII. 43.* verba ebraea: ונשאתם את סכות מלככם non ſine ratione reddidiſſe; *καὶ ἀνελάβετε τὴν σκηνὴν τοῦ Μολόχ.* Ad cultum Molochi quod attinet, in eo illum conſtitiſſe, recepta fere eſt ſententia, quod filios filiasque ei rite cremauerint. At non combuſtos aut mactatos liberos, ſed duabus pyris extructis, per illarum medium traductos ſolummodo, & ad eum modum velut februatos eſſe, plerorumque ex ebraeae gentis doctoribus eſt ſententia. Praeter R. SAL. IARCHI, DAV. KIMCHI, MOSEN MIKOTZI, aliosque, ita ſentit MOSES MAIMONIDES, *moreh neuochim lib. III. cap. XXXVIII.* Fauet eidem ſententiae

tiae interpres vulgatus, qui *Deut. XVIII. 10.* habet: *non inueniatur in te, qui luſtret filium ſuum, aut filiam ſuam per ignem;* vbi & LXX interpretes voce περικαθαίρων idem innuunt. R. SAL. IARCHI ad *Leuit. XVIII. 21.* auctor eſt, patres ſacerdotibus Molochi infantes ſuos tradidiſſe, qui per ignem eos traduxerint: at ab ipſis patribus hoc factum contendit R. LEVI BEN GERSON, ad *eumdem Leuitici locum.* Longe autem probabilior eſt illorum ſententia, qui omnino infantes concrematos contendunt, quod & praeter alios ex Ebraeis R. ABEN ESRA adſerit, ad *Leuit. l. c.* Immo dubitare nos hac de re vetat Ezechiel diuinus vates, de haecce Iſraëlitarum idololatria ita loquens: *Praeterea ſumens filios tuos, & filias tuas, quas pepereras mihi, hos mactaſti illis conſumendos: an minus (hoc) fornicationibus tuis? Iugulauiſti, inquam, filios meos, & expoſuiſti eos, traducendo eos illi; cap. XVI. v. 20. 21.* Idemque patet ex *Pſalm. CVI. 37.* vbi dicitur: ויזבחו *& mactarunt filios ſuos & filias daemoniis.* Confirmat hoc quoque auctor *libri ſapientiae, cap. XIV. 23.* & *cap. XII. v. 5. & 6.* qui haecce ethnicorum ſacra τεκνοφόνους τελετὰς vocat. Add. IO. SELDENVS, *de diis ſyris, ſyntagm. I. cap. VI. p. m. 168.* vbi & PHILASTRII, PORPHYRII, aliorumque teſtimoniis, apud Phoenices eiuſmodi quid in vſu fuiſſe, comprobat. Obſtare videtur, quod paſſim in ſcriptura ſacra, vt *Leuit. XVIII. 21. II. Reg. XVI. 3. XVII. 17.* dicitur, idololatras hoſce liberos ſuos *transire feciſſe per ignem.* Vnde vt nonnulli ſe expediant, vtrumque, & viuicomburium, & februationem in vſu fuiſſe, contendunt: nimirum in magnis & inuſitatis iisque publicis calamitatibus infantes fuiſſe crematos, ceteroquin ſaltem per ignem ad februationem, ceu luſtrationem, traductos. Ita GERHARDVS IOANNES VOSSIVS exiſtimat, de *theologia gentili, lib. II. cap. V.* quocum facit AVG. PFEIFFERVS, *dub. vexat. centur. IV. loc. LXXX. p. 832.* Verum, ſi verba Ezechielis antea adlata paullo adcuratius conſiderauerimus, patebit, hanc conciliationem vix admitti poſſe. Accedit, quod nullo exemplo doceri queat, eiusmodi februationes aut luſtrationes per ignem apud eas gentes, de quarum idololatria in ſcriptura ſacra ſermo eſt, in vſu fuiſſe. Quae enim HVGO GROTIVS hac de re in medium attulit, ad *Deut. XVIII. 10.* id non euincunt, quod oſtendit PETRVS IVRIEV, in *hiſtor. crit. dogm. & cultuum bon. & mal. part. IV. cap. II. p. 568.* Nimirum, apud Romanos luſtrationes per ignem aut februationes in vſu fuiſſe, vel ex DIONYSIO Halicarnaſſenſi, *antiquitat. Rom. lib. I. p. 75.* conſtat. Sed inde, apud Syros aut Phoenices, aut Ammonitas quoque eas obtinuiſſe, colligere non licet. Placet itaque illorum ſententia, qui opinionem illam eruditorum de infantibus per ignem ad februationem traductis, ex phraſi ebraea העביר בנים באש non recte intellecta, ortam exiſtimant. Eam enim non vertendam eſſe: *transire facere filios per ignem*, ſed *tradere filios ſuos*

ſuos in igne, ſcilicet Molocho. contendunt, idque probat vir clariſſimus, CAMPEGIVS VITRINGA, *obſeruation. ſacrar. lib. II. cap. I. p. 252.* Quae ſi ita ſe habeant; ea ſcripturae loca, quae de luſtratione ſeu ſebruatione liberorum loqui videntur, recte de eorum concrematione intelliguntur: & ſic omne dubium ceſſat.

Vt reliqua perſequamur, de figura idoli iſtius, quod Molech vocabatur, nihil nobis conſtat, niſi quod Ebraeorum doctores tradunt. Fuiſſe illud, aiunt, idolum aeneum, cauum, facie vitulina, brachia manusque hominis expandens, quaſi aliquid accepturum: ſeptem ipſi vel arae eius fuiſſe cellulas, quarum prima aperiretur, oblaturo columbam, altera agnum vel ouem, tertia arietem, quarta vitulum, quinta iuuencum, ſexta bouem, & ſeptima denique filium offerenti proprium, &c. Ita R. SIMEON, in *Ialkut* ad *Ierem. cap. VII.* quem alii tum ex Iudaeis, tum ex chriſtianis ſequuntur. Haec vero aliis non ſine ratione dubia valde atque incerta viſa ſunt. Nec enim conſtat, vnde R. SIMEON iſta habuerit, aut quo fundamento ea narret. Ex Mithrae ſacris, in quibus ſimile quid fuerit in vſu, iſtud SIMEONIS commentum fluxiſſe, arbitratur IO. SELDENVS, de *diis ſyris, ſyntagm. I. cap. VI. p. 170.* Quod, vt itidem minus credibile, ita ad rem ipſam parum facit. Iam ſi quaeratur, quisnam ſub hocce Molochi ſeu Molechi emblemate ex gentilium diis celebrioribus latuerit, ſi modo aliquis latuit, & non potius Numen aliquod a diis reliquis gentilium plane diuerſum hoc nomine veniat; in varias iterum viros doctos abire ſententias videas, aliis pro Marte, aliis pro Mercurio, pro Priapo denique aliis dimicantibus. Praeferenda mihi reliquis videtur ſententia illorum, qui Saturnum Graecorum Latinorumque, Molecho Syrorum ac Ammonitarum reſpondere, contendunt. Vocem *Molech*, ſeu *Melech*, *regnantem*, vel *regem* ſignificare, antea iam obſeruauimus. Saturnum deorum patrem regemque, priusquam a Ioue throno deiiceretur, vocari, ex primis mythologiae elementis notum eſt. Hinc & Saturno, prout inter ſidera caeleſtia locum ſuum occupat, imperium in hocce vniuerſum ſubinde a veteribus tribuitur. Septimum ideo diem C. CORNELIVS TACITVS Saturno apud Iudaeos ſacrum fuiſſe perhibet, *quod e ſeptem ſideribus, queis mortales reguntur, altiſſimo orbe & praecipua potentia ſtella Saturni feratur; hiſtor. lib. V. ab initio.* Sed humanis quoque victimis placare Saturnum ſolebant, aeque ac Molochum. Notius hoc eſt, quam vt multis probari debeat. Hinc ad Saturnum iſtorum ſacrificiorum originem ex SANCHVNIATONE refert PHILO BYBLIVS apud EVSEBIVM, *praeparat euangel. lib. I. cap. X.* qua de re fuſe ſupra diximus, ad *per. I. ſect. III. ſ. V.* Rem paucis effert TERTVLLIANVS: *Cum propriis filiis Saturnus non pepercit, extraneis vtique non parcendo perſeuerabat, quos quidem ipſi parentes ſui offerebant; apologet. cap. IX.* Immo ſa-

ſacra Molochi apud Phoenices, & Saturni apud Charthaginienſes, in plerisque adcurate inter ſe conueniebant. Namque, vt reliqua taceam, non tam adultae aetatis homines, quam impuberes atque infantes vtrique, & Molocho & Saturno, immolare moris erat. De Carthaginienſibus diſerte IVSTINVS, TROGI POMPEII epitomaſtes: *Cum inter cetera mala etiam peſte laborarent, cruenta ſacrorum religione & ſcelere pro remedio vſi ſunt. Quippe homines vt victimas immolabant; & impuberes (quae aetas etiam hoſtium miſericordiam prouocat) aris admouebant, pacem deorum ſanguine eorum expoſcentes, pro quorum vita dii rogari maxime ſolent; hiſtor. lib. XVIII. cap. VI.* Confirmat idem AVGVSTINVS, rationem ſimul iſtorum ſacrificiorum ex mente gentilium adferens: *Ideo a quibusdam pueri Saturno ſoliti ſunt immolari, ſicut a Poenis, & a quibusdam etiam maiores, ſicut a Gallis, quia omnium ſeminum optimum eſt genus humanum; de ciuit. Dei, lib. VIII. cap. XIX.* Plura non addo, cum alii iam ex inſtituto hoc exſequuti ſint.

Ceterum, cum deorum gentilium nomina partim ad caeleſtia ſidera, partim ad homines virtutibus meritisque egregiis conſpicuos, aut gentium quoque vel omnino humani generis conditores referri ſoleant; quodnam ſidus, quiue ex antiquitate heros Molochi ſeu Saturni nomine exhibeatur, quaeri ſolet. Equidem, quod ad prius attinet, ſtatim alicui in mentem venire poterat, hunc ipſum planetam, qui ſupremum inter ſtellas errantes locum occupat, & hoc nomine apud aſtronomos venit, hic quoque intelligendum eſſe. Verum, cum, prima deorum nomina ab aſtronomis, aut hominibus aſtronomiae peritis, profecta eſſe, probabile non ſit; nihil obſtare videtur, quo minus ſol potius, cuius efficacia & prae reliquis ſideribus praeſtantia etiam hominibus maxime plebeiis haud ignota erat, Saturni nomine antiquiſſimis temporibus fuerit deſignatus. Certe, cum ſol primum praecipuumque inter ſidera caeleſtia locum teneat; non alii magis, quam illi, regis nomen conueniebat; hinc & Molochi & Melechi, adeoque & Saturni nomine deſignandus. Conſentit theologia Phoenicum, quippe qui, auctore SANCHVNIATONE, ſolem *μόνον οὐρανοῦ κύριον, vnum caeli moderatorem* eſſe, credebant, eumque propterea *Beelſamen*, id eſt, Phoenicum lingua *caeli dominum* vocabant; apud EVSEBIVM, *praeparat. euangel. lib. I. cap. X. p. 34.* Nec abludit, quod idem SANCHVNIATON porro ex Phoenicum mente tradit, *caelum* ex ſorore, *terra*, quam matrimonio ſibi iunxerat, quatuor liberos, Ilum, qui Saturnus dictus eſt, Betylum, Dagonem, & Atlantem genuiſſe; apud eumdem EVSEBIVM, *loc. cit. p. 36.* Sol namque pro caeli primogenito recte habetur, & vox *Ilus*, reſpondens Ebraeorum אל, eumdem pro deo habitum, indicat, quod & ex loco antea adlato apertius conſtat. Quodſi inter heroas, aut gentium vel humani generis con-

ditores quaeratur, quem forte Saturni imago tegat, non occurret, in quem melius omnia quadrent, quam reſtaurator humani generis Noachus; nonnulla tamen & Abrahamo conueniunt; vnde, vtrumque certo modo eadem exhibitum apud veteres imagine, colligas. Neque in mythologia adeo inſolens hoc eſſe, conſtat. Iungenda, quae iam ſupra fuſe hac de re diximus, ad *per. I. ſect. II. §. VIII. & ſect. III. §. V.* item *eiusdem ſectionis §. XXIII.* addendusque, qui in his admodum copioſus eſt, PETRVS IVRIEV, *hiſtor. crit. dogmat. & cult. bonor. & malor. part. IV. cap. III. ſeqq. p. 570. ſeqq.*

Ita ergo, cum vtcumque, quodnam iſtud idolum, quod Molochi, ſeu Molechi nomine veniebat, fuerit, conſtet; ſupereſt, vt paucis addamus, Israëlitas iam in deſerto eiusdem cultu ſe contaminaſſe. Hoc enim, etſi Moſes non memoret, diſerte tamen docet Amos propheta, *cap. V. 25. 26. An ſacrificia & munus obtuliſtis mihi in deſerto per quadraginta annos, domus Israël? Immo vero portaſtis tentorium Molechi veſtri, & Kiun, imagines veſtras, ſtellam deorum veſtrorum, quos feciſtis vobis.* Quod paucis mutatis repetit Stephanus, verba eius iuxta verſionem LXX interpretum exprimente Luca *Actor. VII. 43.* Pro eo, quod in textu ebraeo eſt מַלְכְּכֶם *regis veſtri*, Lucam, cum LXX interpretibus recte ponere: τοῦ Μολὸχ, iam antea obſeruauimus. Per τὴν σκηνὴν, ſeu *tabernaculum* Molechi, aediculam intelligi, qua Dei imago condebatur, ſeu tabernaculum portatile, vel thenſam, in qua cum pompa circumlata fuerit, admodum eſt veroſimile, idque pluribus HENRICVS HAMMONDVS comprobat ad *Actor. loc. cit.* Add. IOAN. SELDENVS, de *diis ſyris, ſyntagm. I. cap. VII. p. 190. ſeqq.* Sollemne enim erat apud ethnicos, imagines deorum cum pompa circumferre, idque & apud Aegyptios in vſu fuiſſe, nonnulli obſeruant. Apud Amoſum ſequitur: *& Kiun, imagines veſtras, ſtellam deorum veſtrorum*, quod Lucas ita exprimit: καὶ τὸ ἄστρον τοῦ θεοῦ ὑμῶν Ῥεμφὰν. In quibus verbis transpoſitio nos non morabitur; cum ea non magni momenti ſit, & ſenſus eodem redeat; ſed, cur pro כִּיּוּן ponatur Ῥαιφὰν, vel, vt alii codices habent, Ῥεμφὰν, & quid vox vtraque ſibi velit, id quidem eſt, de quo viri docti inter ſe diſceptant. De voce כִּיּוּן plerique fere conſentiunt, nomen proprium eſſe Saturni, cum in lingua perſica & arabica Saturnus ſimili voce adpelletur. Primus, ni fallor, huius ſententiae auctor eſt R. ABEN ESRA, ad *Amoſi loc. cit.* quem praeter alios R. DAVID KIMCHI, & hunc deinceps alii, magno numero ſequuti ſunt. Non ita pridem vir quidam doctus ex Chinenſium lingua & hanc vocem deriuare voluit, apud quos *ki* ſignificet ſpiritum, halitum, aërem, & *iun*, nubem; vt adeo *kiun* ſignificet *ſpiritum nubium*, ſeu *nubes aëris.* Atque hinc concludit, eam Ebraeorum idololatriam, qua nubes adorauerint, quamue DIODORVS Sicu-

culus, PLVTARCHVS, TACITVS, IVVENALIS, illis exprobrent, hic a propheta perſtringi; vid. *hiſtoir. critique de la republique des lettres, tomo II. p. 143.* Verum, quod ethnici ſcriptores Iudaeis obiecerunt, eos nubes adorare, mera eſt calumnia. Multo minus probari poterit, iam tempore Moſis hoc ab iis factum. Vnde, non adeo certo, vt reliqua mittam, fundamento hanc deriuationem niti, palam eſt. R. SAL. IARCHI in eo adquieſcit, quod ſit nomen ſtellae & idoli, quod & ex textu ipſo aeque, ac ſcopo Stephani protomartyris, qui docere volebat, Iſraëlitas τῇ ϛρατιᾷ τȣ̃ ȣ̓ρανȣ̃ ſeruiiſſe, ſatis liquet. Sed, quid ſibi vult vox Ῥεμφὰν apud Lucam & LXX interpretes? Obſeruant nonnulli, DIODORVM Siculum meminiſſe Remphis filii Cephrae, regis aegyptii, quem vixiſſe perhibent circa tempus, quo Iacobus in Aegyptum deſcendit. Eum porro immenſas coaceruaſſe diuitias, aiunt, vnde veroſimile ſit, eumdem hunc eſſe principem, qui monitore Ioſepho, fame ingruente, omnem pecuniam Aegypti & vicinarum regionum corraſit: hunc inſtar dei poſtmodum cultum, quod Aegyptum ſeruaſſet, atque inter ſtellas collocatum; indeque factum, vt vni planetarum nomen ῥεμφὰν haereret, cuius imaginem coluerint Ebraei; vid. HENRICVS HAMMONDVS, ad *Actor. loc. cit.* Quae quam longe petita, quamue incerta ſint, cum per ſe pateat, vt moneam, neceſſe non eſt. Plerique omni ſe difficultate expeditos credunt, poſtquam CLAVDIVS SALMASIVS obſeruauit, in alphabeto quodam aegyptiaco, illi Roma miſſo, in quo & nomina planetarum cum explicatione quadam exhibebantur, Saturnum diſerte vocari Ῥηφάν. Exhibet idem ex *onomaſtico copto-arabico* ATHANASIVS KIRCHERVS, in *oedipo* ſuo *aegyptiaco.* Hinc certatim viri docti in eam ingreſſi ſunt ſententiam, Stephanum protomartyrem, pro nomine Saturni perſico-arabico, ſubſtituiſſe eiusdem nomen aegyptium, quod eo tempore notius fuerit. Conf. CLAVD. SALMASIVS ipſe, de *annis climact. p. 597.* LVDOVICVS DE DIEV, ad *Actor. loc. cit.* DANIEL HEINSIVS, *exercitat. ſacrar. lib. V. cap. III.* aliique. CAMPEGIO tamen VITRINGAE, viro clariſſimo, nondum extra omnem dubitationem haec ſententia poſita eſſe videtur. *Certe*, inquit, *ſi omnino eſſem perſuaſus, eo tempore, quo facta eſt verſio graeca ſacri codicis, a quibuscumque tandem interpretibus, vocem ῥηφὰν apud Coptos pro Saturno familiariter acceptam vſurpatamque eſſe, nullus ego dubitarem, quin eo reſpexiſſent ſua in verſione interpretes Graeci. Sed noui ego ſane, quam ſubleſta ſaepe eorum fides ſit, quae ex orientalibus illis regionibus doctiſſimo Kirchero per monachos Romam miſſa fuerunt, indeque inter viros eruditos per Europam diſperſa.* Suſpectum itaque ſibi hocce alphabetum aegyptiacum eſſe profitetur, inque eam propendet opinionem, a Iudaeis helleniſtis, in Aegypto degentibus, vocem ῥηφὰν ex ipſa graeca verſione in familiarem ſermonem translatam, & pro Saturno acceptam vſurpatam-

Digitized by Google

patamque eſſe. Quod ſi quaeras, quid LXX interpretes ea ſibi voluerint, & vnde eam acceperint? citra ambages reſpondet, ſcriptorum vitio, aut ipſorum interpretum errore, ex voce כיון, quae olim non *Kiun*, ſed *Cheuan* pronuntiata fuerit, eam enatam, cum nihil facilius ſit, quam vt כ cum ר permutetur. Nec Lucae vitio verti poſſe, autumat, quod hunc LXX interpretum errorem, vndecumque enatum, ſequutus ſit. *Quaſi vero*, inquit, *Lucas, licet ductus ſit a ſpiritu ſancto (Stephanus enim ſyriace dixit) in hiſtorica narratione vti non potuerit verſione graecorum interpretum, IN VNA LITTERA IDOLI PLANE IGNOTI (quod perinde erat, qua notione deſignaretur) a lectione ebraea diſſentiente, qua aliquando vſi fuerunt Paulus aliique ſcriptores ſacri, in probatione dogmatum fidei maioris momenti, etiam tum, quando multum ab hebraeo textu hodierno deflectit, ſi modo ſenſum integrum non turbaret; obſeruat. ſacrar. lib. II. cap. I. §. IX. p. 234. ſeqq.* Quae licet magna veroſimilitudinis ſpecie a viro doctiſſimo adſerantur, nondum tamen prorſus adſenſum a me impetraut. Quantumuis enim leuis videatur iſte error, dum pro *Cheuan* legitur *Rhephan*; ſine dubio tamen tutiſſimum eſt, in rebus leuiſſimis etiam erroris, ſaltem tacite adprobati, aut non correcti, ſuſpicionem a ſcriptoribus θεοπνεύστοις amoliri. Praeſertim, ſi ratio commoda, qua hoc fieri poſſit, ſuppetat. Quae generatim de monumentorum ex oriente adlatorum incerta fide dicit, nondum ſpeciatim hocce alphabetum aegyptiacum ſuſpectum reddere poſſunt. Accedit, quod non omnibus forte ſe adprobatura ſit ſententia viri doctiſſimi, pro *Kiun* legendum *Cheuan*, etſi auctoritate nitatur ABEN-ESRAE. Haec poſtquam ὡς ἐν παρόδῳ monuimus, de ſenſu verborum Amoſi facile nobis conſtabit. Nimirum, cum dixiſſet, Iſraëlitas in deſerto *portaſſe tabernacula* ſeu *thenſas Molochi*, hoc explicaturus addit, eos eumdem ſub nomine *Kiun*, ſeu *Saturni* inter aſtra relati, eiusque imagines coluiſſe. Atque idem ſibi vult Stephanus protomartyr. Sed mirum alicui videri poſſit, quod Amos, & ex eo Stephanus, Molochi cultum Iſraëlitis in deſerto peregrinantibus obiiciat, cum Moſes huius rei ne verbo quidem meminerit. Meminiſſe equidem putat SAMVEL PETITVS, cultum Baalis Peor, ad quem a Moabitis & Midianitis Iſraëlitae ſe ſeduci paſſi ſunt, ab Amoſo atque Stephano illis exprobrari, contendens; *lib. I. variar. lection. cap. I.* Verum obſtat, quod a Molecho diuerſum fuerit idolum, cui nomen Baal Peor; quemadmodum ille ab Ammonitis, hic a Moabitis praecipue colebatur. Ratio tum quoque reddi nequit, quid ſibi velit vox כיון, cum, quae gentiles de Saturno tradunt, in Baalem-Peor non quadrent, quem cum Molecho vnum eumdemque fuiſſe, perperam ſupponitur. Taceo, quod ſi vel maxime hoc adſumatur, ne ſic quidem a Moſe omnia narrentur, quae Amos atque Stephanus habent, de ta-

berna-

bernaculo ſcilicet, ſeu thenſis Molechi, de aſtro eiusque imaginibus, de quibus apud Moſen nihil legitur. Alii itaque in eam ingreſſi ſunt ſententiam, verba Amoſi non de *externa*, ſed de interna animi idololatria intelligenda eſſe, ac ſi ſenſus eſſet: tabernaculum, quod Deus Iſraëlitis per Moſen dederat, eos equidem aſſumſiſſe, & humeris ſuis portaſſe, ſed animo diis gentilium adhaeſiſſe, & imagines, cherubinorum ſcilicet, quae erant in ſancto ſanctorum, earumque *locamentum* ſeu *baſin* (ita enim interpretantur vocem כיון a radice כון) arcam ſcilicet, vel, vt alii volunt, totam imaginum ſtructuram, quae in ſancto ſanctorum erat, adoraſſe, & eodem loco habuiſſe, quo aſtra apud ethnicos haberi ſolebant. Haec eſt ſententia IOANNIS COCCEII, qui inter veteres praeeuntem ſibi habuit HIERONYMVM, cui & inter recentiores, ſi ſummam rei ſpectes, IMMANVEL TREMELLIVS & FRANCISCVS IVNIVS ad *Amoſi l. c.* itemque LVDOV. CAPELLVS, *obſeruationib. ad Actor. VII. verſ. 43.* ſuffragantur. Eam vero tam ſolide, tamque accurate refutauit CAMPEGIVS VITRINGA, *obſeruation. ſacrar. lib. II. cap. I.* vt, quod addi queat, ſuperſit nihil. Meritoque idem vir doctiſſimus illorum adprobat ſententiam, qui quadraginta illis annis, quibus populus ebraeus in deſerto commoratus eſt, multa contigiſſe, exiſtimant, quae a Moſe litteris non conſignata, interim traditione quadam ad poſterorum memoriam propagata fuerunt, inter quae & illud de Molochi cultu, Amoſo & Stephano memoratum, haud dubie referendum. Eaque de re eo minus dubitabit, qui ſecum expenderit, Moſen poſt exitum Iſraëlitarum ex Aegypto ea ſaltem commemorare, quae anno primo & primis anni ſecundi menſibus, & hinc rurſus vltimis anni quadrageſimi contigerunt, aut, ſi quae ad medium interuallum ex iis, quae narrat, pertinent, pauca admodum eſſe. Nullum itaque dubium, quin iſto temporum interuallo longe plura contigerint, quae Moſes ſilentio praetermittit, vt iam ſupra ad *ſ. XXIII. huius ſectionis* nobis obſeruatum. Poſſet vero etiam ex aliis ſcripturae locis, ſpeciatim ex *Pſalm. XCV. 10.* & *Ezechiel. XX. 9. 10. ſeqq.* demonſtrari, Iſraëlitas in deſerto conſtitutos Molechi cultu ſe contaminaſſe; id vero cum auctor antea laudatus abunde praeſtiterit, addere hac de re quidquam ſuperuacaneum foret.

** Baal-Peor ſaepius quidem in ſcriptura ſacra memoratur: quale autem idolum fuerit, non ſatis conſtat. In eo plerique conſentiunt, fuiſſe *Deum turpitudinis. Beel-Phegor*, inquit ORIGENES, *idoli nomen eſt, quod apud Midianitas praecipue a mulieribus colebatur. In huius ergo idoli myſteriis conſecratus eſt Iſraël. Interpretationem nominis ipſius cum requireremus attentius, inter ebraea nomina hoc tantum inuenimus ſcriptum, quod Beel-phegor ſit ſpecies turpitudinis. Noluit tamen declarare, quae vel qualis ſpecies, vel cuius eſſet turpitudinis. honeſtati, credo, conſulens, qui interpretatus eſt, vti, ne audi-*

auditum pollueret audientium. Igitur, cum multae ſint turpitudinis ſpecies, vna quaedam ex pluribus turpitudinis ſpecies Beelphegor adpellatur; in Numeros homil. XX. Idem adſerunt Iudaeorum quidam doctores, qui ſtercoris humani egeſtione ſacra ei facta perhibent, rationem ita ſimul denominationis reddentes, cum פער vnde *Peor, aperire*, ſiue *diſtendere*, interpretentur. Ita ſcilicet dictum autumat R. SAL. IARCHI: על שם שפורעים לפנין פי הטבעת ומוציאן רעי. Nec abeunt, quae hac de re tradit MOSES MAIMONIDES, in *more neuochim part. III. cap. XLVI.* Occaſio hinc aliis enata fuit, comminiſcendi, Baalem-Peor eumdem fuiſſe cum Graecorum & Romanorum Priapo. Ingreſſus in hanc ſententiam eſt HIERONYMVS, qui ad *Hoſeae cap. IV. 14.* hac de re copioſe verba facit; & *lib. I. contra haereſ. Iouiniani cap. XII. Phegor*, inquit, *in lingua ebraea Priapus adpellatur.* Et in priori quidem loco inter alia adferit, quod *Hoſ. IV. 13.* per קדשות feminae intelligantur, quae Priapi ſacris praeerant. *Sciendum*, inquit, *quod in praeſenti* קדשות *meretrices ἱερὰς, id eſt, ſacerdotes Priapo mancipatas, vocet.* Praeterea Maacam, Aſae regis matrem, principem in ſacris Priapi fuiſſe, ex *I. reg. XV. 13.* colligit. HIERONYMVM, praeter ARIVM MONTANVM, ANDREAM MASIVM, aliosque, ſequitur PETRVS IVRIEV, *hiſtor. crit. dogm. & cult. bon. & malor. part. IV. cap. II. p. 551. ſeqq.* vbi in eo totus eſt, vt hanc ſententiam confirmet. Sed, ſi dicendum, quod res eſt, infirmo omnia talo, quae hanc in rem dicuntur, mihi niti videntur. Rabbinorum traditiones, quod Baal-Peor fuerit Deus turpitudinis, ex quibus HIERONYMI ſententia maximum robur accipit, omni prorſus fundamento deſtituuntur. Nec ipſimet aliud, praeter etymologiam oppido incertam dubiamque, adferunt. Moabiticae atque Midianiticae feminae primo quidem ad ſcortationem, & tum ad idololatriam, cultumque Baalis-Peor, pellexerunt viros Iſraëlitas. Sed inde Baalem Peor fuiſſe Deum turpitudinis, non magis colligere licet, quam ſi quis concludere vellet, eiusdem commatis fuiſſe deos Sidoniorum, quia Salomo mulierum Sidoniarum amore captus, eosdem veneratus eſt. Nec video, quo iure HIERONYMVS per קדשות *Hoſ. IV. 14.* mulieres Priapi cultui addictas intelligat, cum non tantum nulla huius rei ibi mentio, ſed propheta quoque nihil aliud agat, quam vt idololatriam, ſimulque mores obſcoenos, & impuros Iſraëlitis exprobret. De Maaca denique *I. reg. XV. 13.* dicitur, a filio Aſa eam fuiſſe remotam, quod feciſſet מפלצת לאשרה, vbi vulgatus habet: *in ſacris Priapi, & luco eius.* At ex verbis ebraeis hoc vix elicies. Vox מפלצה ceteroquin ſignificat *terrorem;* vnde a nonnullis hic vertitur *horrendum ſimulacrum:* ſed quid hoc ad Priapum? Forte, quod Priapus apud Graecos atque Romanos terreret aues? Ita quidem nonnulli ſentiunt: quod tamen quam longe petitum ſit, nemo non videt. PETRVS IVRIEV, vir docti-

doctiſſi-

ctiſſimus, quem antea iam laudauimus, vlterius progreditur, & ſub PriapoGraecorum Romanorumque, Noachum, humani generis reſtauratorem, latitare contendit, vt Priapus ex eius mente in occidente idem ſit, qui Baal-Peor in oriente; *l. c. cap. III. p. 554. ſeqq.* Verum, vt poſterius perperam adſeri, ex hactenus dictis conſtat; ita & prius coniecturis ſaltem lubricis admodum atque incertis nititur, quas etiam adcuratius ſub examen reuocare, huius loci non eſt. Reliquas etiam de Baal-Peor ſententias enumerare ſuperuacaneum foret; cum aeque incertae ſint. Id conſtat ex *Num. XXIII. 28.* Peor nomen montis fuiſſe apud Moabitas. Vnde admodum probabile, Baal-Peor nihil aliud ſignificare, quam deum aliquem, qui a Moabitis in monte Peor cultus eſt. Quisnam autem ille fuerit, num aliquis ex maioribus aut regibus Moabitarum, an alius, non conſtat. Conf. IO. SELDENVS, de *diis ſyris; ſyntagm. I. cap. V. p. 163. ſeqq.* Dubium alicui adhuc mouere poſſet, quod *Pſalm. CVI. v. 28.* dicitur: *Et adiuncti ſunt Baal-Peor, & comederunt ſacrificia mortuorum.* Hoc namque nonnulli ita capiunt, ac ſi de victimis, quas diis manibus, ſeu Ioui ſtygio ethnici mactabant, & rite epulantes iuſta faciebant, ſermo eſſet: indeque colligere videntur, ac ſi Baal-Peor idem eſſet, ac Pluto. Verum nihil obſtat, quo minus per *ſacrificia mortuorum*, generatim ſacrificia diis gentilium oblata intelligantur, cum heroës, quos illi colebant, quibusue ſacrificia offerebant, reuera eſſent *homines mortui.* Sunt, qui putant, Baalem-Peor apud Moabitas etiam כמוש *Camoſh*, ſeu *Chemos* dictum. Certe Camoſch Moabitarum idolum fuit. Hinc Moab *populus Camoſi* dicitur, *Num. XXI. 29.* Et *Ierem. XLVIII. 7. Exibitque Chemos in captiuitatem vna cum ſacerdotibus eius & principibus eius; & v. 13. Confundetur Moab a Chemos, ſicut confuſa eſt domus Israël a Bethel.* Idem Ammonitarum Deus vocatur, *Iud. XI. 24.* Mentio eius etiam iniicitur *I. Reg. XI. 7.* & *II. Reg. XXIII. 13.* HIERONYMVS itaque, Camoſchum eumdem cum Baal-Peor fuiſſe, contendit. *In Nabo,* inquit, *erat Chamus illorum conſecratum, quod alio nomine adpellatur Beel-Phegor; ad Eſa. cap. XV.* Sequitur eum PETRVS IVRIEV, *hiſtor. crit. dogm. & cult. bon. & mal. part. IV. cap. VI. p. 561. ſeqq.* Ego non video, quid obſtet, quo minus praeter Baal-Peor etiam aliud idolum Moabitae coluerint, cui nomen *Camoſch*, quod illis forte cum Ammonitis fuerit commune. Omnia tandem ad coniecturas redeunt: nec certi quidquam de hiſce adfirmare, integrum eſt. Israëlitas autem Baalis-Peor cultu ſe contaminaſſe, vt hic euincamus, neceſſe non eſt, cum hoc ſupra iam obſeruatum ſit, & ex *Num. XXV. v. 3. ſeqq.* ſatis conſtet.

*** In diuinationibus artibusque magicis, quae cum illis plerumque coniunctae fuerunt, vel maxime iam ab antiquiſſimis temporibus mortalium ſeſe exſeruit ſuperſtitio. Praecipuae illarum ſpecies, quae iam Moſis aetate

in vſu fuerunt, indicantur *Deut. XVIII. 10. ſeqq.* Inter vanarum iſtarum, quae ibi commemorantur, artium magiſtros, primum locum tenent קוסמים, vel, vt textus ſacer habet; קוסם קסמים, quod LXX interpretes reddunt: *μαντευόμενος μαντείαν* vulgatus: *qui ſciſcitatur hariolos.* Vox קוסם pariter ac קסם ſubinde generatim quamcumque diuinationem ſignificat, & ita *II. Reg. XVII. 17. Ezech. XIII. 6. 9. & 23. XXI. 26. & 34.* alibique vſurpatur. In hocce tamen loco ſpecies quaedam diuinationis a reliquis, quae ibidem enumerantur, diſtincta, innui videtur; at, quaenam illa ſit, non adeo liquet. Sortilegium, ſeu diuinationem per ſortes, nonnullos intelligere, docet SEB. MVNSTERVS ad *h. l.* Per קוסם, inquit, *quidam intelligunt* בודק *experimentatorem, qui* SORTILEGIO *aut ſtipulatione, inueſtigat, num bonum ſit, iter arripere, aut opus aliquod inchoare. Alii putant, eſſe generale vocabulum ad omnium diuinationum ſpecies.* Huic ſententiae, ſortilegia hac voce ſignificari, inſiſtit ANTONIVS VAN DALE, qui hac occaſione de gentilium *ſortilegiis ac ſortibus* erudite diſſerit, de *origine ac progreſſu idololatriae ac ſuperſtitionum, diſſertat. III. cap. IV. p. 445. ſeqq.* Eodem etiam tendere videntur, quae hac de re habet MOSES MAIMONIDES, *tract. auodah ſarah, cap. XI. ſect. VI.* Solidas tamen adhuc rationes, ſi dicendum, quod res eſt, deſidero, quibus probetur, hac voce ſpeciatim *diuinationem per ſortem* indigitari. Vſitatiſſimum vero apud ethnicos hoc fuiſſe diuinationis genus, variasque eius fuiſſe ſpecies, conſtat, pluribusque hoc condocet CASPAR PEVCERVS, de *praecipuis generibus diuinationum, p. m. 214. ſeqq.* Inter reliquas eminebat ῥαψῳδομαντεία, apud Graecos praeſertim & Romanos vſitata, cuius iterum varii modi erant, interque reliquos & hic, quod temere arrepto & aperto poëtae cuiusdam libro, quidquid primum oculis ſe obiecerat, pro ſorte id & oraculo habebatur. Vnde *Homericae & Virgilianae ſortes*, quarum & AELIVS SPARTIANVS meminit, in *vita Adriani, cap. II. p. m. 19.* Ad chriſtianos eamdem ſuperſtitionem tranſiiſſe, notum eſt, docetque ISAACVS CASAVBONVS, ad *Spartiani loc. cit.*

Poſt קוסמים *Deut. loc. cit.* memorantur מעוננים, de cuius vocis origine non minus ac ſignificatione, viri docti inter ſe diſſentiunt. Nonnulli enim ab עונה *tempus*, alii ab ענה *reſpondit*, alii rurſus ab ענן *nubes*, alii denique ab עין *oculus*, eam deſcendere, autumant. Primam qui amplectuntur deriuationem, hac voce *obſeruatores caeli*, adeoque *mathematicos* ſeu *aſtrologos iudiciarios & genethliacos* deſignari, contendunt; a quibus non procul abeunt, qui, ab ענן *nubes* hanc vocem deſcendere ſibi perſuadent. At qui ab ענה *reſpondit*, eam deriuant, generatim *ariolos* vel *augures* atque *haruſpices*, aliosque, qui, quid prodigia, oſtenta, omnia ſibi vellent, explicabant, intelligunt. Denique, qui, ab עין *oculus* eam habere origi-

originem, ſibi perſuadent, *praeſtigiatores* ea innui, credunt, qui pedum manuumque agilitate ſpectatorum oculos fallere didicerunt. Qui *aſtrologos* hic intelligunt, praeeuntem ſibi habent MOSEN MAIMONIDEM, qui in *tract. anodah ſarah, cap. XI. cuiusmodi*, inquit, *eſt* מעונן *Meonen? Sunt ii, qui diſtinguunt tempora, & ex aſtris praedicunt, hunc illumue diem fauſtum eſſe vel infauſtum; vel annum hunc aut menſem, certo negotio vel conuenire, vel infauſtum fore.* Simul tamen ita hac de re verba facit, vt nec illorum, qui praeſtigiatores intelligunt, ſententiam prorſus reiicere videatur. Antiquiſſimis iam temporibus aſtrologiam iudiciariam in vſu fuiſſe, hiſtoricorum monumenta nos dubitare non ſinunt. Vel HERODOTI hoc teſtimonio patet: καὶ τάδε ἄλλα Αἰγυπτίοισι ἐςὶ ἐξευρημένα· μείς τε καὶ ἡμέρη ἑκάςη θεῶν ὅτευ ἐςὶ καὶ τῇ ἕκαςος ἡμέρῃ γενόμενος, ὁτέοισι ἐγκυρήσει, καὶ ὅκως τελευτήσει, καὶ ὁκοῖός τις ἔςαι, *alia inſuper ſunt ab Aegyptiis excogitata, quis menſis diesue, cuius deorum ſit, & quo quis die genitus, qualia ſortietur, & quam mortem obibit, & qualis erit; lib. II. cap. LXXXII.* Latiſſime autem per omnes gentes aſtrologicam ſuperſtitionem diffuſam, & ad ipſos chriſtianos propagatam, quorumdam hodienum adhuc occupare animos, notiſſimum omnibus eſt, & infinitis eruditorum virorum monumentis comprobatum. De *praeſtigiatoribus* autem ſi quis vocem illam capere velit, nec illorum apud veteres pariter ac recentiores defuerunt exempla, quorum nonnulla, hanc ipſam vocem explicans, collegit ANTONIVS VAN DALE, *loc. cit. cap. III. p. 425. ſeqq.* Sunt vero praeſtigiae vel mere humanae, quae arte aut fraude ac quadam agilitate perficiuntur, vel diabolicae, in quibus opera infernalis genii accedit, cuiusmodi multas fuiſſe apud ethnicos, non eſt, quod dubitemus.

Sequuntur apud Moſen *loc. cit.* מנחשים, quod LXX reddunt: οἰωνιζόμενος; quemadmodum verbum נחש ſemper per οἰωνίζεσθαι transferunt. Sumitur ceteroquin verbum נחש & in bonam partem, ſignificatque, *explanare, indagare, prudentia aliquid adſequi, ex rerum circumſtantiis aliquid coniectare.* Sed hic in malam partem accipitur, ſignificatque, *omnia captare, auguria ſectari.* MOSES MAIMONIDES hoc ita explicat: *Non captabunt auguria more gentilium, quia dicitur: non vtemini auguriis. Augurium autem eſt, quando quis dixit: ſi offa ori exciderit, aut baculus manui, non accedam hodie locum iſtum: quia, ſi haec agerem, negotia male ſuccederent. Aut, ſi vulpes dextram meam praetergreſſa, non egrediar foribus domus meae, ne forſan egreſſo obuiam fiat impoſtor. Itidem, cum attendunt auium cantus, atque inde colligentes aiunt; hoc ita eueniet, iſtoc facere expedit, illud non item. Similiter cum gallum iubent necari, quia cacillet, aut gallinam ob cantum. Etiam, quando aliquod ſibi ſignum ſtatuunt hoc animo: ſi iſtoc euenerit, faciam hoc: ſin minus contingat, non*

Digitized by Google

faciam, vti fecit Elieſer ſeruus Abrahami &c. tractat. auodah ſarah, ſeu de idololatria, cap. XI. num. IV. Add. DIONYSIVS VOSSIVS, ad *huncce locum.* Ominum variorum captationem longe frequentiſſimam apud ethnicos fuiſſe, vel ex THEOPHRASTO conſtat, in *notationibus morum, cap.* de *ſuperſtitione p. m. 47. ſeqq.* itemque ex PLVTARCHO, de *ſuperſtitione, tom. II. oper. p. m. 164. ſeqq.* Multa huc ſpectantia diligenter collegit, quem iam aliquoties laudauimus, ANTONIVS VAN DALE, *loc. cit. cap. I. p. 365. ſeqq.* Ad chriſtianos & hanc ſuperſtitionis ſpeciem tranſiiſſe, conſtat ex CHRYSOSTOMO, *hom. XII.* in *epiſt. ad Epheſios;* qui & alibi paſſim hac de re conqueritur. Idem vero & hodie experientia teſtatur. Speciatim inter ethnicos eminebant auguria, proprie ſic dicta, quo nomine illud diuinationum genus indigitatur, quod ex cantu volatuque auium, & tripudiis pullorum, futura augurabatur, ac praeſagiebat, quod cum nemini, niſi qui hoſpitem plane animum ex veterum lectione retulit, ignotum ſit, abunde tamen comprobauit CASPAR PEVCERVS, de *praecipuis diuinationum generibus, p. m. 298. ſeqq.* Ad augures proxime accedebant, extiſpices, quos nonnulli & haruſpices vocant, quiue Chaldaeorum idiomate גזרין vel גזריא dicuntur, a גזר *ſecuit, ſcidit, abſcidit,* quaſi *ſectores,* quod ex victimis ſectis futura praedicerent. Eorum in pentateucho nulla ſit mentio; vnde merito, an iam eo tempore hocce ſuperſtitionis genus in vſu fuerit, dubitaueris. Apud Chaldaeos illud in vſu fuiſſe, ex Ezechiele vate diſcimus, *cap XXI. v. 21.* Nam *ſtetit,* inquit, *rex Babyloniae in biuio, in capite duarum viarum, conſuluit teraphim, INSPEXIT IECVR.* Apud Danielem diſerte גזרין memorantur, *cap. II. 27.* & *cap. IV. 4.* Fierique potuit, vt a Chaldaeis, quae nonnullorum eſt ſententia, ad alias gentes haec ſuperſtitio propagaretur. Certe apud Graecos, Romanos, aliasque gentes, vſitatiſſimam fuiſſe, conſtat, quod auctores hactenus laudati, CASPAR PEVCERVS & ANTONIVS VAN DALE, pluribus euincunt, ille *p. m. 168. ſeqq.* hic *loc. cit. cap. II. p. 394. ſeqq.*

Sequuntur apud Moſen מכשפים, qua voce nonnullos itidem *diuinos,* ſeu *diuinatoriae artis peritos* intelligere, iam antea obſeruauimus. Videturque haec ſignificatio tum aliis ſcripturae locis, tum & huic non male conuenire; etſi, quale diuinationis genus innuatur, non conſtet. Non vero praegnans ſatis adeſſe videtur cauſſa, cur ab illorum ſententia diſcedamus, qui *magos* potius, ſeu *praeſtigiatores,* intelligunt. Certe verbum כשף vnde מכשפים, vulgo vertunt: *praeſtigiis vſus eſt.* SEBASTIAN. MVNSTERVS *per* מכשף, inquit, *intelligi dicunt* (Ebraei) משנה הדברים למראה עין *praeſtigiatorem, & qui magica arte ſub oculis rem aliquam mutat: in qua Chaldaei inſignes ſcribuntur olim fuiſſe, ſicut & magi Pharaonis, qui virgas in ſerpentes verterunt;* ad *Deuter. loc. cit.* Recte autem

tem MVNSTERVS non tantum praeſtigiatorem, ſed & talem, qui magica arte rem aliquam ſub oculis mutat, intelligit; cum praeſtigiae magicaeque artes plerumque coniunctae fuerint; & hinc adeo factum, vt praeſtigiator etiam magi nomine veniat, quo ſenſu & vox מכשף a nonnullis intelligitur. Ita quoque hanc vocem ex ebraeis doctoribus explicat MOSES MAIMONIDES, in *tractat. auodah ſarah, cap. XI. num. XVI. Praeſtigiator* (מכשף) *lapidatur: nempe qui reapſe praeſtigioſa* (כשפים) *facit. At qui oculos eludit* (האוחז את העינים) *nec ea praeſtat, quae facere videtur, poena rebellium adficitur.* Ad quem locum recte DIONYSIVS VOSSIVS notat: *Maimonides duo hic ſtatuit genera praeſtigiarum, vnum daemoniacum, alterum deluſorium. Prioris generis praeſtigias exercebant Iannes & Mambres, qui ſe Moſi oppoſuerunt coram Pharaone. Tales, ait Maimonides, lapidandos. Alterius generis praeſtigiis vtuntur agyrtae, & circulatores, quarum effectus non ſunt, qui videntur, nec ab daemonum commercio proueniunt, ſed manuum agilitate. Huiusmodi impoſtores verberibus adficiendi iuxta Maimonidem.* Praeſtigias ac impoſturas magorum ex ipſis ethnicis notant ac perſtringunt CICERO, SENECA, PLINIVS, aliique; quorum, vt & aliorum loca adfert ANTONIVS VAN DALE, qui & recte ac erudite oſtendit, quam abſurda ac ridicula ſint, quae poëtae magis ac ſagis ſuis paſſim tribuunt; de *origine ac progreſſu idololatriae ac ſuperſtitionum, diſſert. III. cap. VIII. p. 563. ſeqq.* Daemoniacas praeſtigias numquam acceſſiſſe, quod innuere videtur, mihi perſuadere nequeo, immo, ſecus ſe rem habere, recte docet MAIMONIDES. Huic, quam tradidimus, vocis מכשף explicationi non obſtat, quod reliquae voces, de quibus hactenus diximus, diuinationum genera varia ſignificent. Coniuncta enim haec inter ſe ſunt, magia, praeſtigiae, diuinatoriae artes, & reliqua ſuperſtitionum genera. Vnde, qui hisce artibus addicti ſunt, in vnam eamdemque recte referuntur claſſem.

Magis hisce ac praeſtigiatoribus a Moſe iunguntur חוברים *incantatores.* Verba enim חובר חבר LXX reddiderunt ἐπαοίδων ἐπαοιδήν, vulgatus: *incantator.* Idque recte, vt vel ex *Pſalm. LVIII. 6.* patet, vbi dicitur: *Sicut aſpis ſurda, quae obturat aurem ſuam, ne audiat vocem* מלחשים *muſſitantium,* חובר חברים מחכם *incantantis, incantationum periti.* Ebraeorum doctores quidam ita dictum incantatorem putant, quod carminibus *conſociaret,* ſeu *congregaret* ſerpentes, quia חבר ſignificat *ſociare,* quaſi eiusmodi incantatores artem calluiſſent, cogendorum in vnum locum ſerpentium. R. MOSES MAIMONIDES, *qualis eſt,* inquit, חובר *incantator? qui verbis vtitur, nulli genti vſitatis, & nihil ſignificantibus, ſtultitiaque hac aliis it perſuaſum, verba iſta prodeſſe. Ita dicunt, ſi quis haec vel iſta praefatus ſit, coram ſerpente, aut ſcorpione, nihil damni dabit: vel, ſi protulerit in virum,*

nocere is non poterit. Sunt in his etiam, qui clauem arripiunt, aut nummum, vel huius generis aliud. Omnia haec nefaria habentur; tract. auodah ſarah, ſeu de *idololatria, cap. XI. §. XI.* Generatim itaque iuxta MAIMONIDEM, qui certis verbis carminibusque ad mira quaeuis perpetranda vtuntur, nomine חוברים veniunt: quod cum ſpeciatim & illi facerent, qui ſerpentes carminibus incantare adnitebantur, fieri potuit, vt denominatio haec inde orta omnibus deinde haereret. Fortaſſis & ex precibus fidelium orta eſt haec ſuperſtitio: dum nudis verbis homines inepti vim ſingularem tribuebant, qua preces rite fuſae ad ea, quae Deus nobis promiſit, impetranda gaudent; quemadmodum olim quoque Deus aliquando ad preces fidelium miracula perpetrauit. Videtur hoc inde confirmari, quod diuinis nominibus homines ſuperſtitioſi haud raro ad incantationes ſuas abuterentur. Quantam vim & efficaciam Iudaei nomini יהוה tribuant, & quod nonnulli eius opera, miranda quaeuis effici atque perpetrari poſſe, ſibi perſuadeant, notius eſt, quam vt hic commemorari debeat. Fuerunt & apud ethnicos, qui, per *Deum Ebraeorum* daemones expelli poſſe credebant; qua de re notatu digna ſunt, quae refert PHOTIVS, in *bibliotheca, cod. CCXLII. p. 1038.* Γυναῖκα παιδοποιεῖν ἄγεται· ὡς δὲ οὐκ ἐπείθετο τὸ δαιμόνιον τῇ γυναικὸς ἐξελθεῖν λόγοις ἡμερωτέροις, ὅρκῳ αὐτὸ ἐπηνάγκαζεν ὁ Θεοσέβιος. καίτοι οὔτε μαγεύειν εἰδὼς, οὔτε θεουργίας, (μάτην) μελετήσας. ὥρκιζε δὲ τὰς τοῦ ἡλίου προτείνων ἀκτῖνας, καὶ τὸν ἑβραίων θεόν. ὁ δὲ ἀπελήλατο ὁ δαίμων, ἀνακραγών. εὐλαβεῖσθαι μὲν τοὺς θεοὺς, αἰσχύνεσθαι δὲ καὶ αὐτόν· *Ducit (Theoſebius) vxorem pueros procreandi gratia. Verum, cum daemonium, quod mulierem obſidebat, mitioribus verbis (adiuratum) ab ea exire nollet, cogit ipſum Theoſebius exorcismo; quamuis magiae peritus non eſſet, nullasue theurgias meditatus fuiſſet. Adiurabat igitur manibus protenſis, RADIOS SOLIS & EBRAEORVM DEVM. Daemon vero expellebatur, exclamans, ſe quidem vereri deos, ſed & ipſum (Theoſebium) ſe revereri.* Immo non tantum Dei Ebraeorum, ſed & Abrahami, aliorumque patriarcharum nomina in adiurationibus adhibebant, vt ex ORIGENE diſcimus, *lib. IV. contra Celſum, p. m. 183.* Quidquid autem ſit de origine huius ſuperſtitionis; longe eam apud ethnicos fuiſſe frequentiſſimam, conſtat. Nec refragatus illis fuero, qui, ex Chaldaea & Aſſyria haec ſimiliaque commenta ad reliquas mundi gentes pertranſiiſſe, ſibi perſuadent. Conſtat autem, quod ſpeciatim nominibus peregrinis & barbaris ad miranda quaedam perpetranda vſi ſint, vim quamdam & efficaciam ſingularem iis ineſſe, ſtulte ſibi perſuadentes. Quod & nonnulli ex veteris eccleſiae haereticis imitati ſunt, quorum nomina quaedam incondita ac barbara, quibus vſi ſunt, veterum monumentis conſeruata, adhuc nota ſunt. Immo & nonnullos eccleſiae veteris pa-

patres nominum efficaciae plus, quam decebat, tribuentes, eadem ſuperſtitione infectos fuiſſe, nonnullis obſeruatum eſt; cuius veſtigia hinc inde ad noſtram aetatem vsque deprehenduntur, dum nonnulli certis vocibus formulisque, aut ſcripturae ſacrae quibusdam dictis, daemones expellere, morbosque varios ſanare, ſimiliaque perficere adgrediuntur. Multa huc ſpectantia diligenter collegit ANTONIVS VAN DALE, ſaepe nobis iam laudatus, *diſſertat. citat. cap. V. p. 489.* qui & hac occaſione *cap. VI. p. 519. ſeqq.* de exorcismis & exorciſtis Iudaeorum, de artibus curioſis, litterisque Epheſiis, de periaphis & amuletis, ſimilibusue, diſſerit.

Finem tandem ſuperſtitioſorum hominum catalogo impoſiturus Moſes, *loc. cit.* addit: ושאל־אוב וידעוני ודורש אל־המתים *& interrogans Ob & Idoni, & quaerens a mortuis.* Vbi LXX interpretes habent: ἐγγαϛρίμυθος καὶ τερατοσκόπος, καὶ ἐπερωτῶν τὺς νεκρὺς, & vulgatus: *neque, qui Pythonas conſulat, nec diuinos, & quaerat a mortuis veritatem.* Vox אוב & in plurali אובות ceteroquin *vtrem* ſignificat, vt *Iob. XXXII. 19.* Hinc vero translata eſt ſignificatio eius ad *ventriloquos*, ſeu ἐγγαϛριμύθυς, eo quod a ſpiritu maligno obſeſſi velut vtres inflati turgeſcerent, & impurus ſpiritus interdum ex illorum ventre, aut partibus obſcoenis, reſponſa daret. Conf. PAVLVS FAGIVS, in *notis ad paraphraſin chaldaicam, Leuit. XIX. 31.* At in noſtro loco *Deut. XVIII, 10.* & *Leuit. XIX. 31.* vt & alibi, ipſe potius ſpiritus malignus denotatur, qui certis artibus eliciebatur, vt euocaret mortuorum manes, qui reſponderent ad ea, quae ex iis quaerebantur, aut alia quacumque ratione futura indicaret. Hinc & mulier, quae eam artem tenebat, בעלת אוב *domina Ob*, ſeu *habens Ob* vocatur; *I. Sam. XXVIII. 7.* Non itaque ipſa mulier erat *Ob*, ſed per *Ob* reſpondebat ad ea, de quibus conſulebatur. Quare & Saulus rex eam ita adloquitur: *diuina mihi* באוב *per Ob, & fac mihi adſcendere, quem tibi dixero.* Vnde & luculenter patet, daemonis maligni operam hic interceſſiſſe. Confirmatur id etiam ex *Eſa. XXIX. 4.* vbi adflictas Hieroſolymitanorum opes deſcribens propheta: *humiliaberis*, inquit, *e terra loqueris atque e puluere; humilis erit tua oratio, erit* כאוב *ſicut Ob vox tua, atque e puluere ſermo tuus murmurabit.* Vbi per אוב *Pythonem*, ſeu ſpiritum, qui arte magica euocatus voce humili aut ſubmiſſa, velut murmuratione quadam reſponſa dabat, magno conſenſu plerique interpretes intelligunt. Et rei ipſi quoque, de qua prophetae ſermo eſt, longe hoc videtur conuenientius, quam ſi vocem אוב hic per *vtrem*, quod nonnulli volunt, vertamus. De Iudaeorum mente non eſt, quod dubitemus, qui בעל־אוב ſeu eum, qui Ob habet, alias פיתום vocant, voce ex Graecorum πυθὼν efficta. Nec in diuerſum hic abit MOSES MAIMONIDES, ſi modo recte, quae hac de re dicit, capiantur. *Cuiusmodi,*

modi, inquit, *eſt illud*, מעשה האוב *opus Pythonis? Eſt, qui conſiſtit, vt offerat certum ſuffitus genus; is manu ſua virgam vibrat myrteam; ac recepta quaedam incantationis verba profert; mox conſulit alium, quaſi loquentem ſecum, & interrogatis reſpondentem quaſi e terra, ſubmiſſa admodum voce, quam auribus percipere non valeat, ſed cogitatione tantum adſequatur. Similiter eſt, qui cranio mortui arrepto illud ſuffitu imbuat & incantet, donec praeeuntem audiat vocem, quae exeat quaſi ex axillis, & reſpondeatur ei. Huiusmodi omnia ſunt pythonica; tract. auodah ſarah cap. VI. n. II.* ANTONIVS VAN DALE, qui in eo totus eſt, vt euincat, אובות nihil aliud, quam meras hominum callidorum fuiſſe praeſtigias, idem ex hocce MAIMONIDIS loco videtur colligere velle, ideoque notat, ab eo dici, *mox conſulit alium* QVASI *loquentem ſecum, & interrogatis reſpondentem* QVASI *e terra &c.* At neutiquam id ſibi velle MAIMONIDEM, facile intelliget, qui linguae ebraeae peritus, cuncta paullo adcuratius conſiderauerit: & ſi vellet, tum a veritate ipſa, tum a recepta apud Ebraeos ſententia, maximopere diſſentiret; quod adeo diffiteri nequit ipſe DALIVS, vt in ſequentibus, cum Iudaeorum de voce פיתום ſententiam ediſſeruiſſet, indignabundus in haec erumpat verba: *quod minus mirum iis videbitur, qui norunt, Iudaeos poſt natum Ieſum Chriſtum pene nihil, praeter daemonas, ſeu diabolos, ſomniaſſe; l. c. cap. IX. p. 607. it. p. 617.* Obſtant vero DALII ſententiae non tantum, quae hactenus diximus, ſed & cumprimis locus *Actor. XVI. 16.* vbi mentio fit puellae, quae habuit ſpiritum Pythonis, quem Paulus ex ea expulit. Aperte enim hinc conſtat, quae a Pythonicis peragebantur, non meras fuiſſe praeſtigias, ſed daemonis maligni operam interceſſiſſe. Ita enim ſi res ſe non habuiſſet, ſpiritum Pythonis non potuiſſet eiicere apoſtolus. Add. GEORGIVS MOEBIVS, de *oraculorum ethnicorum origine, propagatione & duratione, cap. I. p. 27.* it. STEPHANVS MORINVS, in *diſſertat. de oraculis, & cur deſierunt, p. 370.* De Pythonibus autem & Pythonicis plura dabunt EDMVNDVS DICKINSONVS, in *Delphis phoenicizantibus, cap. IX. p. 81. 90.* LEO ALLATIVS, *ſyntagm. de engaſtrimytho;* DIONYSIVS VOSSIVS, ad *Maimonidis l. c.* aliique. Per ידענים, qui interrogantibus אוב iunguntur, eos intelligi, puto, qui propter commercia cum ſpiritibus malignis, rerum futurarum notitiam prae ſe ferebant. Id ex verbo ידע *ſciuit*, vnde dicuntur ידענים, haud difficulter colligitur. Iudaeorum enim de neſcio quo animali, *Iadua* dicto, fabulas, non eſt, quod moremur. Vnde ידעונים conueniunt fere cum בעלי אוב, ſeu Pythonicis; certe plerumque אובות cum ידעונים coniunguntur, vt non tantum *Deut. XVIII. v. 10.* & *Leuit. XIX. 31.* ſed & *II. Reg. XXI. 6.* & *cap. XXIII. 24.* vt adeo Moſes tolerare in noſtro textu prohibuerit, primo שואל אוב ſeu eos, qui Pythonas, vel ipſos ſpiritus vatidicos, itemque ידענים ſeu homines ope iſto-

Digitized by Google

iſtorum ſpirituum futura praedicantes edentesque oracula, conſulebant, deinde omnes דורשים אל המתים *quaerentes a mortuis*, quacumque demum ratione hoc fieret. Vltimis namque verbis *νεκρομαντείαν* ſeu *νεκυομαντείαν* prohiberi, poſitum eſt extra controuerſiam. Exiſtimabant nimirum homines ſuperſtitioni ad delirium vsque dediti, certis ritibus, aut malignorum ſpirituum ope, euocari animas defunctorum poſſe, a quibus futura, aut quae ſcire vellent, condiſcerent; idque a Pythoniſſa Endorea Sauli quoque perſuaſum fuit. Vſitatiſſimum fuiſſe hocce ſuperſtitionis genus, tum ex ſcriptura ſacra, tum ex profanis auctoribus conſtat. Recteque ad *Deut. l. c.* notat HVGO GROTIVS: Νεκύια *omnium diuinationum antiquiſſima, & ſignum creditae* τῆς τῶν ψυχῶν διαμονῆς. *Frequenter id factitatum in oriente diſcimus ex Aeſchylo & Herodoto.* Et ſane non tantum HERODOTVS inter hiſtoricos, ſed & inter poëtas HOMERVS, vt reliquos taceam, ſuperſtitionis iſtius diſerte meminere; add. CASPAR PEVCERVS, de *praecipuis generibus diuinationum, p.m. 239.*

Frequentiſſima etiam apud gentiles olim fuit diuinatio ex ſomniis, vnde onirocritica partem quamdam ſapientiae apud varias gentes conſtituit. Eius Moſes hoc loco non equidem meminit, niſi per מעוננים ſomniorum etiam interpretes, quod nonnulli faciunt, intelligere velis; vſitatam tamen iam tum fuiſſe, non eſt, quod dubitemus. Etenim, cum Pharao, qui tempore Ioſephi rerum in Aegypto potiebatur, de ſomnii ſibi oblati ſignificatione ſollicitus eſſet; a חכמים *ſapientibus* & חרטומים *diuinis* ſuis, quos eum in finem conuocauerat, eam diſcere voluit. Quod ab iis profecto non poſtulaſſet, niſi cum aliis ſuperſtitionis partibus, artem quoque interpretandi ſomnia, profeſſi eſſent. IVSTINVS equidem de Ioſepho refert, eum *ſomniorum primum intelligentiam condidiſſe; lib. XXXVI. hiſtor. cap. II.* vt iam ſupra obſeruauimus. Sed non meretur fidem; cum ſcriptura hac de re nihil commemoret, & Ioſephus non ex regulis artis, ſed ex diuina reuelatione, ſomnia interpretatus ſit. Inde autem cum magnam celebritatem adeptus eſſet; occaſio hinc aliis, pro onirocritices conditore eum venditandi, enata eſt. Ceterum, vt & hocce diuinationis genus conſectarentur homines ſuperſtitioſi, facile induci potuerunt. Antiquiſſimis enim temporibus, vt alia ratione, ita & per ſomnia Deus hominibus ſanctis multa reuelabat. Immo, & inter ethnicos diuinitus per ſomnia quaedam nonnullis patefacta eſſe, exemplum Pharaonis ac Nebucadnezaris nos condocet. Nec dubium, quin & infernalis genius ſomnia quaedam de rebus futuris, quae illi forte notae erant, obtulerit, vt aut in ſuperſtitione confirmaret homines, aut aliis peccatis illaquearet. Hinc cum viderent, per ſomnia quandoque res futuras indicari; in eam ingreſſi ſunt ſententiam, generatim ſomnia eum in finem hominibus obtingere, praeſer-

tim, ſi viuidiora ſint, vt, quae illis euentura ſint, oſtendant. Cumque euentus, qui forte huic aut illi ſomnio reſpondiſſent, notaſſent; ex hisce obſeruationibus certas tandem ſibi confecerunt regulas; quod & in aliis diuinationibus factum recte obſeruat HERODOTVS, *lib. II. cap. LXXXII. p. 119.* ſecundum quas ſomniorum interpretationem inſtituerent, vnde onirocritica tandem enata. Ad Graecos hanc ſomniorum diſciplinam tranſiiſſe, teſtantur ſcriptores onirocritici, quorum aut ſcripta, aut memoria ad nos peruenit; vt ARTEMIDORVS, de quo prae ceteris IO. ALBERTVS FABRICIVS, *biblioth. graec. lib. IV. cap. XIII.* agit, qui & reliquorum ſcriptorum onirocriticorum notitiam ſuppeditat.

In rationes, cur Deus artes iſtas diuinatorias ac magicas, de quibus hactenus dictum, tam ſeuere Iſraëlitis prohibuerit, vt operoſe inquiramus, neceſſe non eſt; cum iſtae cuiuis, rem omnem paullo adcuratius penſitanti, ſua ſponte pateant. Primo namque ad artes diuinatorias quod attinet, in illis, qui eas adhibent, animus incredulus, de futuris nimis anxius, prouidentiae diuinae nullam habens rationem, ſe aperte prodit. Et licet Deus fidelibus futura aliquando reuelauerit; hoc tamen non factum, vt curioſitati aut cupiditatibus illorum aliquid concederetur, ſed ob cauſſas longe ſanctiores, grauioresque. Deinde, in artibus iſtis diuinatoriis latitabat fundamentum ethnicismi, eo quod rebus creatis, aut fictitiis gentilium diis, praedictiones illas ac ſignificationes futurorum dirigentibus, talia tribuebantur, quae ſoli vero Deo competunt. Vnde non ſemel, quoties de iis in ſcriptura ſermo eſt, dicitur: *quod in viis gentium ambulare non debeant.* Accedebant tertio, in magicis praeſertim artibus, commercia cum daemonibus, quorum opera ad ea, quae cupiebant, perpetranda, homines ſuperſtitioſi vtebantur. Iam antea obſeruauimus, ANTONIVM VAN DALE id omni conatu agere, vt daemonum malorum commercia hinc procul faceſſere iubeat. Idem conſtitutum eſt BALTHASARI BECKERO, qui in *mundo faſcinato*, tum alibi, tum maxime *lib. III. cap. VIII. IX. ſeqq.* nomina iſta diuinationum magicarumque artium, de quibus hactenus diximus, ita explicat, vt daemonum aut malignorum ſpirituum interuentum excludat. Verum, vtrumque falli, ex hactenus dictis conſtat. Non nego, fraudes praeſtigiasque hominum multum in his omnibus valuiſſe; at omnem infernalis genii operam prorſus remouendam eſſe, concedi, vt oſtendimus, nequit.

* Daemonem iam tempore Moſis inter ethnicos reſponſa dediſſe, ex iis, quae de אובות & ידענים antea diximus, conſtat. Atque hinc oraculorum, quae gentilium ſcriptorum documentis celebrantur, origo arceſſenda. Quorumdam itaque ex iis ſummam eſſe antiquitatem, & Moſis tempora anteuertere, non videtur dubitandum; licet difficile ſit, de prima eorum origine certi quid pronuntiare. Apud

Ae-

Aegyptios oracula frequentiſſima fuiſſe, teſtatur HERODOTVS: Μαντικὴ δὲ αὐτοῖσι, ὧδε διακέεται· ἀνθρώπων μὲν οὐδενὶ προσκέεται ἡ τέχνη, τῶν δὲ θεῶν μετεξετέροισι· καὶ γὰρ Ἡρακλέος μαντήϊον αὐτόθι ἐστί, καὶ Ἀπόλλωνος, καὶ Ἀθηναίης, καὶ Ἀρτέμιδος, καὶ Ἄρεος, καὶ Διός· καὶ ὅγε μάλιστα ἐν τιμῇ ἄγονται πάντων τῶν μαντηΐων, Λητοῦς ἐν Βουτοῖ πόλι ἐστί· οὐ μέντοι αἵγε μαντήϊαί σφι κατὰ τὠυτὸ ἑστᾶσι, ἀλλὰ διάφοροί εἰσι. *Diuinatio apud eos ita eſt conſtituta, vt eius artificium nulli mortalium vindicetur, ſed certis diis. Siquidem Herculis illic oraculum eſt, & Apollinis, & Mineruae, Dianaeque ac Martis, & Iouis; ſed, quod praecipuo honore colunt ex omnibus oraculis, Latonae eſt, in vrbe Buti. Verum haec vaticinia non eodem modo ſunt omnia inſtituta, ſed differenter; lib. II. cap. LXXXIII. p. 119.* Vbi quidem Mineruae oraculum in vrbe *Sai*, Dianae in vrbe *Bubaſti*, & Martis in vrbe *Papremi*, Iouis *Thebis* fuiſſe, contendit IOANNES MARSHAMVS, in *canone chronico, ſaec. IV. p. 64.* qui & ibidem adſerit, a Iouis Thebani oraculo originem duxiſſe illud Ammonis in Lybia, atque illud Iouis Dodonaei in Theſprotia; quod itidem HERODOTO teſte, *oraculorum, quae apud Graecos ſunt, vetuſtiſſimum habetur; lib. I. cap. LII. p. 110.* Quod ſi ita ſe habet, aegypptiorum oraculorum antiquitatem intelligere licet; cum, ſi nonnullis credimus, vtrumque & Ammonium, & Dodonaeum oraculum Moſe fuerit antiquius, maxime Ammonium, quod a Chamo, Noachi filio nonnulli deriuant. Sunt tamen, qui, aegyptiaca iſta oracula HERODOTO commemorata, poſt Ammonium atque Dodonaeum originem ſumſiſſe, autumant; conf. GEORGIVS MOEBIVS, de *ethnicorum oraculorum origine, propagatione & duratione, cap. II. p. 45. ſeqq.* vbi de vtroque, Ammonio & Dodonaeo oraculo pluribus differit. PLINIVS auctor eſt, apud Aegyptios Apim quoque ſigna rerum futurarum edidiſſe. *Apis*, inquit, *inuentus deducitur Memphim a ſacerdotibus: ſunt delubra ei gemina, quae vocant thalamos, auguria populorum: alterum intraſſe, laetum eſt, in altero dira portendit. Reſponſa priuatis dat, e manu conſulentium cibum capiendo. Germanici Caeſaris manum auerſatus eſt haud multo poſt exſtincti; hiſtor. natur. lib. VIII. cap. XLVI. p. m. 558.* Eius autem rei cum HERODOTVS non meminerit, hanc conſuetudinem Apim ceu oraculum conſulendi, non adeo vetuſtam apud Aegyptios fuiſſe oportet. Poſt Ammonium & Dodonaeum oraculum, alia deinceps celebrari coeperunt, vt Pythium ſeu Delphicum, Trophonium, Amphiarai, Branchidarum in Mileſia, Sabaeum in Phocide, & reliqua; de quibus hic dicendi locus non eſt. Eruditorum potius virorum de hiſce oraculis audire ſententias, ac paucis diſcutere, placet. Namque nec ipſi ethnicorum philoſophi hac de re inter ſe conueniebant. Stoici quippe vim quamdam naturalem futura praedicendi hominibus inſitam adſerebant, quae modo in dor-

mientibus, modo in furore percitis, accedentibus praeſertim cauſſis, vim hancce excitantibus, ſeſe exſereret. Eodem etiam redibat ſententia Peripateticorum: ſaltem, ex cauſſis naturalibus facultatem omnem vaticinandi procedere, ſibi perſuadebant. ARISTOTELES ipſe cauſſas, quibus Sibyllae bacchantes & vates fiant, reiicit in calorem, quem in mentis ſede cieat atrabilis; *problem. ſect. XXX.* AMMONIVS quoque apud PLVTARCHVM de *oraculorum defectu, tom. II. oper. p. m. 429. ſeqq.* variis rationibus probare adnititur, naturalem vaticinandi vim mentibus hominum ineſſe: quas ex eodem repetit, preſſiusque vrget PETRVS PETITVS, medicus & philoſophus Pariſienſis, de *Sibylla, lib. I. cap. VIII. p. 30. ſeqq.* Nec procul hinc diſcedunt, qui menti peculiarem a natura diſpoſitionem, ad reuelationem a Deo aut genio quodam profectam, recipiendam, ineſſe contendunt; vt MOSES MAIMONIDES, aliique ex ebraeis doctoribus, item BENEDICTVS DE SPINOZA ac PETRVS PETITVS, laudati a me atque refutati in diſſertatione, cui titulus: *an naturali homines polleant vaticinandi facultate? §. VIII. ſeqq.* Mirum vero non eſt, ſapientioribus gentilium, praeſertim poſt ortum chriſtianiſmum, hanc ſe adprobaſſe ſententiam; cum ita demum rationem defectus oraculorum reddere poſſent. Epicurei contra in omnia alia ibant, omnia diuinationum genera explodentes, & eorum, quae eſſent praecognita praedictaue, plurima eſſe vulgi ineptias, aut ſacerdotum impoſturas, imperitae vero multitudini praetextu pietatis & religionis talia facile perſuaderi, adſerentes. In eamdem deinceps praeter alios ingreſſus eſt ſententiam LVDOVICVS COELIVS RHODIGINVS, *antiqu. lection. lib. II. cap. XII. Si, vnde irrepſerint,* inquit, *oracula primum, indagine curioſa ſit ſcrutandum, videor lectione iugi comperiſſe, non ab diis, non ab daemonibus inſtituta vel propagata, ſed ab vafris quibusdam, & quaeſtuariis initio inchoata, in quam ſententiam celeberrimi e Graecorum ſapientibus iere pedibus, Peripatetici, Cynici, Epicurei, a quibus non ſolum ſcriptis oraculorum vanitas eſt palam facta, ſed commonſtratum quoque, quae malorum ſoboles inde pullularit.* Rectiora tamen edoctus, mutaſſe deinceps ſententiam COELIVS perhibetur. Interim horum aliorumque veſtigiis inſiſtens ANTONIVS VAN DALE, id omnibus viribus egit, vt reſponſa oraculorum apud ethnicos nihil aliud, quam meras praeſtigias, callidorumque hominum fuiſſe impoſturas, euinceret, in *diſſertationibus duabus de oraculis veterum ethnicorum,* Amſtelodami anno MDCC recuſis. Nec negauerim, praeſtigias multas ac impoſturas hominum callidorum, praeſertim ſacerdotum, interceſſiſſe. Reſponſa vt plurimum metrica, hinc & ambigua, atque obſcura, adeoque fallere apta, ſpecus, aut antra luce deſtituta, adytaque, in quibus edebantur oracula, ad fraudem faciendam prorſus adcommodata, & quae reliqua ſunt eiusdem generis, dubitare hac de re nemi-

neminem ſinunt. Daemonis maligni numquam interceſſiſſe operam, non euincunt. Secus ſe rem habere, exemplis conſtat; ſiquidem interdum oracula reſponſa dedere aperta, de rebus futuris, quae hominibus prorſus ignotae erant, nec ſollertia humani ingenii cognoſci poterant, quibus euentus adcurate reſpondit. Nec enim dubium, quin varias ob rationes futuri quidam euentus daemonibus noti eſſe queant, qui homines latent. Conf. GEORG. MOEBIVS, de *oraculorum ethnicorum origine &c. cap. V. p. 117. ſeqq.* itemque STEPHANVS MORINVS, in *diſſertat. de oraculis & cur defierunt, p. 399. ſeqq.* Hinc vero etiam patet, quid de Sibyllis cenſendum, quarum nonnullas, ſaltem vnam, tam antiquam faciunt, vt Moſis aetatem anteceſſerit; immo pro Noachi venditare filia non erubeſcunt. Sed incerta omnia ſunt, quae & de numero & de aetate Sibyllarum vulgo dicuntur. Eritque de iſtis, vt & de oraculis, quae vocantur, Sibyllinis, alibi dicendi locus. Interim conferre iuuabit SERVATII GALLAEI *diſſertationes de Sibyllis, earumque oraculis.*

§. XXXVII.

Ceterum ea, quae Moſes geſſit, tam illuſtria fuere, vt eorum fama non potuerit non longe lateque dimanare. Plurima hinc apud ſcriptores ethnicos de eo, rebusque ab illo geſtis, eaque luculentiſſima teſtimonia; * quibus, quae ipſe diuino inſtinctu litteris conſignauit, mirifice confirmantur. De reliquis vero gentibus, in hocce temporis interuallo, quod rerum potius geſtarum magnitudine, quam diuturnitate, memorabile eſt, pauca, quae notatu digna ſunt, occurrunt. **

* Frequentiſſimam Moſis, rerumque ab eo geſtarum, apud ethnicos ſcriptores fieri mentionem, teſtimoniis plurimis congeſtis iam ex veteribus demonſtrarunt FLAV. IOSEPHVS, *contra Apionem*, CLEMENS Alexandrinus, *ſtrom. lib. I.* CYRILLVS, *contra Iulianum, lib. I.* EVSEBIVS, *praeparat. euangel. lib. IX. cap. XXVII. ſeqq.* & ex recentioribus PETRVS DANIEL HVETIVS, *demonſtrat. euangel. part. I. prop. IV. cap. II. p. 72. ſeqq.* HVGO GROTIVS, de *veritate chriſtianae religionis, lib. I. §. XVI.* aliique. Nos ſelectu vtentes, maxime illuſtria ſectabimur, & praecipua hiſtoriae Moſaicae capita, ex ethnicorum teſtimoniis conſtare, paucis ſaltem indicabimus. Moſen ex aquis extractum, ipſemet nos condocuit, idemque ex Orphicis carminibus ARISTOBVLVS memorat, ex quo locum produxit EVSEBIVS, *praeparat. euangel. lib. XIII. cap. XII. p. m. 666.* Verba haec ſunt:

ὡς λόγος ἀρχαίων, ὡς ὑδογενὴς διέταξεν
ἐκ θεόθεν γνώμαισι λαβὼν κατὰ δίπλακα θεσμὸν,
Vt veterum fama eſt, vt iuſſit flumine natus

Dona Dei tabulas geminas qui ſenſibus hauſit.

Apud EVSEBIVM equidem legitur ὑλογενής; ſed ὑδογενής legendum eſſe, recte monuit SCALIGER, cui adſtipulantur HVGO GROTIVS, de *verit. chriſt. relig. lib. I. §. XVI.* GERARDVS IOANNES VOSSIVS, de *idololatria gentil. lib. I. cap. XXX.* & ISAACVS CASAVBONVS, ad *Athenaei lib. VI. cap. XXII.* Moſen litteris egregie imbutum, atque in Aegyptiorum ſapientia inſtitutum fuiſſe, ex ſcriptura ſacra nouimus: quae & eumdem ob formae praeſtantiam commendat. Confirmant idem ſcriptores gentilium. TROGI POMPEII epitomaſtes IVSTINVS: *filius eius* (Ioſephi) *Moſes fuit, quem praeter paternae ſcientiae haereditatem etiam formae pulcritudo commendabat; hiſtor. lib. XXXVI. cap. II.* Vbi in eo quidem errat, quod Moſen Ioſephi filium vocat, at de eru ditione Moſis praeclare ſatis ſentit, dum *paternae ſcientiae haereditatem* illi tribuit. De Ioſepho enim antea dixerat: *nihilque diuini iuris humanique ei incognitum videbatur.* DIODORO Siculo Moſes *ſapientia & fortitudine maxime excellens* audit; *biblioth. hiſt. lib. XL. p. 1190.* qui & in ſequentibus, *ad haec*, inquit, *multum ſtudii cum inſigni prudentia in res bellicas poſuit legislator, & iuuenes ad tolerantiam ac fortitudinem, ad conſtantiam denique in omnibus aerumnis exercendam adegit.* Atque ob iſtam ſapientiae ac eruditionis, qua florebat Moſes, famam, quae longe lateque inter ethnicos ſparſa erat, haud dubie factum, vt EVPOLEMVS ſcripſerit, τὸν Μωσῆν πρῶτον σοφὸν γενέσθαι, *Moſen primum ſapientem fuiſſe, Iudaeisque primum litteras tradidiſſe, a quibus eas Phoenices, vt a Phoenicibus Graeci, acceperint;* apud EVSEBIVM, *praeparat. euangel. lib. IX. cap. XXVI. p. 431.* Multa etiam eodem ſpectantia ex ARTAPANO idem EVSEBIVS refert *loc. cit. cap. XXVII.* & inter alia hoc quoque commemorat, quod vxor Chenephrae, Merrhis, cum ſterilis eſſet, ſibi mulieris ebraeae filium adſciuerit, nempe Moſen, quem Graeci Μουσαῖον, *Muſaeum*, vocauerint. Quod rurſus cum ſcripturae narratione de filia Pharaonis, Moſen, ebraeae mulieris filium, in filium adoptante, prorſus conuenit. Cum iam a Deo miſſus eſſet Moſes, vt populum ebraeum libertati reſtitutum ex Aegypto educeret, cum magis aegyptiacis illi maxime confligandum fuit. Cuius certaminis tanta olim celebritas fuit, vt nomina quoque magorum iſtorum, Iannes & Iambres, in gentilium monumentis, ſpeciatim a PLINIO, *hiſtor. natural. lib. XXX. cap. I.* & NVMENIO Pythagoraeo, apud EVSEBIVM, *praeparat. euangel. lib. IX. cap. VIII.* conſeruata hodie ſuperſint, vt ad *§. praecedentem* iam obſeruauimus. Ob magna autem, quae Moſes edidit, miracula, haud dubie factum, vt inter magos referretur, tum a PLINIO, *loc. cit.* tum ab APVLEIO, in *apologia p. m. 331.* aliisque. Id enim vero documento certiſſimo eſt, prodigiorum ab eo editorum maximam quoque inter ethnicos fuiſſe celebritatem. Exitus

tus autem Ebraeorum ex Aegypto, Moſe duce factus, gentilibus adeo non fuit ignotus, vt plurimis potius, admixtis licet fabulis quibusdam, commemoretur. Huc pertinent, quae ex MANETHONE, LYSIMACHO atque CHAEREMONE hac de re adfert FL. IOSEPHVS, *contra Apionem.* Sed MANETHONIS, quo hoc confirmari poteſt, teſtimonium ſupra quoque iam attulimus, ad *ſect. I. per. III. ſ. XXIV.* cum per paſtores, quorum in Aegypto regnum deſcribit, non alios, quam Ebraeos intelligi poſſe, euinceremus. POLEMONIS idem confirmans teſtimonium, ex AFRICANO conſeruauit EVSEBIVS, in *chronicis.* DIODORI Siculi, STRABONIS, IVSTINI, C. CORNELII TACITI teſtimonia, quibus idem comprobatur, iam ſupra attulimus, cum de gentis iudaicae origine verba faceremns, ad *ſ. XII. huius ſectionis.* Enimuero, licet hi auctores in multis a ſe inuicem diſſentiant, falſa quoque multa atque erronea, veris admixta, referant; in eo tamen, quod caput cauſſae eſt, inter ſe conſentiunt, &, quae ſcriptura ſacra commemorat, mirifice confirmant.

Inter opera Moſis, poſt exitum ex Aegypto, legis diuinae promulgatio haud vltimum locum tenet. Nec alio magis nomine apud ethnicos notus Moſes. Celebrioribus enim legumlatoribus eum diſerte adnumerat DIODORVS Siculus, *biblioth. hiſtor. lib. I. cap. XCIV.* Idque confirmat C. CORNELIVS TACITVS, *hiſtor. Lib. V. cap. IV.* Pertinetque huc illud IVVENALIS:

Iudaicum ediſcunt, & ſeruant, & metuunt ius,

Tradidit arcano quodcumque volumine Moſes.

Cumque Moſes ſumma Numinis, a quo leges accepit, familiaritate vſus ſit, nec hoc ethnicis ignotum fuit. TREBELLIVS namque POLLIO Moſen ex Iudaeorum libris *Dei familiarem* vocat; in *vita Claudii cap. I. p. m. 351.* Eoque pertinet, quod, vt iam ſupra ad *ſ. XI. huius ſectionis* obſeruauimus, DIODORVS Siculus refert, Moſen ſuis legibus in fine adſcripſiſſe: Μωσῆς ἀκέσας τȣ̃ Θεȣ̃ τάδε λέγει τοῖς Ιȣδαίοις, *Moſes auditor Dei omnia haec dicit Iudaeis.* Immo nec id praetermittendum, profanis ſcriptoribus obſeruatum, Moſen pleraque inſtituta ſua gentium moribus plane contraria eſſe voluiſſe. Idque longe veriſſimum eſt; licet cauſſam eius rei ignorent, & in malam hoc interpretentur partem. Aperte & citra ambages TACITVS: *Moſes, quo ſibi in poſterum gentem firmaret, nouos ritus contrariosque ceteris mortalibus indidit. Profana illis omnia, quae apud nos ſacra; rurſum conceſſa apud illos, quae nobis inceſta; hiſtor. lib. V. cap. IV.* Hinc apud DIODORVM Siculum, *odium aduerſus homines traditione propagaſſe*, dicitur; *ideoque leges prorſus alienas promulgaſſe; ne menſam cum alia natione communem haberent vmquam, neque illi bene cuperent; lib. XXXIV. p. 1171.* Nimirum, vt Ebraeos ab idololatria & ſuperſtitione gentilium auerteret Moſes, leges varias horum

Digitized by Google

horum inſtitutis e diametro aduerſas iuſſu Numinis tulit. Hinc iſtae profanorum ſcriptorum querelae. Quo ipſo tamen mirifice rem ipſam, Moſen tales leges tuliſſe, confirmant. Iidem equidem auctores haud obſcure indicare videntur, callide eiusmodi artibus Moſen, ad auctoritatem ſibi firmandam, vſum, quod & prae ceteris aperte profitetur DIODORVS Siculus. Sed hancce iam ſupra a viro diuino calumniam depulimus, ad *ſectionis huius §. XI.* Inter leges autem per Moſen aut promulgatas, aut repetitas, nulla temere maiorem apud ethnicos celebritatem conſequuta eſt, quam illa de ſanctificando ſabbatho. Huius prae ceteris meminit TACITVS, etſi, quam cauſſam inſtituto huic adſignare debeat, valde fluctuet. *Septimo die*, inquit, *otium placuiſſe ferunt, quia is finem laborum tulerit; dein blandiente inertia ſeptimum quoque annum ignaniae datum; alii honorem eum Saturno haberi &c. loc. cit.* Pari ratione IVSTINVS: *quo ſeptem dierum ieiunio per deſerta Arabiae cum populo ſuo fatigatus, cum tandem veniſſet, ſeptimum diem more gentis ſabbathum adpellatum, in omne aeuum ieiunio ſacrauit, quoniam illa dies famem illis erroremque finierat; hiſtor. lib. XXXVI. cap. II.* PLVTARCHI locum, in quo ſabbathi iudaici mentionem facit, iam ſupra ad §. *XXXI. huius ſectionis* recitauimus; conf. & DIO CASSIVS, *hiſtoriar. lib. XXXVII. p. 38.* Ob ſabbathi quietem Iudaeos exagitat IVVENALIS:

Sed pater in cauſſa, cui ſeptima quaeque fuit lux
ignaua, & partem vitae non attigit vllam;

ſat. XIV. Et CLAVDIVS RVTILIVS:

Radix ſtultitiae, cui frigida ſabbatha cordi,
Sed cor frigidus relligione ſua eſt.
Septima quaeque dies turpi damnata veterno,
Quamquam laſſati, mollis imago Dei.

lib. I. itinerar. p. 135. Vltimis verbis RVTILIVS indicat, veram quidem ſabbathi cauſſam ſibi non incognitam fuiſſe; ſed hinc ſimul occaſionem, blaſphemiam exſecrabilem in Deum euomendi, arripit. Immo tam notum fuit apud ethnicos Iudaeorum ſabbathum, vt *Sabbatariorum* nomine ideo apud illos venerint; vt ex MARTIALE conſtat, *lib. IV. epigramm. IV.* Ex reliquis legibus Moſaicis, itidem ethnicis nonnullas innotuiſſe, demonſtrari poſſet, ſi his immorari vellemus. Immo non deſunt, qui praeſtantiſſimas Graecorum Romanorumque leges ex Moſaicis profluxiſſe, autumant; qua de re quae noſtra ſit ſententia, ſupra ad §. *XXXIV. huius ſectionis* expoſuimus.

Id potius adhuc obſeruamus, nec incommoda illa, quae in itinere tam diuturno Iſraëlitae perpeſſi ſunt, ethnicos latuiſſe. Panis pariter ac aquae penuria aliquando laboraſſe Iſraëlitas, conſtat, priusquam manna caelitus data a Deo paſcerentur, qui & bis aquam ex rupe dedit. Idem TACITVS innuit: *Sed nihil aeque, quam inopia aquae, fati-*

fatigabat: & iterum: *longam olim famem, crebris adhuc ieiuniis fatentur; hiſtoriar. lib. V. cap. IV.* Sic & IVSTINVS, Moſen *ſeptemdecim dierum ieiunio per deſerta Arabiae cum populo ſuo fatigatum, tandem ad montem Sinam veniſſe*, auctor eſt; *hiſtor. lib. XXXVI. cap. II.* Mitto reliqua, quae magno numero addi poſſent, ſi cuncta congerere animus eſſet. Vnicum praetermittere nequeo, quod de aetate, quam viuendo Moſes emenſus eſt, memoriae prodidit TREBELLIVS POLLIO: *Doctiſſimi*, inquit, *mathematicorum centum & viginti annos homini ad viuendum datos iudicant, neque amplius cuiquam iactitant eſſe conceſſum: etiam illud addentes: Moſen ſolum, Dei, vt Iudaeorum libri loquuntur, familiarem, CXXV. annos vixiſſe: qui cum quereretur, quod iuuenis interiret, reſponſum ei ab incerto ferunt numine, neminem plus eſſe victurum;* in *vita Claudii, cap. I. p. m. 351.* Errat equidem bifariam TREBELLIVS. Nam Moſes non CXXV, ſed centum & viginti tantum impleuit, & quod ait, excepto Moſe, neminem centum & viginti tranſcendiſſe, ex libris ſacris ſcimus, eſſe falſiſſimum. Videtur tamen ei aliquid ex *pſalmo XC.* innotuiſſe, vbi Moſes, quem auctorem eius eſſe conſtat, velut terminum quemdam humanae vitae conſtituit, dum *v. 10. dies annorum noſtrorum*, inquit, *quibus viuimus, ſeptuaginta anni, & ſi in fortitudinibus* (ſit) *octoginta anni.* Fuerunt etiam viri doctiſſimi, vt denique & hoc addamus, qui, vniuerſam fere ethnicorum theologiam ex Moſe, eiusue actis aut ſcriptis, manaſſe, ſibi perſuaſerunt. Hinc variis ſub nominibus, Mercurii ſiue Theut aegyptii, Oſiridis arabici, Bacchi indici ſeu Dionyſii θεσμοφόρε, Typhonis quoque, a quo Aegyptiis mala omnia, & Minois, qui Cretenſium legiſlator perhibetur, aliisque longe plurimis, apud ethnicos eum celebrari, contendunt. Exemplum reliquis velut praeiuit GERHARDVS IOANNES VOSSIVS, de *origine & progreſſu idololatriae, lib. I. cap. XXX. p. m. 84. ſeqq.* vbi comparationem inter Oſiridem arabicum, quem eumdem cum Baccho indico fuiſſe putat, & Moſen, inſtituit. Sub Typhonis nomine latitare Moſen, inſtituta comparatione docet SAM. BOCHARTVS, *hieroz. lib. II. cap. XXXIV. p. 340. ſeqq.* Cumprimis in hoc totus eſt PETRVS DANIEL HVETIVS, vt demonſtret, plerorumque apud gentiles deorum nomina Moſen referre, omnemque eorum theologiam ex Moſis hiſtoria profluxiſſe; in *demonſtrat. euangel. prop. IV. cap. III. ſeqq.* Horum veſtigiis inſiſtit NATALIS ALEXANDER, qui praecipua, quae huc ſpectant, capita, in compendio exhibet in *hiſtor. eccleſ. vet. teſtam. aetat. mundi quarta, cap. VII. artic. II. p. 341. ſeqq.* Nec abludit FRIDERICVS SPANHEMIVS, etſi non in omnibus cum HVETIO conſentiat; *hiſtor. eccleſ. vet. teſtam. epocha IV. num. VIII. p. 334.* At, ſi dicendum quod res eſt, multa, quae a viris doctiſſimis, praeſertim a PETRO DANIELE HVETIO dicta hac de re ſunt, ingenioſiora ſunt, quam veriora. Pleraque ad coniecturas,

easque interdum admodum incertas, redeunt, omnisque probandi vis in qualicumque conuenientia, omni demonſtrandi efficacia deſtituta, conſiſtit. Non omnia equidem reiicienda puto; nec tamen omnia adprobanda exiſtimo, praeſertim, vbi & veroſimilitudinis ſpecies deeſt, aut contrarium aperte patet. Interim, vbi certiora adſunt, hiſce inſiſtere, miſſis incertis, prudentiae erit.

** De Aegyptiorum rebus regibusque multa circa hocce quoque temporis interuallum diſputari ſolent. Sed incerta & obſcura fere ſunt omnia. Veterum plerique, eum Aegypti regem, ſub quo Iſraëlitae ex Aegypto egreſſi ſunt, quiue in mari rubro ſubmerſus periit, *Amoſin* vocant, qui & IOSEPHO, ſeu MANETHONI apud IOSEPHVM, *Tethmoſis*, audit; *contra Apion. lib. I.* quemue dynaſtiae decimae octauae primum regem ferunt. Ex PTOLOMAEO MENDESIO, aegyptiarum rerum ſcriptore, hoc confirmat TATIANVS: Αἰγυπτίων δέ εἰσιν αἱ ἐπ᾽ ἀκριβεῖς χρόνων ἀναγραφαί, καὶ τῶν κατ᾽ αὐτοὺς πραγμάτων ἑρμηνεύς ἐστι Πτολεμαῖος, οὐχ ὁ βασιλεύς, ἱερεὺς δὲ Μένδητος. οὗτος τὰς τῶν βασιλέων πράξεις ἐκτιθέμενος, κατ᾽ Ἄμωσιν βασιλέα Αἰγύπτου γεγονέναι Ἰουδαίοις φησὶ τὴν ἐξ Αἰγύπτου πορείαν, εἰς ἅπερ ἦλθον χωρία, Μωϋσέως ἡγουμένου. *Exſtant etiam annales Aegyptiorum, diligentiſſime concinnati, & rerum in eis contentarum interpres eſt Ptolomaeus, non quidem rex, ſed Mendeſius ſacerdos. Is, vbi regum geſta narrat, ſub Amoſi Aegyptiorum rege Iudaeos ex Aegypto migraſſe teſtatur in ſuam regionem, Moſen ducem ſequutos; orat. ad Graecos, num. LIX. p. 129.* Amoſin autem hunc tempore Inachi, Argiuorum regis, vixiſſe, ex eodem PTOLOMAEO docet TATIANVS, qui & APIONEM grammaticum, ſimilia tradentem, adducit, *l. c.* Ex TATIANO hoc repetit EVSEBIVS, *praeparat. euangel. lib. X. cap. XI.* idemque confirmat IVSTINVS martyr, *exhort. ad Graecos, p. 10.* atque CLEMENS Alexandrinus, *ſtromat. lib. I. p. 320.* Diſcedit ab hac ſententia EVSEBIVS ipſe, qui Amoſin hunc duobus, & quod excedit, ſaeculis, exitum Iſraëlitarum, ex Aegypto anteceſſiſſe, auctor eſt: hinc & Cenchren potius regem illum fuiſſe exiſtimat, qui contradixerit per Moſen Deo, atque mari rubro obrutus ſit: cui ſucceſſerit Acherris; *in chronicis ad annum mundi MMMDCLXX.* Et certe, ſi verum eſt, Inachum Argiuorum regem ad patriarcharum aetatem referendum eſſe, quod nonnulli contendunt, vt ad *period. I. ſect. III. §. XXIV.* obſeruauimus, ſententia illorum, qui, ſub Amoſi Ebraeos ex Aegypto migraſſe, ſtatuunt, admitti nequit. Supponunt enim, Amoſin hunc vixiſſe eodem cum Inacho tempore. Non tamen deeſſe, qui Inachum Moſi coaeuum faciunt, ibidem iam docuimus. At SYNCELLVS hic in alia omnia abit. Amoſin namque, primum dynaſtiae decimae octauae regem, filium vocat Aſethi, ſub quo Moſen natum ſtatuit, cuius etiam filia, adeoque Amoſidis ſoror eum educauerit: exiiſſe autem Moſen cum Iſraë-

Iſraëlitis, ſub rege dynaſtiae decimae octauae ſexto Miſphragmuthoſi, qui itidem Amoſis dictus fuerit, *p. 63. ſeqq.* Qua in re licet IOSEPHI ſe auctoritatem ſequi profiteatur, ab eo tamen maximopere diſſentit. Nihiloſecius SYNCELLVM FL. IOSEPHO praefert IOAN. MARSHAMVS, in *can. chron ſaec. XII. p. 322.* ſed ita, vt IOSEPHVM ſimul malae fidei arguat, *ſaec. IX. p. 138. ſeqq.* Vtrumque autem & SYNCELLVM & MARSHAMVM acriter multisque rationibus refellit IAC. PERIZONIVS, in *aegyptiac. origin. inueſtigat. cap. XVIII. p. 312. ſeqq* Alii exiſtimarunt, regem illum, ſub quo Ebraei ex Aegypto egreſſi ſunt, quique in mari rubro periit, Amenophim vocatum, qui vltimus fuit in dynaſtia decima octaua. Patrem namque eius, Rameſſem, cognomento Myamum, qui totis annis LXVI regno praefuit, eum eſſe, qui diuturna ſeruitute oppreſſerit Iſraëlitas. Huius filium Amenophim in iſta erga Ebraeos ſeueritate perrexiſſe, donec grauiſſimis calamitatibus adflictus, eos dimiſerit; cum vero eum cupido illos perſequendi incederet, in mari rubro aquis obrutum periiſſe. Hunc ipſum Amenophim patrem eſſe Sethoſis ſeu Seſoſtris, qui & Rameſſes iunior audit, atque Armais; eumdemque a Graecis Belum nuncupari, & Aegypti ac Danai ferri genitorem. Ita quidem IACOBVS VSSERIVS, in *annalibus ad annum MM CCCC XCIV. p. m. 11.* quem & FRIDERICVS SPANHEMIVS ſequitur, in *hiſtor. eccleſ. vet. teſtam. epoch. IV. num. XI p. 343.* & NAT. ALEXANDER, *hiſtor. eccleſ. vet. teſt. act. mundi IV. cap. VIII. p. 350. ſeqq.* Verum, etſi IOSEPHVS Amenophim hunc ex MANETHONE commemoret; ipſe tamen eum inter reges fictitios refert, atque diſerte ἐμβόλιμον βασιλέα, *inſititium regem* adpellitat; *contra Apion. lib. I. p. 1052.* Praeterea cuncta, quae de hocce Amenophi dicuntur, longe ſunt incertiſſima; quod pluribus demonſtrat IACOB. PERIZONIVS, *aegyptiar. orig. inueſtigat. cap. XII. p. 187. ſeqq.* LYSIMACHVS, regem iſtum, ſub quo Iſraëlitae ex Aegypto egreſſi ſunt, Bochorin fuiſſe, auctor eſt; apud IOSEPHVM, *loc. cit.* eamdemque ſententiam ſequitur C. CORNELIVS TACITVS, *hiſtoriar. lib. V. cap. III.* Verum, cum omnium conſenſu Bochoris longe poſt haecce tempora vixerit; digna haec ſententia non eſt, cuius vlla habeatur ratio; vid. MARSHAMVS, *can. chron. ſaec. XVI. p. 484.* Diligentiſſimus rerum aegyptiarum inueſtigator, quem aliquoties iam laudauimus, IACOBVS PERIZONIVS, etſi fateatur, de rege, ſub quo Iſraëlitae ex Aegypto exierunt, nihil certi definiri poſſe; veroſimile tamen putat, Amoſin ſeu Tethmoſin illum, qui primus eſt in MANETHONIS dynaſtia decima octaua, primum etiam fuiſſe regem poſt Iſraëlitarum ex Aegypto exitum; partim, quod veteres plerique Moſen & illum Amoſin aequales faciant; partim, quia ex MANETHONE referat IOSEPHVS, poſtquam populus paſtorum ex Aegypto exiit Hieroſolyma, Tethmoſin hunc regnaſſe annis XXV & menſibus quatuor; partim denique, quia

valde probabile ſit, poſt interitum regis cum omni exercitu in mari rubro, magnam rerum mutationem in Aegypto accidiſſe, atque adeo nouam tunc dynaſtiam ortam, cuius primus fuerit rex ille, qui primus poſt iſtam adeo grauem calamitatem ſeu cladem regnauerit; *loc. cit. cap. XX. p. 378.* Quae eiusmodi ſunt, vt minime contemnenda videantur.

Sunt, vt reliqua perſequamur, qui inter Aegypti reges hac aetate celebres Buſiridem referunt; ſed, cum is rectius Ioſuae demum tempore regnaſſe cenſeatur, ſi modo Buſiris aliquis vmquam exſtitit, de eo in ſequentibus dicendi locus erit. De Mercurio autem, quem nonnulli eo tempore, quo Israëlitae in deſerto errarunt, in Aegypto floruiſſe perhibent, quid cenſendum ſit, patet ex iis, quae ſupra ad *per. I. ſect. III. §. XIII.* fuſe diſputauimus. Sed & de reliquarum, quae vulgo commemorantur, gentium rebus, quales hoc temporis ſpatio fuerint, iudicium ferendum ex iis, quae itidem ſupra ad *per. I. ſect. III. §. XXIV.* diximus. Quod & ſpeciatim de Graecorum rebus eſt intelligendum. Id ſaltem obſeruamus, eſſe viros doctos, qui mutationem, quae apud Argiuos contigit, qua pulſo vltimo Inachidarum rege Gelanore, imperium Danao, qui ex Aegypto in Graeciam venerat, detulerunt, ad haec circiter tempora referunt; vnde Danai deinceps pro Argiuis dicti ſunt. Verum ſupponunt, Danaum hunc eſſe filium Amenophis Aegypti regis, & hunc illum ipſum eſſe, qui in mari rubro perierit. Quae quam incerta ſint, ex antea dictis adparet. Ab aliis ad Ioſuae tempora haec referuntur. De Danai filiabus quinquaginta, quae totidem Aegypti, fratrem ſuum bello perſequentis filios, excepto vno, a ſponſa ſua ſeruato, interfeciſſe perhibentur, notiſſima eſt fabula, & apud mythologos ſcriptores celebrata. Conf. PAVSANIAS, in *Corinthiacis*, ſiue *libro II. cap. XVI. p. m. 145.* APOLLODORVS, *bibliothec. lib. II. cap. I. p. m. 72.* aliique. Denique & Lacedaemon rex in ea regione, quae ab eo deinceps nomen ſortita eſt, eo tempore, quo Moſes cum Ebraeis in deſerto egit, imperitauit, vrbemque condidit, cui Spartae nomen dedit, a Sparta vxore, Eurotae filia, de quo pluribus PAVSANIAS, in *Laconicis*, ſiue *libro III. p. 204.* Certe ad haec tempora haec refert EVSEBIVS, in *chronicis*, *p. 78.* De Atheniensium autem aliarumque gentium rebus, quae huc quodammodo ſpectare videntur, commodior in ſequentibus erit dicendi locus.

PERIO-

PERIODI SECVNDAE
A MOSE VSQVE AD CHRISTVM
SECT. II.
A IOSVA VSQVE AD SAMVELEM.

Σύνοψις.

Iſraëlitae, ex quorum fatis eccleſiae ſtatus pendet, duce Ioſua, Iordanem traiiciunt; §. I.

Hierichuntem capiunt, ſoloque aequant; §. II.

itemque Hai vrbem; §. III.

Receptis in fedus Gibeonitis, quinque Cananaeorum reges vincunt, regnis eorum occupatis; §. IV.

Septemtrionalem Cananaeae partem itidem in poteſtatem ſuam redigunt, deletis quoque Anakaeis; §. V.

Diſtributa per ſortes Iſraëlitarum tribubus terra Canaan, federeque inter Deum & huncce populum renouato, Ioſua moritur; §. VI.

Bella contra Cananaeos poſt mortem Ioſuae continuata: non tamen exſtirpati Cananaei penitus, vnde calamitatum, quae deinceps Iſraëlitis incubuere, origo; §. VII.

A Meſopotamitarum iugo Iſraëlitas liberauit Othoniel; a Moabitarum Ehud; Philiſtaeos repreſſit Samgar; Iabinum ſuperarunt Debora & Barak; §. VIII.

Ex Midianitarum ſeruitute Ebraeos vindicauit Gideon, qui imperium ſibi oblatum modeſte recuſauit, quod vi ad ſe rapuit Abimelechus; §. IX.

Status Iſraëlitarum ſub Thola; Iairo, Iephta, Ebzone, Elone & Abdone; §. X.

Philiſtaeos tandem, quibus quadraginta annis ſeruierant Iſraëlitae, in ordinem redegit Simſon; §. XI.

Sub Eli ſacerdote, qui iudicis munere itidem functus eſt, quae rerum in gente ebraea facies fuerit? §. XII.

Viris illuſtribus, qui hoc temporis interuallum nobilitarunt, addenda femina Rutha; §. XIII.

Religio cultusque Numinis externus, qualis hac aetate fuerit? §. XIV.

De ſtatu domeſtico, & regimine ciuili, quid obſeruandum? §. XV.

De litterarum ſtudiis, ſcholis, librisque hoc tempore editis; §. XVI.

Idololatriae incrementa, & in gente ebraea exempla; §. XVII.

Profanorum ſcriptorum de rebus ſub Ioſua & iudicibus geſtis teſtimonia; aliarumque gentium hoc tempore ſtatus; §. XVIII.

Digitized by Google

§. I.

VT eccleſiae facies, quae poſt Moſen ad Samuelem vsque fuit, cognoſcatur, ad ipſius populi iſraëlitici, in quo ſedes eius praecipua fuit, fata attendendum. De hoc autem conſtat, quod duce Ioſua, Nunis ex Ephremitica tribu filio, ad peragenda, quae, vt promiſſis diuinis ſua conſtaret veritas, ſupererant, diuinitus excitato & confirmato, * Iordanem tandem, diſcedentibus vtrimque non ſine miraculo aquis, ** traiecerit, & ita tandem terram Canaan ingreſſus fuerit. ***

* Moſen, Ioſuam ſucceſſorem ſuum Numinis iuſſu deſignaſſe, iam ſupra *§. X. ſectionis praecedentis* obſeruauimus; conf. *Num. XXVII. 1. ſeqq. Deut. III. 21. XXXI. 7. ſeqq.* Confirmatus idem fuit, & adloquio diuino corroboratus, cum mortuo Moſe in eo eſſet, vt munus ſibi demandatum ſuſciperet, *Ioſ. I. 1. 2. ſeqq.* Vocatur ibi *Moſis miniſter*, non עבד *ſeruus*, ſed משרת *miniſter*, vt indicetur, non ea illum praeſtitiſſe, quae ſeruorum ſunt, ſed ceu magnae dignitatis virum in rebus magni momenti Moſi praeſto fuiſſe. Conf. ANDREAS MASIVS, ad *h. l.* Dictus antea fuerat *Hoſeah*, ſed a Moſe vocatus eſt יהושע *Ioſuah*, non ſine praeſagio; cum is futurus eſſet, qui populum ebraeum prudentia & conſilio ſeruaturus, tandemque ad quietem perducturus eſſet; *Num. XIII. v. 9. 17.* Poſtea mutata inflexione dictus eſt ישוע vnde LXX interpretibus Ἰησοῦς adpellitatur. Patrem eius *Nun* vocatum, conſtat, quam vocem cur LXX interpretes per Ναυῆ exprimant, eius rei non facile reddideris rationem. Varia de nomine hocce diligenter congeſſit GEOR. SERPILIVS, in *perſonalibus*, quae vocat, *Ioſuae*, *cap. I.*

** In munere ſibi demandato confirmatus Ioſua, & diuini auxilii promiſſione ad res maximas peragendas excitatus, ſimulque, quae ſui eſſent officii, denuo edoctus, Numinis voluntate populo indicata, quae ad continuandum iter ac traiiciendum Iordanem neceſſaria erant, comparare iubet. Sittimis itaque profecti, ad Iordanem peruenerunt. Haec dum *cap. III. v. 1.* commemorantur, additur: *Elapſis vero tribus diebus per media caſtra tranſierunt praecones, edictumque promulgarunt populo his verbis &c.* Vbi de tridui iſtius computatione dubium oritur: diſputatque fuſe hac de re R. DAVID KIMCHI, ad *h. l.* Nonnulli namque triduum intelligunt a profectione a Sittim, quod & innuere videtur interpres vulgatus, verſum hunc praecedenti iungens, & vertens: *& morati ſunt ibi per tres dies.* At alii de triduo, quod Ioſua praeparationi ad iter conſtituit *cap. I. 11.* intelligunt, vt tamen iterum in eo diſſentiant, an tridui iſtius dies tertius, an qui finito triduo illu-

illuxit, ſeu quartus, intelligatur. Prius plerique ex Ebraeis defendunt, traditioni veterum, quod Moſes mortuus ſit, die VII menſis Adar, inhaerentes. Cum vero iſta traditio fundamento certo deſtituatur, alii triduum illud intelligunt, in quod Ioſua iuſſit viaticum parari ad transeundum Iordanem, *cap. I. v. 11.* ſed ita, vt finito iſto triduo, ſeu die quarto praefecti per caſtra tranſierint, tranſitum Iordanis & eius modum promulgauerint, qui & die ſequenti fuerit ſubſequutus. Senſus itaque verborum antea adlatorum erit: *Atque ita factum eſt a fine trium dierum, ſicut Ioſua fore dixerat, vt praefecti tranſirent per caſtra &c.* Cumque ex *Ioſ. IV. 19.* conſtet, tranſitum Iordanis factum die X menſis primi, ſcilicet ſacri ſeu paſchalis, dies iſti ita diſponi poſſunt: die VI indictum Iſraëlitis fuit, vt cibaria pararent: hinc cum motis die VIII caſtris, ad Iordanem eodem die perueniſſent, die IX tranſitus Iordanis illis indictus eſt, qui & die decimo eſt ſequutus. Nec obſtat, quod *Ioſ. I. 11.* dicatur, poſt tres dies, hoc eſt, quarto die eos Iordanem tranſituros; cum iuxta noſtram ſententiam quinto demum die eum traiecerint: ſi enim tranſitus latius cum antecedentibus accipiatur, finitis tribus diebus initium eius factum eſt. Conf. SEB. SCHMIDIVS, ad *h. l.* Ioſua itaque pridie iſtius diei, quo Iordanem traiecerunt, Iſraëlitis, quo pacto tranſitus fieri, & qua ratione ſe praeparare debeant, ſignificat: ſpeciatim & voluit, *vt ſe ſanctificarent*, (התקדשו *ſanctificate vos*) tum veſtium lotione, tum abſtinentia ab vſu thori coniugalis, vt animo pariter & corpore, ad maximum, quod Deus editurus eſſet, miraculum ſpectandum, parati eſſent. Cum ipſe dies decimus illuxiſſet; Ioſua iterum ſacerdotes pariter ac Iſraëlitas, quae ab vtrisque fieri vellet, monuit, *v. 6. ſeqq.* tumque traiecerunt fluuium. Simul ac enim ſacerdotes arcam federis ferentes aquas Iordanis attigiſſent, ſtatim aquae e ſuperiori fluuii parte deſcendentes ſteterunt, exſurrexeruntque in cumulum הרחק מאד באדם *recedentes valde in Adam.* Quae verba cum obſcuriora ſint; multum negotii interpretibus faceſſunt. Id conſtat, magnoque conſenſu Iudaei & chriſtiani plerique tradunt, *Adam* hic nomen vrbis eſſe, quae ſita erat e latere Zarethan; eaque cum ignobilis fuerit, aut forte non multum poſt deleta, mirum non eſt, quod eius deinceps nulla occurrat mentio. Diuerſam eſſe ab Adama ad mare mortuum ſita, alii iam monuerunt. Nec prope Zarethan eam ſitam fuiſſe, dicitur, ſed a latere, ſeu in ea Iordanis ripa, in qua Zarethan, vrbs nobilior & potior poſita erat. Nec praetermittendum, quod Maſorethae pro באדם legendum moneant מאדם, quam lectionem plerique ſequuntur; quamuis ne tum quidem de horum verborum ſenſu inter ſe conſentiant. Ebraeorum doctores exiſtimant, aquas adeo in altum, non autem in latitudinem excreuiſſe, vt tam longe ab vrbe Adam, quam antea, abſfuerint. Hac aliorumque reiecta ſen-

Digitized by Google

ſententia, SEB. SCHMIDIVS, ſacrum ſcriptorem hoc ſibi velle, exiſtimat, *aquas ſuperiores ſubſtituiſſe, & perſtitiſſe vt cumulum, ita tamen, vt prius elongatae valde fuerint retrorſum, ab Adam vrbe, prope quam, vel e cuius regione ſtabat arca federis: vbi ita retroceſſit, ab arca & coram arca quaſi refugit aqua, tum demum ſtetit.* Idque indicari, putat, *Pſalm. CXIV. 3. 4.* Satis quidem ingenioſe haec dicuntur, ſi τὸ קרי ſequi velimus. At, qui τὸ כתיב praeferunt, planius forte dici, ſibi perſuadebunt, aquas ex mente ſcriptoris ſacri ſtagnantes receſſiſſe ad Adam vsque, vt adeo tum in altitudinem, tum in latitudinem excreuerint, aut qua extenſionem latius ſpatium occupauerint. Nec inſolens, vt particula ב ita capiatur: quemadmodum & miraculi magnitudini nihil hac ratione detrahitur. Ita ergo cum aquae ſuperiores conſiſterent, inferioresque in *mare ſalſum*, ſeu *mare mortuum* defluerent, ſicco pede tranſire poterant Iſraëlitae. De loco, in quo ſacerdotes cum arca ſubſtiterint, itidem quaeri ſolet, num in citeriori ripa, an in medio aluei, an in ripa aduerſa fuerit. Diuerſas enim hac de re eſſe ſententias, IO. DRVSIVS, ad *h. l.* obſeruat. Cum vero ſtatim ac Iordanem ſacerdotes ingreſſi ſunt, diuiſio aquarum facta ſit, valde veroſimile, eodem in loco eos ſubſtitiſſe, donec populus vniuerſus traiecit. Firmiter autem & pede immoto eos conſtitiſſe, vbi ſemel pedem fixerant, donec tranſitus peractus eſſet, *verſ. 17.* diſerte dicitur. Miraculum hocce, quod in iſto tranſitu contigit, extenuare videtur FLAV. IOSEPHVS, *antiquit. iud. lib. V. cap. I. p. 135. Imperatore autem*, inquit, *ſollicito de traiectu, amnis enim auctus aquis fluebat, &, cum pontem non haberet, ne fabricari quidem hoſtis paſſurus videbatur, nec naues vllae praeſto aderant, Deus ſe illis tranſitum procuraturum promiſit*, μειώσας αὐτοῦ τὸ πλῆθος, *fluentis eius imminutis.* Hinc cum narraſſet, quo ordine ad flumen traiiciendum inceſſiſſent, miraculi a Deo editi nulla iniecta mentione, pergit: ὡς δὲ ἱερεῦσι πρώτοις ἐμβάσιν, πορευτὸς ἔδοξεν ὁ ποταμὸς, τοῦ μὲν βάθους ἐπεσχημένου, τοῦ τε χάχληκος τῷ μὴ πολὺν εἶναι μὴ δ' ὀξὺν τὸν ῥοῦν ὥσθ' ὑποφέρειν αὐτὸν τῇ βίᾳ ἐπὶ τοῦ ἐδάφους κειμένου, πάντες ἤδη θαρσαλέως ἐπορεύοντο τὸν ποταμὸν οἷον αὐτὸς ὁ θεὸς προεῖπε ποιήσειν, τοιοῦτον κατανοοῦντες. *Vt vero ſacerdotibus primis ingreſſis vadabile eſt viſum, quod & aqua decreuiſſet, & clarea non amplius vi vndarum volueretur, ſed ſtabile ſolum exciperet veſtigia, omnes iam intrepide vadum tranſibant, tale redditum cernentes, quale Deus promiſerat.* At, haec cum narratione ſacri ſcriptoris minime conuenire, manifeſtum eſt. Eo minus vero, quae IOSEPHVS innuit, locum inueniunt, quod eo inſuper tempore Iordanem traiecerint Iſraëlitae, quo aquae eius ripas excedebant, quod diſerte *cap. III. 25.* dicitur. Id nimirum verno tempore contingebat, quod erat tempus meſſis, quo etiam niues Antilibani montiumque vicinorum lique-

que-

Digitized by Google

queſactae, & in Iordanem defluentes, aquas eius augebant. Ceterum in memoriam tanti miraculi duplex monumentum exſtare Ioſua voluit; alterum in ipſo Iordane, alterum in Gilgal, ſeu loco iſto, vbi poſt fluuium traiectum, Israëlitae pernoctarunt. Nimirum duodecim lapides ex medio Iordanis, cum aquae eius adhuc diuiſae eſſent, a totidem viris, pro numero tribuum Israëlis, tolli, & in locum, vbi pernoctaturi eſſent, vt ibi erigerentur, in monumentum transferri voluit, ſimul & totidem lapides in ipſo Iordane, eo in loco, vbi ſacerdotes cum arca conſtiterant, erigi iuſſit. Cumque antea obſeruatum ſit, ſacerdotes prope ripam, cum fluuium ingreſſi eſſent, ſubſtitiſſe; eodem in loco erecti lapides, cum aqua Iordanis exigua eſſet, facile conſpici potuerunt. FLAV. IOSEPHVS auctor eſt, Ioſuam ex lapidibus iuſſu eius ex Iordane ſublatis, aram exſtruxiſſe, & in ea ſacrum feciſſe Deo; *loc. cit. lib. V. cap. I. p. 136.* At id ex ſcriptura ſacra non colligas.

** Cum eum in finem Israëlitae traiecto Iordane terram Cananaeam ingreſſi ſint, vt eam poſſeſſoribus ſuis ereptam ſibi ſubiicerent; quo demum iure hoc factum ſit? quaeri ſolet. Cananaeos, maximam hoc ipſo ſibi fieri iniuriam, cum gentem ebraeam nullatenus laeſiſſent, exiſtimaſſe, non eſt, quod dubitemus. Idque illi indicarunt, qui ex Cananaeis in Africam ſe receperunt, ibique columnis a ſe erectis haec inſcripſerunt verba: *Nos ſumus, qui fugimus a facie Ieſu latronis, filii Naue*, quod PROCOPIVS refert de *bello Vandalico; lib. II.* & ex eo EVAGRIVS, *hiſtor. eccleſ. lib. IV. cap. XVIII.* de qua tamen inſcriptione plura deinceps ad *§. XVIII.* dicemus. Sed & apud ſcriptores ethnicos paſſim hoc Iudaeis exprobratur, quod praeter ius atque fas terram cananaeam ſibi vindicarint. Immo & inter veteris eccleſiae haereticos idem fecere Manichaei, apud EPIPHANIVM, *haeresi LXVI.* Nec recte cauſſae Israëlitarum conſulunt, qui eos, vt punirent Cananaeos, ob atrociſſima, quae hactenus admiſerant, delicta, horum occupare prouincias, poſſeſſoribus aut eiectis, aut contrucidatis, potuiſſe, contendunt. Cum enim populi a ſe inuicem non dependentes, aequales ſint, nulli ius alterum puniendi competit. Alii itaque ex titulo repetundarum ius Israëlitarum in terram cananaeam repetunt. Iuxta partitionem enim orbis inter Noachi filios factam, Cananaeam ceſſiſſe poſteris Semi, qui cum a Cananaeis hinc expulſi eſſent, Iſraëlitas ex Semo prognatos, hancce terram optimo iure repetiiſſe. Ita AVGVSTINVS *ſerm. CV. de tempore*, EPIPHANIVS *l. c.* aliique. Quae quam infirma ſint, vel inde intelligitur, quod, quae de partitione orbis inter filios Noachi, deque Semitarum ex Cananaea expulſione, dicuntur, ſine certo fundamento ſupponuntur: & ſi vera eſſent, non minus reliquis populis ex Semo oriundis, quam Ebraeis, ius occupandi hancce terram fuiſſet. Rectius itaque hinc ſe expediunt, qui ad auctoritatem ac praeceptum Numi-

(*Buddei Hiſt. Eccleſiaſt. Tom. I.*) Mm mm nis

nis ſe referunt. Deus enim, ceu ſupremus orbis vniuerſi omniumque populorum iudex, punire Cananaeos ob delicta atrociſſima, eorumque adeo bona, terramque, quam poſſederant, ad Iſraëlitas transferre potuit. Idque paſſim ſcriptura ſacra teſtatur, quae ſoli Deo hoc tribuit, quod iniquitates Cananaeorum vindicaturus ſit, eorumque terram conceſſurus Iſraëlitis. Hinc ipſe Deus ad Ioſuam dicit: *Surge, & transi Iordanem iſtum, tu & omnis populus tecum in terram, quam EGO DABO filiis Iſraël, Ioſ. I. 2.* Et cum Iordanem per maximum miraculum Iſraëlitae traieciſſent, ingens omnes inuaſit terror: *fractus eſt eorum animus, neque vlla fuit in illis amplius fiducia propter Iſraëlitas, Ioſ. V. 1.* Senſerunt namque, Deum eſſe, qui poenam delictorum hactenus commiſſorum ab illis poſceret. Idque alibi agnoſcit ipſe AVGVSTINVS, cum contra Manichaeos diſputat, *lib. XXXII. contra Fauſtum, cap. LXXVIII.* conf. IO. ADAMVS OSIANDER, ad *Hug. Grot. de iure belli & pacis, lib. I. cap. II. p. 407. ſeqq.* Quo pacto Ebraeorum doctores in gemara babylonica, ad *tit. Sanhedrin, cap. XI.* cauſſam ſuam contra Cananaeos agant, videre licet apud IO. SELDENVM, *de iure nat. & gent. iuxta diſcipl. Ebraeor. lib. VII. cap. VII. p. 864. ſeqq.* Denunciaſſe Ioſuam gentibus Cananaeis bellum, in ſcriptura ſacra non legitur. Tradunt id quidem doctores ebraei apud IO. SELDENVM, *l. c. lib. VI. cap. XIII. p. 772.* Sed ſine fundamento. Nec enim in iſto bello, quod iuſſu & auctoritate Numinis ad puniendos homines gerebatur, denuntiatione opus erat. Sunt &, qui exiſtimant, cum Cananaei voluntatem Numinis ignorauerint, non peccaſſe eos, dum ſe contra Iſraëlitarum inſultus defenderunt: indeque concludunt, poſſe contingere, vt bellum ex vtraque parte iuſtum ſit. At & hoc perperam adſeritur, cum Cananaei, ſi voluntatem Dei neſciuerint, eamdem tamen ſcire potuerint, adeoque ignorantia fuit vincibilis. Dixi hac de re in *inſtitut. theolog. moral. part. II. cap. IV.* ad *§. XXVI.* add. IO. ADAMVS OSIANDER ad *Hug. Grot. de iure belli & pac. lib. II. cap. XXIII. §. XIII.*

§. II.

Circumciſione tum, rituque paſchali hactenus intermiſſo, repetito, * ad Hierichuntem occupandam feſtinatum, cuius ſitum ſtatumque per exploratores iam antea Ioſua cognouerat. ** Vrbem munitam & propugnaculis validis cinctam, nouus plane ac inauditus expugnandi adhibebatur modus. Milites circuire moenia iuſſi, ſeptem ſacerdotibus, qui arcam federis praecedebant, buccina clangentibus: idque cum ſex diebus feciſſent, ſeptimo (eadem ratione) cum ſepties vrbem circumiuiſſent, muri, ſponte corruentes, Iſraëlitis

tis aditum vbique in eam praebuerunt. Vrbs cum incolis omnibus deleta funditus, ſola ſeruata cum ſuis Raab femina, quae exploratores Ioſuae hoſpitio exceperat, eosque occultauerat.***

*Ad circumciſionem quod attinet, ea, quam diu Iſraëlitae in itinere conſtituti erant, intermiſſa fuerat. Cum enim certam ſtabilemque ſedem non haberent, ſed, quoties columna mouebatur, toties caſtra quoque mouenda eſſent, fieri circumciſio commode & interdum citra periculum vitae non poterat. Per inobedientiam enim circumciſionem omiſſam, quae eſt ſententia AVGVSTINI, ad *h. l. qu. VI.* aut quod populus ebraeus in deſerto conſtitutus, ſigno, quo a reliquis gentibus diſcerneretur, opus non habuerit, vt THEODORETVS putat, ad *h. l. qu. II.* ac IOAN. DAMASCENVS, de *orthodoxa lib. IV. cap. XXVII.* ſine omni fundamento dicitur. Iudaeorum hac de re commenta apud IO. CHRISTOPH. WAGENSEILIVM, in *Sota p. 107.* legere licet. Atque hinc ratio quoque patet, cur שנית circumciſi dicantur. Renouationem ſcilicet circumciſionis, hactenus ob rationem antea adlatam intermiſſae, indicari, res ipſa docet. Quod enim ANDREAS MASIVS, ad *h. l.* praeeunte R. DAVIDE KIMCHIO contendit, vocem שנית non pertinere ad circumciſionem, ſed ad eius procurationem, vt Ioſua iterum iterumque circumeundo ſollicite curare debuerit, ne quis incircumciſus maneret, non minus coactum eſt, ac illud, quod alii dicunt, circumciſionem duabus vicibus fuiſſe peragendam, vt primo vna pars populi circumcideretur, deinde altera, ne, ſi omnes ſimul ex vulnere languerent, Cananaeorum iniuriis expoſiti eſſent. Mitto Iudaeorum de praeputio in deſerto a nonnullis reducto, & aliis, commenta, quae & hic more ſuo ingerunt. Licet autem Ioſua ipſe de circumcidendis filiis Iſraël, illis ſcilicet, qui nondum circumciſi erant, mandatum accepiſſet; non tamen veroſimile, hoc ab ipſo factum, ſed a viris potius idoneis ad hocce officium ab ipſo electis. Immo fieri non poterat, vt Ioſua tot homines, tam breui praeſertim temporis ſpatio, circumcideret. Interim non negauerim, Ioſuam nonnullos forte, qui ex ipſius familia erant, circumcidiſſe. Sed nihil certi hac de re adfirmare licet. Conf. SEB. SCHMIDIVS, ad *h. l.* Inſtrumentum, quo circumciſio peracta, erant חרבות צרים *cultri petrini* ſeu *ſaxei.* Ex lapidibus enim quibusdam cultros acutos confici poſſe, ſupra iam obſeruauimus, cum de circumciſione a Zippora peracta verba faceremus. Vox חרב, licet ceteroquin *gladium* denotet, attamen & de *cultro* recte adhibetur, licet forte haecce vox ideo hic vſurpetur, quod cultri paullo maiores, & gladii formam referentes, ad hunc actum fuerint conficiendi. Vnde tanta lapidum ad tot cultros conficiendos idoneorum copia praeſto fuerit, fruſtra quaeritur. Si enim eo in loco prae-

ſto non fuiſſet, Deus hoc non praecepiſſet. Nec ſuperuacaneum hoc alicui videri debet. Etſi enim dubium non ſit, quin Israëlitae cultris fuerint inſtructi; Deus tamen non ſine ratione ad actum huncce ſacrum peculiares cultros confici voluit. Add. IOAN. DRVSIVS & THEODOR. HACKSPANIVS, ad *h. l.* Omnia cum rite peracta eſſent, additur: *tum Iehouah Ioſuae, hodie*, inquit, *probrum Aegypti a vobis deuolui, dictusque eſt locus ille Gilgal &c.* Rationem, cur locus ille Gilgal dictus ſit, facile perſpicere licet: at quid per *probrum Aegypti* intelligatur, non aeque patet. Nonnulli per illud praeputium intelligunt, ſed cur ita vocetur, inter ſe non conueniunt. Quidam namquam id ita dictum volunt, tum quod praeputiati intemperantiores ſint, & omnium maxime Aegyptii, tum quod Aegyptii Israëlitas e terra eorum exeuntes irriſerint, quaſi terram Canaan fruſtra ſperauerint, in qua tamen ſpe per circumciſionem iſtam fuerint confirmati. Alii autem, praeputium ideo *probrum Aegypti* vocari, putant, quod Ebraei incircumciſi, magis adhuc Aegyptii, quam Ebraei videri potuerint, inprimis, quia mores & religionem Aegyptiorum, quibus in Aegypto adſuefacti, nondum plane exuiſſent; conf. ANDREAS MASIVS, ad *h. l.* Rurſus alii per *probrum Aegypti*, ipſam Aegyptiorum religionem intelligunt, a qua iam Deus populi ſui animos prorſus auerterit, quemadmodum iterum alii, ſeruitutem Israëlitarum in Aegypto hacce formula denotatam, contendunt. IOANNES SPENCERVS inter argumenta, quibus probari poſſit, circumciſionis originem ab Aegyptiis repetendam, huncce quoque locum refert, cuius adeo ſenſus fuerit, cum Aegyptii gentes incircumciſas contemtui & ludibrio habuerint, Deum hocce opprobrium nunc ab Israëlitis abstuliſſe circumciſione peracta, ſeu effeciſſe, ne illis ab Aegyptiis praeputium exprobrari poſſit. Subiungit tamen reſponſionem ad hanc explicationem ipſe SPENCERVS, obſeruans, de aegyptiaca ſeruitute etiam haec verba capi poſſe, cum nunc demum reuera in libertatem adſerti, Abrahami filii, & terrae promiſſionis heredes haberi poſſent; *de legib. Ebr. ritualib. lib. I. cap. IV. ſect. IV. p. m. 73.* At priorem explicationem calculo ſuo adprobat IOANNES CLERICVS, ſupponens adeo, circumciſionem iam tum in Aegypto vſitatam, immo ab Aegyptiis originem habuiſſe, omnesque praeputiatos odio & contemtui fuiſſe Aegyptiis. Qua de re quid ſentiendum, iam ex ſupra dictis conſtat. Singularis plane eſt ſententia SEBAST. SCHMIDII, ad *h. l.* Opprobrium enim actiue hic accipiendum putat, pro eo, quo Israëlitae adſecerunt Deum; idque de murmuratione illa explicat, qua, ſpreta terra Canaan, Aegyptum illi praetulerant: hocce autem nunc ſublatum opprobrium, dum placato Numine, terram Canaan ingreſſi ſint, eumque in finem circumciſionem ſtatim poſt ingreſſum in hanc terram renouatam. Quae annon paullo longius petita ſint, aliis

aliis diiudicandum relinquo. Mihi planiſſime rem expedire videntur, qui per opprobrium Aegypti, ſeruitutem aegyptiacam intelligunt, a qua nunc demum, cum, fœdere Abrahami per circumciſionis renouationem reſtaurato, iam ipſam terram Canaan ingreſſi eſſent, ita prorſus liberati erant, vt nihil amplius iuris Aegyptiis in Israëlitas ſupereſſet. Eodem in loco dum adhuc commotabantur Israëlitae, paſcha etiam celebrarunt, die ſcilicet decimo quarto eiusdem menſis primi. Id, ex quo Aegypto egreſſi erant, alterum erat paſcha. Prius enim anno egreſſus ex Aegypto ſecundo, ad montem Sinai celebrarunt, *Num. IX. 1. 2. ſeqq.* Per ſequentes annos, propter agnorum aut hoedorum defectum, aut alia itineris incommoda, eos hocce feſtum celebrare non potuiſſe, probabile eſt. Poſtridie paſchatis, hoc eſt, die menſis primi XVI coeperunt prouentu terrae veſci, oblato prius, vt credere par eſt, ex lege primitiarum gomero *Leuit. XXIII. 11.* Et tum demum die ſequenti, ſeu XVII menſis primi, manna defiit. Quod ſi quaeras, vnde frugum terrae illis copia? vix aliud reſponderi poteſt, quam ex agris Cananaeorum, quos occupauerant. Idque haud obſcure ſcriptor ſacer innuit, comediſſe iſtos, referens, de prouentu, הארץ *terrae*, iſtius ſcilicet, quam ingreſſi erant. Confirmat id FLAV. IOSEPHVS: πάντων ὧν αὐτοῖς πρότερον συνέβαινε σπανίζειν, τότε ῥαδίως εὐποροῦντες· τόν τε γὰρ σῖτον ἀκμάζοντα ἤδη τῶν Χαναναίων ἐθέριζον, καὶ τὰ λοιπὰ λεῖαν ἦγον. *Omnibus, quibus prius contigerat eos egere, tunc facile abundantes, frumentum iam maturum Cananaeorum demeſſuerunt, & cetera praedae loco habuerunt; antiquit. iud. lib. V. cap. I.*

** Ex *capite II. Ioſ. verſ. 1.* videtur colligi poſſe, exploratores tum demum miſſos, cum Ioſua iam mandatum Numinis de traiiciendo Iordane populo Israëlitico promulgaſſet. At cum a die iſtius promulgationis vsque ad diem, quo Israëlitae Iordanem traiecerunt, quatuor dies, aut, ſi hic connumeretur, quinque praeterlapſi ſint, & exploratores ad Ioſuam, priusquam Iordanem traiicerent, reuerſi dicantur, *verſ. 23.* praeterea exploratores per triduum in monte delituerint, manifeſtum eſt, haec omnia intra iſtud temporis ſpatium peragi non potuiſſe. Sunt equidem, qui varia excogitant, vt euineant, exploratores, etſi eodem die miſſos, quo mandatum Dei Ioſua promulgauerat, redire tamen, antequam traiicerent Iordanem, potuiſſe; ſed mihi planiſſima illorum ſententia eſſe videtur, qui verba ſcriptoris ſacri *cap. II. 1.* per ὑστέρωσιν capiunt, vt ſenſus ſit: *miſerat interea Ioſua*, quod praeſtantiſſimi interpretum R. SALOM. IARCHI, R. LEVI BEN GERSON, ANDREAS MASIVS, IOAN. DRVSIVS, HVGO GROTIVS, IOAN. CLERICVS, aliique faciunt. Nec obſtat, quod ita praeter mandatum diuinum Ioſua exploratores miſiſſe videatur. Etſi enim illud in ſcriptura non memoretur; merito tamen ſupponitur; quemadmodum & illi ipſi, qui eodem die, quo mandatum Dei de traiiciendo Ior-

 dane

Digitized by Google

dane promulgauit, exploratores miſſos contendunt, illud ſupponere tenentur, cum, quod eo die Deus ſpeciatim de exploratoribus mittendis aliquid praeceperit, nullibi legatur. Nihil autem impedit, quo minus Ioſua iam antea mandatum de mittendis exploratoribus acceperit, quam populo voluntatem Numinis de traiiciendo Iordane indicare iuberetur. Duo itaque miſſi ſunt exploratores, qui Hierichuntem venerunt, atque aedes mulieris meretricis ſeu cauponariae, cui nomen Raab erat, ingreſſi ſunt, vt ibi pernoctarent. Veroſimile, tum demum hoc factum, cum vrbem iam perluſtraſſent, eiusque cognouiſſent ſtatum. Id ex reſponſo, Ioſuae dato, colligas. FLAVIVS IOSEPHVS hic iterum paullo liberalius coniecturis ſuis indulget, dum adſerit, eos a principio ignotos totam vrbem per otium conſideraſſe, & moenia, qua parte magis aut minus erant munita, & portarum quaenam adſultum minus ferre poſſent, & captu eſſent faciliores; nec quemquam ſingula ſpectantibus fuiſſe moleſtum, eo, quod curioſitatem hoſpitum conſuetam interpretarentur, nec hoſtile adhuc quidquam ſuſpicarentur; *antiquit. iudaic. lib. V. cap. I. p. 134.* Haec ex ſuo ingenio IOSEPHVS. Reliqui Iudaeorum doctores hic multa commenta itidem ingerunt: duos hosce exploratores Calebum & Pineam fuiſſe, fingentes, variaque excogitantes, quo pacto effecerint, ne agnoſcerentur, quae omnia, ceu falſa & lubrica, praetermittimus. Mulier illa, in cuius aedes ingreſſi ſunt, vt ibi pernoctarent, vocatur זונה, quae vox ceteroquin *meretricem* ſignificat, ſed hic a nonnullis pro cauponaria accipitur. Hinc chaldaeus vertit: פונדקיתא, quae graeca vox eſt, πανδοκεύτρια, hoc eſt, quae hoſpitio quosuis excipit. Qui priorem vocis ſignificationem amplectuntur, vſum eius conſtantem in ſcriptura ſacra vrgent, & quod in nouo teſtamento, *Ebr. XI. verſ. 31. Iacob. II. verſ. 25.* per πόρνη exprimatur: qui poſteriorem, minus veroſimile putant, exploratores, ceu viros honeſtos, ad meretricem ingreſſos fuiſſe, & quae alia ſunt eiusdem generis. Ego ita exiſtimo, cum haud infrequens olim fuerit, quod viris eruditis recte obſeruatum, vt mulieres cauponariae corpore etiam quaeſtum facerent, fieri potuiſſe, vt cauponariae etiam *meretrices* dicerentur. Inde vero non ſequitur, quod omnes meretrices fuerint. Adeoque & Raab femina honeſta eſſe potuit. Ad minimum hoc certum, quod exploratores ad eam, ceu meretricem, ingreſſi non ſint. Probatae enim fidei & virtutis viris hoc munus Ioſuam demandaſſe, non eſt quod dubitemus. Vnde ſimul conſtat, eam peregrinos hoſpitio excipere conſueuiſſe. An diuerſoria publica iam tum in vſu fuerint, diſputari ſolet. Fuiſſe, non dubitat IOSEPHVS, dum dicit: ὑποχωροῦσιν εἴς τε καταγώγιον, *ſeceſſerunt in quoddam diuerſorium.* Idque videtur haud obſcure ex hac ipſa hiſtoria colligi poſſe. Si enim Raab peregrinos hoſpitio excipere non conſueuerit; vix vlla probabilis ratio reddi poterit, cur explo-

exploratores ad eius aedes diuerterint, vt ibi pernoctarent. Denique, ſi cogitemus, Salmonem, virum principem magnaeque dignitatis in gente israëlitica, eam deinceps in matrimonium duxiſſe; vix erit, quod dubitemus, eam fuiſſe feminam, non inhoneſtam, nec ex plebeiis plane parentibus ortam. Rex Hierichuntis cum reſciuiſſet (quo indicio, non conſtat) adeſſe exploratores, & apud Raabam diuertiſſe, miſit, qui illos comprehenderent, & ad ſe perducerent. IOSEPHVS addit: ἵνα βασανίσας μάθοι τί καὶ βϐλόμενοι παρῶσιν, *quaeſtioni admouendos, vt cauſam aduentus ſui aperiant.* Quid Raab illis, qui a rege miſſi erant, reſponderit, & quo pacto exploratores occultauerit, tandemque per feneſtram demiſerit, notum eſt. Dubium vero supereſt, quid de hocce Raabae facinore cenſendum, quo & mendacii & perfidiae ſe ream feciſſe videtur, cum tamen & fidem & factum hocce eius magnopere laudent apoſtoli, Paulus *Ebr. XI. 31.* & Iacobus *II. 25.* HVGONIS GROTII ſententiam, ante euangelium *mendacium viris bonis ſalutare culpae non eſſe ductum*, iam profligarunt plurimi. Miſſis & aliorum ſententiis, ita cenſeo, cum Raab haud dubie ſciuerit, quae ab Israëlitis gerebantur, iuſſu & auctoritate Numinis geri, quod & ex ſermone eius ad exploratores palam eſt, ciuesque ſuos male agere, quod Israëlitis reſiſtere vellent, regi ciuibusque Hierichuntinis non amplius obligabatur; cum Deo potius parendum ſit, quam hominibus. Rex itaque Hierichuntinus, cum iure veritatem ex ea in hocce caſu reſciſcendi deſtitueretur, ſe per veritatis diſſimulationem laeſum, conqueri non poterat; nec perfida in patriam cenſeri poterat, quae fidem in Deum praeferebat fidei erga patriam, cum vtrique eam praeſtare non poſſet. Lucem dabunt, quae diximus in *inſtitut. theolog. moral. part. II. cap. III. ſect. V. §. IX.* Occultaſſe autem exploratores dicitur: בפשתי העץ, quae verba interpretes fatigant. Recte, me iudice, hinc ſe expediunt, qui in verbis ebraeis enallagen ſtatuunt, cum dicendum fuiſſet: עצי פשתים, & *lini culmos* intelligunt, quemadmodum & LXX interpretes vertunt: ἐν λινοκαλάμῃ, quod & calculo ſuo comprobat R. SAL. IARCHI; etſi Chaldaeus habeat בטעוני כתנא in *faſciculis lini*, & IOSEPHVS: λίνϐ ἀγκαλίδας. Deinde eos fune per feneſtram demiſiſſe dicitur, quod commode fieri poterat, quia domus eius erat בקיר החומה in *muro moenium*, adeoque ſuper moenibus ipſa habitabat. Quae ita videntur capienda, quod domus Raabae moenibus vrbis ita adhaeſerit, vt partis inferioris parietem, qua vnum latus, ipſa moenia vrbis conſtituerent, ſuperior autem ipſis vrbis moenibus fuerit inaedificata. Quare parum adcurate FLAV. IOSEPHVS καταγώγιον τϐ τείχϐς πλησίον, *diuerſorium non longe a moenibus*, vocat, *loc. cit. p. 134.* Priusquam vero exploratores dimitteret, pacto cum illis inito, ſuae ſuorumque ſaluti conſulere voluit, quod & haud difficulter impetrauit, ea lege, vt aedes, in quibus habi-

habitabat, ſigno quodam a reliquis diſtingueret, cognatosque omnes in iis congregaret, ſi quidem mortis periculo illos cripere vellet. Signum illud erat תקות חוט השני vt ſcriptor ſacer loquitur, quod LXX interpretes reddunt *σπαρτίον κόκκινον*, chaldaeus, תורא דחוט זהוריתא. IOSEPHVS habet, *φοινικίδας*, *veſtem coccineam.* Vltima verba חוט השני ſignificare *filum dibaphi*, ſeu *filum coccineum*, dubio caret. De voce תקות non conueniunt. Eam ceteroquin *ſalutem* ſeu *fiduciam* ſignificare, notum eſt; ſed hanc ſignificationem ab hoc loco alienam eſſe, manifeſtum eſt. ANDREAS MASIVS eam per *textum* vertit, ex ſignificatu vocabuli chaldaei קואי quod *textorem* denotat; eumque & IOANNES CLERICVS ſequitur ad *h. l.* SEBAST. SCHMIDIVS noſter exiſtimat, חבל *funem* ex multis compoſitum fuiſſe תקוות: atque adeo תקוות eſſe *fila contorta tenuia*, quae deinde in maiorem funem denuo contorquentur. Exploratores ſcilicet non voluiſſe, vt totus funis, quo demiſſi fueruut, feneſtrae adligaretur, ſed tantum קו ſeu תקוה filium eius contortum, quod in ſignum ſufficeret. Sed an filum vnicum tam adcurate conſpici potuerit, e loco praeſertim ſublimiori ſuſpenſum, vt in ſignum ſufficeret, dubitari poſſet. Hinc de pluribus forte filis, quae commode conſpici poſſunt, aut e limbo quodam latiori, vel texto coccineo, capiendum videtur. Nec ſpernenda translatio chaldaei, cum vox תורא *fimbriam* ſignificet, ſeu oram, non veſtis quidem, ſed panni, quae abſcindi ſolet, & pro ligamento aut funiculo vſurpari. Eiusmodi certe quid intelligendum, quod eminus conſpici potuerit, vt domus Raabae a reliquis diſcerneretur. Eumque in finem etiam color *dibaphi* adhiberi debuit, qui magis, quam vllus alius, oculos ferit; quam ob cauſſam & e feneſtra ſuſpendi debuit. Quod IOSEPHVS dicit: *πρὸς τῶν θυρῶν ἀναπέτασαν φοινικίδας*, *veſtem coccineam pro foribus expandat*, a verbis menteque ſcriptoris ſacri prorſus alienum eſt. Ita ergo demiſſi exploratores, cum per triduum ex conſilio Raabae in montibus, quibus Hierichuntem circumdatam conſtat, latitaſſent, ad Ioſuam reuerſi ſunt, eique, quae viſu & auditu perceperant, expoſuerunt, ob fidem & prudentiam merito commendandi. Quod ſi, quid generatim de exploratoribus exiſtimandum ſit, quaeras; ego quidem ita ſentio, cum hoſtem laedere in bello, vitaque & bonis priuare liceat, eidem quoque nullam fieri iniuriam, ſi per exploratores vrbium ac prouinciarum eius ſtatum, conſilia itidem, atque arcana reſciſcere adnitamur. Conf. GOTHOFREDI DE IENA *diſſertat. de exploratoribus*, in *tractatu* eius *de ratione ſtatus, num. VI. p. 81. ſeqq.*

*** Cum Ioſua ad vrbem Hierichuntem adpropinquaſſet; vidit virum coram ſe ſtantem, manuque ſtrictum tenentem gladium, quem mox ducem exercitus Iehouae fuiſſe intellexit. Non alium, quam ipſum filium Dei, angelum illum increatum, verumque Deum, fuiſſe,

fuiſſe, in ſequentibus demonſtrabimus. Ioſua itaque in faciem prolapſus eum adorauit, calceosque ad reuerentiam ſuam ſignificandam exuere iuſſus, quo pacto in vrbe hacce capienda ſe gerere deberet, ab eodem condocetur. Nihil enim obſtat, quo minus, quae Iehouah *cap. VI. verſ. 2.* ad Ioſuam loquutus dicitur, ad eumdem ducem exercitus Iehouae referamus; immo res ipſa hoc poſtulat, cum ceteroquin, quem in finem dux exercitus Iehouae Ioſuae adparuiſſet, non conſtaret, idque praeter alios recte quoque obſeruat R. DAVID KIMCHI, ad *h. l.* Ex praecepto itaque Numinis cuncta peracta. Cum vrbem circumirent, hic obſeruatus ordo, vt primo delectae copiae armatorum incederent, tum ſeptem ſacerdotes, qui cornibus arietum cecinere: hos arca, ab aliis ſacerdotibus portata, excipiebat, quam reliquus ſequebatur populus. Sex illis diebus, vllam edere vocem, nefas erat: ſacerdotes tantum buccinis ſeu cornibus arietum clangebant. Buccinae iſtae שופרות היובלים vocantur, quod ebraei doctores magno conſenſu de cornibus arietum interpretantur, contendentes, יובל ſignificare *arietem.* Nec deſunt ex chriſtianis doctoribus, qui eidem ſuffragantur ſententiae, eamque inde confirmant, quod vox haecce in lingua arabica eamdem obtineat ſignificationem. Accedere, aiunt, quod *verſ. 5. huius capitis*, diſerte dicatur קרן היובל, quod vix aliter, niſi verbis vim inferre velis, quam de cornu beſtiae, quae illud gerit, capi queat. Quodſi ergo haec explicatio adſumatur; non tam de materia, quam de forma buccinarum iſtarum, hoc intelligendum fuerit, quod ſcilicet cornu arietis intortum & inflexum exhibuerint. Ita enim reſponderi poteſt ad id, quod obiici ſolet, arietina cornua tota ſolida eſſe, vt ex iis buccinae fieri nequeant. Quamquam nec illud concedatur, quod ſolida ſint. Secus ſe rem habere, teſtatur PLINIVS: *omnibus caua & in mucrone demum concreta. Ceruis tantum tota ſolida; hiſt. nat. lib. XI. cap. XXXVII.* add. IOAN. COCCEIVS, in *lexico* voc. יובל *p. 287.* Eo, quo dictum eſt, ordine cum ſex diebus vrbem circumiuiſſent, ſeptimo idem fecere ſepties. Septenarium numerum non carere myſterio, conſtat, aliisque euictum eſt ex inſtituto: etſi in myſteriorum iſtorum inueſtigatione nonnulli forte plus, quam decebat, ingenio ſuo indulſerint. Fueruntque etiam, qui multa excogitarunt, vt rationem huius numeri in circuitu vrbis Hierichuntinae adhibiti panderent: de quibus dixi in *diſſertat. de ruina murorum Hierichuntinorum*, quae in *parergis* meis *hiſtorico-theologicis* exſtat, *§. XVII. p. 265. ſeqq.* Mea opinione, temerarium fuerit, certi quid hic definire; minime tamen omnium illi errant, qui, mundi creationem ſeptem dierum ſpatio peractam, Iſraëlitis in memoriam reuocatam, contendunt, inde vt condiſcerent, Dei potentia omnia fieri poſſe, & ad certam firmamque fidem erigerentur. Quo die vrbem circumire inceperint, quoue deſierint, non conſtat. FLAV. IOSEPHVS, τῇ πρώτῃ τῆς ἑορτῆς ἡμέρᾳ,

ἡμέρᾳ, *prima die feſtiuitatis eos circumire coepiſſe*, auctor eſt; *lib. V. cap. I. p. 136.* Sed ſcriptura hac de re tacet. Vnde & incertum, quod alii ex ebraeis doctoribus tradunt, vrbem die ſabbathi captam. Hoc tamen certum, ſabbathum ſeptem iſtorum dierum numero, a quocumque etiam die eos numerare incipias, comprehendi. Obſeruatum hoc quoque TERTVLLIANO fuit, *aduerſ. Iudaeos, p. m. 310.* qui inde contra Iudaeos euincit, ſabbathi obſeruantiam non ſemper tam ſtricte ab omnibus exigi, vt non aliquando ab ea diſcedere liceat. Recte quidem, ſi hoc mandato fiat diuino, aut rationes grauiores legem iſtam de ſabbatho migrare cogant. Septimo itaque die cum vltima vice vrbem circumiuiſſent, populusque iuſſu Ioſuae ingentem clamorem ſuſtuliſſet, corruerunt vrbis moenia populoque ebraeo liberum in vrbem aditum praebuere.

Inter maxima, quae vmquam contigerunt, miracula, & hoc referendum eſſe, non temere quis dubitauerit. Clamore enim, quantumuis ingenti, ſi naturae vires ſpectes, muros ſubrui atque euerti poſſe, nemo ſibi temere perſuaſerit. Nihiloſecius fuerunt nonnulli, qui & hic naturales cauſſas in ſubſidium vocarent, aut iis murorum Hierichuntinorum ruinam prorſus tribuerent. Egit hoc MARINVS MERSENNVS, *comment. in Gen. IV. cap. I. p. 1710.* cuius argumenta, quibus hoc euincere conatus eſt, nouis coloribus ornata iterum produxit DANIEL GEORGIVS MORHOFIVS, in *diſſertatione de vitro per vocis ſonum rupto, cap. XIV. p. m. 417. ſeqq.* Solent etiam nonnulli R LEVI GERSONIDI hanc ſententiam tribuere, quod & ipſe facit MORHOFIVS. At perperam hoc fieri, intelliget, qui verba doctoris ebraei paullo adcuratius conſiderauerit. Cum enim dixiſſet, placuiſſe Deo interuentu clamoris magni hocce miraculum perpetrare, vt hac ratione Iſraëlitae excitarentur, & velut ex profundo ſomno expergefierent, Deumque timere diſcerent; addit:

עם שיש לתרועה הגדולה רושם מעט
בענין זה העופת כי הקול החזק יניע
האויר תנועה חזקה אלא שלא יתכן
שיגיע מזאת התנועה כמו זה הפועל
הנפלא שתפל החומה החזקה תחתיה
אם לא יחובר לזה הסופת

fortaſſe poſſet & clamoris magni vis quaedam in hoc prodigio eſſe, quia vox magna mouet aërem motu vehementi, niſi eſſet inconueniens, adſerere, tantum eiusmodi motu contigiſſe miraculum, vt validi muri conciderint, absque miraculoſo Numinis concurſu; ad *Ioſ. cap. VI.* Quae aperte docent, quod hanc ſententiam reiiciat potius, quam adprobet. Perperam quoque AMBROSIO atque ORIGENI haec ſententia tribuitur, cum vterque, clamore equidem, ſed non ex vi eius naturali, muros Hierichuntinos concidiſſe, adſerat; quod & de AVGVSTINO cenſendum. Quae autem MARINVS MERSENNVS diſputat, vt ruinam murorum iſtorum ex cauſſis naturalibus arceſſat, praecipue ad vim & efficaciam ſoni redeunt. MORHOFIVS harmoniam & proportionem ſoni maxi-

Digitized by Google

maxime vrget, eiusque vim mirabilem in mouendis & frangendis etiam variis corporibus, rationibus & experimentis plurimis confirmat. Sique ſupponatur, proportionem ſoni reſpondiſſe tenſioni murorum Hierichuntinorum, fieri omnino potuiſſe, vt eiusmodi effectus inde ſequeretur. Cumque in tanta clamantium multitudine omnia ſoni genera audita fuerint, contingere facile potuiſſe, vt ſonus aliquis reſponderet tenſioni murorum vrbis, eosque adeo proiiceret. Quae & reliqua, etſi ingenioſe a viro doctiſſimo excogitata ſint, lubrica tamen ſunt, remque minime euincunt, vt a me pluribus demonſtratum, in *diſſertat. citata*, *§. XV. ſeqq. p. 158. ſeqq.* Per miraculum potius, idque longe maximum, muros corruiſſe, non tantum ex eo patet, quod de numero ſeptenario antea obſeruauimus, ſed omnes περιςάτεις idem confirmant: confirmat quoque Paulus apoſtolus, verbis, quae nullam dubitationem admittunt: *πίςει τὰ τείχη Ἱεριχὼ ἔπεσε, Ebr. XI. 30.* De fide autem, quae ad miracula perpetranda requiritur, ibi verba facit. Poſſet & inde noſtra comprobari ſententia, quod R. ISAAC ABARBANEL contendit, clamorem iſtum, quem Iſraëlitae ediderunt, militarem, fuiſſe ſignum victoriae, adeoque iam prius concidiſſe muros, quam ingens iſte boatus audiretur. Hoc enim ſi ita ſe habeat; manifeſtum, clamorem iſtum cauſſam ruinae murorum iſtorum eſſe non potuiſſe. Si enim ex ſolo tubarum clangore muri concidiſſent, cur, quaeſo, non primo ſtatim conciderunt die? Quo pacto ABARBANEL ſententiam ſuam confirmet, indicatum in *diſſert. cit. §. XVIII.* Quae an exceptionem non admittant, nunc non disquiram; cum, ſi vel maxime explicatio iſta ABARBANELIS locum non inueniat, noſtrae ſententiae inde nihil decedat.

Ceterum, cecidiſſe muros, ſcriptura dicit, non a *terra abſorptos* eſſe, quod ex ſuo ingenio comminiſcitur chaldaeus paraphraſtes. Hac etiam ratione deterreri Iſraëlitae potuiſſent, ne vrbem ingrederentur. Cum etiam Raaba cum cognatis ſeruata ſit, illam moenium partem, in qua domus eius fuit, non concidiſſe, inde colligitur. Occupata vrbe, omnia internecioni data, caeſis hominibus, ſine ſexus ac aetatis diſcrimine, omnibus, pecudibusque; ſaltem quidquid auri, argenti, aeris & ferri inuentum, illatum eſt in theſaurum Dei; reliqua omnia igne abſumta. FLAV. IOSEPHVS addit, dirutum, quod ignis reliquerat. Conſtat equidem, omnes terrae cananaeae incolas, praeſertim, ſi Iſraëlitis ſua ſponte ſe non ſubmitterent, ex mandato diuino fuiſſe חרם *anathema*, adeoque delendos fuiſſe, *Exod. XXIII. 32. 33. Ioſ. XI. 20.* Sed in Hierichunte vrbe hoc peculiare fuit, quod omnia debuerint deleri, &, quae deleri non poterant, Deo ſacra eſſe iuberentur, vt Iſraëlitis nihil relinqueretur. Idque ideo factum, vt iſtae velut primitiae de ſpoliis hoſtium Deo conſecrarentur, recte cenſet IOSEPHVS, *lib. V. cap. I. p. 136.* Ioſua inſuper ſollemni exſecratione vrbem iſtam deuo-

uit, ne vmquam ab vllo mortalium reſtauraretur. Hoc namque primae victoriae, & vindictae diuinae in Cananaeos deinceps exercendae, monumentum exſtare voluit. Dum dicit: *in primogenito ſuo fundamenta eius ponat, atque in minore natu filio portas eius collocet*, hoc ſibi velle videtur, quod initium atque finis operis maximis cum calamitatibus debeat eſſe coniunctus. Namque initium muniendi fit a moenibus, quibus perfectis, adduntur portae. Ita & verba haecce accepit IOSEPHVS: *ὅπως θεμελίες μὲν τειχῶν βαλλόμενος ϛερηθῇ τῦ πρώτυ παιδὸς, τελειώσας δὲ τὸν νεώτατον τῶν παιδῶν ἀποβάλῃ·* *vt fundamentum quidem moenium iaciens priuetur primogenito, poſtquam vero abſoluerit, minimum natu filiorum amittat; loc. cit. p. 137.* Quo pacto hoc euentus comprobauerit, conſtat ex *I. Reg. XVI. 34.* De conſuetudine, dirutas vrbes deuouendi, apud ethnicos etiam vſitata, vid. HVGO GROTIVS, ad *Ioſ. VI. 26.* Nos vltimo loco obſeruamus, inter gentes, quae cum Iſraëlitis pugnarunt, etiam Hierichuntinos ciues referri; *Ioſ. XXIV. 11.* Quod tamen generatim de hoſtili agendi modo intelligendum, quando portas vrbis claudendo, ſe Iſraëlitarum hoſtes profeſſi ſunt; *Ioſ. VI. 1.*

§. III.

Eadem fata experta eſt vrbs Hai, quam cum Ebraei initio, Deo ob furtum Achanis irato,* fruſtra tentaſſent, mox per inſidias in ſuam redegerunt poteſtatem, incenſamque ſolo aequarunt, caeſis eo die duodecim hominum millibus, regeque Haienſium capto, & ex ligno ſuſpenſo.**

* Proſpera Iſraëlitarum fata mox exceperunt aduerſa. Qui enim ad occupandam vrbem Hai miſſi erant, in fugam dati, triginta ſex ex illis occiſis. Hac ratione Numen illis iratum eſſe, condocendi erant. Achan enim ex rebus deuotis aliquid interuerterat. Durum videri poterat, ob vnius hominis delictum vniuerſum puniri populum. Sed delictum hac ratione manifeſtandum erat. Nec ceteris, praeſertim illis, qui in praelio iſto occubuerunt, fiebat iniuria. Aliis enim haud dubie peccatis idem promeruerant. Eſtque hac in re poenarum diuinarum longe alia ratio, quam humanarum. Cum vero Achan ſeueriſſimum Dei interdictum proterue violando, maximo ſcelere ſe obſtrinxerat, eminentiori quoque ratione puniendus erat. Qui hic *Achan* dicitur, *I. Paral. II. 7.* *Achar* adpellatur, & auus eius vocatur *Zamri*, qui hic *Zabdi* audit. Vterque haud dubie binominis fuit; niſi *Achan* deinceps per adluſionem ad facinus, quod admiſit, *Achar* dictus ſit; cuiusmodi quid ex *verſ. 25.* colligas. Cladem iſtam, etſi exiguam, magnum terrorem Iſraëlitarum animis inieciſſe, non mirabitur, qui ſecum cogitat, in auxilio Numi-

Numinis ſpem omnem illos collocaſſe; quo ſe orbatos, facile colligere poterant. Hinc omnium conſternatio, Ioſuaeque preces, quibus impetrauit, vt cauſſam calamitatis iſtius, rationemque reum eiusque delictum detegendi, Deus ſibi manifeſtaret. Ordine itaque tribus, cognationes, domus, viri, coram Ioſua prodire iuſſi, tandemque Achan reus furti deprehenſus eſt. Dicitur, *adprehenſam* primo tribum, tum cognationem, & ſic porro. Quod veteres quidam Ebraei de vrim & thummim capiunt; alii autem per ſortes hoc factum opinantur. Sic & FLAV. IOSEPHVS: κατὰ φυλὴν ἐκλήρȣ, *tributim ſortiebatur; lib. V. cap. I.* Nec contemnenda ratio, quam ad hoc comprobandum adfert ad *h. l.* R. LEVI BEN GERSON, ſi per vrim & thummim, aut prophetiam iudicium factum fuiſſet, nullis opus fuiſſe ambagibus, cum ita ſtatim Achan, ceu delicti reus, indicari potuiſſet; cum vero primo tribus, tum cognatio, & ſic porro, deſignata fuerit, documento id eſſe luculentiſſimo, rem omnem ſorte fuiſſe peractam. Nec vſus omnis ſortium illicitus eſt, ſed ſuperſtitioſus ſaltem & idololatricus, de quo ſupra dictum, cum ipſum Ioſuam in diſtributione terrae Canaan ſortes adhibuiſſe conſtet, *cap. XIV. ſeqq.* Ita ergo conuictus Achan, & blanda inſuper Ioſuae, exemplum iudicis iuſti, ſed ab omni crudelitate prauoque adfectu alieni, praebentis, adloquutione permotus, delictum libere confeſſus eſt. Producta etiam quae abſtulerat, ex tentorio, in quo ea ſub terra abſconderat, omniumque oculis expoſita ſunt, vt hac ratione condocerentur, Achani non fieri iniuriam, & quilibet abſtinere ab iis, quae ſub anathemate erant, condiſceret. Iudaei multa hic comminiſcuntur, quae lubentes mittimus. Legi in compendio poſſunt, ſi quis eiusmodi delicias quaerat, apud CHRIST. SCHOTANVM, *biblioth. hiſtor. ſacr. veter. teſtament. tom. II. p. 375. ſeqq.* Achan hinc, ſententiam pronuntiante Ioſua: *Quare perturbaſti nos? perturbet te Iehoua hodie*, admiſſi criminis poenam dedit. Lapidatus enim eſt, atque tum combuſtus, cum filiis ac filiabus, pecudibus quoque, atque omni peculio. Igne comburendum, ſancitum erat, *v. 15.* Nec tamen viuum. Vnde a ſententia iſta non diſceſſum, ſiue quod in mitiorem partem eam intellectam vellet Deus, ſiue id in more ita poſitum, vt alio mortis genere prius tollerentur, qui comburendi erant. Combuſtum cum ſuis Achanem lapidibus obruerunt, vt monumentum ſupplicii exſtaret. De ſalute Achanis multa viri docti diſputant, quemadmodum fieri ſolet, vt plerique de aliorum ſalute magis ſolliciti ſint, quam de ſua. Qui damnatum negant, vrgent verba Ioſuae: *perturbet te Iehoua HODIE, ſeu in DIE HAC.* Quod profecto iudaicam ſubtilitatem redolet. Nihil aliud enim iſta voce innuitur, quam ſtatim eodem die ſupplicium de eo ſumendum eſſe. Maioris momenti eſt, quod de liberis Achanis quaeritur, an & quo iure cum patre combuſti ſint? Non-

Nn nn 3 nulli

Digitized by Google

nulli namque ex doctoribus ebraeis eos combuſtos negant, & adductos ſaltem contendunt, vt ſupplicium patris ſpectarent. Vid. R. LEVI BEN GERSON, ad *h. l.* In eamdem concedit ſententiam HVGO GROTIVS. Sed aperta ſacri ſcriptoris verba repugnant. Qui eos ideo combuſtos putant, vt eo grauius ipſe Achan puniretur, & terror incuteretur populo Iſraëlitico, cum iuſtitiae diuinae regulis hoc vix conciliabunt. Veroſimile, eos in delicti ſocietatem veniſſe. Pallium enim cum argento non poterat Achan in tentorium ſuum deferre, aut ibi defodere, vt non viderent aut animaduerterent liberi. Horum ergo officium fuiſſet, ſtatim hoc indicare Ioſuae. Id dum non fecerunt, & conſenſu ſuo patris factum potius adprobarunt, eiusdem quoque ſupplicii rei facti ſunt. FLAV. IOSEPHVS, dum Achanem noctu ſepultum dicit, vt fieri ſolet damnatis publico iudicio, ſe verba ſacri ſcriptoris non recte inſpexiſſe, demonſtrat.

** Conſtant haec ex *Ioſuae cap. VIII.* Inſidiis ac ſtrategematibus in bello vti, non eſt nefas. Conf. HVGO GROTIVS, de *iure belli & pacis, lib. III. cap. I. §. VI. ſeqq.* Triginta millia fortium virorum, vt vrbi inſidiarentur, praemiſiſſe dicitur *verſ. 3.* At *verſ. 12.* ſaltem circiter quinque millia virorum in inſidiis collocaſſe, perhibetur. Diuerſos hos a prioribus fuiſſe, nonnulli contendunt; alii autem hoc ita capiunt, quod Ioſua equidem triginta millia virorum praemiſerit, ea autem lege, vt quinque millia ſigno dato vrbem inuaderent, reliqui autem praeſto eſſent ad auxilium iis ferendum, ſi forte res id poſtularet, vel vt alia ratione conſilium Ioſuae promouerent. Res ex voto ſucceſſit. Cum Haienſium rex adpropinquare Ioſuam cum exercitu animaduerteret; ille quoque cum vniuerſo populo, vt praelium cum eo committeret, ex vrbe egreſſus eſt, nullas inſidias timens. Hinc cum fugam ſimularet Ioſua, omnes & Haienſis & Bethelis vrbium incolae, ad perſequendos Ebraeos properarunt. Videntur Bethelenſes aut ſubiecti, aut ſocii, aut federati Haienſium fuiſſe: qui cum haud dubie per nuntium accepiſſent, fugere Ebraeos, ſine mora cum Haienſibus ſe coniunxerunt, & ſine dubio idem cum illis fatum experti ſunt, etſi diſerte ſcriptor ſacer hoc non memoret. Ioſua cum animaduerteret, Haienſes iam ſatis ab vrbe remotos eſſe, illis, quos in inſidiis collocauerat, ſignum dedit, vt vrbem inuaderent: *extenditque Ioſua clypeum, quem manu gerebat, verſus vrbem.* Vox כידון, quae in ebraeo eſt, alias *clypeum* ſignificat, atque ita etiam hoc loco eam reddunt SYMMACHVS, aliique. FLAV. IOSEPHVS itidem habet ἀσπίδα, quo pacto & hanc vocem vertunt LXX interpretes *I. Sam. XVII. 6.* qui tamen hic eam reddunt per γαισὸν, quod teli genus eſt. Alii haſtam praelongam hac voce ſignificari contendunt, quam ſententiam pluribus propugnat SAM. BOCHARTVS, in *hieroz. part. I. lib. II. cap. VIII.* Quodſi clypeum fuiſſe adferas; neceſſe eſt, vt ex haſta fuerit ſuſ-

ſuſpenſus, vt e longinquo potuerit conſpici. Quod varias ob rationes non adeo veroſimile videtur. Probabilius, vexillum ex lancea erecta ſuſpenſum fuiſſe, quod & inſidiatoribus ſignum conſurgendi ex inſidiis, & occupandi vrbem, & reliquis Israëlitis repetendi praelium eſſe potuit. De tali ſigno antea conuentum, ſacer ſcriptor non equidem memorat. Nihil tamen obſtat, quo minus hoc ſupponamus. Ita ſane IOSEPHVS: σημεῖα τε δὰς, ἃ πρὸς τὰς ἐν ταῖς ἐνέδραις συνετέτακτο. *Dans ſigna, de quibus conuenerat iis, qui in inſidiis erant, lib. V. cap. I.* Non equidem ſatis conſtat, quo pacto & hocce ſignum e longinquo conſpici potuerit, cum ſcriptor ſacer in breui narratione non omnes περιστάσεις referat. Fieri potuit, vt nonnulli in ſpecula conſtituti ad ſignum hoc attenderent, &, poſtquam datum erat, reliquis ſtatim ſignificarent. Signo iſto conſpecto, qui in inſidiis collocati erant, ſubito prorumpunt, vrbemque, nemine reſiſtente, occupant, & ignem ei ſubiiciunt. Id cum animaduerterent Haienſes, qui Israëlitas perſequebantur, ad vrbem properant, inſtantibus iam Israëlitis, & hinc occurrentibus, qui vrbem occupauerant, vt nullus fugae concederetur locus. Caeſi omnes, mulierumque non melior ſors fuit, quam virorum. Non conſtat ſibi IOSEPHVS, dum vrbem cum mulieribus & liberis incenſam refert, & nihiloſecius deinceps auctor eſt, captam magnam turbam παιδῶν καὶ θεραπείας; *l. c.* Ceciderunt eo die hominum duodecim millia; quo ſub numero, an Bethelenſes quoque comprehendantur, incertum. Vrbe ita ex anathematis lege in cineres redacta, interfectis hominibus, pecudes & bona Haienſium Israëlitis in praedam ceſſerunt. Commoda tum ſe offerebat occaſio exſequendi, quae Deus iuſſerat *Deut. XXVII. 12. ſeqq.* Prope Sichem enim duo montes ſtabant, valle intercedente diremti, Ebal & Garizim. In Ebal ſiue Gebal, qui mons erat maledictionis, aram Ioſua ſtatuit e lapidibus rudibus, quos ferro non poliuerant. In ea oblata holocautomata, & pacifica & epulae hilariter celebratae. Ibidem in duodecim lapidibus, hoc eſt, ſaxis ingentibus, Moſis legem inſcripſit. Eos calce oblitos, vt ſcripturam acciperent, nonnulli contendunt. Et ita verba: שדת אותם בשיד *Deut. XXVII. 2.* accipiunt: quae tamen alii de tectorio interpretantur; quia nec calce ſola magni lapides potuerint contineri, (ſupponentes, eos ipſos lapides intelligi, ex quibus ara exſtructa fuerit, qua in re iterum alii diſſentiunt) nec calx ita tempus ferat, vt diu eiusmodi altare poſſet ſtare, & inſculptae calci litterae perdurare. Conf. IOAN. CLERICVS, ad *Deut. XXVII. 2.* Tectorio huic ſeu lapidibus, vt alii volunt, Ioſua legem inſcripſiſſe dicitur. Quod de tota lege Moſis, ſeu omnibus praeceptis, vix videtur intelligi poſſe, praeſertim, ſi grandiores litterae adhibitae fuerint, cum inuſitatae prorſus magnitudinis aut altare, aut lapides, tum fingere neceſſe

neceſſe ſit. Decalogum itaque alii intelligunt. Idque facilius fieri potuit: ſed nullum huius rei aut apud Moſen, aut apud Ioſuam veſtigium exſtat. Probabilius itaque, maledictiones ſollemni ritu deinde pronuntiatas, iisque oppoſitas benedictiones, lapidibus his inſcriptas. Arca federis, quam ſacerdotes baiulabant, hinc medio loco conſtituta, Iſraëlitae ita collocabantur, vt dimidia pars ad montem Garizim, dimidia ad montem Ebal, eo modo, quo Deus per Moſen praeceperat, ſtaret. Tum Leuitae, quibus hoc a Deo iniunctum *Deut. XXVI. 24.* benedictionis, ac maledictionis formulas conceptis proferebant verbis, initio a benedictionibus facto. Hoc enim innui videtur, *Ioſ. cap. VIII. 33.* cum dicitur, dimidiam populi partem ſtetiſſe ad montem Ebal, vt mandauerat Moſes ſeruus Iehouae, *primum ob bene precandum populo Iſraëlitico.* Benedictionum iſtarum formulae nec a Moſe, nec a Ioſua memorantur, vix tamen dubitandum videtur, eas oppoſitas fuiſſe formulis maledictionum, quae *Deut. XXVII.* leguntur, ea quidem ratione, vt alternis vicibus benedictiones & maledictiones fuerint pronuntiatae. Haec & ebraeae gentis doctorum eſt ſententia, vt ex IONATHANIS *paraphraſi*, itemque *Hieroſolymitana ad Deut. XXVII. 15.* patet; vt & ex FL. IOSEPHO, *antiquitat. iudaic. lib. IV. cap. VIII.* Benedictionibus iſtis ac maledictionibus rite pronuntiatis, populus ad ſingulas formulas reſpondebat, *amen.* De Ioſua autem porro dicitur, eum *legiſſe*, *omnia verba legis*, *benedictionem & maledictionem, ſecundum omnia, quae praeſcripta ſunt in libro legis.* Nimirum iuſſu Ioſuae a ſenioribus & praefectis denuo praelectas hasce benedictionum & maledictionum formulas ſignificatur, vt adeo omnes haec verba audirent, ac intelligerent, nec quisquam ignorantiam transgreſſionibus ſuis obtendere poſſet. Ideo & factum hoc dicitur omnibus praeſentibus, viris & feminis, & impuberibus quoque, ipſisque peregrinis. Eo, quo haec expoſuimus, modo ordineque cuncta geſta, ex ipſa ſcriptura facile colligitur, etſi me non fugiat, eſſe, qui haec aliter diſponant. Conf. ANDREAS MASIVS ad *Ioſ. VIII. 2. ſeqq.*

§. IV.

Iſtarum rerum a Ioſua cum Ebraeis geſtarum fama permoti reges Cananaeorum, de progreſſibus gentis victricis ſufflaminandis, conſilia capiunt. * Gibeonitae autem, reliquis cautiores, extrema experiri, neutiquam tutum rati, per dolum pacem impetrant, ſeruorum tamen infima miniſteria in gente israëlitica obire iuſſi, quod aſtute parumque candide egiſſent. ** Quae cum Adonizedekus Hieroſolymorum rex intellexiſſet, iam non amplius cunctandum, exiſtimans, adſcitis in belli ſocietatem quatuor aliis regibus, Gibeonem, vr-

vrbem amplam & opulentam, obſidet. Cui dum auxilium fert Ioſua, fuſae fugataeque Cananaeorum regum copiae, ipſique capti atque ſuſpenſi, ſuae temeritatis poenas dedere iuſtiſſimas. Regna quoque eorum, cum reliqua meridionalis Cananaeae parte, Iſraëlitis ceſſerunt. Memorabilis vel hoc nomine eſt iſta victoria, quod volente Ioſua, ſolis lunaeque curſu inhibito, ſolito longior dies factus ſit, ne tenebrarum beneficio hoſtes elaberentur. ***

* Vid. *Ioſ. cap. IX. 1. 2.*

** Gibeonem vrbem non procul ab Hieroſolymis ſitam fuiſſe, docet FLAV. IOSEPHVS, *antiquitat. iud. lib. V. cap. II. p. 138.* γαβαωνῖται δὲ, inquit, κατοικοῦντες ἔγγιστα τοῖς ἱεροσολύμοις. Deinceps in tribu Beniaminis fuiſſe, conſtat ex *Ioſ. cap. XVIII. 25.* fuiſſeque vrbem ſacerdotalem ex *cap. XXI. v. 17.* Incolas autem ex genere Heuaeorum fuiſſe, condocemur *cap. XI. v. 19.* De cauſſa, cur ad dolum ſe receperint, de qua Ebraeorum doctores disputant, vt ſolliciti ſimus neceſſe non eſt. Res ipſa docet, Gibeonitas in ea verſatos opinione, vltimam & ſibi imminere perniciem, cum viderent, multos Cananaeorum a Ioſua ad internecionem vsque deletos. Non male hoc expreſſit IOSEPHVS: Ἰησοῦν μὲν παρακαλεῖν οὐ διέγνωσαν, οὔτε γὰρ τεύξεσθαί τινος τῶν μετρίων ὑπελάμβανον ἐπ' ὀλέθρῳ τοῦ χαναναίων ἔθνους παντὸς πολεμοῦντος αὐτοῦ. *Ieſum quidem orare non ſtatuerunt, neque enim quidquam aequi ab eo ſe impetraturos putabant, qui internecino bello totam Cananaeorum gentem perſequebatur; lib. V. antiquitat. iudaic. cap. I.* Reliqua, quae de Gibeonitis ſcriptor ſacer narrat, cum ſatis euidentia ſint; illud ſaltem ſupereſt, vt disquiramus, quid de foedere illo inter Ioſuam & Gibeonitas inito & iureiurando confirmato, cenſendum ſit? Solent enim varie hac de re viri docti disputare, etſi nonnulli non ſatis diſtinguant, quae tamen diſtinguenda erant. Vt itaque ordine incedamus, primo quidem certum eſt, Ioſuam & ſeniores populi iſraëlitici inconſiderate egiſſe, foedus cum illis ineundo, priusquam accuratius inquiſiuiſſent, an res ita ſe haberet, vt Gibeonitae dicebant, multo magis autem, quod Deum hac ſuper re non conſuluerant. Hoc enim diſerte iſtis exprobratur: *ſumſerunt ergo viri viaticum eorum,* (vt inſpicerent) *& INCONSVLTO ORE IEHOVAE pacem iis conceſſit Ioſua, v. 14.* Vbi per *os Iehouae* dubium non eſt, quin vrim & thummim intelligatur. Deinde, diſpiciendum, an hocce foedus per ſe illicitum fuerit? Ita quidem nonnulli exiſtimant, nefas prorſus fuiſſe, vlli genti Cananaeae parcere, adeoque, ſi & a dolo, de quo deinceps, diſcedas, non tantum irritum hoc fuiſſe foedus, etſi iureiurando confirmatum, ſed & prorſus illicitum. Idque potiſſimum ex legibus diuinis confirmant, in quibus diſerte ſancitum, vt omnes Cananaei

naei prorſus delerentur; *Deuter. XX. v. 15. 16. 17.* neue Israëlitae fedus cum illis inirent, *Exod. XXIII. 32. & XXXIV. 12.* immo vt Cananaei חרם *anathema eſſent*, cuius ea lex erat, ne vlli mortalium vita relinqueretur, *Deut. VII. 2.* Haec aliaque pro iſta ſententia vrget IOAN. BARBEYRACIVS, vir doctiſſimus, in *notis ad Puſendorf. de iure natur. & gent. lib. IV. cap. II. §. VII. p. 402.* At licitum fuiſſe, contendunt alii, ſpeciatim HVGO GROTIVS, de *iure belli & pacis, lib. II. cap. XIII. §. IV.* & IOAN. ADAMVS OSIANDER, ad *h. l.* Cui ſententiae & ego ſubſcripſi in *inſtitutionib. theolog. moral. part. II. cap. III. ſect. V.* ad *§. XIII. p. 721.* Nec difficile eſt, ad rationes ſecus ſentientium reſpondere. Namque *Deut. XX. v. 10. ſeqq.* diſerte conſtituitur, ſi vrbs quaedam obſidione cingenda ſit, tum primum pacem illi offerendam, eamque ſi acceptauerit, ea conditione, quod imperio Israëlitarum ſe ſubiicere velit, tum incolis parcendum. Idque generatim de quarumuis gentium vrbibus, nullo inter Cananaeos & reliquos populos conſtituto diſcrimine, dicitur. Quodſi vero oblatam pacem repudiauerit, tunc Deus diſtincte, quo pacto & erga Cananaeos, & erga reliquas gentes Israëlitae ſe gerere debeant, eos condocet. Cum reliquis gentibus ſi iis res ſit, maſculos omnes internecioni dandos, ſeruatis feminis, liberis, pecudibus, bonis omnibus, quae Israëlitis in praedam cedere debebant, *v. 13. 14. 15.* At ſi vrbs Cananaeorum pacem oblatam non acceptauerit, omne viuentium genus, nulla inter homines ſexus aut aetatis habita ratione, delendum eſſe, *v. 16. 17.* Vnde ſimul intelligitur, quod *Deut. VII. 2.* alibique, de anathemate, cui Cananaei ſubiiciendi ſint, itemque de federe cum illis non ineundo, dicitur, cum conditione hac accipiendum eſſe, ſi Israëlitarum ſe ſubiicere imperio, aut ea lege fedus inire nolint, vt ſeruitutem ſimul ſubeant. Idque ex *Ioſ. XI. 19. 20.* aperte etiam conſtat. Diuina enim directione ita factum, ibi dicitur, vt gentes Cananaeae, exceptis Gibeonitis, Israëlitis ſe opponerent, pacemque nollent, vt peccatorum ſuorum hac ratione luerent poenas. Quod indicio eſt, ſi ſe ſubmiſiſſent, & ſeruitutem, vt Gibeonitae, ſubire non detrectaſſent, potuiſſe eas ſeruari. Accedit denique, ſi prorſus illicitum fuiſſet, hisce gentibus pacem concedere, quod Ioſuae ac ſenioribus haud dubie, forte poena etiam inflicta, hoc exprobraturus fuiſſet Deus. Quod factum non legimus. Confirmari vlterius haec poſſent ex iis, quae Ebraeorum magiſtri de litteris publicis, quas Ioſua ad gentes iſtas miſerit, quibusue pacem certis legibus iis obtulerit, tradunt: ſed haec incerta ſunt. Nihil itaque supereſt, quod fedus hocce irritum facere poſſet, quam dolus a Gibeonitis adhibitus. Et ſane, ſi ſtricto iure Ioſua cum iſtis agere voluiſſet, ad fedus hocce ſeruandum non fuiſſet obligatus. Conditio enim iſta, cui fedus hoc innitebatur, eos ex gentibus Cananaeis non eſſe, ad ipſam federis eſſentiam ſpectabat.

Nec

Nec obſtare poterat iusiurandum, quippe quod tum demum obligat, ſi fedus ipſum ſubſiſtere queat. Nihil tamen impediebat, quo minus Ioſua ea, qua hoc fecit, lege, fedus hoc ratum habere potuerit. Idque eo magis conſultum erat, quod federa eiusmodi, in quibus etiam dolus acceſſit, praeſertim iureiurando confirmata, ſine graui cauſſa non ſint reſcindenda. Dolus praeterea Gibeonitarum ex metu haud iniuſto profectus, nec ad laedendos Israëlitas, ſed ad ſui ſaltem conſeruationem tendens, excuſationem omnino promerebatur. Accedebat, quod magnam infamiam ſibi Israëlitae attracturi apud omnes gentes fuiſſent, ſi fama percrebuiſſet, eos federa etiam iureiurando confirmata non ſeruare.

*** Princeps federatorum, qui Israëlitis iunctis viribus ſe opponere decreuerunt, fuit Adonizedek, rex Hieroſolymorum. Conuenit vox *Adonizedek* quodammodo cum *Melchizedek*, quo nomine tempore Abrahami eiusdem loci rex inſignitus fuit. Nec tamen inde certo colligere licet, omnes Salemi aut Hieruſalemi reges a iuſtitia nomen habuiſſe, quae quorumdam eſt ſententia. Eadem vrbs, quae antea *Salem* vocabatur, deinceps adpellata eſt *Ieruſalem*, de cuius nominis ſignificatione variae, ſed incertae omnes, eruditorum virorum exſtant ſententiae, quae apud ABRAH. CALOVIVM, ad *Ioſ. X. 1.* legi poſſunt; add. IOAN. LIGHTFOOTVS, in *centuria chorographica Matthaeo praemiſſa cap. XI. tom. II. oper. p. 185.* Sunt, qui exiſtimant, tempore Dauidis demum nomen Ieruſalem ortum, cum hactenus Salem dicta eſſet. Ita B. SAL. GLASSIVS, in *grammat. ſacra, p. m. 785.* Quod ſi eſſet, auctorem libri Ioſuae Dauidis demum aetate vixiſſe, neceſſe eſſet: quod minus veroſimile videtur. Solet interdum eiusmodi punctis exprimi, quae numerum, quem vocant, dualem inferunt, idque ideo fieri, nonnulli autumant, quod duae vrbis partes, ſuperior atque inferior, fuerint. Alii autem, pronuntiationen יְרוּשָׁלֵם ceu genuinam, ad minimum antiquiorem, praeferunt; cum eam LXX interpretes atque FLAV. IOSEPHVS, quibus vera pronuntiandi vrbis nomen ratio ignota eſſe non potuerit, ſequantur. Eam antiquiſſimis temporibus & *Iebus* dictam, ex *Iud. XIX. 10.* & *I. Par. XI. 4. 5.* conſtat. Adonizedek itaque, rex Ieruſalemi, vt Israëlitarum progreſſus ſufflaminaret, in federis ſocietatem adſumſit reges Hebronis, Iarmuthi, Lachiſi, & Eglonis. Vrbes iſtae Cananaeae erant, ad tribum Iudae deinceps relatae, vt ex geographorum monumentis conſtat, ſingulaeque eo tempore ſuos habebant reges. Coacto itaque exercitu, Gibeonitas, qui Ebraeis ſe dediderant, adgredi ſecum conſtituunt: quibus dum ſuppetias fert Ioſua, precibus illorum accitus, res ad manus venit Fuſos fugatosque hoſtes Ioſua per *viam adſcenſus Bethchoronis* perſequitur, atque ad Hazekam & Makkedam vsque magna clade eos adfecit. Vbi, ad Bethchoronem quod attinet, cum duplex ea fuerit, inferior & ſuperior,

I. Par. VII. 24. probabilis illorum ſententia videtur, qui, vtramque in tribu Ephraim, nec alteram ab altera longe diſſitam, alteram forte in valle, alteram in monte, vnde illa inferior, haec ſuperior dicta ſit, fuiſſe, contendunt. Hezek & Makkeda vrbes fuere tribus Iudae, eaeque a finibus Beniaminis meridianis non vsque adeo remotae; vt adeo reges Bethchorone fugientes, quae fuit ad fines ſeptemtrionales eiusdem tribus, non potuerint petere, niſi eas vrbes, quae in ſeptemtrionali tractu tribus Iudae ſitae fuerunt, vt recte IO. CLERICO ad *h. l.* obſeruatum. Dum ita per decliuitatem Bethchoronis Hazekam verſus fugiebant, Deus *in eos immiſit lapides magnos e caelo*, quibus longe plures, quam ferro Iſraëlitarum, periere. Per *lapides magnos* grandinem inuſitatae magnitudinis intelligi, ipſe ſcriptor facer indicat, resque ipſa docet. Tonitrua quoque & fulmina memorat FL. IOSEPHVS, *lib. V. antiqu. iud. cap. II.* quae & plerumque cum grandine ſolent eſſe coniuncta. Id pro ſingulari miraculo vel hoc nomine habendum, quod non tantum eo tempore tempeſtas tam inuſitata contigerit, quo hoc vel maxime e re Iſraëlitarum eſſe videbatur, ſed &, quod hoſtibus tantum, non autem Iſraëlitis tempeſtas illa incommodum aliquod attulerit. Ioſua cum iſtam opportunitatem delendi prorſus hoſtium copias ſibi oblatam vidiſſet, nec dies nunc abſoluendae victoriae ſufficere videretur; *adloquutus eſt Iehouam*, preces ad eum fundendo, iisque confirmatus, & in fide robuſtior factus, in conſpectu populi israëlitici dixit: *o ſol! morare Gabahone, & tu luna in valle Aialonis:* ſtatimque *moratus eſt ſol, & luna ſubſtitit, donec Ebraei vltionem de hoſtibus ſuis ſumſiſſent.*

Tantum vero cum hoc ſit miraculum, vt nec inter miracula Moſis maius deprehendatur, eo minus mirandum, fuiſſe nonnullos, qui hoc in dubium vocare, aut imminuere, verbis ſcripturae ſuo inſtituto adcommodatis, ſuſtinuerunt. MAIMONIDEM, aliosque ebraeae gentis doctores, nullum hic miraculum agnoſcentes, ſed phraſin poëticam adhibitam exiſtimantes, *quaſi ſol exſpectaſſet, donec occidio hoſtium perfecta foret*, adducit ANDREAS MASIVS, ad *h. l.* Nec improbabile hoc videtur HVGONI GROTIO, qui tamen addit, fieri etiam potuiſſe, *vt poſt ſolis occaſum ſpecies eius in nube ſupra horizontem exſtanti per repercuſſum oſtenderetur;* ad *h. l.* In eadem ſententia verſatur ſyſtematis praeadamitici auctor, ISAACVS PEYRERIVS, *ſyſtem. theol. part. I. lib. IV. cap. V. p. 194. ſeqq.* Cum enim verba ſcripturae, quibus ſol ſtetiſſe perhibetur, recitaſſet, addit: *Nemo eſt, qui in primo intuitu haec legens adſeneret, ſolem ipſum ſtetiſſe in caelo. Verum ſi quis attentius vim miraculi expendat, & miraculum ipſum intra fines ſuos contineat, facile deprehendet, lumen & fulgorem ſolis, non ſolem ipſum hoc loco intelligendum eſſe, ſicut in miraculo Ezechiae demonſtratum eſt. Auctoritatem & confidentiam coniecturae adiicit, quod ſcriptum eſt: SOLEM STE-*

STETISSE IN MEDIO CAELI. Sol enim occidens caelo praecipitabat, quando illum Ioſua ſtare iuſſit. Neque ſol ſtare tunc poterat, in medio caeli, in quo non erat. Diſtat enim occaſus toto caeli quadrante, a medio caeli. Accipiendum ergo ita eſt miraculum hoc, vt cum ſol ipſe reuera occumberet, neque ceſſaret interea caeleſtis & naturalis rerum ordo, fulgor ſolis ſiue ſole ipſo, & miraculo maximo, затем ſupereſſet in atmoſphaera, vel regione vaporum illa, quae ciuitati Gabaonicae, caeli & aëris medio, incubabat: ſolis vero fulgor ciuitatem Gabaonicam, & montem Gabaon verberaret, ita vt reuerberati ex fulgore illo radii iacentes vndiquaque conualles illuſtrarent, at enim fuſi & fugati Amorrhaei imminentem illis Ioſuam effugere non poſſent, quae miraculi cauſſa erat. Addendus denique his eſt vir doctiſſimus IOANNES CLERICVS, qui ſimilem fere in modum de hocce miraculo diſſerit; ad *Ioſ. cap. X. verſ. 12. ſeqq. Hoc igitur,* inquit, *voluit Ioſua, ſolem viſum ſtare oculis eum Gabahone ſpectantibus, ita vt videretur ſerius occidere. Sic autem loquimur, pluribus de rationibus. Primum enim nunc ſatis conſtat apud omnes aſtronomiae peritos, ſolem non moueri, ſed terram. Deinde, ſi proprie loquamur, ſol non poteſt videri ſtare Gabahone, cui vrbi verticalis eſſe non potuit, quippe procul extra tropicum cancri ad ſeptemtrionem ſitae. Potuit ergo tantum videri ſtare, ſpectatus Gabahone. Praeterea non eſt ſimile vero, ob rem tantillam, qualis fuit caedes aliquot Cananaeorum, & quidem eo die potius, quam poſtridie, terrae motum diurnum, aut, ſi manis, ſolis interruptum fuiſſe. Non ſolet Deus, vt ſic loquar, ſic prodigus eſſe miraculorum, vt naturae ordinem in tam inſigni vniuerſitatis parte leui de cauſſa perturbet. Denique videntur haec deſumta ex libro poëtico, qui in ſequentibus verbis laudatur, vt mox oſtendemus. Eſt autem moris poëtarum hyperbolicis loquutionibus res ſublimius deſcribere. Voluit fortaſſe ſcriptor* libri recti *indicare, non ſine diuina prouidentia loca, in quibus caedebantur Cananaei, diutius, quaſi ſolis & lunae luce, fuiſſe illuſtrata: viſum enim eſſe ſolem Gabahone ſpectatum diutius ſupra horizontem, quam ſolebat: nec lunam in Aialonis valle, perſequentibus Cananaeos Iſraëlitis tam cito occidere viſam. Quod fieri potuit inſolitis refractionibus, quibus, vt notum eſt, ſol nobis ſupra horizontem eſſe videtur, cum nondum ortus ſit, & iam occiderit; idemque in Laponia oculis non occidit ſolſtitialibus diebus, licet reuera horizontem ſubeat. Fieri etiam hoc potuit extraordinario quodam lumine, quod illic ſpeciem ac vicem ſolis & lunae praebuerit; quis enim, Deo, aut angelis innumeras eſſe rationes conficiendi id, quod praeter ordinem naturae eſt, neſcit?* Sed haec omnia ita comparata ſunt, vt ab iis, qui rem omnem adcuratius penſitarunt, admitti nequeant. Quod enim ad lumen attinet, ſiue extraordinarium a Deo aut angelis productum, quod ſolis atque lunae vicem ſuſtinuerit, ſiue ex radiorum ſolis refractioni-

bus ortum, id perperam adſeritur, cum ſcriptura tam clare tamque aperte dicat, idque non ſemel, ſed ſaepius, ſolem ipſum ſtetiſſe. De ſole atque luna ipſa loquitur Ioſua, cum dicit: *o ſol! morare Gabahone, atque tu luna in valle Aialonis.* Quodomnino ita intelligendum, in ea caeli parte, qua tum fuit, ſolem ſubſiſtere debere, vt Gabahone conſpici ab omnibus poſſet. Idque mox repetit ſcriptor ſacer. *moratus vero eſt ſol, & luna ſubſtitit.* Confirmat id porro teſtimonio ex *libro recti: & ſtetit ſol in medio caelo, neque feſtinauit occidere.* Quo ipſo & innuitur, fuiſſe id eiusmodi miraculum, quod dignum ſit, vt in omne aeuum commemoretur. Omne denique dubium eximit, dum adſerit, nec antea nec poſtea ad ſuam aetatem vsque, diem fuiſſe huic ſimilem, *quo Iehoua vocem hominis ſic exaudiret*, naturae ſcilicet ordinem ipſum, miraculo prorſus ſtupendo, immutando. Eoque modo veteres Iudaeos hoc miraculum intellexiſſe, vel ex Siracide diſcimus, dum dicit, *ſolem impeditum fuiſſe in curſu ſuo, vnamque diem factam inſtar duarum, cap. XLVI. 6.* Fruſtra etiam ex libro poëtico hoc deſumtum dicitur, vt hyperbolicae loquutiones hic ingeri queant. Primo enim ſcriptor ſacer ipſa Ioſuae verba refert, quae coram toto populo israëlitico pronuntiauerit. Imperatorem autem iſtum in feruore pugnae conſtitutum, & cupiditate hoſtes perſequendi flagrantem, poëtice loquutum, non temere ſibi quis perſuaſerit. Deinde, cum ſcriptor ſacer verba Ioſuae recitaſſet; ipſemet ſuis verbis hoc addit: *moratus vero eſt ſol, & luna ſubſtitit.* In quibus, quod poëtice vel hyperbolice loqui voluerit, ne minimo quidem indicio conſtat. Tum demum hoc, quia res plane ſingularis erat, & quae multis increbilis videri poterat, teſtimonio ex *libro recti* petito confirmat. De iſto quidem ספר הישר *libro recti*, ſeu *libro iuſtorum*, variae ſunt virorum doctorum coniecturae, de quibus in ſequentibus ex inſtituto dicemus. Nos facile concedimus, fuiſſe librum metricum, ſeu poëticum, in quo virorum in gente ebraea illuſtrium res praeclare fortiterque geſtae deſcriptae fuerint. Sed inde non ſequitur, etiam ſcriptorem ſacrum, qui hoc miraculum narrat, aut ipſum Ioſuam, dum verba iſta pronuntiauit, poëtice & ὑπερβολικῶς loquutum fuiſſe. Reliquae rationes, quae noſtrae ſententiae opponuntur, aut pro contraria afferuntur, non adeo magnum momentum trahunt. Scilicet, parum ſimile vero videtur, Deum ob rem tantillam totius naturae mutaſſe ordinem. Sed id quidem, vt in omnibus quodammodo miraculis contingit, vt naturae leges ſiſtantur; ita Deo, ſiue hac, ſiue alia ratione hoc faceret, perinde fuit. Quam enim facile eſt Deo, reſuſcitare mortuum; tam facile etiam, ſolis omniumque ſiderum ſiſtere curſum. Nec res adeo exigua nobis videri debet, propter quam iſtud miraculum edidit. Non tantum enim ob Cananaeorum quorumdam caedem hoc factum, ſed &, vt omnes gentes intelligerent, Deum

caeli

caeli & terrae conditorem ebraeae gentis curam agere, vtque ipſi Israëlitae hac ratione valide in fide ſua confirmarentur. Nec PEYRERII, vt nos morentur argutiae, neceſſe eſt, qui vel hac ratione ſententiam, quae, in hoc miraculo naturae mutatum ordinem ſtatuit, euerti poſſe putat, quod ſcriptor ſacer dicat, *ſolem ſtetiſſe in medio caeli*, cum tamen iam ſol occidens caelo praecipitaret, quando illum Ioſua ſtare iuſſit. Verum, contigiſſe hoc miraculum, cum ſol occaſui iam vicinus eſſet, fruſtra tum a PEYRERIO, tum ab aliis adſeritur. Nullibi enim in ſcriptura ſacra hoc dicitur, nec vlla praegnans adeſt ratio, qua hoc probari queat. Ceterum, *medium caeli*, non mathematice, ſed moraliter, intelligendum, nec medietatem totius hemiſphaerii, ſed medietatem quadrantis ab horizonte ad verticem, notari, iam aliis obſeruatum eſt.

Et ita quidem cum euictum ſatis ſit, eiusmodi hoc eſſe, de quo loquimur, miraculum, in quo naturae ordo vniuerſus immutatus ſit; hoc ſaltem, vt disquiramus, ſupereſt, num ſol, an terra, Ioſuae iuſſu ſubſtiterit. Conſtat enim, plurimos inter aſtronomos in eam ingreſſos ſententiam, non ſolem, ſed terram moueri, ſolem autem quieſcere. Quam a Pythagoraeis iam aliisque defenſam, cumprimis NICOLAVS COPERNICVS reuocauit, qui & inter recentiores plurimos nactus eſt ſectatores, quos inter RENATVS CARTESIVS haud vltimum locum tenet; etſi non quoque defuerint, qui acriter eam impugnarint. Vtrosque in compendio recenſet GEORGIVS PASCHIVS, *de inuentis nou-antiquis, cap. VII. p. 5. 9. ſeqq.* Cumque illi, qui, terram moueri, negant, tum ad alia ſcripturae oracula; tum ad hunc ipſum, de quo verba facimus, locum prouocare ſoleant, in quo diſerte, *ſolem ſtetiſſe*, aliquoties dicitur; illis, qui ſecus ſentiunt, nihil aliud relictum, quam vt contendant, tum hic, tum alibi ſcripturam ita loqui, vt hominum rudium ac plebeiorum captui ſe attemperet. At iſthoc quidem adſerto ipſam ſcripturae ſacrae auctoritatem veritatemque magno periculo exponi, non ſine ratione cenſuerunt alii. Vnde nouae controuerſiae argumentum, quae multis eruditorum virorum ſcriptis agitata fuit Conf. IOAN. HERBINII *examen theologico-philoſophicum famoſae de ſolis vel telluris motu controuerſiae, ad ſacro-ſanctam normam inſtitutum*, editumque Vltraiecti anno MDCLV, itemque PETRI VAN MASTRICHT *vindiciae veritatis & auctoritatis ſacrae ſcripturae in rebus philoſophicis*, itidem Vltraiecti eodem anno editae. Noſtri quidem non eſt inſtituti, haec omnia adcurate discutere, aut in philoſophorum, quibus telluris motum probare ſatagunt, rationes inquirere. Id in confeſſo eſſe exiſtimo, quam facile Deo fuit, terram ita condere, vt moueretur, quod COPERNICI ſectatores volunt; tam facile quoque eidem fuiſſe, eadem ratione condere ſolem, aut corpus ſole ipſo adhuc multo maius. Adeoque & quod ad miraculum, de quo nobis ſermo

mo eſt, attinet, eadem potentia, quae requiritur ad telluris motum ſiſtendum, ſi modo moueatur, etiam ſufficit ad ſiſtendum motum ſolis. Vtrobique enim talis potentia requiritur, quae naturae leges mutare queat, quae, vt maxima eſt, ita ſoli Deo eſt propria. Vt reliqua perſequamur, quam diu ſol ſteterit, adcurate non videtur definiri poſſe. IVSTINVS martyr, duodecim horis ordinariis, quibus dies abſoluitur, viginti quatuor acceſſiſſe, exiſtimat, vt adeo ille dies, quo victoriam illam Ioſua retulit, triginta ſex horarum fuerit; *dialog. cum Tryphone Iudaeo, p.m.361.* Sed alii adquieſcendum putant in iſto Siracidis effato: *μία ἡμέρα ἐγενήθη πρὸς δύο, vnus dies excreuit in duos; cap. XLVI. verſ.6.* At ſcrupulum mouent verba ſcriptoris ſacri: *Et non fuit talis dies antea, vel poſt, vt obediret dominus voci viri.* Quae quidem vulgatus ita reddit: *Non fuit antea & poſtea tam longa dies, obediente domino voci hominis.* Huic enim effato repugnare videtur, quod de miraculo in gratiam Hiskiae facto, *II. Reg. XX. 11.* & *Eſ. XXXVIII. verſ. 8.* legitur. Si enim ſol decem gradibus retroceſſit, iterumque deſcendit, adeoque ſpatium X graduum ter vno die emenſus eſt; ſequitur, diem fuiſſe XXX horarum, adeoque multo longiorem illo die, quo victoriam reportauit Ioſua, ſaltem ſecundum receptam opinionem. Quod vt tollerent dubium; viri docti varia excogitarunt. Nonnulli vmbram ſaltem in horologio Achazi, non ſolem, retroceſſiſſe, autumant, vt IS. PEYRERIVS, in *ſyſtem. praeadam. part. I. lib. IV. cap. II. p.189.* Alii concedunt, retroceſſiſſe ſolem, at ſciaterio Achazi tribuunt gradus non horarios, ſed ἡμιωρίας; alii rurſus, horarios gradus fuiſſe, aiunt. Sed ſolem retrocedendo non confeciſſe decem horas, ſed abreptum fuiſſe momento, ordinaria mora autem regreſſum. Non ſpernenda eorum ſententia, qui, auctorem libri Ioſuae de eo loquutum, quod ad ſua vsque tempora contigit, exiſtimant Sique ponamus, eum ante Ezechiae tempora vixiſſe, quod omnino probabile, rectiſſime dicere potuit, neque antea, neque poſtea, ad ſuam ſcilicet aetatem vsque, tam longam diem fuiſſe. De iis enim, quae poſt ſuam aetatem euentura fuerint, eum loquutum, ſimile non eſt vero. Hoc enim ſi eſſet, adſerendum quoque eſſet, Deum ſingulari reuelatione illi manifeſtaſſe, numquam iterum tam longam diem fore; quod, licet non ſit ἀδύνατον, non temere tamen, nec ſine praegnanti cauſſa eiusmodi quid ſtatuendum. Conf. MICHAEL WALTHERVS, in *harm. bibl. p. 319.* Interim, vt huc quoque nos recipiamus, neceſſe non eſt, cum breuiori via res omnis confici queat. In textu enim ebraeo non dicitur, non fuiſſe *tam longam diem*, quod vulgatus habet, ſed ſaltem talem diem, qua ſcilicet eiusmodi quid factum, *vt voci viri Dominus obediret;* quamquam, ſi ſupponatur, in ſciaterio Achazi intelligendos gradus ſemi-horarios, reuera etiam dies Ioſuae longior fuerit die His-

Hiſkiae; vid. AVG. PFEIFFERVS, in *dub. vexat. cent. II. loc. XLIX. p. 330*. Fuſis fugatisque hoſtibus Ioſua in eo erat, vt Gilgalem in caſtra rediret, ſed, cum nuntium de regibus in ſpeluncam prope Makkedam abditis accepiſſet, eo iter reflexit, atque Israëlitas, vt hoſtes porro perſequerentur, adhortatus eſt, & tum ad exercitum, qui prope Makkedam erat, rediit. Et ita ceſſat dubium, quod inde oriri poterat, quod *verſ. 15.* Gilgalem in caſtra reuerſus dicatur, cum tamen *verſ. 21.* prope Makkedam caſtra fuiſſe perhibeantur. Quinque iſtorum regum quae fuerint fata, notum eſt. Nec durum nimis aut crudele alicui videri debet, quod, priusquam interficerentur, Ioſua colla eorum a ducibus militum conculcari voluerat. Signum enim id erat plenae victoriae, & ita confirmandus populus erat in fide, & condocendus, praedictionibus diuinis ſuam conſtare veritatem. Praeterea ſemper cogitandum, Deum Cananaeos ob enormia iſtorum ſcelera punire voluiſſe, vt iam ſupra obſeruauimus. His ita feliciter & ex voto geſtis, Makkedam expugnat Ioſua, incolasque omnes vna cum rege ipſo interficit. Eodem adhuc die, quo victoriam iſtam ingentem a quinque regibus retulit, hoc factum, nonnulli putant, & in ipſo quoque textu innui videtur, etſi diſſentiant ANDREAS MASIVS atque NICOLAVS SERARIVS. Mox Libna, quae deinceps ad tribum Iudae relata, & hinc Lachis, quae non procul inde ſita erat, eadem experiebantur fata. Cum vero rex Gazeris, quae vrbs ad tribum Ephraim deinceps relata, audiret, Lachiſum ab Ebraeis oppugnari, vt auxilium ei ferret, adcurrit. Sed & is temeritatis ſuae poenas dedit, ad internecionem vsque a Ioſua caeſus. Egloni & Chebroni idem, quod reliquis vrbibus, contingebat. Cum vero Chebron *Ioſ. c. XV. 14.* & *Iud. I. 10.* a Calebo demum capta dicatur, veroſimile eſt, eam a Cananaeis, qui ex locis vicinis eo confluere poterant, iterum reſtauratam. Atque idem de Debira vrbe dicendum videtur, quae hoc quidem loco a Ioſua expugnata & deleta, at *cap. XV. 16. 17.* & *Iud. I. 13.* ab Othoniele occupata perhibetur. Eam Kiriath-Sepher prius dictam, quam Debira vocaretur, ex iisdem locis diſcimus. Reliqua ſcriptor ſacer vnico velut faſce complectitur: *Itaque Ioſua concidit totam regionem montanam & meridianam, planitiemque & radices montium, earumque reges, neminemque ſuperſtitem reliquit, ſic omnem animam, vt iuſſerat Iehouah Deus Israëlis ad internecionem deleuit.* Pro eo, quod diximus, *radices montium*, in ebraeo eſt אשׁדות, quam vocem vulgatus atque LXX interpretes pro nomine proprio accipiunt. Sed & HIERONYMVS, in *locis ebr. Aſedoth*, inquit, *ciuitas, quam expugnauit Iehu, rege eius interfecto.* Alii, & quidem, ni fallor, rectius, nomen adpellatiuum eſſe, contendunt: cumque אשׁד *effuſionem, decurſum*, denotet; nonnulli quidem de *aquis* ſeu *riuulis* interpretantur, vt B. LVTHERVS noſter, alii tamen *loca decliuia*, ſeu *decliuitates*, vel radi-

radices montium intelligunt, vt ſenſus ſit, tum *planities*, ſeu loca a montibus remotiora, tum *radices montium*, ſeu loca montibus propiora, in poteſtatem Ioſuae veniſſe. Addit porro ſcriptor ſacer: *Cecidit Ioſua iſtos populos, a Kadesbarnea*, quae auſtralibus in finibus Iudaeae fuit orientem verſus, *vsque ad Gazam*, Philiſtaeorum vrbem ad mare, in iisdem finibus, occidentem verſus. *& omnem terram Goſenitidem*, ſeu tractum vrbis Goſen, quae deinceps tribui Iudae adſcripta, & in parte meridiana ſita fuit, a quo diuerſa fuit regio Goſen, in Aegypto, quam Israëlitae incoluerant, *vsque ad Gabeonem*, qui fuit terminus ſeptemtrionalis agrorum, hocce tempore ab Israëlitis occupatorum. Haec omnia vno impetu, פעם אחד Ioſua cepit: idque documento erat, Deum ipſum pro Ebraeis militare. Omnibus autem ex voto peractis, ad caſtra fixa & ordinaria Gilgalem reuerſi ſunt.

§. V.

In ea Cananaeae parte, quae ad ſeptemtrionem vergit, eminebat Iabinus, rex Chazoris, qui ſecuritati ſuae conſulturus, omnes regulos, qui imperio eius ſubiecti erant, ad bellum euocat magnam peditum equitumque vim cum ingenti curruum copia Ebraeis oppoſiturus. At tantas copias nihil moratus Ioſua impetum in hoſtes facit, ingentique edita ſtrage, eos in fugam vertit, regibusque interfectis, reliquis caeſis aut diſſipatis, vrbibusque direptis, atque incenſis, agros iſtorum late patentes occupat. * Tandem ingenti terrarum tractu in poteſtatem Israëlitarum redacto, Anakaeos quoque aggreſſus, eosdem vicit, & ex omnibus locis, quae Israëlitis inhabitanda erant, eiecit, exterminauit, atque e medio ſuſtulit. **

* Cum auſtralis Cananaea ſubacta eſſet, tandem & ſeptemtrionales, nunc ſuam rem agi rati, ſe mouerunt. Principem inter eos locum tenebat Iabinus, rex Chazoris, cui reliquos, qui in belli ſocietatem cum illo coiuere, ſubiectos fuiſſe, ex *cap. XI. verſ. 10.* colligas. Chazor, regia ſedes, ad tribum Naphtali deinceps relata eſt, & teſte FLAV. IOSEPHO ſita fuit ſupra Semechonitidem paludem, ſcilicet ad latus eius ſeptemtrionale; *antiquit. iudaic. lib. V. cap. VI.* Inter federatos Iabini memorantur reges Madon, Simron & Achſaph. De vrbe Madon nihil certi definire licet; cum alibi eius non fiat mentio. Simronem tribui Zabulonis deinceps adſcriptam, intelligimus ex *cap. XIX. 15.* Non confundenda cum *Somron*, ſeu Samaria, quod faciunt R. LEVI BEN GERSON, EVSEBIVS, ANDREAS MASIVS, alii. Achſaph in tribu Aſeritica deinceps fuiſſe, intelligimus ex *cap. XIX. 25.* Reliqui populi, qui in eamdem belli ſocietatem coiuerunt, indicantur *cap. XI. 2. 3.* Copiae erant innumerabiles, equitibus inſuper ac curribus inſtructae, quae adeo formidinem

dinem iniicere Iſraëlitis potuiſſent. Numerum earum definit FLAV. IOSEPHVS: τοῦ δὲ στρατοῦ παντὸς, ὁπλιτῶν μὲν ἦσαν μυριάδες τριάκοντα, μύριοι δ' ἱππεῖς καὶ ἅρματα δισμύρια· *erantque omnes hae copiae peditum trecenta millia, equitum decem millia, curruum viginti millia; antiquit. iud. lib. V. cap. I. p. m. 140.* Sed haec ex ingenio ſuo fingit: cuiusmodi & alia quaedam ſunt, quae in hac ipſa hiſtoria tradit, de quibus in ſcriptura ſacra nihil legimus. Omnes iſti populi regesque cum conueniſſent, vna caſtra metatum iuerunt ad *Meromi aquas*, h. e. Semechonitidem paludem, vt ex IOSEPHO conſtat. *lib. XI. de bello iud. cap. XXXI.* aliisque locis. Ioſua autem oraculo diuino confirmatus, ſumma celeritate ad eumdem locum contendit, hoſtesque adortus fudit atque fugauit eosque perſequutus eſt ad *Sidonem magnam, ad aquas calentes, & vsque ad vallem Mitſphae, orientem verſus.* Sidon cur magna vocetur, nemini obſcurum eſſe poteſt. Erat enim iam eo tempore haec vrbs opibus, commerciis, potentia, longe florentiſſima. Cum autem porro in ebraeo dicitur: משרפות מים quod *aquas calentes* reddidimus, nonnulli quidem vocem משרפות vt nomen proprium capiunt; alii tamen rectius, vt adpellatiuum. Conſtat enim, quod *vſtionem, combuſtionem, conflagrationem* ſignificet. Longius petitum, quod nonnulli *fornaces vitriarias* intelligunt, quaſi arena vi ignis excocta & liquata, ex qua vitrum conflatur, aqua vocetur. Ita tamen IM. TREMELLIVS atque FRANCISCVS IVNIVS reddunt: *vsque ad fornaces vitriarias*, ſuffragante & ANDR. MASIO, nec abnuente prorſus IAC. BONFRERIO, ad *h. l.* Nec meliori forte fundamento chaldaeus paraphraſtes, R. SALOMON IARCHI, aliique, *ſalinas* reddunt. Ex vocis enim ſignificatione nihil aliud colligas, quam aquas calidas, ſeu thermas fuiſſe, quemadmodum & R. DAVID KIMCHI, aliique reddunt, quos & in verſione germanica ſequitur B. LVTHERVS. Suadet id ſoli, in quo ſita Sidon fuit, conditio. Bitumine enim id abundaſſe, conſtat. Nec obſtat, quod ab aliis thermae ſeu aquae calidae in hac regione non commemorentur. In tanto enim ſcriptorum, qui res Phoenicias adcurate deſcripſerint, defectu, id mirum non eſt. Fugatis hoſtibus, & interemtis, qui in populi victoris poteſtatem venerant, Ioſua, quod Deus praeceperat, fecit, equis captis poplites ſuccidens, currusque igne comburens. Noluit namque Deus Iſraëlitas in bello vti equis curribusque, ne illis potius, quam ſuo auxilio, confiderent. Quod antea Ioſuae eiusmodi praeceptum datum non eſt, ratio forte haec eſt, quia vrbium obſidionibus maximam partem occupatus fuit, in quibus hoſti equorum curruumque vſus non erat. Capta tum vrbe regia Chazore, incolae eius omnes ferro interemti, vrbe ipſa incenſa. Nec regum quisquam, aut incolarum, aut aliorum, qui in manus Iſraëlitarum, inciderunt, ſeruatus eſt: deleti omnes ſunt. Ad vrbes autem quod attinet, hoc diſcrimen obſeruatum, vt in colli-

Digitized by Google

bus ſitae (ita enim voces ebraeae עמדות על תלם *ſtantes ſuper tumulum ſuum*, quam rectiſſime capiuntur, quas alios aliter interpretari conſtat) ſeruarentur, forte, quod facile teneri ab Iſraëlitis contra Cananaeos poſſent, vtpote natura munitae; reliquis omnibus ignis ſubiiceretur, quod & Chatſori, etſi in colle ſitae, factum. Diuitiae autem iſtarum vrbium, pecudesque Iſraëlitis in praedam ceſſerunt, Suminatim, quae ab Iſraëlitis poſt vltimam victoriam occupata ſunt, ita exprimit ſcriptor ſacer: *Cepit ergo Ioſua omnem hancce terram, montana, omnem meridianum tractum, terram omnem Goſenitidem*, de qua antea dictum, *planitiem & campeſtria, montem* denique *Iſraëlis*, id eſt montana Iſraëlis; vt recte reddunt IM. TREMELLIVS, FRANC. IVNIVS, B. LVTHERVS, IOAN. CLERICVS (qui enim aut montem Sion, aut montem Charizim intelligunt, idoneas ſuae ſententiae adferre nequeunt rationes) *& campos eis ſubiectos; a monte, qua Sebirem adſcenditur, vsque ad Baalgadum, in valle Libani, ſub monte Chermone*. Vbi cum dicitur מן ההר החלק. LXX quidem interpretes vocem חלק pro nomine proprio habent, reddentes; ἀπὸ ὄρους χελκά. Alii autem rectius, vt adpellatiuum vertunt; qui tamen & ipſi in varias abeunt ſententias. HIERONYMVS, conſtructionis nullam rationem habens, *partem montis* vertit. Alii in ſenſu diuiſionis hoc accipiunt, intelliguntque *montem, qui diuidit* (regionem) *qua adſcenſus eſt in Seir*, vel qui Cananaeam ab Idumea ſeparat; quorſum AQVILA, chaldaeus, & verſio germanica B. LVTHERI tendit. Propius ad veritatem accedere videntur, qui *montem glabrum* vertunt, hoc eſt, qui totus arboribus caret. Ita poſt SYMMACHVM IM. TREMELLVS & FR. IVNIVS, itemque IOAN. CLERICVS. Certe vox ebraea חלק *laeuem, mollem, glabrum* ſignificat. Denique ad temporis ſpatium, quo haec omnia Ioſua geſſit, quod attinet, ſcriptor ſacer generatim ſaltem dicit, eum *multis diebus*, ſeu diu bellum cum regibus, quos deuicit, geſſiſſe. Qui adcuratius tempus definire contendunt, itidem inter ſe diſſentiunt. FL. IOSEPHVS, quinquennio Cananaeam ſubactam, auctor eſt; *antiquit. iud. lib. V. cap. II.* Septennio hoc factum contendit auctor chronici *ſeder olam*, itemque THEODORETVS & alii. Quod ſi ita intelligatur, vt ſeptimo ab ingreſſu in terram Canaan anno facta ſit terrae diſtributio, recte ſe habet

** Excidiſſe Ioſua Anakaeos e montano tractu dicitur, *cap. XI. 21.* h. e. occidiſſe eos, qui in manus eius incidebant, reliquos fugaſſe & diſſipaſſe. Superfuiſſe enim poſt haec tempora Anakaeos, conſtat. Plurimi etiam in vrbibus Philiſtaeorum, quas Ioſua non occupauit, quaeue in poteſtate Philiſtaeorum permanſerunt, aut mox ab iis recuperatae ſunt, vrbibus eorum, Chebrone, & Debira, & Hanabo, euerſis atque deletis, Gaza ſcilicet, Gath, quae patria fuit Goliathi, *I. Sam. XVII. 4.* & Aſdod, commorati ſunt, ad quas etiam haud dubie nonnulli, qui

qui manus Ioſuae effugerunt, ſe receperunt. Immo viribus deinceps reſumtis maiorum ſuorum ſedes, Chebronem & Debiram, recuperarunt, a Calebo & Othoniele inde iterum eiiciendi. Ceterum, cum *verſ. 23.* dicitur, omnem terram cananaeam a Ioſua captam, hoc de magna eius parte, quam bello tentauit, intelligendum. Phoenices enim atque Philiſtaeos ab eo bello non fuiſſe adpetitos, conſtat. Et deinceps expeditiones nonnullae adhuc ſuſceptae, & variae vrbes occupatae. Sic Hieroſolyma a tribu Iudae demum expugnata, *Iud. I. 8.* arce tamen a Iebuſaeis retenta ad tempora Dauidis, *II. Sam. V. 6.* conf. & *Ioſ. XIII. 2. 3. ſeqq.* Fuere etiam Ioſuae cauſſae grauiſſimae, cur non omnes iſtas gentes ſimul ac vnica vice deleret, cuncta ita ſapienter diſpenſante Numine, ne Iſraëlitis occaſio, fidem atque conſtantiam ſuam demonſtrandi, deeſſet.

§. VI.

Bellis iſtis finitis,* vt quietam tandem ac plenam terrae a Deo ſibi conceſſae poſſeſſionem obtinerent Iſraëlitae, ſortibus in Siloh iactis, ſua cuilibet tribui adſignata eſt portio; illis tribubus, quae iam trans Iordanem agros ſuos occupauerant, & hactenus fratres ſuos comitatae fuerant, facta diſcedendi poteſtate, habitaque & Leuitarum, vt par erat, ratione.** Quibus peractis, Ioſua Iſraëlitarum proceres conuocat, commemoratiſque Numinis in eos collatis beneficiis, & commonefactionibus ad verum Deum, idolis procul faceſſere iuſſis, colendum additis, fedus Deum inter & Iſraëlitas renouat;*** & ita tandem anno aetatis ſupra centeſimum decimo, vir immortalis gloriae, quod mortale erat, depoſuit.*

*Scilicet, quae Ioſua geſſit. Alias enim deinceps expeditiones ſubinde ad occupanda, quae reliqua erant, ſuſceptas, iam obſeruauimus. Sed iſtae expeditiones a ſingulis fere tribubus ſuſcipiebantur. Reges a Moſe & Ioſua deuicti ſummatim indicantur *Ioſ. XII.* Et Ioſua quidem triginta & vnum debellauit. LXX interpretes omiſſis duobus, habent viginti nouem. Sed FLAV. IOSEPHVS cum textu ebraeo conuenit. Per reges autem, ſingularum vrbium, aut aliquot oppidulorum, agrique vicini praefectos intelligi, iam aliis obſeruatum eſt.

** Vt ſummatim, quae de κληρουχίᾳ illa ſeu terrae diuiſione notatu digna ſunt, complectamur, primo de tempore, tum de re ipſa dicemus. Ad tempus quod attinet, id ex verbis Calebi *Ioſ. XIV. 7.* quam rectiſſime definitur. *Quadraginta annorum eram,* inquit, *quando me miſit Moſes, ſeruus Domini, de Kadesbarnea, vt conſiderarem terram. Iurauitque Moſes in die illo, dicens: terra, quam calcauit pes*

 tuus,

tuus, erit poſſeſſio tua : quadraginta quinque anni ſunt, ex quo loquutus eſt Dominus verbum iſtud ad Moſen, quando ambulabat Iſraël per ſolitudinem : hodie LXXXV. annorum ſum, ſic valens, vt eo valebam tempore, quando ad explorandum miſſus ſum. Si ergo Calebus tum, cum haec loquebatur, hoc eſt, anno XLV poſt explorationem terrae Canaan, LXXXV annorum fuit, & vero XL annos habuit, cum ad explorationem mitteretur, quod ſecundo anno poſt exitum ex Aegypto, ſiue trigeſimo octauo ante diſtributionem terrae factum eſt, ſubductis XXXVIII annis ab illis XLV remanebunt ſeptem anni, adeoque ſeptimo ab ingreſſu in terram Canaan anno, quadrageſimo ſeptimo autem poſt egreſſum populi iſraëlitici ex Aegypto, diſtributio terrae cananaeae facta eſt. Ipſa autem diſtributio facta eſt Numinis iuſſu. Nec enim Ioſua, viribus licet fractus, ſenioque confectus, ſuo arbitrio bellis imponere finem, auſurus fuiſſet. Erratque valde IOSEPHVS, Ioſuam ideo a bellis deſtitiſſe, adferens, quod videret, Cananaeorum, quae ſupererant, vrbes, & ob ſitum, & ob munitiones οὐκ εὐαλώτους, *pene inexpugnabilis; antiqu. iud. lib. V. cap. I. p. 140.* Nihil enim hac de re ſcriptura dixit. Et fidei praeterea, qua tot miranda geſſit, nihil inexpugnabile cenſeri debet. Diuino itaque mandato morem geſturus Ioſua, cum Eleazare ſacerdote ſummo, & principibus familiarum ex ſingulis tribubus, rem iſtam adgreſſus eſt, *Ioſ. XIV. 1.* Neque tantum terra, quam iam tenebant Iſraëlitae, diſtribuenda erat; ſed &, quam adhuc occupaturi erant. Eumque in finem miſſi ſunt, qui terram omnem, quam adhuc Cananaei tenebant, deſcriberent, *Ioſ. XVIII. 6. 8.* forte in tabulis, aut libro expanſo, addita locorum diſtantia, vt nonnulli putant. Certe, quia ars diuidendorum agrorum ſecundum regulas geometricas ab antiquiſſimis temporibus in Aegypto in vſu fuit, teſte HERODOTO, *lib. II. cap. CIX.* Ebraeis quoque haec nota eſſe potuit. Fertilitatis etiam in terrae iſtius deſcriptione habitam rationem, FLAVIVS IOSEPHVS auctor eſt, *l. c.* Idque admodum eſt ſimile vero; licet ſcriptura diſerte hoc non commemoret. Sed prius quam hoc fieret, iam Iudaeis & Ephraimitis & dimidiae tribui Manaſſis ſua adſignata erat portio. Prima haec eſt diſtributio, Gilgale facta, quae deſcribitur *cap. XIV.* & tribus ſequentibus. Altera vero ea eſt, quae Silunte facta, qua reliquis tribubus, quae adhuc ſupererant, portiones ſuae attributae ſunt, de qua *cap. XVIII. ſeqq.* IOSEPHVS vnam tantum memorat diuiſionem Silunte factam; *antiquit. iud. lib. V. cap. I.* non ſatis memor eorum, quae ſcriptura ſacra hac de re diſerte refert. Sed in eo quoque fallitur, dum ſingulos ex ſingulis tribubus, adeoque decem, ex nouem nimirum integris, & dimidia tribu Manaſſis (nam quibus trans Iordanem poſſeſſiones obtigerant, tribus, hic in cenſum non veniunt) ad deſcribendam terram miſſos, auctor eſt. Tres enim viros ex vnaquaque tribu electos, di-

ſerte

ſerte ſcriptor ſacer refert; idque cum haud dubie de ſeptem illis tribubus, quae ſuas poſſeſſiones nondum acceperant, intelligendum ſit, numero fuerunt vnus & viginti. Sed hoc ὡς ἐν παρόδῳ. Quae ratio fuerit, cur diſtributio Gilgale incepta ibi non ſit continuata, non conſtat; cum ſcriptura ſacra eam non commemoret. Nonnullis credibile videtur, diſſenſionem inter tribus exortam, aut quod tribui Iudae data eſſet optio eligendi, quem vellet, Cananaeae tractum, aut quod eidem tribui nimis amplus agrorum modus attributus fuiſſet. Sed tacere hac de re praeſtat, quam coniecturas longe incertiſſimas proferre. Praeterea, ſi quaeras, quantum temporis inter primam atque ſecundam diſtributionem intercesſerit; Iudaeorum quidem doctores reſpondent, ſeptennium integrum interceſſiſſe. Sed id quoque incertum.

Quidquid huius ſit; cum in eo eſſent Ioſua & Eleazar, vt primam diſtributionem inſtituerent, Calebus cum tribu Iudae acceſſit, atque eum terrae tractum, in quo Chebron ſita erat, ſibi dari petiit, quippe quem Deus ob fidem & ſinceritatem in terrae iſtius exploratione adhibitam, ſibi promiſiſſet. Nimirum videtur tribus Iudae voluiſſe ſibi dari optionem eligendi, quamcumque partem vellent totius Cananaeae, vt poſſent eum tractum Calebo dare, quem Deus per Moſen illi promiſerat. Adeoque ante ſortitionem hoc factum videtur. Calebum illum, Iephunnae filium, cuius ſaepius in ſcriptura ſacra ſit mentio, ex poſteris Iudae fuiſſe, ex hac ipſa narratione intelligitur. Vocatur *Kenizaeus*, forte, quod ex familia Kenaſi cuiusdam, cuius nulla in ſcriptura ſacra mentio, fuerit. Alii vocem *Kenizaeus* non ad Calebum, ſed ad patrem eius Iephunnam referunt; quem eamdem ob cauſſam ita dictum, vt ſtatuamus, oportet; cum commodior ratio adferri nequeat. Multa hac de re diſputant ebraei doctores, quorum ſententias ANDREAS MASIVS, ad *h. l.* adfert. Quod Calebus dicit, a Deo ſibi iſtum tractum promiſſum, in eo nihil, quod non veritati conſentaneum eſſet, eum dixiſſe, vt credamus, par eſt. Ex *Deut. I. 36.* illud haud obſcure colligitur. Potuitque etiam fieri, vt diſerte iſta terrae pars Calebo promitteretur, quod exprimere iisdem verbis Moſes forte non neceſſarium duxit; cum ſatis eſſet, rem ipſam ſummatim indicare. Ioſuae etiam haud dubie res omnis nota fuit, qui adeo ſtatim petitioni Calebi locum reliquit, confirmans hoc ipſo ea, quae Calebus dixerat. Et ita Chebron Calebo ceſſit, ab eo deinceps occupanda, quae & alias *Kiriath-Arbae* a conditore *Arba* dicta fuit. Hunc inter Anakaeos corporis robore & magnitudine praeſtitiſſe, ſcriptor ſacer addit. Hic enim verborum: האדם הגדול בענקים הוא ſenſus eſt; quae perperam ab HIERONYMO ita vertuntur: *Adam maximus ibi inter Enakim ſitus eſt.* Iudaeorum nimirum commentis, Adamum, Abrahamum, Iſaacum & Iacobum

bum ibi ſepultos tradentium, idque ex voce *Arba* colligentium, ſe in transuerſum agi paſſus eſt. Conf. ABRAH. CALOVIVS, ad *h. l.* Quo pacto Calebus Chebronem, eiectis inde Anakaeis, occupauerit, ex *Ioſ. cap. XV. verſ. 13. ſeqq.* conſtat; vbi & de Othoniele refertur, eum Debiram ſeu Kiriath-Sepher expugnaſſe, & ita Calebi filiam Achſam accepiſſe in vxorem, quippe quam Calebus illi, qui vrbem eam expugnaturus eſſet, promiſerat. Othonielem illum *h. l.* fratrem Calebi vocat vulgatus interpres, in qua ſententia & ORIGENEM, HIERONYMVM, aliosque verſari, conſtat. Vnde nonnulli colligunt, nuptias cum fratris filia eſſe licitas. At error ex verbis *Iud. I. 13.* vbi eadem haecce hiſtoria narratur, male intellectis, ortus eſt. Ea enim ita vertunt: *Eam vero cepit Othniel, filius Kenazi, frater Calebi ipſo minor:* cum potius ita reddenda ſint: *Eam cepit Othniel, filius Kenazi, fratris Calebi ipſo minoris.* Non fratrem Calebi, ſed fratris filium fuiſſe Othnielem, vel inde intelligitur, quod Calebi pater, Iephunna, Othnielis autem Kenas vocetur. Dum autem *cap. XV.* terrarum ille tractus, qui tribui Iudae obtigit, deſcribitur, & vrbes enarrantur, LXX interpretes poſt *verſ. 19.* vrbes quasdam inſerunt, quae in textu ebraeo non leguntur. Cumque inter vrbes iſtas etiam ſit Ephrata, quae eſt Bethlehem, nonnulli, malitia Iudaeorum haec, quae apud LXX interpretes leguntur, ex textu ebraeo eraſa exiſtimant; cum non ſit veroſimile, in longa iſta vrbium tribus Iudae recenſione, Bethlehemi, quae Dauidis & Chriſti patria fuit, nullam mentionem factam. HIERONYMVS incertum eſſe dicit, num malitia Iudaeorum eraſa ſint, ne Ieſus Chriſtus de tribu Iudae ortus videretur, an addita a LXX interpretibus; in *Mich. cap. V.* Sed cum alibi Bethlehem in ſcriptura commemoretur, & *Michae cap. V. 1.* ex ea Meſſias proditurus diſerte perhibeatur; a Iudaeis data opera hic quidquam mutatum, non eſt probabile. Caſu potius haec verba omiſſa cenſet IO. CLERICVS, ad *Ioſ. XV. 59.* quod eo facilius fieri potuerit, quia haec pericope eodem modo deſierit, ac aliae, nempe voce: וחצריהן. Conf. & LVDOVICVS CAPPELLVS, *crit. ſacr. lib. IV. cap. V.* Fieri tamen etiam potuit, vt haecce nomina vrbium, quae praetermiſſa putabant, ab ipſis LXX interpretibus adderentur, aut ab alio quodam gloſſematis inſtar margini adſcriberentur, in textum deinceps recipienda. Atque hoc longe probabilius, quam illud, cum omnium codicum ebraeorum, itemque interpretis chaldaei, ſyri, vulgati, ipſorumque Maſoretharum conſenſu probari queat, haecce verba in textu ebraeo numquam fuiſſe. Conf. IOAN. BVXTORFIVS, in *anti-critica, part. II. cap. VIII.* AVGVST. PFEIFFERVS, *dub. vexat. centur. II. loc. LII. p. 333.*

Sed, vt reliqua, quae ad terrae cananaeae diuiſionem ſpectant, perſequamur; cum in priori illa diſtributione, Gilgale facta, tribui Iudae, Ephraim atque dimidiae Manaſſeh, portio-

tiones earum adſignatae eſſent, & hinc, vt antea dictum, ob impedimenta quaedam terrae diſtributio intermiſſa; factum eſt, vt tabernaculum, quod hactenus Gilgale fuiſſe videtur, vbi Ioſua caſtra habuit, Siluntem transferretur. Idque eam forte ob cauſſam, quod Siloh ad Ephraimiticam tribum pertineret, ex qua & Ioſua erat, qui haud dubie non procul a loco ſuae habitationis tabernaculum abeſſe voluit. Dicemus plura hac de re in ſequentibus. Miſſi tum legati, qui terram nondum occupatam deſcriberent, vt iam antea diximus. Hinc reliquis tribubus ſuae portiones adſignatae, de quibus *Ioſuae XVIII. & XIX.* Iam quod ad modum diſtributionis attinet; eam forte peractam, diſerte dicitur *Ioſ. XIV. 2.* idque ex praeſcripto Domini, *Num. XXXIII. 54.* & *XXXIV. 13.* De modo quoque ſortium facilis coniectura, ſi duas vrnas ponamus, in quarum altera nomina tribuum, in altera tractuum, in quos terra diſtributa fuit. Ex vrna extractas ſortes, ex loquendi iſta ratione, quae hic adhibetur, ויצא גורל *& exiuit ſors*, facile colligas. Difficultas autem quaedam hic oritur ex *Num. XXVI. 54. & 55.* Cum enim ibi dictum eſſet, *diuidetur terra in praedia, pro numero nominum: numeroſo maiorem dabis poſſeſſionem, tenuiori minorem; vnusquisque pro cenſu ſuo poſſeſſione donabitur;* ſtatim additur*: ſed ſorte tamen diuidetur terra.* Enimuero, ſi numeroſioribus tribubus amplior agri modus dandus erat, qui ſorte diuidi agri potuerunt? Ebraei doctores, vt hinc ſe expediant, varia excogitant, quae apud R. SAL. IARCHIVM, itemque MOSEN GERVNDENSEM & ISAAC. ABARBANELEM ad *Num. loc. cit.* legi posſunt. Mihi ita videtur, ſortem ſpectaſſe tantum plagam caeli, & viciniam, non vero extenſionem agrorum. Cum ergo ſorte certus tractus tribui alicui contigiſſet; pro familiarum multitudine aut paucitate limites eius circumſcribebantur. Id aequitati prorſus erat conſentaneum, conquerendique omnibus adimebatur cauſſa, & rixae ac contentiones euitabantur. Sortis iudicio non poterant non adquieſcere, cuius in eiusmodi diuiſionibus vſum & ceteroquin ſcriptura commendat. Vid. *Prou. XVI. 33. XVIII. 18.* Apud alias gentes ſimile quid in vſu fuiſſe, iam aliis obſeruatum, ſpeciatim & Graecis κλήρυς dicta priſca praedia, olim primis colonis diuiſa, dein quasuis hereditates. Vt vero alias in ſortibus diuina prouidentia numquam non interuenit; ita in hisce vis eius ſingulari prorſus ratione ſe exſeruit, cunctis ita cadentibus, vt euentus praedictionibus, praeſertim nobiliſſimo illi Iacobi vaticinio *Gen. XLIX.* de ſingulis tribubus, adcurate reſponderet. Cum vero magnitudo regionis, quae cuique tribui ſorte contigerat, iterum metienda eſſet, vt maiori familiarum hominumque numero gaudentibus amplior terrarum tractus concederetur, vt antea obſeruauimus; hinc Iſraël *Deut. XXXII. 9. funiculus hereditatis Dei* dicitur. Finita diſtributione terrae, ſex

ſex oppida deſignata ſunt, quo confugerent, qui fortuito & praeter voluntatem homicidium commiſiſſent, *Ioſ. XX. 1. ſeqq.* Idque ex praeſcripto Moſis *Num. XXXV. 9. ſeqq. Deut. IV. 41.* Qui ſcire auet, quae Ebraeorum doctores de hiſce vrbibus refugii tradunt, is IOAN. SELDENVM adeat, de *iur. natur. & gent. iuxta diſciplin. Ebraeor. lib. IV. cap. II.* Tum & ſacerdotibus atque Leuitis vrbes cum ſuburbiis per ſingulas tribus, iuxta praeſcriptum Moſis, adſignatae ſunt. Idque ea ratione factum, vt primo deſignarentur vrbes illis ab omnibus tribubus concedendae, numero quadraginta octo, tum per ſortem inter familias ſacerdotum ac Leuitarum diſtribuerentur, *Ioſ. XXI. 1. ſeqq.* Inter vrbes iſtas etiam Chebron fuit, a Calebo occupata, quae ſacerdotibus ea lege ceſſit, vt agros atque pagos circumiectos Calebus cum poſteris ſuis retineret. Vt tractus, qui ſingulis tribubus ceſſerunt, aut vrbes in iis ſitas, adcuratius enumeremus, aut limites deſignemus, noſtri non fert inſtituti ratio. Conferendi hac de re, qui ſacram geographiam ſcriptis ſuis illuſtrarunt, quos iam in *prolegomenis* huius operis laudauimus. Quae LXX interpretes ad *cap. IX. 42.* adiecerunt, vt nos morentur, neceſſe non eſt. In textu enim ebraeo ea vmquam exſtitiſſe, nulla, quae hoc ſuadere queat, adeſt ratio. Cunctis rite peractis, nihil aliud ſupererat, quam vt Rubenitae, Gaditae & Manaſſitae, ad ortum Iordanis incolentes, qui hactenus fratres ſuos bella gerentes comitati fuerant, dimitterentur. Idque etiam factum, poſtquam Ioſua ob fidem & obſequium eos laudauerat, &, vt leges diuinas adcurate obſeruarent, commonefecerat. Eos omni diuitiarum ex praeda partarum genere auctos ad ſuos reuerſos, itidem ex *cap. XXII. 8.* conſtat, vbi & condocemur, a Ioſua eos commonefactos, vt partem praedae fratribus, qui domi remanſerant, traderent. Hoc enimuero aequitati prorſus erat conſentaneum. Dum vero traiecto Iordane, altare ad eius ripam exſtruxerunt, parum abfuit, quin bello inteſtino occaſionem praeberent; quod tamen euitatum, poſtquam reliquae tribus intellexerunt, non ſacrorum, aut ſchismatis faciendi cauſſa, ſed vt perenne exſtaret monumentum, ſe non minus veri Dei ſacris, quam reliquas tribus, addictos eſſe, eos hoc feciſſe. Dicemus hac de re adhuc quaedam in ſequentibus.

** Duabus vicibus, cum ſenio iam confectus Ioſua eſſet, mortemque inſtare ſentiret, congregatio quaedam facta. Prior *cap. XXIII.* altera *cap. XXIV.* deſcribitur. In vtraque omnes Iſraëlitae, h. e. vt ipſemet hoc ſtatim explicat, principes ex ſingulis tribubus viri, & qui magiſtratus munere fungebantur, conuocati. Quo in loco prior congregatio facta, non dicitur. Tamnatſarae, vbi Ioſua habitabat, id contigiſſe, Ebraeorum magiſtri autumant: probabilius aliis videtur, id factum Silunte, vbi erat tabernaculum cum arca federis. In priori

iſta

iſta congregatione Ioſua Iſraëlitarum principes ad expellendos reliquos Cananaeos, ſolumque Deum Iſraëlis colendum, praemiis pariter ac poenis propoſitis, adhortatur. Poſterior congregatio Sichemi ſeu Sicimis facta, vt diſerte *cap. XXIV. 1.* dicitur. LXX interpretes pro Σιχὲμ habent Σηλὼ, idque non inde factum puto, quod aliter in codice ebraeo legerent, ac nos legimus, ſed quod temeritate quadam illis haud inuſitata, ſacrum ſcriptorem corrigere vellent. Nimirum cum tabernaculum Dei vna cum arca federis Silunte eſſet; conuenientius eſſe arbitrati ſunt, vt ibi congregatio potius facta dicatur, quam Sichemi: & hinc pro Sichemo poſuerunt Siluntem. Eo minus autem hac de re dubitandum, quod FLAV. IOSEPHVS eo modo legerit, quo in codice ebraeo legimus. Nouiſſima enim Ioſuae verba recitaturus, eum tum Sicimis commoratum dicit: Ἰησοῦς αὐτὸς ἐν Σικίμοις διῆγεν, *Ieſus ipſe Sicimis agebat; antiquitat. iudaic. lib. V. cap. I.* Cur autem Sichemi potius, quam Silunte, haec congregatio inſtituta? Veroſimile, hoc ideo factum, quod ad oſſa Ioſephi ſepelienda eo ſe contuliſſent, vt ex *verſ. 32. cap. XXIV.* colligere licet. Nec inconueniens erat, vt eo in loco fedus populi ebraei cum Deo a Ioſua renouaretur, quo Abrahamus primum terram Canaan ingrediens ſacrificium Deo obtulit, ac heres terrae iſtius a Deo conſtitutus eſt, *Geneſ. XII. 6. 7.* in quo etiam in ingreſſu huius populi in eamdem terram, benedictiones ac exſecrationes in eos, qui legem Numinis aut obſeruaturi, aut migraturi eſſent, fuere recitatae, *Ioſ. VIII. 33.* Quia autem proceres populi iſraëlitici ſe *coram Deo ſtitiſſe* dicuntur, *verſ. 2.* recte hinc colligitur, arcam federis vna cum tabernaculo, negotii huius cauſſa eo translatam. Non infrequens, vt *coram Iehoua* idem ſit, ac ante tabernaculum, & arcam. Quamquam & fieri potuerit, vt arca ſine tabernaculo eo transferretur, quod itidem non adeo inſolens fuit. De arca federis aut ipſo etiam tabernaculo hoc intelligendum, ex eo quoque intelligitur, quod *verſ. 26.* dicitur, Ioſuam ſumſiſſe lapidem magnum, eumque ſtatuiſſe ſub quercu, *quae erat ad ſanctuarium Iehouae.* Nec vllius momenti eſt, quod IAC. BONFRERIVS, ad *h. l.* excipit, *in tabernaculo decem tantum cubitos alto, quercum locum non habuiſſe, nec per legem Deut. XVI. 21. conceſſum id fuiſſe.* Particula enim ב non tantum *in*, ſed & *ad* ſignificat, ſenſusque adeo eſt, quod iuxta ſanctuarium quercus fuerit. Ad legem vero, quae *Deut. XVI. 21.* exſtat, quod attinet, res ipſa docet, eam intelligendam de loco, in quo diu remanere tabernaculum oporteret, non de eo, in quo ad breue tempus collocaretur, vt hac quidem occaſione factum eſt. In vltima itaque hacce congregatione Ioſua, expoſitis Numinis in gentem iſraëliticam collatis beneficiis, optionem dat proceribus populi, eligendi, quem Deum colere vellent: iisque reſpondentibus, ſe velle colere Deum Iſraëlis, fedus nomine Dei cum iis con-

firmat. Memorabile eſt, quod Numinis beneficia commemorans Ioſua inter alia *verſ. 12.* dicat: *Praemiſi ante vos crabronem, qui expulit e conſpectu veſtro duos Amoraeorum reges &c.* Nullibi equidem, ſi ab hoc loco diſceſſeris, vbi hoc velut in tranſitu memoratur, legitur, Deum crabrones praemiſiſſe Israëlitis, ad hoſtes eorum expellendos: etſi hoc ſe facturum Deus promiſerat, *Exod. XXIII. 28.* & *Deut. VII. 20.* Nec ideo dubitandum, quin reuera eiusmodi quid contigerit. Multa enim in narratione hiſtorica ſubinde a ſcriptoribus ſacris omitti, nouimus, quae alibi velut ex accidenti commemorantur. Vnde & nulla nos cogit neceſſitas, vt cum aliis crabrones de terrore Cananaeis immiſſo, vel alia ratione interpretemur. Accedit enim, quod teſtimoniis & exemplis condoceri queat, culices & veſpas ingentes ſaepius clades intuliſſe: cuiusmodi collegit SAM. BOCHARTVS, *hierozoic. part. II. lib. IV. cap. XIII.* Federe denique renouato *ſcripſit*, vt *verſ. 26.* dicitur, *haec verba in libro legis Dei;* hoc eſt, orationem illam, quam retulerat, federisque inſtaurationem; quae ita in peculiari volumine ſcripta, quin libro federis a Moſe ſcripto adiunxerit, non videtur dubitandum. De toto libro Ioſuae haec non intelligenda; etſi, eum a Ioſua ſcriptum, aliunde conſtet; vt in ſequentibus oſtendetur. In perenne etiam federis renouati monumentum, lapidem magnum ſub quercu, quae erat ad ſanctuarium Domini, ſtatuit, atque, *erit*, inquit, *ille teſtimonium contra vos, nam audiuit verba omnia Domini, quae protulit nobiscum: erit teſtimonium contra vos, ne Deum veſtrum abnegetis.* Nimirum per proſopopoeiam lapidi tribuitur, quod verba iſta audiuerit, quodque teſtis futurus dicitur. Senſus namque eſt, quoties ipſi aut poſteri illorum hunc lapidem conſpecturi ſint, fore, vt in memoriam ſibi reuocent, quae eo in loco geſta ſint. Fundamento itaque deſtituitur, quod chaldaeus habet, ipſi lapidi verba ea inſcripta fuiſſe.

* Numerus annorum, quibus Ioſua vixit, ſequentem in modum confici poteſt. In Aegypto cum tempore ſeruitutis populi ebraei natus eſſet, cum inde egrederetur, annorum fuit LIII; in peregrinatione per deſertum tranſacti anni XL; ex quo denique poſt mortem Moſis genti israëliticae praefuit, effluxere anni XVII. Hinc ſumma conficitur annorum CX. Cumque exitus populi ebraei contigerit anno mundi MM D XIII, vt ſupra ad *per. II. ſect. I. §. XIV.* demonſtrauimus; Moſes porro anno mundi MM D LIII mortuus ſit, ſequitur, Ioſuam mortuum eſſe anno mundi MM D LXX. Ceterum, cum liber Ioſuae finiatur, narratione mortis Eleazaris, & vero hic decennio Ioſuae ſuperuixiſſe credatur; factum inde, vt nonnulli Ioſuae annos XXVII poſt initum principatum tribuerint. Qua in ſententia praeter doctores quosdam ebraeos, EVSEBIVS, CLEMENS Alexandrinus, AVGVSTINVS, aliique verſantur. Quod hac quidem ratione con-

concedi poteſt, ſi de annis libri Ioſuae, ſeu de initio regiminis Ioſuae, vſque ad mortem Eleazaris, intelligatur: minime autem ſi de annis principatus Ioſuae ſermo ſit. Conf. NATALIS ALEXANDER, *hiſtor. eccleſ. vet. teſtam. aetat. mundi IV. diſſertat. XV. p. m. 49.* De nomine Ioſua ſupra iam ad §. *I. huius ſectionis*, egimus. Vitam eius ex hactenus dictis abunde intelligere licet, quam & nonnulli ex inſtituto, praeſertim, qui librum Ioſuae commentariis ſuis illuſtrarunt, vt ANDR. MASIVS, NICOL. SERARIVS, aliique, deſcripſerunt; laudati GEORGIO SERPILIO, qui & ipſe multa notatu digna in *perſonalibus*, vt vocat, *Ioſuae*, de eo collegit. An ſub Herculis imagine delitescat, deinceps diſquiremus. De libro, qui ſub nomine eius exſtat, quemnam agnoſcat auctorem, non vna equidem omnium eſt ſententia. A Samuele ſcriptum, R. ISAAC. ABARBANEL adfirmat, *praefat. in Ioſ.* Poſt tempora Salomonis eum elaboratum, coniicit HVGO GROTIVS, in *Ioſ. IV. 9.* Immo ab Eſdra, Dei tamen inſtinctu, eum ſcriptum, contendit ANDREAS MASIVS, *praefat. commentar. in Ioſ.* In eo cum auctoribus hactenus laudatis conueniunt THOMAS HOBBESIVS, & BENEDICTVS DE SPINOZA, eum longe poſt Ioſuae aetatem ſcriptum, idque ex formula ſubinde in hocce libro occurrente: *vsque in praeſentem diem*, colligunt, ille in *Leuiath. cap. XXXIII.* hic *in tractat. theologico-polit. cap. VIII.* Verum, quod ad formulam iſtam attinet, ſi ponamus, librum hunc a Ioſua iam ſene conſcriptum, nihil obſtabit, quo minus eam adhibere potuerit. Ante Dauidis tempora ſcriptum, vel ex *cap. XV. 63. 64.* conſtat, cum ibi de Hieroſolyma dicatur: *At Iebuſaeos incolas Hieroſolymae non potuerunt expellere poſteri Iudae, incolueruntque cum eis Hieroſolymam Iebuſaei ad hunc vsque diem.* A Dauide namque Iebuſaeos, arce Sionis expugnata, expulſos inde, notum eſt. Incerti auctoris & temporis hunc librum eſſe, NATALIS quoque ALEXANDER exiſtimat, idque euincere adnititur, in *hiſtor. eccleſ. veter. teſtam. aetat. mundi IV. diſſertat. XVI. p. 50. ſeqq.* Sed ab ipſo Ioſua hunc librum conſcriptum, non eſt quod dubitemus. Primo enim tot nomina virorum & locorum, quae in libro hocce occurrunt, traditione, quam vocant, orali conſeruari numquam potuiſſent. Deinde, ipſarum tribuum intererat, conſeruari tabulas ſcriptas, easque authenticas diuiſionis terrae cananaeae, quas hicce liber exhibet, ne periculoſae aliquando inter ipſas tribus, & in bella ciuilia erupturae, orirentur contentiones. Quod dum numquam factum; Ebraeos ex hocce ipſo libro Ioſuae de diuiſione facta certos redditos fuiſſe, merito inde colligitur. Recte haec obſeruauit IOAN. CLERICVS, in *diſſertat. de ſcriptoribus librorum hiſtoricor. veter. teſtamenti, commentario* in hosce libros praemiſſa, *§. II.* Eſt etiam admodum probabile, Ioſuam, vt in aliis, ita & hac in re exemplum Moſis imitatum. Addunt nonnulli, quod *cap. XXIV. 26.*

 dica-

dicatur, eum *verba haec in libro legis Dei* ſcripſiſſe. At non de integro Ioſuae libro, ſed de oratione, quam Ioſua tum habuit, federisque cum Deo renouatione, hoc intelligendum eſſe, iam antea obſeruauimus. Ad rationes autem, quibus diſſentientes euincere volunt, Ioſuam libri huius auctorem non eſſe, ſolide iam & adcurate reſpondit PETRVS DANIEL HVETIVS, *demonſtrat. euangel. prop. IV. p. 268. ſeqq.* Praecipuum inter eas momentum trahunt loca, in quibus memorantur, quae poſt mortem Ioſuae contigerunt, vt *cap. XIX. v. 47.* & alia quaedam. Sed haec haud dubie ab alio quodam viro ſancto, diuinitusque inſpirato, adiecta ſunt: adeoque non obſtant, quo minus liber iſte Ioſuam auctorem agnoſcat.

§. VII.

Cum hactenus res omnes Israëlitis ex voto animique ſententia fluxiſſent; poſt mortem Ioſuae, & ſeniorum, qui viderant, quae Deus per Ioſuam perpetrauerat, ipſimet calamitatum, quae deinceps eos exceperunt, parcendo ſubinde hominibus impiis & idololatris, immo amicitiam cum illis ineundo, quos ex mandato Numinis exſtirpare penitus debebant, auctores extitere. Hinc enim factum, vt exemplo iſtorum abrepti ſubinde a vero Deo deſciscerent, caſtigandi inde ſaepius, ſed liberandi etiam, quoties admiſſorum criminum ſerio eos poenitebat. * Eo etiam tempore, cum poſt mortem Ioſuae ac ſeniorum anarchia in populo israëlitico eſſet, Micha quidam Ephraimita ſacerdotium & ſimulacra domi ſuae conſtituendo, turpiſſimae idololatriae occaſionem praebuit; quemadmodum & ob Gibeenſes, qui Leuitae cuiusdam pellicem conſtuprauerant, bellum ciuile longe atrociſſimum inter Beniaminitas, reliquosque Israëlitas ortum, tandemque, cum illi magnam cladem accepiſſent, conſopitum eſt. **

* Vt hiſtoriae atque chronologiae ordo ſibi conſtet, obſeruandum, quae in libro *Iudicum cap. I.* narrantur, non ita capienda eſſe, ac ſi poſt mortem Ioſuae contigerint. Cum enim auctori huius libri coſtitutum ſit, cauſſam calamitatum, quae ſubinde Israëlitas exceperunt, & quarum ſcribere hiſtoriam illi animus erat, aperire, ſcilicet, quod reliquos Cananaeos non expulerant, vt facere & potuiſſent, & debuiſſent; nonnulla, quae iam viuente adhuc Ioſua contigerunt, quorum etiam quaedam in libro Ioſua iam commemorata ſunt, ſpeciatim, quo pacto tribus quaedam terrarum tractus ſibi adſignatos occupauerint, praemittere, e re ſua eſſe duxit. Idque vel inde patet, quod tribum Iudae cepiſſe Hieroſolymam, & Calebum ſuam ſortem occupaſſe, diſerte in libro Ioſuae dicatur. Quod, qui ibi per πρόληψιν com-

commemorari autumant, aut ab aliena manu additum, magnis ſine omni neceſſitate ſe inuoluunt difficultatibus, & de auctore ac auctoritate iſtius libri aliis dubitandi occaſionem praebent. Neque enim, quod ſupra conceſſimus, nonnulla ab alio viro ſancto in hocce libro addita, vltra, quam par eſt, extendendum. Cum vero & reliqua, quae ab initio capitis huius primi vsque ad *v. 21.* commemorantur, arctisſimo vinculo inter ſe cohaereant, non eſt, quod aliter cenſeamus, quam haec omnia ante Ioſuae mortem contigiſſe. Id quod & de iis, quae *verſ. 22. ſeqq.* de tribu Ioſephi narrantur, cenſendum; quorum alia ratio, quam eorum, quae de tribu Iudah, Schimeone & Beniamine narrata ſunt, eſſe nequit. Neque obſtat initium libri huius capitisque, quo indicari videtur, poſt Ioſuae mortem iſta contigiſſe. Verba enim ebraea ita reddi poſſunt: *Et factum eſt poſt mortem Ioſuae; interrogauerant* (viuente adhuc Ioſua) *filii Israël Dominum;* vt ſic reliqua, quae ſequuntur, in plusquamperfecto itidem reddantur. Ita SEBAST. SCHMIDIVS, in *comment. ad h. l.* vbi hanc ſententiam pluribus comprobat; quod & aliis adhuc in medium adlatis rationibus facit IOAN. CLERICVS, ad *h. l.* qui verba ebraea ita reddit: *Poſt mortem Ioſuae* (reſpirauit Cananaeus. Eo viuente) *ſciſcitati fuerant Israëlitae Iehouam.* Res eodem redit: ſed SEBAST. SCHMIDII translatio minus coacta eſt.

Nimirum hic rerum ordo eſſe videtur. Cum Ioſua duodecim tribubus Israëlis terram Canaan diuiſiſſet, nihil aliud ſupererat, quam vt ſingulae tribus tractus ſibi adſignatos, eiectis ex iis Cananaeis, qui adhuc eos poſſidebant, occuparent. Orta quaeſtione, quaenam tribus initium ad eiiciendos Cananaeos, qui iſtos tractus adhuc tenebant, facere deberet, Deus (haud dubie per vrim & thummim) reſpondebat, tribui Iudae hoc a ſe datum. Non itaque de belli duce, ſed de tribu, quae initium operis facere debebat, quaeſtio erat. In ipſa tribu Iudae phylarchus haud dubie belli quoque dux fuit; eumque Calebum fuiſſe, multis veroſimile videtur. Othonielem, quod alii putant, non fuiſſe, inde colligitur, quod ille, Calebo brabeuta & adhortatore, Kiriath-Sepher expugnauit. Grauiſſimas Deo fuiſſe rationes, vt tribum Iudae prae ceteris eligeret, ſimulque ad honorem ac dignitatem huius tribus hoc pertinuiſſe, quae & ceteroquin virorum numero ac multitudine inſignis erat, non eſt, quod dubitemus. Conf. CHRIST. SCHOTANVS, *biblioth. hiſtor. ſacr. vet. teſtam. tom. II. p. 425.* Adſumtis itaque in belli ſocietatem Simeonitis, Iudaei Cananaeos, ſeu tribum vel gentem certam Cananaeorum, atque Pherizaeos, commiſſo ad Bezekum vrbem praelio vincunt, caeſis hoſtium decem millibus, eorumque duce Adonibezeko, qui fuga ſibi conſulere voluerat, capto. Singulare fuit, quo eum adfecerunt, poenae genus. Pollices namque manuum & pedum eius amputarunt, ne aut arma tractare aut fugere poſſet. Perperam LXX interpretes vocem

vocem בהנות per *ἄκρα extremitates* reddunt, etſi FLAV. IOSEPHVS quoque habeat ἀκρωτηριασθεὶς, quod latinus interpres reddidit: *manibus ac pedibus truncatus.* Haud dubie reſciuerant Iudaei, eadem poena illum ſeptuaginta regulos a ſe deuictos adfeciſſe, quos inſuper inuſitatae crudelitatis exemplo, ſub menſa canum inſtar ciborum reliquias colligere voluit; vnde & iure talionis, cuncta ita diſpenſante Deo, hoc ſibi contingere, ipſemet agnouit. Cum autem LXX reges, ſeu regulos potius, vel vrbium praefectos (non LXXII, vt perperam IOSEPHVS habet) viciſſe dicatur, neceſſe eſt, vt bella cum illis gesſerit, quod eo tempore factum videtur, quo Iſraëlitae in deſerto commorati ſunt. Vnde ſimul diſcimus, inteſtinis bellis ſeipſos prius laceraſſe Cananaeos, quam ab Iſraëlitis aut exſcinderentur, aut ſubiugarentur. Inteſtinae diſcordiae imminentis interitus haud raro praeſagium praebent. Victo Adonibezeko ad Hieroſolymam itum, quam excepta arce, a Dauide demum expugnanda, captam, igni conſumendam, incolis trucidatis, tradiderunt. Cum vero, vti dictum, arcem eo tempore expugnare non poſſent, in quam haud dubie plerique incolarum ſe receperant; pactione cum Iebuſaeis facta, in agris vicinis promiſcue cum illis habitarunt, cum Iudaei tranquillam eorum poſſesſionem, quamdiu Iebuſaei arcem Sion tenebant, ſibi promittere non poſſent. Conf. *Ioſ. XV. 63.* Quo minus enim de ipſa vrbe Hieroſolyma, quae tam cito etiam haud dubie reſtaurata non eſt, intelligamus, quod ibi dicitur, multa obſtant, expoſita a SEBAST. SCHMIDIO, in *commentar. in libr. Iud. quaeſt. XVII. ad cap. I. p. 73.* Ceterum quod *Ioſ. XV. 63.* de Iudae poſteris dicitur, eos expellere Iebuſaeos non potuiſſe, ſed permittere coactos, vt inter ſe habitarent, id *Iud. I. verſ. 21.* de Beniaminitis adſeritur. Nec vlla hac in re pugna; cum Hieroſolymam in confinio Iudae & Beniaminis ſitam fuiſſe, conſtet, ita, vt auſtralis eius ager ad Iudam, borealis cum vrbe, ad Beniamin ſpectaret: quemadmodum & deinceps vtrique & Iudae & Beniaminis poſteri vrbem incoluerunt. Hinc vtriſque & Iudaeis & Beniaminitis recte, quod de Iebuſaeis dicitur, tribuitur. Capta & deleta Hieroſolyma, Chebron & Debira, quae antea Kiriath-Sepher dicebatur, expugnatae. Factum hoc itidem Ioſua adhuc viuente, qui & *cap. XV.* hoc commemorauit, vnde & ſupra iam hac de re dictum. Nec obſtat, quod tribui Iudae hic vrbium iſtarum expugnatio adſcribatur, quae *Ioſ. loc. cit.* Calebo tribuitur. Calebum enim, ceu principem tribus Iudae, expeditionum etiam ab ea tribu ſuſceptarum haud dubie ducem fuiſſe, itidem antea iam obſeruauimus. Eo magis autem hic commemorari debebat, quod & in libro Ioſuae factum, quod vrbes iſtae poſteris eius ceſſerint. Expulſionem autem iſtam Anakaeorum ex Chebrone, Debira & Hanabo, quae *Ioſ. XI. 21.* commemoratur, ab ipſo Ioſua factam, diuerſam ab hacce vrbium iſtarum expugnatione eſſe, exiſtimo; etſi

Digitized by Google

etſi me non fugiat, eſſe, qui ſecus ſentiunt. Enim vero fieri potuit, vt iſtae vrbes ab Anakaeis recuperarentur, a Calebo iterum inde eiiciendis, vt iam antea ad *§. IV.* docuimus. Quae de filiis Kenitae, adfinis Moſis (vocem חתן enim hic per *adfinem* potius, quam *ſocerum* vertendam cenſemus) ὡς ἐν παρόδῳ ſcriptor ſacer memorat, quod ex *vrbe palmarum*, hoc eſt, vt vulgo putant, Ierichunte, vbi ad tempus conſediſſe videntur, aſcenderint, ſeque in deſertum Iudae, quod eſt ad meridiem Haradi, receperint, ibique rerum ſuarum ſedes fixerint, praetermittimus. Erit enim deinceps hac de re aliquid dicendi occaſio. Iudae poſteris cum hactenus in occupanda portione ſua auxilia tuliſſent Simeonitae, hi rurſus Iudaeorum armis ſuffulti, Tſephatam vrbem, quam nonnulli eamdem cum Harado eſſe putant, victis & caeſis Cananaeis, qui eam tenebant, in ſuam poteſtatem redactam, atque internecioni deuotam, deleuerunt. Quo factum, vt vrbi iſti nomen Chorma inderetur. Factum id haud dubie, quod vrbs iſta pacem oblatam reſpueret & ſe pertinaciter opponeret. Quae enim NICOL. SERARIVS, ad *h. l.* aliique comminiſcuntur, locum non inueniunt. Dicuntur etiam Gazam, Askalonem & Ekronem expugnaſſe. Quas tamen deuaſtatas procul dubie ſtatim deſeruerunt, a priſtinis dominis iterum reſtaurandas. Philiſtaeos enim deinceps has vrbes tenuiſſe, ex hoc ipſo libro iudicum notum eſt. Quae a domo Ioſephi, h. e. tribu Ephraim, & dimidia Manaſſis, geſta ſint, & quo pacto Bethelem ſtratagemate occuparint, conſtat ex *verſ. 22. ſeqq.* Atque iſta quidem cum ſatis bene procederent, primo quidem Iudaei & Beniaminitae Iebuſaeos, hinc Manaſſitae, Ephraimitae, Zabulonitae, & reliqui, alios ex Cananaeis debellatos tolerarunt, eoſque ſecum habitare permiſerunt. Et hinc malorum iſtorum, quae in libro iudicum narrantur, initium & prima origo.

Ad id equidem tempus, quo Ioſua in viuis fuit, & quo tribus iſtae, de quibus antea diximus, terrarum tractus ſorte ſibi adſignatos occuparunt, & quam diu ſeniores, qui miracula a Deo tempore Ioſuae edita viderant, vixerunt, in vero Numinis cultu Iſraëlitae perſeuerarunt. Iis autem mortuis, in aeuum erupit omne nefas. Vid. *Iud. II. 7. 8.* Tum vero factum eſt, vt Iſraëlitae in loco, qui deinceps Bochim dictus, congregarentur. Quando & quam ob cauſſam congregatio iſta facta ſit, viri eruditi inter ſe non conueniunt. AVGVSTINVS, viuentene an mortuo Ioſua haec omnia facta ſint, dubitat: poſterius tamen probabilius iudicat; *quaeſt. XII. in lib. Iudic.* Alii, viuente adhuc Ioſua, hoc contigiſſe, contendunt, vt SALIANVS, TORNIELLVS, ALPHONSVS TOSTATVS, quibus & IOAN. CLERICVS ſuffragatur, ad *Iud. cap. II. 2.* At, cum documentis certis euinci nequeat, immo nec probabile ſit, Iſraëlitas viuente adhuc Ioſua, Cananaeis ſedes inter ſe concedendo, peccaſſe, adeoque eos toleraſſe, quos eiicere debuiſſent, quod angelus Domini hic illis exprobrat; praeferenda videtur illo-

Digitized by Google

illorum ſententia, qui, mortuo iam Ioſua hoc eueniſſe exiſtimant. Nec profecto veroſimile, Ioſuam hoc permiſſurum fuiſſe; ad minimum credibile, quod ipſemet acriter Iſraëlitas reprehenſurus, adeoque id ipſum praeſtiturus fuiſſet, quod hic angelus Domini praeſtitit. Mirum etiam, nullam Ioſuae hic fieri mentionem, ſi adhuc in viuis fuiſſet, Conf. IAC. BONFRERIVS, ad *h. l.* Cauſſa congregationis iſtius incerta eſt. R. DAVID KIMCHI, ad *h. l.* dubitat, ipſene angelus Domini, quem prophetam aliquem fuiſſe ſtatuit, Iſraëlitas ibi conuocauerit, an aliam ob cauſſam fuerint congregati. SEBAST. SCHMIDIVS exiſtimat, hoc contigiſſe, cum ob bellum a Kuſchan-Riſchataim ſibi inferendum congregati eſſent, vt deliberarent, quo pacto hoſti obuiam eundum eſſet; in *comment.* ad *h. l. quaeſt. III. p. 171.* Sed cum res omnis ad meras coniecturas redeat; ſatius fuerit, profiteri, ignotum nobis eſſe, quam ob cauſſam congregati fuerint. Dum autem congregati erant, angelus Iehouae Gilgale ad locum, in quo erant, & qui deinceps *Bochim* dictus, adſcendit. Per angelum Iehouae non prophetam, aut angelum creatum, ſed increatum, ſeu filium Dei, intelligendum eſſe, deinceps euincemus. Ad vocem *Bochim* quod attinet, licet ceteroquin *flentes* ſignificet, hic tamen ceu nomen proprium, quod ab euentu deinceps memorato locus hic ſortitus eſt, vſurpatur, & ita quoque a chaldaeo paraphraſte, aliisque, recte accipitur. LXX interpretes autem perperam per κλαυθμῶνα, & vulgatus per *flentes* reddiderunt. Vbi ſitus fuerit, non conſtat, niſi quod ex hac ipſa narratione facile colligatur, non procul Gilgale eum ſitum. FLAV. IOSEPHVS auctor eſt, fuiſſe locum hunc prope Hieroſolymam, in quo Dauid rex delituerit, *II. Sam. V. 23.* Verum deceptus fuit adfinitate vocabulorum בוכים & בכאים, quorum illud *flentes*, hoc *moros* ſignificat; qua in re praeeuntes tamen ſibi habuit LXX interpretes. Et hi ipſi LXX interpretes ſine omni ratione addunt: καὶ ἐπὶ Βαιθὴλ τὸν οἶκον Ισραήλ; quemadmodum & deinceps poſt verbum ויאמר *& dixit*, non tantum πρὸς αὐτοὺς, ſed & τάδε λέγει ὁ κύριος, addita leguntur. Quae vt in textu ebraeo non exſtant; ita fieri potuit, vt ab alio quodam verſioni LXX interpretum infererentur. Angelus autem Domini, cum commemoraſſet, quo pacto ipſemet Ebraeos ex Aegypto eductos, in terram patribus eorum promiſſam intromiſiſſet, (quod profecto ſolius Dei eſſe, res ipſa docet) addit, quae ab iis, vt fedus cum iis initum ratum firmumque eſſet, fieri voluerit; ne ſcilicet cum gentibus cananaeis fedus pangerent, ſed loca potius ſacris eorum deſtinata deſtruerent ſoloque aequarent: iſta vero federis lege cum Iſraëlitae non ſtetiſſent, ſe Cananaeos e conſpectu illorum non eiecturum, quemadmodum antea promiſiſſet, indeque eos Iſraëlitis *in retia, et eorum deos laquei inſtar* fore. Deus equidem iam antea teſtatur, quam peccato iſto ſe obſtrinxerant Ebraei, ſe gentes cana-

cananaeas non omnes ſimul & vnica vice eiecturum, *Exod. XXIII. 29. 30.* & *Deut. VII. 22.* Vnde videtur ſequi, minus recte gentium iſtarum tolerantiam Iſraëlitis exprobrari, quam ipſe Deus voluerit, aut poenae loco haberi poſſe, quod gentes iſtas eiecturus non eſſet; cum id iam antea ſe non facturum indicaſſet. Nec iuuat excipere, in locis citatis id ſibi velle Deum, quod non vnica vice, ſeu tam cito, gentes eas eiecturus eſſet, hic autem, quod plane eas eiecturus non eſſet. Sequenti enim tempore multas ex hisce gentibus debellatas, deuictasque & eiectas eſſe, conſtat. Vnde, vt cuncta ſibi conſtent, rectius dicitur, *Exod. XXIII. 29. 30.* & *Deut. VII. 22.* ſermonem eſſe, non de gentibus inter ipſos Israëlitas habitantibus, de quibus hic angelus Domini loquitur, ſed de iis, quae finitimos circumquaque tractus tenebant, quas non vnica vice, ſed ſucceſſu temporis, ob rationem a Deo ipſo adlatam, ſe expulſurum pollicitus eſt. Vocem צדים quam per *retia* nonnulli vertunt, alii per *ſtimulos laterum* reddunt: certe *latera* ea ſignificari, conſtat; vt adeo intelligantur *ſpinae, ſtimuli, flagella*, quibus latera non tantum cum dolore punguntur, vel flagellantur, ſed homines ac animalia, ad labores ſupra vires ſuſcipiendos incitantur. Quae in gentem cananaeam, & ea, quae Israëlitae ab illa paſſi ſunt, prorſus quadrant. Significat autem angelus Domini, quid futurum ſit, non autem, quid ipſe facturus ſit: cumque inſuper Israëlitae ipſimet, legem diuinam migrando, in culpa ſint, vt in iſtum ſtatum res illorum deductae ſint, nihil in hisce, quod cum iuſtitia diuina pugnet, deprehenditur. Accedit, quod cauere ſibi Israëlitae debuerint, & potuerint, ne idolorum cultu ſecundum mores abriperentur. Iſta angeli concio effectu non caruit; cum & fletu ingenti, vnde loco nomen *Bochim* haeſit, & ſacrificiornm oblatione, poenitentiam ſuam Israëlitae teſtati ſint. Eamque veram & minime factam fuiſſe, non eſt, quod dubitemus; etſi mox ſumma animi leuitate & inconſtantia ad priſtinos redierint mores. Ceterum, quod *verſ. 6.* dicitur, *deinde Ioſua populum dimiſit*, noſtrae ſententiae, qua, mortuo Ioſua hoc contigiſſe, adſeruimus, non repugnat. Senſus enim verborum huc redit: poſtquam Ioſua populum in poſſeſſiones ſuas dimiſerat, ipſo viuente omnes in vero Numinis cultu perſeueraſſe; eo vero mortuo, mortuis etiam ſenioribus, qui miracula a Deo edita, viderant, tum vero aliam aetatem ortam. In ea quidem aetate exſtiterunt, qui a vero Deo deſciſcerent, & idola colerent, vnde in hoſtium poteſtatem Deus Israëlitas tradidit, liberandos ab ea, quoties admiſſorum criminum eos ſerio poeniteret, ſed iterum tradendos, quoties ad priſtinos mores redirent. Ita ſummatim ſcriptor ſacer *Iud. cap. II. verſ. 11. ſeqq.* ea complectitur, quae ſigillatim deinceps, eundo per ſingulos iudices, enarrat. De Baalim & Aſtaroth deinceps agemus, cum de idolatria huius aeui erit dicendi locus.

** Quae de Micha, ſacerdotium & ſimulacra domi ſuae inſtituente, item que de bello ciuili ob conſtupratam a Gibeenſibus Leuitae cuiusdam pelli cem, diximus, in vltimis equidem libri *iudicum* capitibus, ſcilicet *XVII.* & *ſeqq.* adeoque poſt mortem Simſonis, narrantur. Sed longe ante Simſonem haec contigiſſe, iam pridem viri docti obſeruarunt; quemadmodum & FLAV. IOSEPHVS, hiſtoriam de bello iſto inteſtino cum Beniaminitis, reliquis omnibus, quae e *libro iudicum* narrat, praemittit; *antiquit. iud. lib. V. cap. II.* Et ſane, cum de Danitica tribu *cap. XVIII. 1.* dicatur, quod propriam poſſeſſionem non habuerit, cumque Pineas, qui Ioſuae fere coaeuus fuit, adhuc ſacerdotio functus dicatur, *cap. XX. verſ. 27.* manifeſtum eſt, diu ante Simſonis tempora, nec ita multo poſt tempora Ioſuae, haec contigiſſe. Nonnulli equidem ex ebraeae gentis doctoribus, viuente adhuc Ioſua, ſed prae ſenio languido, haec geſta cenſent; quemadmodum alii, vt R. SAL. IARCHI, & auctor libri, *ſeder olam*, ad Othonielis, alii rurſus ad Ehudi tempora ea referunt. Sed rectius haud dubie ſentiunt, qui tempore ἀναρχίας poſt Ioſuae & ſeniorum, qui cum eo vixerant, mortem, haec eueniſſe volunt. In hocce enim temporis interuallum tum reliqua omnia, tum illud maxime, quod de vtraque hiſtoria, de priori quidem *Iud. XVII. ſeqq. 6.* de poſteriori *Iud. XXI. 25.* dicitur, quod eo tempore nullus rex ſeu magiſtratus fuerit in Iſraël, & quisque, quae ſibi recta videbantur, fecerit, omnium optime quadrant. Fallitur itaque praeter alios SVLPITIVS SEVERVS, qui non tantum poſt Simſonis mortem bellum ciuile cum Beniaminitis refert; *hiſtor. ſacr. lib. I. cap. XXVIII. XXIX.* ſed poſt Simſonem etiam Simmicharum ponit, Samgarum, haud dubie innuens, quem pridem ante Simſonem vixiſſe, iudicisque functum munere, conſtat. Nos de Micha & eius ſimulacris deinceps, ad *§. XVII. huius ſectionis* dicemus, cum de idololatria huius aetatis verba facienda erunt. Inteſtini autem iſtius belli hiſtoriam nunc paucis attingemus.

Leuita quidam, qui in montanis Ephraimi commorabatur, pellicem ſeu vxorem ſecundariam, more in gente ebraea recepto, e Bethlehemo, tribus Iudae oppido, duxerat. Ea vero, cum adulterio commiſſo, fidem marito datam violaſſet, iuſtam eius iram metuens, ad patrem aufugerat FLAV. IOSEPHVS, nulla adulterii facta mentione, mulierem, quod continuas mariti expoſtulationes non ferret, relicto marito, menſe quarto ad parentes reuerſam, auctor eſt; *antiquit. iud. lib. V. cap. II. p. 146.* Sed ſcriptor ſacer diſerte dicit: ותזנה עליו *& ſcortata eſt contra illum*, hoc eſt, contra fidem ei datam. Facilius crediderim, quod idem autumat, forma praeſtanti mulierem praeditam fuiſſe; vnde deſiderio eius inductus maritus ad patrem eius, vt cum illa in gratiam rediret, ſe contulit. Humaniter etiam a ſocero exceptus conciliatusque vxori, cum eiusdem ſoceri precibus ſe induci paſſus eſſet,

eſſet, vt aliquot dies vltra tempus ſibi conſtitutum apud eum maneret, tandem abiit; cumque nocte ingruente prope Hieroſolymam eſſet, eam ingredi vrbem noluit, eo quod, vt ſupra dictum, Iebuſaei eam adhuc tenerent; adeoque Gibeam contendit, vbi, cum nemo eſſet, qui eum in aedes ſuas ad pernoctandum inuitaret; tandem a viro quodam ſene, qui itidem ex montanis Ephraimi erat, & Gibeae commorabatur, hoſpitio exceptus eſt. Tum vero improbi quidam eiusdem oppidi viri aedes circumſiſtunt, hoſpitemque ſibi tradi volunt, ſtupro eum ſubdere parantes. Senex ille, qui hoſpitio Leuitam exceperat, primo eos adhortari, ne tantum flagitium committerent, tum filiam virginem offerre, tandem concubinam Leuitae foras educere, quam & arreptam cognouerunt, perque totam noctem ei illuſerunt, vt matutino tempore viribus exhauſta animam efflaret, mortuaque ad fores domus, in qua maritus eius commorabatur, concideret FLAV. IOSEPHVS, vt gentis ſuae honori et exiſtimationi conſuleret, mirum in modum hancce hiſtoriam corrupit. Leuitam ipſum enim ad ſtuprum poſtulatum, ſilentio praetermittens, vxorem ſaltem eius, cuius forma capti fuiſſent, rapuiſſe, auctor eſt, cui in aliam domum abductae ita illuſerint, vt dolore & pudore mortua ſit; *antiquit. iud. lib. V. cap. II.* SVLPITIVS quoque SEVERVS non diligenter admodum, quae ſcriptor ſacer narrat, conſideraſſe videtur, dum de morte mulieris verba faciens, *ſed illa*, inquit, *ſtupri iniuria an verecundia, parum definio, viſo viro animam efflauit, l.c.* Virum enim videre non potuit, qui eam mortuam & in limine aedium iacentem offendit. Adeoque nec vereccundia, ſed ſtupri potius violentia mortem ei attulit; quod ἀδύνατον non eſſe, HVGO GROTIVS ad *h. l.* obſeruauit. Leuita infelicis feminae cadauer, quod ſecum in domum ſuam adſumſerat, in duodecim partes diſſecuit, quas per omnes ebraei populi tribus circumferri curauit, vt tam inuſitato ſpectaculo omnes ad facinus illud vlciscendum commoueret. Ab vrbis enim, in qua iſtud contigerat, magiſtratu, vt improborum hominum petulantiam puniret, non videtur impetrare potuiſſe; forte, quod primariorum ciuium filii eſſent, qui facinus illud perpetrauerant. Rei itaque indignitate facinoriſque atrocitate commoti Israëlitae, magno conſenſu, Mitſphae, quae vrbs eſt in Iudae ac Beniaminis confinio, conuenerunt. Addit ſcriptor ſacer: אל־יהוה *ad Dominum*, ſeu *coram Domino.* Vnde colligere poſſes, arcam federis eo tempore itidem Mitſphae fuiſſe, niſi ex *verſ. 26.* & *cap. XXI. 2.* conſtaret, eam, hoc ipſo tempore, quo haec geſta ſunt, fuiſſe Silunte. Hoc ergo ſibi velle videtur, coram Iehoua, & in eius velut conſpectu, precibusque ad eum fuſis, haec ita geſta, eo, quod crederent, ſceleris nefandi vltionem non poſſe diſplicere Deo. R. DAVID KIMCHI ad *h. l.* docet, vbi totus congregatus Israël, ſeu magna eius multitudo,

tudo, ibi habitare שכינה *maieſtatem.* Non male, ſi recte intelligatur. Audito Leuita, qui ob iniuriam a Gibeenſibus ſibi illatam populum iſraëliticum concitauerat, ceteriſque, quae res poſtulabat, conſtitutis, miſerunt ad Beniaminitas, qui tam nefandi criminis auctores ſibi tradi poſtularent. At Beniaminitae hoc facere renuerunt, improbo ac imprudenti conſilio ſceleſtiſſimorum hominum patrocinium ſuſcipientes. Cum enim eo tempore nullus magiſtratus ſupremus in Iſraële eſſet, nec vna tribus reliquis imperium in ſe concedere vellet; haud dubie ambitio Beniaminitas, vt reliquis ſe opponerent, adduxit, dum infra dignitatem ſuam exiſtimarunt, reliquis tribubus eorum, quae apud ſe geſta erant, rationem reddere. Hinc ad arma ventum, triaque commiſſa ſunt praelia, ex quorum duobus prioribus inferiores diſceſſerunt Iſraëlitae, in vltimo autem Beniaminitae ad internecionem vſque caeſi ſunt.

Id mirum alicui videri poſſet, quod, cum laudabilis fuerit belli contra Beniaminitas, viribus reliquis tribubus plane impares, ſuſcepti cauſſa, nihiloſecius duabus vicibus inſigni clade adfecti ſint. Nonnulli ex idololatria Michae, quae eodem tempore contigerit, eius rei cauſſam arceſſunt. Iratum quippe eis fuiſſe Numen, quod maiorem zelum pro homine ab aliis laeſo, quam pro ſe ipſo, demonſtrarent; vid. R. DAVID KIMCHI ad *h. l.* Id vero oppido incertum. Iuſtiſſimas Deum, vt Iſraëlitas ob crimina varia puniret, habuiſſe cauſſas, non eſt, quod dubitemus. Praecipue tamen in eo illos peccaſſe arbitror, quod inconſulto Deo conſilium de bello Beniaminitis inferendo ceperint. Etſi enim Deum interrogauerint, quis belli dux eſſe, ſeu quis primam habere aciem deberet, Deusque reſponſo per vrim & thummim dato huncce honorem tribui Iudae dederit; non tamen, an bellum gerere deberent, aut quae alia ratio eſſet, vltionem a facinoris patratoribus ſumendi, eum interrogarunt. Prout itaque interrogarunt, ita a Deo reſponſum. Cuncta autem adcuratius conſiderantibus patebit, in conſilio, quod Iſraëlitae de bello Beniaminitis inferendo ceperunt, crudelitatem, vindictae cupiditatem nimiam, praecipitantiam, temeritatem, fiduciamque in propriis viribus eluceſcere. Hoccine Deo diſplicuiſſe, mireris? Poſt primam cladem iterum equidem Deum interrogarunt, an denuo cum Beniaminitis praelium inire deberent? Id vero fecerunt, cum animum iam ad pugnandum altera vice obfirmaſſent, nouum peccatum prioribus addentes, tantum abeſt, vt culpam agnouerint. Dum itaque Deus per vrim & thummim reſpondet: *contra eos vadite*, non ita hoc intelligendum, ac ſi conſilium illorum adprobauerit, aut euentum proſperum promiſerit, ſed vox potius indignantis eſt, eo quidem ſenſu: ſiquidem ſe inconſulto conſilium ceperint, poſſe illos iterum periclitari vires, & quid valeant, experiri. Tandem vero, altera etiam clade accepta, cum haud

haud dubie cauſſam calamitatis ſuae agnoſcerent, lacrimisque & ieiuniis admiſſorum ſerio ſe poenitere, teſtati eſſent, oblatis quoque ſacrificiis, gratiam fauoremque Numinis obtinuerunt; deque eius voluntate certiores redditi, cum tertia vice ad praelium rediiſſent, vicerunt Beniaminitas, integramque tribum, ſexcentis exceptis, qui ad rupem Rimmon fugerant, deleuerunt. Armatorum ex ea tribu, qui eo die ceciderunt, fuerunt vicies quinquies mille, vt *verſ. 46.* diſerte dicitur. Nec mouere quemquam debet, quod *verſ. 35.* his centum adhuc addantur. Scripturam enim, dum numeris rotundis vtitur, minores quandoque omittere, conſtat. Praeterea *verſ. 15.* armatorum ex Beniaminitis viginti ſex millia fuiſſe dicuntur, praeter ſeptingentos Gibeenſes, cum *verſ. 46.* referatur, vicies quinquies millibus caeſis ſuperfuiſſe ſexcentos, qui ad rupem Rimmonis ſe receperant; vnde nonnulli interpretes *verſ. 15.* pro XXVI habent XXV. Sed, vt a textu ebraeo diſcedamus, aut eum vitii arguamus, nulla nos cogit neceſſitas, cum *verſ. 46.* commemorentur, qui in vltimo praelio perierant: reliqui vero facile in prioribus praeliis, aut alia ratione perire potuerunt. Etſi enim in duobus prioribus praeliis Beniaminitae fuerint ſuperiores, hoc tamen non obſtat, quo minus mille circiter viros in iis amittere potuerint. Caeſis hunc in modum Beniaminitis, vrbibusque eorum, & quidquid in iis erat pecudum, hominumque, concrematis, vt tantum ſexcenti iſti antea memorati ſupereſſent, tota tribus ab interitu prope aberat. Accedebat enim, quod iureiurando ſe obſtrinxerant, ne quis Israëlitarum filiam ſuam Beniaminitae in matrimonium daret. Ex ethnicis autem cum vxores ducere illis fas non eſſet, nulla videbatur ſupereſſe ratio, tribum iſtam reſtaurandi. Hoc ergo cum expenderent Israëlitae, quos & nimiae crudelitatis poenitebat, miſſis duodecim armatorum millibus, Iabeſi incolas omnes, quod in bello hocce non adfuiſſent, gladio percutiunt, ſeruatis virginibus quadringentis, quas Beniaminitis, qui ſuperſtites erant, darent. Cumque ne ſic quidem omnes vxores accipere poſſent, conſilium de puellis Siluntinis rapiendis ſuppeditant, quod & ab illis factum. Nimirum, cum iuraſſent, ſe Beniaminitis filias ſuas in matrimonium non daturos, liberos ſe religione iurisiurandi exiſtimarunt, ſi non impedirent, quo minus Beniaminitae quasdam ex Israëlitarum filiabus raperent. Vnde nonnulli collegerunt, & velut regulam quamdam conſtituerunt, iuramenta ſtricte quandoque interpretari, fas eſſe; conf. HVGO GROTIVS, de *iure belli & pacis, lib. II. cap. XIII. §. V.* Sed eiusmodi iuramenti interpretatio cum inepta ſit, & prorſus cauillatoria, merito reiicitur. Nec ea opus erat; cum iurisiurandi iſtius, vtpote temerarii & illiciti, nulla vis obligandi eſſet. Quare rectius feciſſent, ſi culpam ſuam ſerio agnoſcentes, admiſſorum veniam precibus a Deo poſtulaſſent, & Benia-mini-

minitis matrimoniorum conceſſiſſent libertatem. Ita & opus non fuiſſet, Iabeſi incolas nouo crudelitatis exemplo e medio tollere; conf. quae dixi *inſtitut. theolog. moral. part. II. cap. III. ſect. V.* ad *§. XII.*

§. VIII.

Poſtea, cum repudiato vero Deo, gentium idola Iſraëlitae ſectarentur, primo Cuſamo Riſchataimo Meſopotamiae regi, Deus eos plectendos tradidit: * cuius iugum cum octo annos tuliſſent, per Othonielem illis reddita eſt libertas, quem & ideo iudicem ac gubernatorem ſuum eſſe voluerunt. Deinde, cum ad priſtinos mores redirent; ab Eglone Moabitarum rege ſubacti ſunt, ** cui cum octodecim annos ſeruiiſſent, Ehudum, amiſſae libertatis vindicem Deus excitauit: eodem tempore Samgar, Anati filius, Philiſtaeos, itidem in Iſraëlitas inſurgentes, ſexcentis eorum interfectis, repreſſit. *** At diuturnior mox duriorque, viginti ſcilicet annorum, ob inconſtantiam ac impietatem iſtorum, ſequuta eſt ſeruitus. A Iabino enim Chazoris rege ſubiugati, * magniſque adfecti ſunt calamitatibus: ſed reſtituti ſunt opera Deborae ac Baraki, Siſera, qui Iabini copiis praeerat, a Iaële femina interfecto.

* Cuſamus hiſce Riſchataimus diſerte vocatur rex ארם נהרים *Meſopotamiae.* Fallitur itaque FLAV. IOSEPHVS, qui eum *Chuſartem* vocat, & Aſſyriae regem perhibet; *antiquitat. iud. lib. V. cap. II.* CTESIAE haud dubie fabulis de antiquitate & amplitudine regni aſſyriaci ſeductus. Cuius tamen commenti vanitas vel ex hac ipſa hiſtoria conſtat; cum, ſi aſſyriaci imperii iam tum tanta, vt vulgo fertur, fuiſſet amplitudo, haud dubie Meſopotamiam ſub ambitu ſuo comprehendiſſet. Sed hac de re deinceps. Idem IOSEPHVS & alia de ſuo addit, nonnulla veritati e diametro aduerſa fingens. Supponit, quae de Leuitae pellice a Gibeenſibus conſtuprata, & mortua, & hinc orto inter Iſraëlitas & Beniaminitas bello inteſtino *Iud. XIX. & XX.* narrantur, ſtatim poſt Ioſuae mortem contigiſſe (qua de re cenſendum, iam antea dictum) & hinc quid adſerit, populi iſraëlitici felicitatem multis laboribus adquiſitam, per luxum & voluptatem breui diſperiiſſe, hanc belli huius cauſſam adſignans. Addit idem, Iſraëlitas acie victos, deinde oppidatim obſeſſos, aut vi aut deditione in poteſtatem regis huius veniſſe. Cum autem eum, qui a tyrannide huius regis Iſraëlitas liberauit, Keniazum (Κενίαζον) vocat, quem Othonielem fuiſſe, conſtat; turpiter filium cum patre confundit. Othoniel hicce Calebi gener fuit, vir magnae inter Iſraëlitas auctoritatis, & ſpectatae virtutis, cuius iam antea aliquoties meminimus. Diuino ſpiritu is concitatus, Cuſamum Riſchataimum adgreſ-

greſſus eſt, atque vicit. His peractis, terra per quadraginta annos quieuiſſe dicitur, quod nonnulli ita capiunt, ac ſi totidem annis iudicis munere functus ſit Othoniel, refragantibus aliis, eo, quod minime probabile ſit, Othonielem, qui viuo Calebo vxorem duxit, ad id aetatis veniſſe, vt poſt ſuſceptum iudicis munus quadraginta adhuc annos vixerit. Sed & hac de re deinceps dicemus, cum excutiemus chronologica.

** Eglon Moabitarum rex, quem Iſraëlitis ob eorum peccata ſuperiorem Deus eſſe voluit, adſumtis in belli ſocietatem Ammonitis, & Amalekitis, victis Iſraëlitis, *vrbem palmarum* inuaſiſſe dicitur; *Iud. III.13.* Hoc nomine Hierichuntem venire, notum eſt. IOSEPHVS auctor eſt, Eglonem καθιδρύσαι αὐτῷ ἐν Ἱεριχοῦντι βασίλειον, *regiam ſedem ſibi Hierichunte conſtituiſſe; antiquit. iud. lib. V. cap. V. p. 151.* At cum Hierichuntem eo tempore nondum reſtauratam fuiſſe, ex *I. Reg. XVI.34.* conſtet; hoc admitti nequit, idque, quod ſcriptor ſacer dicit, ita forte intelligendum, quod Moabitarum rex aut in agro Hierichuntino, aut in ruderibus vrbis praeſidium collocauerit, quo & Iſraëlitas in obſequio contineret, & facultatem Iordanem libere traiiciendi ſibi ſuisque adſereret. Huic cum Iſraëlitae per octodecim annos ſeruiiſſent; tandem Ehudus ad eos liberandos diuinitus excitatus eſt. Vocatur is איש אטר יד ימינו *vir clauſus manu ſua dextra*, hoc eſt, qui manus dextrae, ſiue quod contracta eſſet, ſiue aliam ob rationem, vſu deſtitueretur. Ita enim haec verba intelligenda eſſe, & res ipſa docet, & eruditiſſimi interpretes conſentiunt. Perperam itaque LXX interpretes habent ἀμφοτεροδέξιος, & vulgatus; *qui vtraque manu pro dextra vtebatur.* Rectius IOSEPHVS, etſi itidem non ſatis adcurate: τῶν χειρῶν τὴν ἀριστερὰν ἀμείνων καὶ ἀπ' ἐκείνης τὴν πᾶσαν ἰσχὺν ἔχων, *melior ſiniſtra, & ab ea omne robur trahens.* Quod vero idem IOSEPHVS addit, habitaſſe Ehudum, ſeu, vt ille vocat, Iuden, Hierichunte, familiarem fuiſſe regi, cuius animum donis ſibi conciliare conſueuerit, δωρεαῖς αὐτὸν θεραπεύοντα καὶ ὑπερχόμενον, & quae reliqua ſunt eiusdem generis, ſcripturae ſuffragio deſtituuntur. Ehud non ſuo, vt IOSEPHVS innuit, ſed populi iſraëlitici nomine munus offerebat, eaque occaſione vſus, tyrannum interfecit. Quod qua ratione contigerit, adcurate, ſingulisque circumſtantiis probe obſeruatis, ſcriptor ſacer commemorat, a quo iterum in nonnullis more ſuo diſcedit IOSEPHVS. Inter alia refert, cum Iudes ſeu Ehudus aliquando munera regi offerret, hunc familiariter cum eo collocuturum famulitium ablegaſſe: cumque rex in ſella ſederet, Ehudum, ne fallente ictu plagam minime lethalem inferret, excitaſſe regem, dum ſomnium diuinitus miſſum ſe ei dicere velle, indicauit; quo audito Eglon ſtatim gaudio exſiliuerit. Id vero non tantum cum ſcriptura ſacra non ſatis conuenit; ſed nec admodum probabile eſt, regem

 Moa-

Moabiticum ſtatim exſiliiſſe, ac audiuit, ſomnium aliquod ſibi referendum eſſe. Alii equidem alias cauſſas, cur rex ſtatim ſurrexerit, comminiſcuntur, proxime tamen ad verum accedere videtur illorum ſententia, qui putant, ſurrexiſſe Eglonem, ex reuerentia erga Numen, cuius ad illum ſe habere mandatum, Ehud prae ſe ferebat. Quo pacto reliqua peracta ſint, quaue ratione Ehudus caede perpetrata euaſerit, cumque Sehiram, שעירתה quod nomen proprium loci eſſe videtur, vt recte R. DAVID KIMCHI docet, etſi R. SALOMON IARCHI per *ſiluam denſam minutamque*, in qua Ehudus aliquantisper delituerit, exponat, peruениſſet, ſigno tuba dato, Iſraëlitas conuocauerit, qui Iordanis vadis occupatis, Moabitas omnes, qui traiecto flumine fuga ſibi conſulere voluerunt, interfecerint, diſerte & luculenter a ſacro ſcriptore exponitur. Sitne illud Ehudi, de quo diximus, facinus laudandum, an ſaltem excuſandum, quaeri ſolet. Qui enim, mendacia quaedam, aut aequiuocationes ſaltem licitas eſſe, contendunt, in hocce inter alia exemplo cauſſae ſuae inueniſſe praeſidium, ſibi perſuadent. Diſputant hac de re IAC. BONFRERIVS, CORN. A LAPIDE, aliique interpretes ad *h. l.* Res expediri paucis poteſt, ſi obſeruemus, quod alibi a me euictum, ſimulationem, ſiue verbis ſiue factis ſiat, tum demum illicitam eſſe, ſi alter quacumque ratione per eam laedatur. Conf. *inſtitut. theol. moral. part. II. cap. III. ſ. IX. p. 716.* Quodſi ergo Ehudus non peccauit interficiendo Eglonem, neque ſimulatione illa qualicumque eum laeſiſſe exiſtimandus eſt. Quod vero non peccauerit eum interficiendo, non temere quis abnuerit. Tyrannus enim erat Eglon, non legitimus princeps, qui iniuſta ſeruitute populum iſraëliticum oppreſſerat. Accedebat inſtinctus atque mandatum diuinum, quo concitatus Ehudus facinus iſtud in animum ſuum induxerat. Neque a vero prorſus abhorrebat, quod dicebat Ehudus, ſe habere verbum Dei ad regem. Omnino enim verbum ſeu mandatum Dei ad regem habebat, ſcilicet, vt illum interficeret, & ita populum iſraëliticum in libertatem adſereret; quod vt illi plene indicaret, neceſſe non erat, cum potius ſtatim exſequenda eſſent, quae Deus iuſſerat. Ceterum, poſtquam Ehudus libertatem genti ſuae, victis ac profligatis Moabitis reddiderat; non eſt dubium, quin & ipſe principatum obtinuerit, licet diſerte hoc in ſcriptura ſacra non dicatur. Quo pacto autem intelligendum ſit, quod regio Iſraëlitarum per annos octoginta quieuiſſe perhibetur, ex dicendis conſtabit.

*** Samgar hicce, Anati filius, ſexcentos Philiſtaeos במלמד הבקר, ἀροτρόποδι τῶν βοῶν, vt LXX interpretes habent, ſeu *ſtimulo bouis*, interfeciſſe dicitur; *Iud. III. 31.* Solusne hoc fecerit, an tumultuaria ruſticorum turba comite, cuius ſe ducem praeſtiterit, ſcriptura non definit; etſi nonnullis poſterius probabilius videatur. Quidquid huius ſit; memorabile vtique, quod

quod non alio telo, quam boum ſtimulo inſtructus, viros egregie armatos non ſolum adgreſſus ſit, ſed & ſubegerit. Lectu digna, quae ad huius rei illuſtrationem notauit SAMVEL BOCHARTVS, *hieroz. part. I. lib. II. cap. XXXIX. p. 385.*

* Poſt mortem Ehudi cum iterum a recto tramite deflecterent Iſraëlitae, traditi ſunt in manus Iabini. Is forte ex poſteris Iabini, eiusdem vrbis reguli, qui *Ioſ. XI. 1.* memoratur; certe ſucceſſorem fuiſſe, non eſt, quod dubitemus. Rex Cananaeorum idem dicitur, quod de certo populo, ex Cananaeis orto, intelligendum. Toti enim terrae cananaeae eum imperaſſe, dici nequit. Idem denique Chatſore regnaſſe dicitur; haud dubie, quod vrbem a Ioſua captam atque combuſtam Cananaei reſtaurauerint: quamquam R. DAVID KIMCHI exiſtimet, Chazoris regem vocari, quod ex regum iſtius vrbis ſtirpe fuerit. Copiis eius ſummo cum imperio praeerat Siſera, FLAV. IOSEPHO Σισάρης, qui בחרושת הגוים *Charoſethae gentium*, habitaſſe dicitur. Non procul a Semechonitide palude hanc vrbem ſitam inde colligas, quod vrbs Chatſor eidem vicina fuerit. Cur vero Charoſeth *gentium* vocetur, incertum. Forte, qui ex vrbibus a Ioſua deuaſtatis euaſerant, & ex variis terrae cananaeae populis erant, eo confluxerant. Conf. R. LEVI BEN GERSON, ad *Iud. l. c.* IOSEPHVS auctor eſt, Iabinum habuiſſe ὁπλιτῶν, *armatorum*, trecenta millia, equitum decem millia, currus ter mille. Scriptura ſaltem nongentos currus ferratos illi tribuit: armatorum numerum non indicat. Hic ergo cum Iſraëlitas oppreſſiſſet; Debora prophetis, vxor Lappidothi, eo quod diuino ſpiritu inſtructa eſſet, ius dicebat. Negant equidem nonnulli, eam ideo ius dixiſſe, quod ſpiritu diuino adflata eſſet, ſed quod integritate ſingulari & ſapientia eſſet conſpicua. Sed an eam ſolam ob rationem Iſraëlitae cauſſarum ſuarum arbitrium feminae permiſſuri fuiſſent, dubito. Falluntur itaque etiam, qui eam inter iudices referendam negant; contra quos ex inſtituto diſputat. NAT. ALEXANDER, *hiſt. eccleſ. vet. teſtament. aetate mundi IV. diſſertat. XVIII. p. 55. ſeqq.* Sunt, qui putant, ante Deboram, poſt Ehudum Iaëlem eodem munere functam, idque ex *Iud. V. 6.* colligunt, vbi dicitur: *in diebus Samgaris, filii Anathi, in diebus Iaëlis, ceſſarunt viae, & euntes ſemitas iuerunt vias tortuoſas.* Verum, etſi Samgari hic Iaël iungatur; hoc tamen non ideo fit, quod iudicis aeque ac iſte officio functa ſit, ſed honoris ſaltem cauſſa. Cum enim Debora, tempora liberationem a iugo Iabini proxime antecedentia a perſonis inſignioribus deſignare vellet, poſt Samgarem iam pridem mortuum; non alia occurrebat memorabilior, quam Iaël, cuius ob caedem Siſerae tunc maxima erat celebritas. Conf. SEBAST SCHMIDIVS, in *commentar.* ad *Iud. V. 6. p. 468.* & in *quaeſtionibus, p. 535. 536.* Maritum Deborae Lappidothum fuiſſe, antea diximus. Hunc eumdem cum Ba-

rako fuiſſe, nonnulli Ebraeorum magiſtri tradunt. Sed, cum non alio fundamento, quam quod ex nominum propriorum, quae in adpellatiua perperam mutant, ſignificatione petunt, nitantur; iſtorum, non eſt, quod nos morentur nugae. Conf. NIC. SERARIVS, ad *h. l.* Dicitur autem porro de Debora; *Sedebat haec ſub palma Deborae inter Ramam & Bethelem in montanis Ephraim.* At verba ebraea IONATHAN, paraphraſtes chaldaeus, ita transfert: *Et illa ſedens* (erat) *in vrbe, in Ataroth; Debora ſuſtentabat ſe de ſuo; erant enim illi palmae in Iericho, paradiſi in Rama, oleae ferentes oleum in valle irrigua in Bethele, puluis albus in monte regis.* Hinc aliis Ebraeorum magiſtris de diuitiis Deborae multa commentandi peropportuna occaſio. Conf. R. SAL. IARCHI, ad *h. l.* Verum ex ſcriptoris ſacris verbis nihil aliud colligas, quam eam habitaſſe *ſub palma.* Rectius enim mea opinione verbum *ſedere* de habitatione, quam de actu iudicandi, accipitur. Etſi enim iudices ſedere ſolebant; non tamen probabile, Iſraëlitas iudicii exercendi cauſſa in agro, aut ad arborem quamdam conueniſſe; cum & alias in portis vrbium hoc fieri ſoleret. Admodum itaque veroſimile, ſcriptorem ſacrum hoc ſaltem ſibi velle, Deboram cum marito ſuo domum ſub palma inſigniori habuiſſe, quae deinceps, cum tantam nominis celebritatem conſequuta eſſet, nomen ab illa retulit. Quam grauis vero calamitas & miſeria Iſraëlitis incubuerit, priusquam per Deboram ſalus illis obtingeret, ipſamet in cantico exponit, *cap. V. 7. 8. Deſierant (habitari) villae in Iſraële, deſierant, donec ego Debora exorta ſim, exorta ſim (inquam) mater in Iſraële. Quando (Iſraël) elegit deos nouos, tum bellum ad portas fuit. An clypeus & haſta cernebatur, apud quadraginta millia (virorum) in Iſraële?* Nimirum vltimis verbis indicatur, tantum hoſtium timorem Iſraëlitas inuaſiſſe, vt inter tot millia virorum nemo arma capere auſus fuerit; etſi in vrbibus obſeſſi extrema paterentur, vnde hoſtibus tandem ſe dedere & ſeruitutem ſubire coacti ſint. Illis enim, qui, Iſraëlitas armis omnibus a Cananaeis ſpoliatos fuiſſe, hiſce verbis innui, contendunt, ſuffragari nequeo. Non video, quo pacto hoc commodo fieri potuerit, & ſequentia docent, non prorſus arma defuiſſe Iſraëlitis: vnde animum potius defuiſſe, vt concludamus, par eſt.

Debora itaque, cum liberationis tempus inſtaret, Barakum accerſiuit, Abinoami filium, quem Kedeſcho ex tribu Naphtali euocauit. Diuerſum eum a Lappidotho Deborae marito fuiſſe, iam antea obſeruauimus, & vel hinc colligitur, quod Kedeſcho eum ad ſe* accerſiuiſſe dicatur. Qui eum aut patrem aut filium Deborae fuiſſe putant, nullas quoque ſuae ſententiae adferre rationes poſſunt. Immo eo minus hoc eſt veroſimile, quod ſcriptura de Debora & Barako ita loquatur, tamquam inter quos nulla neceſſitudo aut conſanguinitas interceſſerit.

Man-

Mandatum Numinis cum Barako Debora expoſuiſſet, & quid ab eo fieri vellet, quoque pacto Deus Siſeram in manus eius traditurus eſſet, ſignificaſſet, Barakus reſpondet, *ſi mecum iueris, ibo, ſin minus, non ibo.* Infirmitatis ſuae Barakum dediſſe documentum, quod ſine Debora ire noluerit, forte ex praeſentia prophetidis populum animoſiorem fore, exiſtimans, res ipſa docet; etſi AVGVSTINVS, AMBROSIVS, aliique, in eo toti ſint, vt eum defendant. Interim tamen, quia mandato diuino citra cunctationem paruit, modo Debora vna ire vellet, fidem ſuam demonſtrauit, recteque a Paulo ob res maximas per fidem geſtas inter heroas fidei referri potuit, *Ebr. XI.32.* LXX interpretes haec verba addunt: ὅτι ἐκ οἶδα τὴν ἡμέραν ἐν ᾗ εὐοδοῖ κύριος τὸν ἄγγελον μετ' ἐμȣ̃; quae cum in textu ebraeo non exſtent; haud dubie ad excuſandum Barakum itidem ab illis ſunt addita. FLAV. IOSEPHVS, non tantum Deboram Barako iratam fuiſſe, refert, quod ſolus ire noluerit, ſed Barakum etiam, addit, conſpecto Siſera, eiusque exercitu, fugere voluiſſe; *loc. cit.* Quae ſcripturae ſuffragio deſtituuntur. Caſtigatus tamen ob fidei imbecillitatem & quodammodo reprehenſus fuit Barakus, dum Debora reſpondit: *Eundo ibo tecum, niſi quod non erit gloria tua ſuper via, quam ingredieris, ſed in manum feminae tradet Iehouah Siſeram.* Effeciſſe nimirum hoc ipſo, quod ſolus ire noluerit, indicat, vt non omnem victoriae fructum, Siſera a Iaële interficiendo, percepturus ſit. Haec cum inter Deboram & Barakum acta eſſent, dicitur: *Surrexit itaque Debora & Kedeſchum Barakum comitata eſt;* tumque porro additur, quod Barakus Zabulonem & Naphtalim Kedeſchum conuocauerit. Repugnare hoc ei videtur, quod antea *verſ. 6.* Debora Barako dixerat, cum in monte Thabor tuba ad conuocandos Nephtalitas & Zabulonitas canere debere. Sed haud difficilis eſt conciliatio. Cum enim Debora vna cum Barako Kedeſchum ſe contuliſſet, hic in montem Thabor adſcendit, buccina ad conuocandum ex antea memoratis tribubus populum canens, & locum, vbi conuenire deberent, indicans, Debora interim Kedeſchi commorante. Eos itaque, qui in monte Thabor confluxerant, Kedeſchum ad Deboram deduxit, & ita Kedeſchum conuocaſſe populum, dicitur. Sunt, qui verba, quae in cantico Deborae *Iud. V. 15. ſeqq.* exſtant, ita capiunt, ac ſi eas tribus, ex quibus populus confluxit, Debora laudauerit, reliquas autem vituperauerit. Sed id vel hoc nomine admitti nequit, quod Debora diſerte tantum Zabulonitas & Nephtalitas conuocari iuſſerit. Praeterea iſtorum verborum longe alium ſenſum eſſe, oſtendit SEBAST. SCHMIDIVS, ad *iſtum locum.* Quo pacto res tandem ad praelium venerit, in quo victus fugatusque cum ſuis eſt Siſera, conſtat ex *cap. IV. 13. ſeqq.* In cantico Deborae *Iud. V. verſ. 20.* praelium hoc ita deſcribitur: *e caelo pugnarunt: ſtellae de viis ſuis pugnarunt cum Siſera.*

Ssss 3 Quo-

Quorum verborum hunc nonnulli ſenſum eſſet putant, Deum ipſum e caelo pro Iſraëlitis pugnaſſe, poſt vocem *pugnarunt* ſubaudientes אלהים quam vocem cum verbo pluralis numeri coniungere, non adeo inſolens ſit. Ad ſtellas autem, quae de viis ſuis, ſeu ex orbitis ſuis, pugnaſſe dicuntur, quod attinet; varia quidem hac de re Ebraeorum magiſtri comminiſcuntur, nec deſunt, qui ex aſtrologorum diſciplina ad ſiderum influxus hic ſe recipiunt. Veroſimillimum, ſtellarum nomine poëtice angelos deſignari, qui contra Siſeram pugnando exercitum eius conturbarunt. FLAV. IOSEPHVS de ingenti procella hoc intelligit, qua obrutae fuerint Siſerae copiae, & ita impeditae, vt armis vti non potuerint, Iſraëlitae autem nihil inde detrimenti acceperint, quod ſaltem terga illorum ferirent, qui & auxilium diuinum inde intelligentes, ad pugnandum audaciores facti ſint; *antiquit. iudaic. lib. V. cap. VI.* Sed haec omnia more ſuo fingit, etſi ſcriptura nihil eiusmodi commemoret.

Siſera cum e curru deſcendiſſet; in pedibus ſpem ſalutis poſuit, dum interea Barakus exercitum eius Charoſethum vsque perſequebatur, caeſis deletisque omnibus. Ipſum etiam Siſeram ea exceperunt fata, quae Debora praedixerat. A Iaële enim inuitatus, hoſpitioque exceptus, lacte etiam refocillatus, cum obdormiuiſſet, paxillo in tempus eius infixo, interemtus eſt. Iaël illa, Cheberi Kenaei vxor fuit, ad quam eo facilius Siſera diuertere poterat, quod Chebero cum Iabino pax eſſet, adeoque nulla cauſſa ſiniſtri aliquid de Iaële ſuſpicandi. Forte tributum Iabino Cheber ſoluit, vt in agris ei vicinis ſibi tendere liceret, aut alia ratione amicitiam eius obtinuit. Ne quis autem miretur, cur Cheber Kenacus in hacce regione commoratus dicatur, cum ſupra *cap. I. 16.* dictum eſſet, Kenitas in deſertum Iudae conceſſiſſe, iam antea *verſ. 11.* ſcriptor ſacer obſeruauerat, Cheberum hunc a reliquis Kenitis ſe ſeparaſſe, & tentorium ſuum ad quercetum Zaananimis, ſeu, vt alii vertunt, *vsque ad Alon in Zaanannim* prope Kedeſchum tetendiſſe. Ab illis ſcilicet Kenitis, qui erant poſteri Chobabi, & ad Iordanem habitabant, ſe ſeparauerat, quod diſerte ſcriptor ſacer notat, vt omne dubium eximatur. Ad Iaëlem itaque cum ingreſſus eſſet Siſera; loco aquae, quam poſtulauerat, illa lac obtulit. Cur aquam poſtulauerit, per ſe patet, nec diſputaret, vt puto, hac de re NICOL. SERARIVS, niſi occaſionem, Kenaeorum a vino abſtinentiam demonſtrandi, & hinc in monachos eos transformandi, inde captare voluiſſet. Iaël autem ex ſingulari humanitate pro aqua potum nobiliorem, & ad reſtinguendam ſitim aeque adcommodatum, lac ſcilicet, obtulit. Neſcio, quid IOSEPHO in mentem venerit, dum dicit, fuiſſe lac hoc δεφθορὸς ἤδη, iam corruptum, ſeu ex quo butyrum iam expreſſum. In cantico Deborae *cap. V. verſ. 25.* hoc ita exprimitur: *Aquam petiit, lac ei dedit: in calice* (ſeu ſimpulo)

pulo) *illuſtrium virorum obtulit ei butyrum.* Vocem enim חמאה plerique per *butyrum* vertunt; quamquam alii rectius lac nobile, integrum, cui butyrum nondum expreſſum vel abductum, intelligant. Hoc obtulit ei בספל אדירים in *calice* ſeu *phiala virorum illuſtrium* ſeu *magnatum*, ita eum excipiens, prout dignitatis, qua apud Iabinum fulgebat, poſtulabat ratio. Opium aut ſimile quid eam lacti admiſcuiſſe, vt ſoporem illi attraheret, commentum eſt, quod omni prorſus fundamento deſtituitur. Qui autem cogitat, & in praelio, & in fuga admodum Siſeram fuiſſe defatigatum, non mirabitur, quod tam cito ſomno altiſſimo fuerit oppreſſus: quamquam, & Deum ipſum huic negotio interceſſiſſe, non negauerim. De ipſo autem Iaëlis facinore, ſitne laudandum, an vituperandum, acriter viri docti inter ſe diſceptant. Cum enim pacem, quae Kenaeis cum Iabino intercedebat, &, quod magis eſt, ius hoſpitii, quod olim longe erat ſanctiſſimum, eo vsque violauerit, vt virum nihil mali ſuſpicantem occideret, cum etiam humaniſſime illum inuitando, & ſecuritatem pollicendo, animum doli & fraudis plenum prodidiſſe videatur; peſſimum hocce fuiſſe facinus, & maxime vituperabile, aliquis cenſere poſſet. At laudat tamen iſtud Debora in cantico *verſ. 24. Benedicta ſit prae mulieribus Iaël, vxor Cheberi Kenitae, prae mulieribus in tentorio benedicta ſit.* Mihi proxime ad verum accedere videntur, qui, Iaëli, cum inuitaret Siſeram, & hoſpitio exciperet, animum eum interficiendi fuiſſe, negant. Somno autem cum eum oppreſſum videret, ſimulque cogitaret, diuinitus haud dubie iam opportunam occaſionem, populum israëliticum in libertatem adſerendi, & iniurias illi a Siſera illatas vlciscendi, oblatam, accedente Numinis inſtinctu ſingulari, ſubito conſilium iſtud cepit, facinusque perpetrauit, quod tantam ei deinde peperit gloriam. Qua quidem ratione primo a fraudis doli ac mendacii ſuſpicione liberatur. Pacem vero et ius hoſpitii quod violauit, quia inſtinctu motuque, adeoque mandato Numinis hoc fecit, in eo minime peccaſſe cenſenda eſt. Hoc ipſo enim Deus declarauit, indignum illum eſſe, cui iſta beneficia praeſtentur, cum Dei populique israëlitici hoſtis eſſet, adeoque obligationem ad pacem ſeruandam, hoſpitiique ius cuſtodiendum, ſua ſponte ceſſare. Conf. ABRAH. CALOVIVS, ad *Iud. IV. 28.* vbi fuſe hac de re diſputat. Ita ergo cum Iaël tam inſigni victoriae vltimam velut manum impoſuiſſet; Israëlitae bellum contra Iabinum continuarunt, donec eum prorſus opprimerent, *Iud. IV. 23. 24.* Quando & vbi mortui ac ſepulti ſint, Debora & Barakus, diſputat NIC. SERARIVS: ſed omnia valde incerta ſunt; cum ſcriptura nihil hac de re commemoret. Ex eo, quod ſolius Baraki meminit, colligunt nonnulli, Deboram ante Barakum mortuam, hunc autem in vltimis

mis quietis annis forte diem ſuum obiiſſe. Terra enim iterum quadraginta annos quieuiſſe dicitur, *Iud. V. 31.* Conf. SEB. SCHMIDIVS, *comment.* ad *Iud. V. quaeſt. V. p. 537.*

§. IX.

Debora & Barako exſtinctis, cum Iſraëlitae iterum a Deo deficerent; Midianitis per ſeptem annos male habendi traditi ſunt: mox rurſus liberandi per Gideonem, virum fortiſſimum, qui diuinitus excitatus, variiſque prodigiis confirmatus, parua admodum manu ingentes hoſtium copias fudit atque fugauit, vt eo magis diuinum auxilium omnes intelligerent. * Idem modeſtiae quoque ſingularis edidit exemplum, recuſando imperium iure hereditario poſſidendum, quod vltro Iſraëlitae offerebant. ** At Abimelechus, quem ex concubina Gideon ſuſceperat, occiſis, excepto Iothamo, fratribus, in Sichemitas & Millonitas illud obtinuit. Triennio autem elapſo, cum bellum inter illum & Sichemitas oriretur, horum funditus deleta vrbe, ipſe quidem, cum turrim Thebetſenſem oppugnaret, fragmento ſaxi molaris e turri per feminam deuoluto, percuſſus, & ab armigero ſuo interfectus, periit. ***

* Haud exigua fuit calamitas illa, qua per Midianitas, quibus Amalekitae, aliique Arabiae populi ſe iunxerant, adfecti ſunt Iſraëlitae. Id enim agebant gentes iſtae, quae Nomadum & Scenitarum more vitam degebant, vt, cum multitudine ſua metum Iſraëlitis incuſſiſſent, per aeſtatem terrae iſraëliticae locuſtarum inſtar incumberent, omnia depaſcentes, conſumentes atque vaſtantes, Iſraëlitis interea ad montana confugere & in ſpeluncas ac loca ſubterranea ſe recipere coactis. Quo ipſo eos ad paupertatem atque extremas anguſtias tandem redigi oportebat. In hocce rerum ſtatu conſtitutis nihil aliud relictum erat, quam vt iterum precibus ſe ad Deum conuerterent. Quod dum faciebant, prophetam ad illos Deus miſit, qui delicta illorum, idololatriam cumprimis, animumque ingratum illis exprobraret. Prophetam hunc angelum quemdam, ſed creatum fuiſſe, exiſtimat AVGVSTINVS, *quaeſt. XXXI.* in *lib. Iud.* Ebraeorum nonnulli doctores, Pineam fuiſſe, tradunt. Neutra ſententia certo fundamento nititur. Vir fuit, dono prophetico a ſpiritu ſancto inſtructus, quis autem fuerit, tuto nobis ignorare licet, cum ſpiritui ſancto nomen eius prodere non placuerit. Etſi autem peccata ſaltem Iſraëlitis exprobrauerit; ſimul tamen tacite ſpem liberationis fecit, ſi poenitentiam acturi eſſent. Egiſſe etiam eos poenitentiam, ſubſequuta liberatio nos dubitare non ſinit. Hanc autem per Gideonem fieri, Deus decreuerat, cui ideo angelus Domini adparuit. Quis ille angelus Domini fuerit,

fuerit, diuerſimode iterum viri docti diſputant. Ipſum filium Dei fuiſſe, deinceps demonſtrabimus, cum de religione Israëlitarum in hocce temporis interuallo verba faciemus. IOSEPHVS admodum inconcinne *Φάντασμα* adſtitiſſe dicit, forma iuuenili. Ad Gideonem quod attinet, is filius fuit Ioaſi, ex familia Abieſeris. Ita enim verba אבי־עזרי rectius intelligunt, quam qui per *patrem Esritarum* ea vertunt, quod chaldaeus, LXX interpretes, vulgatus, aliique faciunt. Locus, in quo angelus Domini illi adparuit, Hophra fuit; quae Ioaſi dicitur, forte quod illi eiusque familiae in hereditatem ceſſit. Etſi autem Hophra in forte Beniaminis recenſeatur; *Ioſ. XVIII. 23.* Gideon vero ex tribu Manaſſeh fuerit; in turbato tamen iſto rerum ſtatu fieri potuit, vt Ioaſus in alia tribu ad iubilaeum vsque praedium ſibi compararet; quamquam & dici poſſit, in tribu Manaſſeh itidem eiusdem nominis vrbem fuiſſe. Occupatus erat Gideon in triturando tritico, & quidem in torculari, ſeu loco obſcuriori, in quo torcular erat, vt lateret, cum in area ſeu loco aperto & omnium conſpectui patente, ob hoſtium metum id facere non auderet; vt recte quoque IOSEPHVS, *antiquit. iudaic. lib. V. cap. VIII.* obſeruat. Quae angelus cum Gideone loquutus ſit, quaeue hic reſponderit, quoue pacto carnem & azymos, angelo iſti aut potius Deo ipſi a Gideone oblatos, ignis, qui e petra erupit, abſumſerit, angelusque tandem e conſpectu eius disceſſerit, conſtat ex *Iud. VI. 22. ad 24.* Gideon cum intellexiſſet, angelum fuiſſe, quocum hactenus loquutus eſſet, metu maximo, ne moreretur, perculſus; ſtatim bono animo a Deo eſſe iuſſus eſt. Cum vero antea dictum ſit, angelum illum, qui Gideoni adparuit, ipſum fuiſſe filium Dei; dubium ſtatim enaſcitur, quisnam itaque ille fuerit, qui illi dixit; *pax tibi! noli timere, quia non morieris.* Angelus enim Domini ab illo disceſſerat. Diſtinctas fuiſſe hasce perſonas, aliquis exiſtimare poſſet, & ita quoque nonnulli exiſtimant. Vlterius alii procedunt, et haec demum nocte ſequenti Dominum ad Gideonem in ſomnio loquutum autumant. At hiſtorici ſacri haec coniungentis narratio, & res ipſa, vt hoc nobis perſuadeamus, non permittit. Maximopere enim cum perterrefactus eſſet Gideon, cum animaduertiſſet, angelum fuiſſe, ſcilicet increatum illum, quocum hactenus loquutus eſſet, ſtatim erigendus ſolatio ac confirmandus erat. Admodum itaque veroſimile, eumdem illum angelum, quocum loquutus erat Gideon, ex aëre vocem hanc reddidiſſe; *pax tibi! noli timere, &c.* Nec abludunt ab hac ſententia R. DAVID KIMCHI & R. LEVI BEN GERSON. In rei iſtius memoriam Gideon Domino exſtruxit altare, idque vocauit יהוה שלום *Dominus pax*, hoc eſt, Domino pacis. Non ita enim hoc eſt capiendum, ac ſi ipſi altari nomen יהוה impoſitum, ſed quod Domino pacis, ſeu Deo, a quo pacem omnem & quaeuis bona habemus, illud conſecra-

ſecratum fuerit, vt ipſimet IOAN. CLERICO ad *h. l.* recte obſeruatum eſt. Poſt primam illam adparitionem, Deus nocte ſequenti Gideoni iterum in viſione adparuit, iuſſitque, vt deſtructo altari, quod Baali ſacrum erat, lucoque, qui iuxta illud erat, exciſo, aliud altare ſibi exſtrueret, duosque tauros, ſubiectis luci exciſi lignis, ſibi in ſacrificium offerret. Quae omnia Gideon adcurate, vt iuſſus erat, exſequutus eſt. Colligere hinc licet, & Ioaſi gentem, certe loci iſtius incolas, idololatria contaminatos fuiſſe. Ioas & Gideon, ſaltem hoc tempore, quo iſta geſta ſunt, iſtius criminis puri fuere, quo an antea itidem polluti fuerint, in ſequentibus diſceptabimus. Id mirum alicui videri poſſet, cur Gideon duos tauros ſumere iubeatur: cum vnum tantum mactaſſe, ac in ſacrificium obtuliſſe perhibeatur. Nonnulli equidem, vnum tantum taurum illi imperatum, exiſtimant, & hinc verba *verſ. 25.* vel hac ratione: *ſume iuuencum bouem, qui patri tuo eſt, iuuencum illum ſaginatum ſeptem annis*, vel alio modo, ne de duobus tauris intelligantur, explicare fatagunt. Sed hi apertis ſacri textus verbis vim inferunt, quae duos tauros Gideoni imperatos ſignificant; quod & LXX interpretes, vulgatus, aliique, confirmant. Nec obſtat, quod *verſ. 26.* vnum tantum iuuencum mactare iubeatur, vt vulgo quidem exiſtimant. Verba namque ebraea, vt nonnullis recte obſeruatum, ita reddi poſſunt: *tumque accipies* (taurum patris tui) *cum iuuenco ſecundo, & offeres in holocauſtum per ligna luci, quem excideris.* Particulam enim את etiam per *cum* reddi poſſe notum eſt. Rurſus equidem, cum Gideon, quae in mandatis acceperat, exſequutus eſt, ſecundum iuuencum tantum obtuliſſe legitur. Vnde nonnulli ex Ebraeorum doctoribus, VT R. DAVID KIMCHI, R. LEVI BEN GERSON, ad *h. l.* aliique, in eam ingrediuntur ſententiam, priorem taurum non oblatum, ſed quod cultui idololatrico iam deſtinatus, adeoque ad ſacrificium parum aptus eſſet, abductum a Gideone & occiſum eſſe. Id vero vt ſine certo fundamento adſeritur; ita, vt eo nos recipiamus, nulla nos neceſſitas cogit. Non enim dicitur, quod alterum iuuencum tantum obtulerit, ſed hoc ſaltem: *iuuencus autem ſecundus in holocauſtum oblatus erat ſuper exſtructo.* Nimirum taurum priorem iam obtulerat Gideon, priusquam ſol oriretur, hominesque ſurgerent: at cum orto ſole ſurrexiſſent, *iuuencus ſecundus in holocauſtum oblatus erat ſuper exſtructo.* Veroſimile autem eſt, Gideonem duos tauros offerre debuiſſe, vnum pro ſe & familia ſua, ad peccata ab ea commiſſa expianda, alterum pro vniuerſo populo iſraëlitico, iam libertati ſuae reſtituendo, ideoque & alter ſeptem annorum eſſe debebat, quia Midianitica illa oppreſſio ſeptem annos durauit. Gideoni Ierubaalis nomen inditum, conſtat. Cum enim idololatrae ob Baalis aram & lucum deſtructum cum eo contenderent, & pater eius Ioaſus eius defenſionem ſusciperet, ad compeſcendas homi-

hominum murmurationes nihil efficacius dicere potuit, quam hoc, ſi Deus Baal, fore vt pro ſe ipſo contendat, iniuriamque ſibi illatam vlciſcatur, indeque factum, vt ſiue Ioaſus, ſiue idololatrae nomen Ierubaal illi imponerent, dicendo: ירב בו הבעל *contendat contra eum Baal &c.* De variis Gideonis nominibus fuſe diſſerit NIC. SERARIVS, ad *h. l.* quae ſub examen reuocat SEB. SCHMIDIVS, *quaeſt. IV. p. 635.*

Interea Midianitae cum ſociis Iordanem traiecerunt, more conſueto terram iſraëliticam depopulaturi. Gideon autem diuino concitatus ſpiritu legatos ad Manaſſitas, & alias quasdam gentis ebraeae tribus miſit, ad bellum eas euocans. Dumque id egit, ſignum a Deo petiit, idque iterata vice obtinuit, cum primum ros in ſolo vellere, deinde in ſolo circumiacente, vellere excepto, conſpiceretur. Nec peccaſſe hac in re Gideonem exiſtimo, cum non ex diffidentia quadam, aut incredulitate, ſed ad fidei confirmationem, idque magna cum modeſtia, ſignum expetierit. Quae autem ORIGENES, aliique, de myſtica velleris, in quo duplex ſignum editum, ſignificatione tradunt, cum huius loci non ſint, praetermittimus. Iam in eo erat Gideon, vt ex Numinis mandato hoſtes adgrederetur. Copiae, quas ex quatuor tribubus collegerat, in numerum triginta duorum millium excreuerant, quae caſtra poſuerant ad עין חרד *fontem Charadum.* Eumdem hunc fontem eſſe cum עין ſeu fonte in tractu Iesreelis, nonnulli contendunt, abnuentibus aliis. Vnde חרד dictus ſit, incertum. Forte a Midianitarum trepidatione hocce nomen ſortitus eſt, vt adeo κατὰ πρόληψιν commemoretur. Maioris momenti eſt, quod deinceps, facta timidis diſcedendi poteſtate, dicitur: *licere eis reuerti, & confeſtim abire,* מהר הגלעד *de monte Gileadis.* Nobilis enim ille & in ſcriptura notiſſimus mons Gilead trans Iordanem ſitus erat, Gideon autem cum exercitu ſuo cis Iordanem caſtra habebat. Nec te hinc expedias, ſi vel maxime dicas, particulam מן interdum idem ſignificare, ac *ad,* vt ſenſus ſit, *ad montem Gilead.* Cum enim exercitus Gideonis non tantum Manaſſitis, ſed Zabulonitis, Nephtalitis & Aſeritis conſtaret; quem in finem his omnibus domum reuerſuris ad montem Gilead diſcedendum fuerit, nulla ratio reddi poteſt. Tantique hocce dubium IOAN. CLERICO viſum, vt pro מהר הגלעד *a monte Gilead* legendum cenſeat: מהר הגלבע *a monte Gilboa,* in quo caſtra habuerit Gideon. At, vt huc, quod extremum eſt, nos recipiamus, neceſſe non eſt; cum expeditior ratio ſit hocce dubium ſoluendi, ſi dicamus, quae & aliorum eſt ſententia, per montem Gilead non celebrem illum trans Iordanem, cuius alias toties ſit mentio, ſed alium cis Iordanem intelligi, qui a patre Abieſeris Gileado nomen ſortitus fuerit. Eo itaque in loco cum Gideon caſtra poſuiſſet, & caſtra Midianitarum ei a ſeptemtrione eſſent, iuxta collem Moreh in valle; Deus primum maximam popu-

populi, qui confluxerat, partem dimitti volebat. Mirum alicui videri poſſet, cum initio iuſſu, vt videtur, Numinis, tot homines ex diuerſis tribubus Gideon conuocaſſet, eos mox iterum fuiſſe dimittendos. Nec deſunt, qui exiſtimant, Gideonem non conſulto Numine omnes iſtos conuocaſſe. Etſi enim *cap. VI. 34.* dicatur, *& ſpiritus Iebouae induit Gideonem*, hoc tamen ad conuocationem Iſraëlitarum ex diuerſis tribubus extendi non poſſe. Interim Gideon hac in re non peccauit, qui de Numinis conſilio nondum certior factus erat. Deo autem ſine dubio cauſſae grauiſſimae ſapientiſſimaeque fuerunt, cur hos homines, mox iterum dimittendos, conuenire voluerit. Ita enim timiditas & incredulitas multorum manifeſtabatur, Gideonis fides magis explorabatur, & miraculum longe reddebatur illuſtrius. Et ſane, cur Deus trecentis tantum viris ad percutiendos fugandosque Midianitas vti voluerit, obſcurum nemini eſſe poteſt, cum Deus ipſe rationem indicet: *ne glorietur aduerſus me Iſraël, dicatque, manus mea me ſeruauit.* Non tantum enim hoc contingere poterat, ſed futurum quoque Deus praeuiderat. Dimiſſi itaque primo timidi & meticuloſi, qui, etſi forte alias non adeo timidi eſſent, nunc tamen ob ſuorum paucitatem & hoſtium multitudinem de victoria dubitabant: dimiſſi autem ſunt non tam ob legem, quae *Deut. XX. 8.* exſtat, quam quod Deus numerum exercitus iſraëlitici imminui vellet. Id cum factum eſſet, Deusque magis adhuc numerum Iſraëlitarum imminui vellet; iis, qui inflexis genibus bibebant, remotis, retinuit tantum, qui aquam canum inſtar e manibus lambitabant. Qua cur Deus vti voluerit ad trecentos illos prae reliquis ſeligendos ratione, non temere quis dixerit. Nonnulli equidem putant, eos, qui in genua prociderunt, vt proſtrato corpore aquam copioſius haurirent, ſitim minus ferre potuiſſe, minusque fuiſſe ſtrenuos. Eodem fere redit, quod alii contendunt, inertes & imbecilles fuiſſe, qui flexis genibus biberunt, magnanimos contra, fortes, & generoſos, qui aquam lambendo biberunt, etſi nullam huius rei adferant rationem. FLAV. IOSEPHVS contrarium defendit, eos, qui lambendo aquam, vt canis a Nilo, biberunt, Gideonem, ceu ſegniſſimos ignauiſſimosque ſecum retinuiſſe, narrans; *antiquit. iud. lib. V. cap. VIII.* Alii ex ebraeae gentis doctoribus ad ſublimiora ſe recipiunt, reiectos exiſtimantes, qui flexis genibus biberunt, eo quod illi Baali genua ſua incuruaſſent. AVGVSTINVS denique reiectos reliquos putat, quia non obediuiſſent praecepto Gideonis, qui praecepiſſet, vt ſtantes, non autem flexis genibus aut incuruato corpore biberent; *quaeſt. XXXVII.* in *lib. Iud.* Verum haec partim incerta eſſe, partim iis, quae a ſacro ſcriptore commemorantur, haud obſcure repugnantia, nemo non intelligit. Nobis ſufficit, quod Deus oſtendere hac ratione voluerit, trecentos illos, vtpote fide non minus, quam fortitudine praeditos,

Digitized by Google

tos, ad id, quod volebat, peragendum idoneos eſſe. Cur autem hoc, non alio, modo explorandi, & aptos ab ineptis diſcernendi Deus vſus ſit, hoc nobis parum exploratum eſſe, ingenue profitemur.

Reliquis itaque non quidem domum, ſed in tentoria ſua dimiſſis, trecentos illos ſecum retinuit Gideon. Cumque nox illa, qua Deus, hoſtium eum adoriri caſtra voluit, adpropinquaſſet; vt metum omnem ei eximeret, fiduciamque adderet, caſtra hoſtium eum adire voluit, ſpeculaturum, quid ibi rerum ageretur. Idque cum, Pura puero ſuo comitatus, feciſſet, & ad vltimas excubias perueniſſet; audiuit quemdam ex hoſtibus commilitoni narrantem ſomnium, quod ſibi oblatum eſſet, panem ſcilicet hordaceum toſtum ſe vidiſſe, qui per caſtra Midianitarum volutus ad tentorium peruenerit, illudque euerterit. Vbi per *tentorium* nonnulli illud, quod imperatoris, qui toti exercitui praeerat, fuerit, intelligunt. Sed an in iſto Midianitarum, qui pluribus regibus parebant, exercitu, ſummus aliquis imperator, ſeu dux belli fuerit, adhuc dubitari poſſet. Alii itaque, ſingularem numerum pro plurali poſitum, putant. Alter, cui ſomnium narrabatur, interpretationem ſubiecit, nihil aliud eo ſignificari, affirmans, quam Midianitas cum vniuerſis caſtris ſuis a Deo in manus Gideonis traditos. Vnde coniector iſte illud ſciuerit, non additur; quod tamen FLAVIVS IOSEPHVS ſibi deprehendiſſe viſus eſt, dum Midianitam illum, qui alterius ſomnium interpretabatur, ita loquentem aut philoſophantem potius, inducit: πᾶν τὸ σπέρμα τὸ καλούμενον κρίθινον, εὐτελέστατον ὁμολογεῖσθαι τυγχάνειν· τοῦ δ᾽ ἀσιανοῦ παντὸς τὸ Ἰσραηλιτῶν ἐστιν ἰδεῖν νῦν ἀτιμότερον γεγεννημένον, ὅμοιον δὲ τῷ κατὰ κριθὴν γένει. καὶ τὸ παρὰ τοῖς Ἰσραηλίταις νῦν μεγαλοφρονοῦν, τοῦτ᾽ ἂν εἴη γεδεὼν, καὶ τὸ σὺν αὐτῷ στρατιωτικόν· ἐπεὶ οὖν τὴν μάζαν φῂς εἰδεῖν τὰς σκηνὰς ἡμῶν ἀνατρέπουσαν, δέδια μὴ ὁ θεὸς γεδεῶνι τὴν καθ᾽ ἡμῶν νίκην ἐπινένευκε· *inter omnes fruges hordeum eſt ſine controuerſia viliſſimum, & inter omnes gentes aſiaticas non facile reperias viliorem, quam hodie ſunt Iſraëlitae, vt merito conferri poſſint hordeo: deinde magnanimitatem inter Iſraëlitas eſſe, Gideonem & eius militem. Ergo, quia dicis, te vidiſſe illam maſſam, tentoria noſtra ſubuertentem, vereor, ne Deus Gideoni triumphum de nobis concedat; antiquitat. iudaic. lib. V. cap. VIII. p. 154.* Ita IOSEPHVS, non alio fundamento, quam coniectura longe incertiſſima, innixus. Mihi certum exploratumque videtur, vt ſomnium vni Midianitarum diuinitus oblatum fuit; ita & eius interpretationem alteri eadem ratione ſubminiſtratam. Qua de re non dubitabit, qui ſecum cogitat, eodem tempore, quo Gideon adfuit, contigiſſe, vt alter ſomnium narraret, alter illud interpretaretur. Sine ſingulari enim Numinis directione id ita euenire non potuit. Gideonis autem non tam ex ſomnio, quam ex eo audita eſt fiducia, quod ex ſermone eius,

Tt tt 3 qui

qui ſomnium interpretabatur, intelligeret, iam terrorem diuinitus Midianitarum animis immiſſum. Deum itaque adorauit, non amplius de victoria dubitans, & ad ſuos reuerſus, trecentos illos, quos ſelegerat, in tria agmina diuiſit, quid ab iis fieri vellet, ſignificans. Quisque autem militum praeter viaticum geſtabat cornu, & vacuas vrnas, & lampadas in vrnis. Ita inſtructi cum ad hoſtium caſtra acceſſiſſent, cornibus ſeu tubis canere coeperunt, colliſasque confregerunt vrnas, faces ſiniſtris praeferentes, & ſubinde inclamantes: *Gladius Iehouae & Gideonis.* Principium erat mediae vigiliae, cum hoc modo pugnare inciperet Gideon. Solebat enim nox apud Ebraeos in tres partes diuidi, quarum ſingulis ſuae vigilum cuſtodiae adſignabantur, cumque noctis aeque ac diei duodecim eſſent horae, ſingulae vigiliae ſeu cuſtodiae quatuor horis abſoluebantur. Media itaque vigilia duas habuit horas ante mediam noctem & duas poſt eam. Hoc res ipſa docet, & confirmant Ebraeorum doctores, R. SALOM. IARCHI, R. LEVI BEN GERSON, aliique ad *h. l.* In aliam quidem prorſus ſententiam it IOSEPHVS SCALIGER, totum *νυχθήμερυ* interuallum apud Iudaeos in quatuor partes diuiſum, contendens, vt אשמורת התיכונה ſeu vigilia media nocte ad orientem vsque ſolem denotauerit, ſed ex inſtituto hanc ſententiam refellit IOANNES CLERICVS, ad *Iud. cap. VII. verſ. 19.* Statim vero, ac trecenti iſti Israëlitae ea, qua diximus, ratione tubis clangere ac vociferari coeperunt, terror panicus Midianitas occupauit, ortaque inter ipſos hinc inde prae metu diſcurrentes ſumma confuſione, in mutua vulnera caedesque ruebant, totisque in caſtris nihil aliud, quam caedes & fuga erat. Solo itaque cantu ſtrepituque vicere Israëlitae: falſumque eſt, quod IOSEPHVS dicit: *ὁρμῆσαι μετὰ τῶν λαμπάδων καὶ νικᾶν θεοῦ βοηθήσαντος, impetum feciſſe cum facibus, & viciſſe, Deo iuuante.* Excitati tum Israëlitae ex tribubus Naphtali, Aſer & Manaſſeh, qui fugientes Midianitas perſequerentur, Ephraimitae autem a Gideone moniti aquas ad Bethbaram vsque & Iordanem occuparunt, ne qua illis tranſitus ad elabendum pateret. Capti etiam ab Ephraimitis atque interfecti ſunt Orebus atque Zeebus, qui, licet duces Midianitarum vocentur, videntur tamen & ipſi aeque ac Zebachus ac Zalmuna, inter eorum reges referendi. Dum vero Gideon ad hoſtes vlterius perſequendos Iordanem traiecerat, Ephraimitae, vel eorum legati capita duorum principum ſeu regum, quos interfecerant, ad eum deferentes, cum illo acriter, quod ad primum in hoſtes adgreſſum eos non euocaſſet, expoſtulabant: quos Gideon verbis humaniſſimis deliniuit, non minorem illorum gloriam eſſe, ob duces Midianitarum interfectos ſignificans, quam reliquorum Israëlitarum, quos ad bellum Midianiticum euocauerat. Sine mora itaque ad hoſtes perſequendos pergens, per Scenitarum regionem profectus, Kar-

Karkore, vbi caſtra poſuerant, ſecure agentes, nec mali quidquam metuentes deprehendit, eosque adgreſſus in fugam vertit, Zebacho atque Zalmuna regibus eorum captis. Tum ad ſuos reuerteus Succothauos & Penuelitas graui ſupplicio adfecit, his quidem interfectis & turri eorum deſtructa, illorum autem ſenioribus vna cum ſpinis & tribulis trituratis, quod ſibi ſuisque hoſtes perſequuturis, commeatum negaſſent. Quod quidem nonnullis crudele nimis atque durum ſupplicium videtur: at aliis minime iniuſtum, cum impium profecto facinus fuerit, & nefarium, quod Succothani & Penuelitae fratribus poſt tantam victoriam commeatum denegauerint, ſaltem ex metu, ne hoſtes aliquando redirent. Reſponſio praeterea, quam Gideoni aut eius legatis dederant, cum manifeſta Numinis irriſione & blasphemia quadam coniuncta erat, poenamque grauiſſimam promerebatur, quam merito Gideon, magiſtratus munere fungens, illis infligere poterat. Conf. 10. BRENTIVS, ad *h. l.* Tandem & Zebachum ac Zalmunam, Midianitarum reges, quibus hactenus pepercerat, vt Succothanis & Penuelitis eos oſtendere poſſet, interfecit. Videtur equidem vitam illis conſeruaturus fuiſſe, ſi fratres eius non interfeciſſent, dum, *viuit Iehouah*, inquit, *ſi viuos ſeruaſſetis eos, non occiſurus fuiſſem vos.* Quod quo iure Gideon facere potuerit, disputari ſolet. Mihi vero praeferenda illorum videtur ſententia, qui verba Gideonis ita capiunt, quod crudelitatem ſaltem illis exprobret, ſignificetque, non poſſe de iniuria ſibi illata conqueri, ſi quidem eadem experiantur, quae ipſi in principes Israëlitarum viros deſignauerant.

** Grato animo agnoſcentes Israëlitae beneficium a Deo per Gideonem in ſe collatum, regnum illi poſterisque eius hereditario iure detulerunt. *Dominare*, inquiunt, *nobis tu, filiusque tuus & nepos, quandoquidem nos liberaſti e manu Midianitarum.* FL. IOSEPHVS hoc ita accipit, ac ſi iudicis deponere munus voluerit Gideon, ſed Israëlitarum precibus coactus idem retinuerit. Γεδεὼν δὲ, inquit, τὴν ἀρχὴν ἀποθέσθαι βουλόμενος βιασθεὶς ἔσχεν αὐτὴν ἐπ' ἔτη τεσσαράκοντα; *antiqu. iud. lib. V. cap. VIII.* Verum de regia poteſtate ad poſteros quoque Gideonis transmittenda, non de officio iudicis, hic ſermonem eſſe, clariſſima ſacri ſcriptoris verba docent. Nec retinuiſſe munus, quod deponere voluerit, ſed oblatum repudiaſſe dicitur. Etſi vero in Israëlitis animi grati ſtudium laudandum ſit; conſilium tamen regem ſibi conſtituendi non omni culpa caruiſſe, patebit ex iis, quae in ſequentibus, cum de Saule verba faciemus, dicentur. Idque cum intelligeret Gideon, rectiſſime oblatam hancce dignitatem repudiauit. Non aeque circumſpecte idem ſe geſſit, cum ex inauribus, quas ceu partem ſpolii ab Israëlitis poſtulauit, ephodum confecit, idololatriae hoc ipſo occaſionem praebens: qua de re deinceps ex inſtituto. Mortuo tandem in ſumma ſenectute

nectute Gideone, Iſraëlitae & ad priſtinos mores reuerſi ſunt, & ingratum etiam erga Gideonis poſteros oſtenderunt animum.

*** Praeter vxores plures, ex quibus ſeptuaginta filios ſuſcepit, pellicem quoque ſeu concubinam habuit Gideon, Sichemi habitantem, quae Abimelechum illi peperit. Hic magna imperandi cupiditate flagrans, primo matris ſuae conſanguineos, tum horum opera reliquos Sichemitas in partes ſuas pertraxit. Nec πρόφασις improbis conſiliis deerat. In ſuſpicionem regni adfectati fratres ſuos adducebat; & hinc concludebat, ſatius eſſe, vni, quam ſeptuaginta dominis, parere. Addebat, Sichemitas ob matrem ſuam arctiori ſanguinis vinculo ſecum iunctos eſſe: *recordamini vero, me eſſe ex oſſibus & carne veſtra.* Nec difficile erat, homines ad res nouas propenſos hac ratione permouere. Vltimum argumentum cumprimis placebat. Quod ſcriptor ſacer his verbis innuit: כי אמרו אחינו הוא *quia dicebant, frater noſter eſt.* Recte hoc obſernatum R. ISAACO ABARBANELI ad *h. l.* Obſtare hisce auſibus maxime videbantur ſeptuaginta fratres. Hos ergo, quae breuiſſima ad imperium ſecure poſſidendum via homini improbo viſa, e medio tollere decreuit. Dederant ei Sichemitae ſeptuaginta argenteos ex aede Baal-Berith, quibus conduxit homines ad quiduis audendum, adeoque & ad tantum perpetrandum ſcelus paratos. Vocantur a ſacro ſcriptore: אנשים ריקים ופחזים *homines otioſi & petulantes*, quod chaldaeus transfert: גברין סריקין וגסירין. Iuxta R. DAVID. KIMCHIVM ad *h. l.* per פחזין eiusmodi inutilia terrae pondera intelliguntur, quibus nulla certa ſedes, ſed qui agros ſiluasque pererrant, ex rapto viuere ſueti. Quare & de Abimelecho dici poterat, quod de Catilina SALLVSTIVS dixit: *omnium flagitioſorum atque facinoroſorum circum ſe, tamquam ſtipatorum cateruas habebat;* de *bello Catilin. cap. XIV.* Sceleri exſequendo occaſionem ſuppeditabat conuentus ſollemnis fratrum, aut iuſta parenti perſoluentium, aut de futuro rerum ſtatu conſilia capientium; vt non ſine ratione ſuſpicatur R. ISAAC ABARBANEL, ad *h. l.*

Interfecti itaque omnes ſunt, Iothamo excepto, qui inter Gideonis filios natu minimus fuit, & primum ſe abdidit, deinde fuga ſibi conſuluit. Exſecrandum illud fuit Abimelechi facinus, nec inuſitatum tamen, ſed ab aliis ſubinde tyrannis frequentatum, vt pluribus docui in *ſpecimine prudentiae ciuilis rabbinicae, ſeu R. Iſaaci Abarbanelis diſſertatione de principatu Abimelechi, obſeruationibus illuſtrata, cap. III. §. V. p. 42. ſeqq.* Facinore tam immani perpetrato, nihil aliud ſupereſſe videbatur, quam vt regni habenas capeſſeret. Conuenerunt itaque Sichemitae, quibus ſe vniuerſa domus Millonis iunxit, vt eum ſollemni quadam ratione regem declararent. Locus, in quo iſta peracta, vocatur אלון מצב אשר בשכם hoc eſt, ſi nonnullos audias, *planities ſtatuae*, ſeu cam-

campus, in quo ſtatua aut lapis, aut ſimile quid fuit, *prope Sichemum.* Ita cum chaldaeo paraphraſte R. LEVI BEN GERSON, R. SALOMON IARCHI, aliique. Sed cum אלון etiam *quercum* aut *quercetum*, vox autem מצב numquam *ſtatuam*, ſed *Eſa. XXIX. 3. vallum ſeu aggerem* ſignificet; probabilior illorum videtur ſententia, qui ad quercetum, quod prope Sichemum fuit, aggerem congeſtum putant, in quo velut in ſuggeſtu conſtitutus Abimelech populum oratione commoda delinire potuerit. An vero Abimelechus vnctus ſit? quaeri ſolet. Scriptor ſacer tantum dicit: וימליכו את־אבימלך למלך *& conſtituerunt Abimelechum in regem.* Quia autem in apologo Iothami vnctionis mentio iniicitur, nonnulli inde, eum vnctum eſſe, colligunt. Confirmant eamdem ſententiam LXX interpretes, verba ebraea ita reddentes: ἐπορεύθησαν τοῦ χρῖσαι τὸν Ἀβιμέλεχ εἰς βασιλέα. Verum haec nondum eiusmodi ſunt, vt rem plane euincant. Diſſentiunt & Ebraeorum magiſtri, ex quibus R. ISAAC. ABARBANEL vel hoc ipſo, quod vnctus non ſit, probari poſſe, putat, eum pro vero Iſraëlis rege non habendum. At, quidquid de vnctione ſit, quae etiam ſola, vt aliquis ſit rex legitimus, non efficit, Abimelechum pro rege legitimo Iſraëlis non habendum eſſe, palam eſt. Primo enim non a toto populo Iſraëlis, immo ne quidem ab integra aliqua tribu, in regem electus eſt, ſed tantum a Sichemitis & Millonitis. Deinde nec approbatio diuina acceſſit. Vnde & cum morte eius principatus ipſius deſiit. Tyrannus itaque potius fuit, quam rex, cuius characteres non inconcinne ſub ſpinae imagine, a Iothamo expreſſi in eum quadrant: quod & ABARBANEL inde probat, quia de eo dicitur: וישר אבימלך על ישראל *& principatum tenuit Abimelech ſuper Iſraël;* qua de re dictum in *ſpecimine prudent. ciu. rabbin. cap. X. §. I. p. 262.*

Haec dum agebantur, Iothamus quoque, cui iſta nuntiata fuerunt, acceſſit, improbitatem pariter ac ſtultitiam Sichemitis exprobraturus. Eodem die, quo Abimelechus rex conſtitutus fuit, hoc factum eſſe, valde eſt probabile. Montem Garizim conſcendit, forte ex loci, a quo dirae imprecationes denuntiari ſolebant, religione, pondus ſermoni conciliaturus. Locum, in quo conſtitit, ita comparatum fuiſſe oportet, vt nec commode adiri potuerit, (ceteroquin ab Abimelechi adſeclis ſtatim comprehendi potuiſſet) ſimul tamen, vt a Sichemenſibus ibi congregatis vox eius audiri potuerit. Ad ipſum Iothami ſermonem quod attinet; apologo eleganti Sichemenſes edocuit, quidnam illis ſperandum ſit, qui homines indignos & ſe ipſos obtrudentes, dignis in imperio praeferant. Diuerſimode equidem viri docti hunc apologum explicant: ſed hisce immorari non lubet; cum abunde hac de re dictum ſit in *ſpecimine prudentiae ciuilis rabbinicae, &c. cap. V. §. VI. ſeqq. p. 98. ſeqq.* Ad adplicationem quod attinet; res ipſa docet, eum Abimelecho arrogantiam

tiam & temeritatem, Sichemenſibus animum ingratum exprobrare, & his poenas, quibus digni erant, praenuntiare. Haec eloquutus Iothamus fuga ſe proripuit. Beerae toto triennio latitaturus, quamdiu & Abimelechus rerum ſummam tenuit. Nec enim vindictam Numinis aut ipſe aut Sichemitae effugere potuere. Orta enim mox inter illos diſcordia, eo vsque proceſſit, vt abſente, neſcio quam ob cauſſam, Abimelecho, Sichemitae ab eo palam deficerent. Acceſſit Gaal, Ebedi filius, homo ad res nouas moliendas perquam aptus, qui cum fratribus Sichemum ſe recepit, & nutantes confirmauit, magisque ad Abimelechi iugum excutiendum excitauit. Oratione ad ſeditionem excitandam prorſus compoſita vſus, primo Abimelechum eiusque familiam contemtibilem reddere adnititur, dum Sichemitas ita adloquitur: *quisnam eſt Abimelechus, aut quisnam Sichem, vt eis ſeruiamus? &c.* Obſcura equidem multis haecce & ſequentia verba viſa: vnde & diuerſimode explicari ſolent. Mihi R. ISAAC. ABARBANEL haud inconcinne eorum ſenſum expreſſiſſe videtur, qui huc redit: *Quis eſt Abimelech?* homo profecto abiectus: *quae vero vrbs Sichem?* vrbs illa magna & potens: num hanc illi ſeruire oportet? *Nonne ipſe filius Ierubaalis? & Zebul eſt praefectus eius?* Num iſti adeo praeſtantes viri ſunt, vt hisce ſeruire debeatis? Quod vero ſequitur: *ſeruite viris e Chamore*, hoc ita capio: Quod ſi nihilo ſecius vobis placeat, ſeruire Abimelecho, ſeruite illi cum ignobilibus ſeruis veſtris, viris Chamoris, patris Sichemi reſiduis: id vobis non inuidebo: *at cur nos*, qui non tam humili & abiecto animo ſumus, *ei ſeruiremus?* Ita erga cum Sichemitarum animos contra Abimelechum irritaſſet; homo callidus mox apertius, quid in votis haberet, prodit, dum ſe ducem illis, qui contra Abimelechum inſurgere vellent, offert: *Vtinam hic populus eſſet in manu mea! remouerem certe Abimelechum.* Quod ſequitur: *tum dixit Abimelecho: auge exercitum, & egredere;* R. LEVI BEN GERSON ita intelligit, ac ſi Gaal ad populum loquutus eſſet, cumque incitaſſet, vt his verbis: *auge exercitum tuum, & egredere*, Abimelechum ad bellum prouocaret. R. DAVID KIMCHI autem putat, Gaalem hominem iactabundum Abimelechum abſentem per figuram rhetoricam adloquutum eſſe: auge exercitum tuum, egredere ad praelium, experieris me virum eſſe. Sic & LXX interpretes: *καὶ ἐρῶ πρὸς αὐτὸν, & dicam ad illum.* Sed rectius mea opinione ſentiunt, qui verba haec ita reddunt: *& dictum eſt*, ſeu *& dixit* (quispiam) *Abimelecho, auge exercitum &c.* vt ſenſus ſit: nuntiatum Abimelecho eſſe, quid Sichemitae & Gaal molirentur, nihilque aliud rei relictum, quam vt in armis omnem ſpem poneret. Nuntiatum equidem iam antea Abimelecho fuerat, quo erga illum animo eſſent Sichemitae: ſed, cum ille vtroque nuntio parum commoueri videretur, Zebul vrbis princeps, idemque Abime-

Digitized by Google

Abimelechi praefectus, qui palam Gaali ſe opponere auſus non eſt, clam Abimelechum denuo de omnibus certiorem reddidit, & conſilium de Sichemitis per inſidias opprimendis ſuppeditauit. Quod & vtrique ex voto ſucceſſit, victo profligatoque cum Sichemitis Gaale, immo a Zebule, ex vrbe cum fratribus expulſo. Interea Abimelechus, qui vrbe Sichem nondum potitus erat, Arumae cum exercitu conſederat. Sichemitae vero, Abimelechum, expulſo Gaale, forte placatum, exiſtimantes, poſtero die ad opera ruſtica oppido egrediebantur: quos iterum per inſidias adgreſſus magna clade adfecit, ſtatimque oppidum per integrum diem oppugnat, expugnatumque ſolo aequat. Id cum בעלי מגדל־שכם *domini turris Sichem* audiuiſſent, qui non meliora ſibi fata pollicebantur, in arcem Bethel-Berithi ſe receperunt. R. LEVI BEN GERSON per *dominos turris Sichem* magnates vrbis intelligit, qui eo tempore, quo vrbs capta & deleta eſt, non fuerint praeſentes: nec procul hinc abit R. DAVID KIMCHI. Alii quidem aliter. Mihi probabile videtur, oppidum ſeu vicum fuiſſe, in agro Sichemitico, in quo cum & turris fuerit, incolae eius בעלי מגדל־שכם *domini* ſeu *ciues turris Sichem* dicti ſunt. Cum vero locus ille munitus non eſſet; incolae eius in *arcem* aedis dei Berith, ſeu Baal-Berith, quod idolum eo tempore Israëlitae colebant, ſe receperunt. Vox צריח obſcurior equidem eſt; ſed conſentiunt in eo plerique etiam ex Ebraeis, ea propugnaculum ſignificari. Solebantque templa & loca ſacra munimentis cingi. Ex ligno autem hocce propugnaculum fuiſſe oportet; cum fuerit combuſtibile. Lignis enim ab Abimelecho, admotis & incenſis conflagraſſe, hominibus omnibus, qui eo ſe receperant, eadem flamma conſumtis, conſtat. Tum ad Thebetſum vrbem progreſſus Abimelechus, quae cum Sichemitis contra eum conſpiraſſe videtur. Dum vero turrim munitam, quae in medio vrbis erat, & in quam incolae ſe receperant, oppugnat, mulier *fragmentum molae* פלח רכב κλάσμα ἐπιμύλιον, vt LXX habent, in caput eius deiecit, eique cranium fregit. Lethali itaque vulnere ſe ictum videns, ab armigero ſuo interfici voluit, ne diceretur a muliere interfectus, quod & impetrauit. Sic dignum ſua crudelitate vitae exitum tyrannus ſortitus eſt, & Iothami imprecationibus euentus reſpondit.

§. X.

Tum Thola, ex tribu Iſſchar oriundus, * & poſt eum Iairus ex tribu Manaſſeh, ** Israëlitis praefuerunt. Poſt Iairi obitum in veterem impietatem prolapſos, Ammonitis & Philiſtaeis per octodecim annos caſtigandos Deus tradidit. Hinc ſapientiores facti & ad officia reuerſi, duce Iephta, viro fortiſſimo, hoſtes vincunt. *** Quae victoria

ctoria quo minus ſibi aeque ac reliquis laeta eſſet, Iephta ipſe, voto inconſiderate prolato, effecit. * Hinc Ephraimitae quoque, liuore aut ambitione ducti, gloriam ſibi praereptam aegre ferebant, ſed ſuae temeritatis mox dederunt poenas grauiſſimas iuſtiſſimasque. ** Atque tum rurſus pacate atque tranquille vixerunt Iſraëlitae ſub Ebzone, Elone & Abdone, qui ſe inuicem excipientes iudicum munere functi ſunt. ***

* Thola hic filius dicitur Phuae, Dodonis filii, ex tribu Iſſachar. Ita namque res ſe habet iuxta textum ebraeum. Vulgatus autem interpres, verba ebraea ita transferendo: *Surrexit dux in Iſraël, Thola, filius Phua, patrui Abimelech, vir de Iſſachar*, duplicem errorem commiſit; dum primo pro eo, quod in ebraeo eſt: *ad ſaluandum Iſraëlem*, poſuit: *dux in Iſraël;* deinde, dum nomen דודו pro adpellatiuo habet, quod tamen hic rectius pro proprio habetur. Patruus namque Abimelechi, ſeu frater Gideonis, non potuit eſſe ex tribu Iſſachar; cum Gideon eſſet ex tribu Manaſſeh Defendere equidem verſionem vulgatam nititur NIC. SERARIVS, ſed ei reſpondet SEB. SCHMIDIVS, ad *Iud. cap. X. quaeſt. I. p. 974.* Ceterum, licet bella, quibus tum vexati ſint Iſraëlitae, non commemorentur; recte tamen dicitur, Tholam exortum *ad ſaluandum Iſraël.* Numquam enim non contra vicinorum inſultus & molitiones defendendi erant Iſraëlitae, licet forte in bellum apertum & memorabile non eruperint. Cum per viginti annos iudicis officio Thola functus eſſet, obiit.

** De Iairo Galaadite nihil aliud memoratur, quam quod triginta ei fuerint filii, totidemque vrbes in terra Galaaditide, quae *villae Iairi* dictae ſint. Diuerſum hunc Iairum ab eo eſſe, qui *Num. XXXII. 41.* & *Deut. III. 14.* commemoratur, res ipſa docet. Nec credibile, Iairum, qui tempore Moſis vixit, poſt Gideonis aetatem adhuc in viuis fuiſſe. Probabile autem videtur, Iairum hunc iuniorem, qui ex poſteris prioris fuit, villas a Iairo ſeniori captas, & deinde amiſſas, iterum recuperaſſe, & nonnullas eis adieciſſe, vt adeo nomen חוות יאיר *villae Iairi*, quod iisdem a Iairo ſeniore datum, a Iairo iuniori renouatum ſit. Interdum nomen illud חוות יאיר *villae Iairi*, ita accipitur, vt omnes Baſanitidis vrbes complectatur. Et tum ſexaginta Iairi villae memorantur; vt *I. Reg. IV. 13. Ioſ. XIII. 30.* conf. & *Deut. III. 14.* Quod ſi obſeruetur, conciliare facile licet, quae inter ſe pugnare videntur. Conf. IOAN. CLERICVS, ad *Iud. X. 4.* NIC. SERARIVS Iairum huncce, de quo nobis ſermo eſt, etiam Bedan dictum, putat. Certe Bedan inter iudices *I. Sam. XII. v. 11.* commemoratur, etſi in libro iudicum nulla eius fiat mentio. At per Bedan Simſonem potius intelligendum,

dum, recepta fere Ebraeorum eſt ſententia, cui & SEBAST. SCHMIDIVS ſuffragatur, ad *Iudic. cap. X. quaeſt. II. p. 977.* Qua de re & in ſequentibus dicetur. Per annos XXII officio iudicis Iairus functus eſt.

*** Mortuo Iairo ad priſtinos mores reuerſi Iſraëlitae Baalim & Aſtaroth, Syrorum, Sidoniorum, aliarumque gentium vicinarum deos coluerunt. Quamobrem ad iram concitatus Deus, eos iterum grauiſſime puniuit, atque in manus Philiſtaeorum atque Ammonitarum tradidit, vt ex vna parte ab his, ex altera ab illis vexarentur. Atque ad Ammonitas quidem quod attinet, praetermittendum non eſt, quod ſcriptor ſacer dicit: *& confringebant, conquaſſabantque filios Iſraëlis* בשנה ההיא *in anno iſto:* שמנה עשרה שנה *octodecim annos omnes filios Iſraëlis, qui in tranſitu Iordanis in terra Emoraei, qui (olim erat) in Gileade.* Diuerſimode haec verba exponi ſolent. Nonnulli verba *in anno iſto*, referunt ad annum, quo Iairus mortuus eſt, vt R. SAL. IARCHI. Alii verba ita capiunt: *ab anno iſto*, vt ſenſus ſit: *ab iſto anno* inchoaſſe oppreſſionem, & per octodecim annos duraſſe. IM. TREMELLIVS, & cum illo alii ipſum annum decimum octauum intelligunt: *in anno iſto, anno, inquam, decimo octauo.* Sic & IOANNES CLERICVS: *Eo anno, qui erat eorum imperii decimus octauus.* Mihi illorum ſe probat ſententia, qui verba: *in anno iſto*, ad traditionem Iſraëlitarum in manus hoſtium a Deo factam referunt, vt ſenſus ſit, ſtatim eo ipſo, quo Deus eos deſeruit, & in hoſtium poteſtatem tradidit, anno, vehementer eos confractos & conquaſſatos ab Ammonitis fuiſſe, iſtamque oppreſſionem per annos octodecim deinceps duraſſe; conf. SEBASTIANVS SCHMIDIVS, ad *h. l.* Initium autem factum ab illis, qui trans Iordanem habitabant: quibus ſubactis, Ammonitae traiecto flumine etiam Iudae, Beniaminis & Ephraimi tribubus bellum intulerunt. In maximis itaque anguſtiis conſtituti Iſraëlitae ad Deum ſe conuerterunt, auxilium contra hoſtes ab eo expoſcentes. Deus vero ingrati prius animi crimen, leuitatemque ac inconſtantiam illis, haud dubie per prophetam quemdam, exprobrat, commemoratis gentibus, a quarum poteſtate eos liberauerat. Inter eas autem nominatur etiam מעון id eſt, אנשי מעון vt recte chaldaeus expreſſit, ſeu *Maonitae*, quorum alias nulla in ſcriptura iniicitur mentio. Vulgatus interpres ſine vlla ratione pro Maon *Cananaei* habet, quem fruſtra romanenſes quidam defendere adnituntur. Nec ſoluunt, ſed ſecant hunc nodum, qui textum ebraeum hic corruptum eſſe, & pro Maon *Midian*, vel alia ratione legendum cenſent. Sed nihil obſtat, quo minus Maon ſit nomen viri, qui auctor fuerit gentis ab illo poſtea denominatae, quaeue illis, qui hoſtilem erga Iſraëlitas demonſtrarunt animum, ſe adiunxerit. Nec mouebit quemquam, quod de Maonitarum erga gentem ebraeam inſultibus alias nihil in ſcriptura legatur; nam-

que nec Sidonios, quorum hic itidem ſit mentio, Iſraëlitis bellum intuliſſe, alibi legimus. Non enim omnia bella, quae vicini cum Ebraeis geſſerant, in ſcriptura ſacra commemorantur, nec id neceſſe erat. Cum autem non ex inſtituto, ſed velut in tranſitu gentes nominantur, a quarum poteſtate Ebraeos Deus liberauit; non neceſſe eſt, vt omnium iniiciatur mentio, ſed liberum eſt auctori, nonnullas praetermittere, & eas, quas nominare commodum illi videtur, adducere. Vnde mirum nemini videri debet, quod memoratis hic Sidoniis & Maonitis, quorum alias nulla fit mentio, Moabitae contra ac Midianitae praetermittantur.

Ceterum Iſraëlitae iſta peccatorum ſuorum exprobratione commoti, remotis idolis, ad meliorem mentem redierunt, verumque Deum, vt decebat, colere coeperunt, quo ipſo & placatum eum propitiumque ſibi habuerunt. Congregatis tum vtrimque exercitibus, Gileaditarum principes de duce ſaltem copiis ſuis praeficiendo ſolliciti erant; tandemque Iephtaeus, vir ſpectatae virtutis & fortitudinis, placebat omnibus. Filius is erat Gileadi, quem ex meretrice, ſeu muliere peregrina, quam non iuſtae vxoris loco habebat, ſusceperat. Hinc a fratribus ex domo paterna expulſus & ab omni hereditate excluſus erat. Quod licet non ſine omni iuris ſpecie factum eſſet, cum lege Moſaica liberi ex peregrina muliere ſuſcepti ab hereditate paterna excludantur; dubium tamen non eſt, quin fratres Iephtae inhumanius, quam decebat, ſe erga illum geſſerint, & odio potius & inuidia, quam legis religione inducti, eum cum ignominia quadam expulerint. Legenda, quae fuſe hac de re diſputat SEBAST. SCHMIDIVS, in *Iud. cap. IX. quaeſt. III. p. 1041. ſeqq.* Iephta itaque in terram Tobitidem ſe recepit, vbi ſe illi adiunxerunt homines ריקים *vacui, otioſi, ἄνδρες κενοί,* vt LXX interpretes habent, nulli certo vitae generi addicti, & ad ſequendam militiam mercenariam aeque ac latrocinia parati; vnde & vulgatus habet: *viri inopes & latrocinantes.* Neque tamen inde colligendum, Iephtam latrocinia exercuiſſe; VT ALPHONSVS TOSTATVS Abulenſis exiſtimat, ad *Iud. cap. XI. quaeſt. X. & XI.* immo ipſe HVGO GROTIVS, *lib. III. de iure belli & pacis, cap. III. §. III.* quippe quod ex voce ebraea ריקים non ſequitur. Et licet milites iſti, qui ei ſe adiunxerunt, ad omnia fuerint parati; nondum tamen ſequitur, quod iis etiam ad latrocinium vſus ſit. Probabilius itaque, Iephtam conſenſu magiſtratus eius loci, in quo degebat, contra hoſtes, qui Tobitidem incurſionibus ſuis vexabant, ad illorum inſultus reprimendos, & regionem iſtam defendendam, ſubinde expeditiones feliciter ſuſcepiſſe, indeque bellicae virtutis adquiſiuiſſe laudem. Eius itaque fama commoti Gileaditarum principes, cum exercitus ducem quaererent, ſummam illi detulerunt poteſtatem, quam & ea lege acceptauit, vt victis repreſſisque hoſtibus, ſumma rerum penes ipſum eſſet, in quod praeter principes ſeu ſeniores Gileaditarum,

rum, ipſe quoque populus conſenſit. Imperator itaque conſtitutus, etſi ſtatim vim vi repellere potuiſſet, Ammonitas tamen iniuſtitiae prius conuincere voluit, an hac ratione ab iniuriis Israëlitis inferendis reuocari poſſent. Legatos itaque ad eos miſit, cauſſam belli, quod Ebraeis inferebant, exquirens. Ammonitarum rex reſpondebat, ſe veniſſe, vt ſua repeteret, terram ſcilicet, quae inter Arnonem, Iabbokum & Iordanem eſſet.

Quod vt recte intelligatur, & controuerſiae huic, quam Ammonitae mouerunt, lux adfundatur, obſeruandum, regionem hanc, quae Amorrhaeorum fuit, Israëlitis tum ceſſiſſe, cum Sichonem regem illorum viciſſent, qui Moabitis huncce tractum eripuerat. Ante Moabitas autem Ammonitae hancce terram poſſediſſe videntur; ceteroquin enim nulla iuris ſpecie rex Ammonitarum eam ſibi vindicare potuiſſet. Hinc & FLAV. IOSEPHVS dicit: *καὶ τῆς ἀμωῤῥαίας αὐτοὺς ἠξίου παραχωρεῖν, ὡς πατρῴας οὔσης ἀρχῆθεν, poſtulatque, vt de regione Amoraea decederent, quae ad maiorum ſuorum ditionem pertineat; antiquitat. iudaic. lib. V. cap. IX. p. 158.* Iephta, miſſis iterum legatis, negabat, Ammonitarum regem iuſtam habere de ademta ſibi Amorrhaea conquerendi cauſſam. Primo namque Israëlitas, cum ex Aegypto egreſſi eſſent, terram Canaan a Deo ſibi conceſſam, occupaturi, nec Moabitidem, nec Ammonitidem, ſeu terram, quam reuera Ammonitae & Moabitae tum poſſidebant, inuaſiſſe. IOSEPHVS hoc ita exprimit: *ἀποκρινόμενος δὲ ὁ Ἰάφθας, ὡς οὔτε τῆς ἀμοῤῥαίας τοῖς προγόνοις αὐτῶν εὐλόγως ἐγκαλοῦσι, χάριν τε μᾶλλον τῆς ἀμμονίτιδος αὐτοῖς ἔχειν ὀφείλουσι παρεθείσης· δυνατὸν γὰρ μωυσεῖ καὶ ταύτην λαβεῖν. Contra Iaphtes negabat, eum merito queri de ademta quondam Amorrhaea, ſed magis gratiam debere pro Ammonitide relicta; potuiſſe enim Moſen & illam occupare; loc. cit.* Deinde ad Amorrhaeam quod attinet; Israëlitas a Sichone Amorrhaeorum rege tranſitum petiiſſe, quem cum non tantum denegaſſet, ſed arma Israëlitis oppoſuiſſet, ab hisce etiam victus & debellatus eſſet, agros eius, adeoque & Amorrhaeorum, iure meritoque illis in poſſeſſionem ceſſiſſe. Cum vero iſtud inſuper iuſſu, auctoritate & auxilio veri Dei geſtum ſit, eo minus Israëlitas peccaſſe, Amorrhaeorum regionem ſibi vindicando; quemadmodum haud dubie Ammonitae exiſtimaturi ſint, quae a Chamoſo, Moabitarum pariter ac Ammonitarum idolo, illis poſſidenda tradita ſint, optimo ſe tenere iure. Addit porro, ſi quis eo tempore, cum terram illam occuparunt Israëlitae, eamdem ſibi vindicare potuiſſet, Balakum eum fuiſſe, Moabitarum regem, cum Moabitis eam Amorrhaei eripuiſſent, vt antea dictum. Hoc vero tacente, nihilque iuris in eam ſibi adſerente, nullam profecto, vt hoc faciant, cauſſam habere Ammonitas, etſi ante Moabitas terrae iſtius poſſeſſores fuerint. Tandem ad haec omnia accedere, quod iam per trecentos annos Israë-

Digitized by Google

Iſraëlitae hanc regionem poſſideant, quam adeo, ſi reliqua omnia nihil euincerent, vel praeſcriptionis iure ſibi vindicare poſſent. Ita rectiſſime argumentisque praegnantiſſimis Iſraëlitarum cauſſam egit Iephta; conf. HVGO GROTIVS, *de iure belli & pacis, lib. II. cap. IV. §. II.* Ab occupatione equidem iſtius terrae vsque ad tempus, quo haec inter Iephtam & Ammonitas acta fuit, non CCC, ſed tantum CCLXIV anni elapſi ſunt, iuxta calculum IAC. VSSERII, in *annalibus, p. 34.* quamquam alii aliter rationes hic ſubducant; vt videre licet apud CHRISTIAN. SCHOTANVM, *biblioth. hiſtor. ſacr. veter. teſtam. tom. II. p. 470.* Sed, cum longe frequentiſſimum ſit, annorum quorundam non habere rationem, vt numero rotundo efferri queant; nihil hic occurrit, quod reprehendi debeat. Aequiſſima cum eſſent, quae regi Ammonitarum Iephta propoſuit, ille tamen his locum non reliquit: vnde Iephta collectis ex Gileaditide & Manaſſitis, copiis, & voto pro victoria Deo nuncupato, Ammonitas adgreſſus eſt, iisque victis, vrbes, quas Iſraëlitis eripuerant, ab Aroër vsque ad Minnitham, numero viginti, iterum occupauit. Eum in modum repreſſi Ammonitae, Iſraëlitis autem reddita pax eſt atque libertas.

* De voto Iephtae varia diſputari ſolent, inter quae eminet vexata ſatis quaeſtio, an filiam ſuam immolarit? Iudaei pariter ac chriſtiani in diuerſas hic abeunt partes, nonnullis id adfirmantibus, negantibus aliis. Inter priores ſunt FL. IOSEPHVS, *antiqu. iud. lib. V. c. IX.* IONATHAN paraphraſtes, R. SAL. IARCHI, ad *h. l.* & inter eccleſiae veteris doctores IVSTINVS martyr, vel quisquis auctor eſt, *quaeſtionum ad orthodoxos, quaeſt. XCIX.* CHRYSOSTOMVS, *hom. de Iephta,* HIERONYMVS, *epiſt. XXXIV.* ad *Iulian.* AVGVSTINVS, *ad h. l. quaeſt. XLIX.* aliique. Ex recentioribus praeter multos alios in hanc ſententiam ingreſſus eſt, eamque ſingulari diatribe de *voto Iephtae,* defendit LVDOVICVS CAPELLVS, quod & ex noſtratibus fecit AVG. PFEIFFERVS, cuius itidem peculiaris de hoc argumento exſtat exercitatio, quae ſeptima eſt inter eas, quae *dubiis* eius *vexatis* ſunt additae, *p. 154. ſeqq.* conf. & NATALIS ALEXANDER, *hiſt. eccleſ. veter. teſtam. aetate mundi IV. differtat. XIX. p. 55. ſeqq.* Inter poſteriores R. DAVID KIMCHI, & R. LEVI BEN GERSON, ad *h. l.* R. SAL. BEN MELECH, & ex chriſtianis DANIEL HEINSIVS, THEODORVS HACKSPANIVS, SAL. GLASSIVS, IOANNES CLERICVS, aliique quam plurimi. Et offerunt ſane ſe vtrimque difficultates maximae, vt quamnam alteri praeferre ſententiam debeas, merito dubites.

Res omnis fere ad ſenſum verborum, quibus votum ſuum Iephta concepit, redit. Quod enim vouit, hoc etiam feciſſe, diſerte dicitur. Verba autem, quibus votum concepit, ita ſe habent: *ſi Ammonitas in manum meam tradideris, quidquid egreſſum fuerit mihi obuiam e foribus domus meae, cum ab Ammonitis incolumis redibo, id erit Iehouae, atque in holocauſtum offeram.*

offeram. Vbi quidem, qui immolatam Iephtae filiam contendunt, phraſin illam, לקראת *in occurſum alicuius ire*, cumprimis vrgent, quippe quae in ſcriptura ſacra tantum de hominibus adhibeatur: indeque porro concludunt, mentem Iephtae fuiſſe, ſi homo, quicumque fuerit, ſibi ab Ammonitis re feliciter geſta reuerſuro, primum obuiam egreſſurus ſit, ſe illum Deo immolaturum. Ita vero Iephtae aliquid tribuunt, quod illi in mentem veniſſe ab omni prorſus abhorret veroſimilitudinis ſpecie. Cur enim homo ebraeus, idemque legum Moſaicarum non prorſus, vt credere par eſt, ignarus, homines potius, quam animalia bruta, Deo in ſacrificium deſtinauit? praeſertim cum ignorare non poſſet, humana ſacrificia Deo neutiquam grata eſſe, immo Deum eiusmodi crudelitatem vel maxime abominari. Licet autem concedamus, phraſin illam, *in occurſum alicuius*, *ſeu obviam alicui ire*, ceteroquin de hominibus vſurpari, deque iis etiam, qui animo obuiam eundi egrediuntur, magis proprie adhiberi; non tamen video, quid obſtet, quo minus etiam de animalibus brutis uſurpari queat, in quibus etſi intentio deſit; illis tamen, qui in eadem via conſtituti ſunt, quam & illa ingrediuntur, itidem occurrunt. Fierique potuit, vt bouum & ouium greges Iephta aleret, qui, ſi illi obuiam facti eſſent, ſplendida inde ſacrificia Deo offerre potuiſſet. Frigidum eſt, quod nonnulli excipiunt, cum dicatur, *e foribus domus meae*, non probabile eſſe, ex domo tanti herois animalia ſacrificiis apta, boues ouesque egreſſuros. Quaſi vero ſub voce domus etiam non comprehendi poſſint ſtabula, nec notum eſſet, principum virorum diuitias apud gentes orientales in pecudum gregibus maxime conſtitiſſe. Fruſtra etiam hi vrgent, non poſſe animalia, quae alias Deo offerri ſolent, intelligi; cum plane ſingulari quid voueat Iephta. Vnde enim hoc probabunt? Sed reliqua, quibus votum Iephta concepit, verba conſideremus: *id erit Iehouae*, inquit, *atque in holocauſtum offeram.* Vides, inquiunt, qui Iephtae filiam immolatam volunt, hic tantum ſacrificii fieri mentionem. In ſacrificium itaque oblata eſt Iephtae filia: cum, vt vouerit, ita feciſſe diſerte dicatur. Reſpondent, qui ſecus ſentiunt, particulam ו in poſteriori membro non copulatiue, ſed disiunctiue, accipiendam, quod interdum fieri ſolet, vt *Geneſ. II. 6. Exod. I. 10. XII. 5.* alibique. Vt adeo ſenſus verborum Iephtae ſit: *aut erit Iehouae*, *aut offeram illud in holocauſtum;* h. e. aut conſecrabitur Iehouae, & cultui diuino dicabitur, vt perpetuo ſeruiat domino, ſi ſcilicet homo ſit, aut immolabitur, ſi ſcilicet ſit animal, quod ex lege immolari poſſit; conf. R. DAVID KIMCHI & R. SALOM. BEN MELECH, ad *h. l.* itemque SALOMON GLASSIVS, *philolog. ſacr. lib. IV. tract. I. obſervat. VII. p. 688.* Quae hic regerunt, qui contrariam ſententiam defendunt, non magni momenti ſunt. Significationem enim copulativam particulae ו eſſe ſol-

ſollemniorem, a qua non temere diſcedendum ſit, lubens concedo; ſed ſimul, hic cauſſam iuſtiſſimam praegnantiſſimamque eſſe, cur disiunctiua ſignificatio praeferenda ſit, contendo. Quodſi vel maxime etiam vis particulae copulandi retineatur, ſenſus tamen hic erit: *quidquid ex foribus domus meae egreſſum fuerit, Deo ſacrificabo*, ſi ſcilicet animal fuerit, quod Deo offerri in ſacrificium poſſit. Aliter hominem ebraeum, rationisque compotem cogitaſſe, vix eſt credibile. Interim fateor, inconſiderate egit Iephta, dum ita votum, generatim ſine vlla expreſſa reſtrictione concepit: praeſertim, cum accedente deinceps ſuperſtitione, exiſtimauit, ſe voti religione teneri, cum filia occurriſſet, eamque cum immolare non poſſet, Deo tamen conſecrandam cenſuit. Atque hinc & illa diiudicare quaeſtio poteſt, quae a nonnullis mouetur, & de qua fuſe NICOL. SERARIVS ad *h. l.* diſputat, an & quousque Iephta voto hocce peccauerit. Equidem, ſi hominem, qui primus occurriſſet, ſe Deo in ſacrificium oblaturum vouiſſet Iephta, ipſo hocce voto magno ſe obſtrinxiſſet ſcelere. Sed cum numquam mihi perſuadere queam, tam omnis rationis expertem fuiſſe Iephtam, vt eiusmodi quid animo conciperet; votum quidem in ſe ſpectatum vitio caruiſſe, exiſtimo, inconſiderate tamen & praecipitanter erat prolatum, eo quod inter homines & bruta nullum feciſſet diſcrimen. Et hactenus etiam Deo non fuit ingratum, cum in veteri teſtamento vota rite concepta diuini cultus partem conſtituerint; etſi inde neutiquam ſequatur, voto iſto Iephtam victoriam ab Ammonitis impetraſſe; quod NIC. SERARIVS vult ad *h. l.* Non enim ad aliquid promerendum, ſed ad animum gratum declarandum hocce votum ſpectabat: quorſum & ceteroquin vota euchariſtica comparata eſſe ſolebant.

Sed diſpiciendum nunc porro, quo pacto Iephta votum ſuum exſoluerit. Victis nimirum repreſſisque Ammonitis, cum Mitſpham domum ſuam reuerteretur, filia eius vnica tantam victoriam patri gratulatura, cum tympanis & tibiis, vt gentis ſaeculique iſtius mos ferebat, ei obuiam egreditur. Quam dum conſpexit, veſtibus ſuis laceratis, *ah!* inquit, *filia mea, me depreſſiſti, esque inter eos, qui me conturbant, &c.* Errore ſcilicet aut ſuperſtitione ductus, cum generatim & ſine vlla exceptione votum concepiſſet, exiſtimauit, illud ad filiam extendendum. Cumque haud neſciret, filiam immolare nefas; putauit tamen, eam Deo conſecrandam. Idque ex verbis voti, ſi ſtricte eis inhaerere vellet, ſequebatur. Siue etiam ea cum nonnullis disiunctiue capias, ſub numero earum rerum, quae Deo conſecrandae erant, filia comprehendebatur, ſiue tantum de ſacrificiis loquutus ſit, ſequebatur tamen, quae in ſacrificium Deo offerri non poterant, alia ratione eidem conſecranda eſſe. Ad minimum Iephta ſuperſtitione ductus ita exiſtimabat. Scire equidem ex lege Moſaica poterat, aut debebat, homines Deo

votos

votos redimi poſſe, *Leu. XXVII. 3. 4. ſeqq.* Sed legum Moſaicarum forte non adeo peritus Iephta fuit: forte & ipſi ſacerdotes eo tempore non fuere peritiores; fierique etiam potuit, vt eos non conſuleret. Quidquid huius ſit; ſummo dolore perfuſus Iephta fuit, cum filiam primum ſibi occurrere videret. Id rurſus equidem in rem ſuam vertunt, qui eam immolatam volunt, non aliam, quam hanc tam immenſi doloris cauſſam eſſe potuiſſe, exiſtimantes. At vti iſti dolorem forte Iephtae paulliſper exaggerant, quem magnum fuiſſe, non abnuo; ita cauſſam eius iuſtiſſimam habere ſibi videbatur, quod omni ſpe ex filia vnica prolem ſuſcipiendi excidiſſet: dumque Deo conſecrata ſeruare virginitatem debebat, reuera hoc perinde erat, ac ſi mortua eſſet. Et illa quidem voluntati patris non repugnabat. *Mihi facito*, inquiebat, *quod ex ore tuo prodiit: quandoquidem Iehoua vltionem de hoſtibus tuis Ammonitis tibi conceſſit.* Mentem patris haud dubie intellexit: adeoque ſi ſciuiſſet, ſe immolandam eſſe, an animo tam intrepido & imperterrito conſenſura fuiſſet, valde dubito. Vnicum ſaltem ſibi concedi poſtulauit, *bimeſtre* ſcilicet, *ſpatium, ad deflendam virginitatem.* Cur vero non ad vitam potius, quam ad virginitatem deflendam, ſi immolanda fuiſſet? Non me fugit, quid regerant, qui ſecus ſentiunt: ſed vt a verbis claris & perſpicuis diſcedamus, nulla hic nos cogit neceſſitas. Videtur autem ex ipſis hiſce virginis verbis colligi poſſe, non inuſitatum fuiſſe eo tempore, vt & virgines Deo conſecrarentur, & illae virginitatem ſuam hac ratione deflerent. Domum itaque elapſis duobus menſibus cum rediiſſet, *pater ei fecit, quod vouerat.* Si dubites, quid pater intuitu filiae, quae immolari non poterat, vouerit? ecce! ſtatim additur: והיא לא ידעה איש & *illa non agnouit virum*, ſeu virgo permanſit. Hoc omne mihi dubium eximere videtur. Senſum equidem hunc verbis illis nonnulli tribuunt, *eam, cum votum ſuum exſequeretur, mactando illam, nondum expertam virum.* At quid neceſſe erat, hoc addere; cum iam antea dictum eſſet, eam virginem fuiſſe. Quis vero ferret, in narratione hiſtorica id, quod praecipuum eſſe debebat, praetermitti, & poni illud, quod iam notum erat, eam fuiſſe virginem. Sunt haec eiusmodi, vt prorſus mirer, ſententiam contrariam, quae & alias grauiſſimis incommodis laborat, tot viris doctis ſe probare potuiſſe. Conſecratam igitur eam domino cenſeo, hoc eſt, vt ego quidem exiſtimo, tabernaculi miniſteriis certis addictam, quae a ſequiori ſexu peragi poterant. Enatam tandem hinc conſuetudinem, ſcriptor ſacer addit, in gente israëlitica, vt Israëlitides puellae, quotannis irent לתנות לבת יפתח: vbi quidem verbum לתנות diuerſimode reddere ſolent. Nonnulli, *ad plangendum*, vt vulgatus; quemadmodum & chaldaeus habet, לאלאה *ad lugendum*, & LXX interpretes θρηνεῖν; quibuscum &

B. LVTHERVS noſter conſentit. At alii vertunt, *ad confabulandum*, quibus & nonnulli ex Ebraeis fauent; conf. R. DAVID KIMCHI & R. SAL. BEN MELECH ad *h. l.* Quod ſi adſumatur, Iephtae filiam non fuiſſe immolatam, oportet; cum ceteroquin ad confabulandum cum ea conuenire eam Iſraëlitides puellae non potuiſſent. Nihiloſecius, cum formula iſta ותהי חק בישראל *& fuit conſuetudo in Iſraël*, de longa quadam conſuetudine, quae vnius hominis vitam excedit, adhiberi ſoleat; illorum praeferenda ſententia videtur, qui verbum לתנות vertunt, *ad laudandum*, vel *celebrandum*, quod ſcilicet tam promte voluntati patris morem gerendo, cultui diuino tabernaculique miniſterio ſe conſecraſſet. Miſſis reliquis, quae adhuc addi poſſent, id ſolum moneo, non eſſe, quod quis exiſtimet, illorum ſententiam, qui non immolatam, ſed Deo conſecratam Iephtae filiam, contendunt, romanenſium de votis monaſticis errori praeſidium aliquod adlaturam. Non enim aediculae cuidam eam incluſam, vt in ſolitudine vitam tranſigeret, vt nonnulli opinantur, ſed tabernaculi miniſterio addictam, adſerimus. Praeterea, quod Iephta, & forte alii quidam ſuperſtitione ducti fecerunt, neutiquam in regulam aut exemplum ſtatui poteſt, quod imitari fas ſit, aut ex quo, num aliquid bonum an malum ſit, diiudicare liceat. Conf. B. IO. GERHARDVS *loc. de coniugio*, *§. DVII.* Sunt denique, qui fabulae de Agamemnone, Iphigeniam Dianae immolante, originem a Iephta, filiam ſacrificante Deo, repetunt; conf. PETRVS DANIEL HVETIVS, *demonſtrat. euangel. prop. IV. p. 286.* Sed quam incerta fabularum eiusmodi & origo & interpretatio ſit, alibi iam monuimus. Quodſi etiam hoc concedatur; addere poëtae nonnulla potuerunt in fabula, quae in hiſtoria ſecus ſe habent: ne dicam, quod ipſa haecce fabula non vna eademque ratione ab omnibus narretur. Vnde, quod inde pro immolatione filiae Iephtae ſumitur argumentum, nimis profecto lubricum eſt.

** Traiecto namque ſeptemtrionem verſus Iordane expoſtulabant cum Iephta: *quare iuiſti ad bellum inferendum Ammonitis, nec nos vocaſti, vt iremus tecum?* Inuidia aut ambitione ductos illud feciſſe, res ipſa docet: forte & praedae cupiditate. Ita FLAV. IOSEPHVS petitum bello ab Ephremi tribu memorat, quod ſine illis in Ammonitas expeditionem feciſſet, ἀλλὰ μόνος καὶ λείαν ἔχοι, καὶ τὴν ἐπὶ τοῖς πεπραγμένοις δόξαν, *& nunc ſolus praeda ſimul & gloria frueretur; antiquitat. iud. lib. V. cap. IX. p. 158.* Iephta Ephraimitarum iniquitatem luculenter oſtendebat, exprobrans illis, quod, cum ſciuiſſent, conſanguineos premi, armis abſtinuiſſent, immo nec vocati auxilio veniſſent; vnde neceſſitas cum maximo vitae periculo dimicandi cum Ammonitis, ſibi impoſita fuiſſet. Male itaque facere, qui hoſtibus obuiam ire non auſi in cognatos ſe inferrent. Tantum vero abeſt, vt hisce auditis con-

conquieuerint Ephraimitae, vt potius contemtui habentes Gileaditas, reſponderint פליטי אפרים אתם גלעד בתוך אפרים בתוך מנשה. Quae verba cum diuerſimode exponi ſoleant, mihi tamen omnium rectiſſime ita reddi videntur: *fugitiui Ephraim vos eſtis*, tu, (inquam) *Gilead*, fugitiuus es) *in medio Ephraim & Manaſſes*. Exprobrare namque Manaſſitis trans Iordanem habitantibus videntur, quod prae ignauia Iordanem ad occupandam terram Canaan tranſire noluerint, & velut fugitiui quidam a reliquo corpore poſterorum Ioſephi ſe ſeparauerint, indignosque eſſe, quibuscum magnopere litigentur. Iſta contumelia irritatus Iephta Gileaditas coëgit, praelioque commiſſo fudit fugauitque Ephraimitas. Tum & vada Iordanis, qua flumen Ephraimitis traiiciendum erat, Gileaditae occuparunt, poenam ſumturi ab illis, qui in acie non ceciderant, neue negando, ſe Ephraimitas eſſe, euaderent, vocem *Schibboleth*, ab illis proferri voluerunt, quam cum *Sibboleth* pronuntiarent, ſtatim agniti ſunt. Neque inſolens eſt, vt in vna eademque gente voces quaedam diuerſimode in tractibus diuerſis pronuntientur. Perieruntque hac ratione ex Ephraimitis quadraginta duo virorum millia. Videntur Gileaditae, ſi dicendum, quod res eſt, vindictae modum exceſſiſſe; etſi Ephraimitae, intercedentibus iudiciis diuinis, ſuae ſimul ferociae atque iniquitatis poenas iuſtisſimas dederint.

*** Ebzon annis ſeptem, Elon decem & octo, populo israëlitico praefuit. Iſti vero pacis tempore, vt videtur, rerum potiti, *nihil, quod hiſtoria loqueretur, ediderunt*. Verba ſunt SVLPITII SEVERI, *hiſtor. ſacr. lib. I. cap. XXVI. p. m. 55*.

§. XI.

Poſtea Israëlitae in idololatriam iterum prolapſi in poteſtatem Philiſtaeorum venerunt. Quadraginta annorum ea fuit ſeruitus, adeoque diuturnitate reliquas ſuperauit. Tandem Simſon, cuius natiuitas parentibus a Deo indicata erat, diuinitus excitatus, corporisque robore incredibili pollens, Philiſtaeos variis cladibus adfectos, in ordinem redegit: iudicisque hinc munere per annos viginti functus eſt. * Qui vero tot viros vicerat, prae animi imbecillitate a femina ſe vinci paſſus eſt; captusque ab hoſtibus, & orbatus oculis, miſere tandem, non tamen plane inultus, periit. ** Et hic vltimus fuit iudicum, ſub quorum imperio trecenti circiter anni elapſi ſunt. ***

* Patria Simſonis in ebraeo vocatur צרעה, quod nomen a LXX interpretibus & vulgato per *Saran*, ab aliis per *Zora*, *Zorea*, ab aliis aliter exprimitur. Vrbs erat in Danitica tribu, vt ex *Ioſ. XIX. 41.* conſtat. Vnde non-

nulli

nulli praedictionem Iacobi patriarchae de tribu Dan *Geneſ. XLIX. 17.* ad Simſonem referunt. Non ſine ſingulari Numinis prouidentia contingebat, vt in tribu, cui Philiſtaeorum agri vicini erant, naſceretur, qui Israëlitas a Philiſtaeorum iugo liberare debebat. Pater eius Manoah vocabatur, de matre, cuius nomen non proditur, conſtat, eam fuiſſe ſterilem. Et huic quidem angelus domini adparuit, filii, qui liberator Israëlis futurus eſſet, natiuitatem adnuntians. Angelum huncce domini itidem angelum increatum ſeu filium Dei, eumdem ſcilicet, qui & Gideoni adparuit, fuiſſe, exiſtimamus. Huic enim vt ſollemne erat; ita vel maxime conueniebat, populi ſui curam gerere, eiusque, a quo liberandus eſſet, natiuitatem indicare. Dicetur hac de re in ſequentibus. Si quaeras, cur vxori Manoachi, & non ipſi Manoacho, angelus domini adparuerit? reſpondeo, hoc ideo factum, quoniam ita ei viſum. Qui rationes huius rei reddere volunt, ad coniecturas incertas, interdum & friuolas, dilabuntur. Matri etiam angelus domini vino & שכר *potu inebriante* interdixit; quoniam puer futurus eſſet *Naziraeus Dei ab vtero.* Non ipſa Simſonis mater Naziraea facta, vt nonnulli perperam exiſtimant: ex eo enim, quod a quibusdam ſe abſtinere iuſſa fuerit, a quibus & Naziraei ſe abſtinebant, nondum ſequitur, & eam Naziraeam fuiſſe: ſed puer, cuius natiuitas praedicebatur, Naziraeus eſſe debuit. De ipſius Simſonis Naziraeatu multa Iudaei disputant. In eo aliquid ſingulare habuit, quod nonnulla illi licita fuerint, quae ceteroquin Naziraeis erant prohibita. Ad liberandum enim Israëlem, adeoque bella gerenda cum deſtinatus fuerit, fieri aliter non potuit, quam vt hoſtes caedendo mortuorum contactu fuerit pollutus, neque tamen vspiam legitur, eum ſacrificium Naziraeorum propter eiusmodi pollutionem obtuliſſe, aut ea feciſſe, quae tum Naziraei facere ſolebant. Mater eius, auditis angeli verbis, magno ob promiſſionem ſibi factam gaudio exſultans, ad maritum properauit, eidemque, quid ſibi contigerit, narrat. Manoachus rei nouitate perculſus, & quae circa puerum naſciturum obſeruari deberent, ipſemet edoceri cupiens, Deum, vt iterum vir ille diuinus (angelum enim fuiſſe, ignorabat, credebatque, haud dubie fuiſſe prophetam, qui iſta vxori praedixerat) ad ſe rediret ardentiſſimis rogauit precibus. Nec fruſtra. Angelus enim ille Dei vxori eius ruri ſedenti iterum adparuit, quae ſtatim marito hoc nuntiauit; qui cum adcurriſſet, & eumdem, qui antea cum vxore loquutus eſſet, cognouiſſet; ex eo, quodnam pueri naſcituri vitae inſtitutum futurum ſit, quaerit. Angelus cum paucis, quae vxori eius iam dixerat, quo pacto ipſamet ſe gerere deberet, repetiiſſet, cibumque a Manoacho ſibi oblatum recuſaſſet, vt holocauſtum potius domino faceret, eidem ſuadet. Quod priusquam Manoachus faceret, nomen angeli, quem angelum, ſeu potius Dei filium eſſe, hacte-

Digitized by Google

hactenus ignorabat, reſciſcere voluit, & reſponſum tulit: *quare quaeris de nomine meo?* והוא פלאי *& illud eſt mirabile.* Nonnulli quidem hoc ita capiunt, ac ſi ad angelum potius loquentem, quam ad nomen eius, de quo Manoachus quaerebat, hoc referendum ſit, vt ſenſus ſit: *& fuit mirabilis, ſeu mirificus.* Quod profecto nimis violentum eſt, cum & quaeſtio propoſita & reſponſio doceat, de nomine angeli hic ſermonem eſſe. Voce פלאי etiam diuerſimode exponunt. Chaldaeo idem ac *ſeparatum* denotat, vt ſenſus ſit, nomen eius tam ſingulare ac eximium eſſe, vt mens humana id capere nequeat. Ita paraphraſtae mentem ad *h. l.* explicat R. DAVID KIMCHI. R. SALOM. IARCHI illud exponit per *occultum*, & (quod) *ſemper variat*, vt ex illo agnoſci nequeat. Sic & IOAN. CLERICVS per *occultum* vertit. At rectius per *mirabile* vertitur. Haec enim propria & genuina vocis huius eſt ſignificatio, quam eo minus hic deferendam exiſtimo, quod ipſe ſcriptor ſacer eam haud obſcure confirmet, in ſequentibus ad eam alludendo, de angelo addens: ומפליא לעשות *mirabiliter egit faciendo.* Falluntur vero etiam, qui פלאי pro nomine proprio angeli cuiusdam creati habent. Aperte enim angelus hicce increatus indicat, ſibi nomen aliquod proprium non eſſe, adeoque fruſtra hoc a ſe quaeri: ſufficere iſtis debere, quod talia facere poſſit, quae merito hominibus mirabilia videri queant; quod ſoli Deo eſt proprium. Iſta cum dixiſſet, & Manoachus ſacrificium offerret; *rem mirabilem fecit,* hoc eſt, talem demonſtrauit, qualem ſe eſſe dixerat, & una cum flamma altaris in caelum adſcendit. Sunt, qui, non Manoachum, ſed angelum ipſum ſacrificium Deo obtuliſſe, exiſtimant; ne homini laico tribuatur, quod ſacerdotum debebat eſſe proprium. Nec abſonum eſt, vt dicamus, angelum increatum ſeu filium Dei iam tum typica quadam ratione ſacerdotis munere functum. Ingrediturque etiam in eam ſententiam SEBAST. SCHMIDIVS, ad *Iudic. cap. XIII. quaeſt. X. p. 1146.* Sed verba ſcriptoris ſacri adcuratius conſiderandi, ſtatim patebit, non angelum, ſed ipſum Manoachum, ſacrificium Deo obtuliſſe. Manoachus, cum ex iſto miraculo, quis ille fuiſſet, qui ſecum loquutus erat, intellexiſſet, ipſe ſcilicet Deus, ſeu Dei filius, vt ipſemet profitetur; ingenti equidem metu perculſus, at ab vxore mox erectus ac confirmatus fuit. Praedictioni autem mox reſpondit euentus, nato puero, cui Simſonis nomen impoſitum. Cuius nominis rationem, qui inuenire conantur, ad meras dilabuntur coniecturas. Omnium rectiſſime ſentiunt, qui illud a שמש *ſol,* deriuant; etſi ratio denominationis iſtius non conſtet; niſi dicere velis, ad ſplendorem flammae, in qua angelus domini in caelum adſcendit, eos reſpexiſſe. Puer autem cum adoleuiſſet; impulſu diuini ſpiritus in *Danitarum caſtris*, ſeu loco, qui fuit in Danitica tribu, inter Zoram & Eſthaolem vrbes, varia fortitudinis

ſuae

ſuae ſpecimina edidit, quae qualia fuerint, ſcriptori ſacro memoriae prodere non placuit. FLAVIVS IOSEPHVS in iis, quae de natiuitate ac adoleſcentia Simſonis ad ductum ſcripturae ſacrae expoſuimus, nimium quantum ingenio ſuo indulget. Manoachus, ſeu, vt ille vocat, Manoches, pater eius, illi audit, *δανιτῶν ἐν ὀλίγοις ἄριστος καὶ τῆς πατρίδος ὁμολογούμενος πρῶτος*, *Danitarum inter paucos optimus, & patriae ſine controuerſia princeps.* Hunc vxorem habuiſſe, forma adeo praeſtantem, vt omnes ſuae aetatis feminas ſuperauerit · *εἶχε γύναιον ἐν εὐμορφίᾳ περίβλεπτον, καὶ τῶν κατ' αὐτὸ διαφέρον*, *vxorem habuit, eximia pulcritudine ſuſpiciendam, ſupra omnes eius aetatis feminas.* Ex ea cum nihil liberorum ſuſciperet, orbitatemque aegre ferret, *ἐπὶ τὸ προάστειον, in ſuburbanum ſuum*, quod erat in campo magno, cum vxore ventitaſſe, crebrisque precibus ſollicitaſſe Deum, vt daret ſibi liberos. Addit porro: *ἦν δὲ καὶ μανιώδης ὑπ' ἔρωτος ἐπὶ τῇ γυναικὶ, καὶ διὰ τοῦτο ζηλότυπος ἀκρατῶς. inſaniebat autem in vxorem prae amore, eratque vehementer zelotypus.* Hinc cum porro finxiſſet, angelum Dei illi adparuiſſe, *νεανίᾳ καλῷ παραπλήσιος καὶ μεγάλῳ*, *ſpecie iuuenis pulchri & magni*, ſermonemque angeli non prorſus adcurate retuliſſet, mulierem marito reuerſo angeli indicaſſe verba ait, *ἐκθαυμάζουσαν τοῦ τε νεανίσκου τὸ κάλλος καὶ τὸ μέγεθος*, *mire praedicantem iuuenis ſtaturam & pulchritudinem*, adeo, vt vir tali laudatione motus ad zelotypiam, nonnihil de vxoris pudicitia male ſuſpicari inciperet. Hanc vero, cum ſtultum moerorem marito adimi vellet, Deum rogaſſe, vt angelum iterum mittere dignaretur, quo etiam a coniuge conſpici poſſet Rurſus itaque in ſuburbano verſantibus angelum ſoli adparuiſſe mulieri, quae angelo permittente maritum arceſſiuerit, qui ne tum quidem ſuſpicari deſierit, (*οὐδ' οὕτως ἐπαύετο τῆς ὑπονοίας.*) Sed piget taedetque plura addere Haec enim ſufficere poſſunt, inde vt conſtet, quanta interdum IOSEPHI in fingendo & mentiendo ſit impudentia.

Ad Simſonem vt reuertamur; is, cum adoleuiſſet, & Thimnatham aliquando profectus eſſet, Philiſtaeorum eo tempore vrbem, virginem ibi vidit, quae ei ſtatim adeo placuit, vt eam in vxorem ducere ſecum conſtitueret. Inconſultis autem parentibus cum id facere nollet, Zoram reuerſus, abnuentes primum, tandem, cum in ſententia ſua perſiſteret, vt in matrimonium illud conſentirent, induxit. Et merito quidem parentibus eius hocce matrimonium initio diſplicuit; cum vxorem ex gentilibus ducere lege Moſaica vetitum eſſet, *Exod. XXXIV. 16.* & *Deut. VII. 3.* Videturque, vt alias, ita quoque hac in re aliquid admiſiſſe Simſon, quod ceteroquin fieri non debebat, nec ab illis, qui Moſaicae legis obſeruantes erant, ſolebat. Idque naeuis ac imbecillitatibus, quibus magni etiam viri obnoxii ſunt, adnumerandum. Ratio quoque, quam reddebat,

cur

cur hanc virginem ducere vellet: *nam oculis meis placet*, non tantum infirma erat, ſed hominem virtuti & ſanctitati deditum parum decet. Philiſtaeam hancce virginem proſelytam prius factam, quam Simſoni nuberet, Iudaeorum commentum eſt, omni prorſus fundamento deſtitutum; conf. R. DAVID KIMCHI, ad *b. l.* add. IOAN. SELDENVS, de *iure nat. & gent. iuxta diſcipl. Ebraeor. lib. V. cap. XV.* Singularem interim Numinis directionem his omnibus acceſſiſſe, manifeſtum eſt: etſi nolim dicere, quod nonnulli faciunt, Simſonem ex Numinis inſtinctu ea egiſſe, quae contra legem erant. Parentum itaque conſenſum cum impetraſſet, vna cum iis Thimnatham profectus eſt; inque itinere catulum leaenae, qui obuiam ei veniebat, ſine vlla difficultate diſcerpens, fortitudinis ſuae ſpecimen, rerumque poſtea a ſe gerendarum aliquod praeludium edidit. Atque hic quidem leo, quo pacto & aenigmati, & diſſenſioni, mox & dimicationi inter Simſonem ac Philiſtaeos occaſionem dederit, ex *Iud. XIV. 8. ſeqq.* ſatis notum eſt. Inter reliqua, quae hic diſputari ſolent, & illud eſt, quo pacto fieri potuerit, vt apes ſauos ponerent, in cadauere leonis, cum eas omnem foetorem fugere conſtet? At veroſimile, oſſa ſaltem leonis, carnibus omnibus nudata, quod exiguo temporis ſpatio a coruis aliisque feris fieri potuit, intelligi. Legenda, quae hac de re, & aliis huc ſpectantibus, erudite diſſerit SAM. BOCHARTVS *hieroz. part. II. lib. IV. cap. X.* Cum nuptiae celebrarentur, triginta iuuenes ex Philiſtaeis, vt mos & conſuetudo ferebat, illi adiungebantur.

Id ſub ſpecie honoris factum, reuera autem, vt illum obſeruarent, quoniam Philiſtaeis iam ſuſpectus eſſet, exiſtimat FLAV. IOSEPHVS, quem & alii ſequuntur, vt FRANCISCVS IVNIVS, IMMANVEL TREMELLIVS, & ex noſtratibus SEBAST. SCHMIDIVS ad *b. l.* Ex textu non temere eiusmodi quid colligas. Ex adfinibus enim & cognatis puellae, atque amicis, triginta iſti iuuenes eſſe potuerunt, quos forte inuitarunt, vt nuptiae eo eſſent ſplendidiores. Morem in conuiuiis aenigmata proponendi, cuius hic mentio iniicitur, antiquiſſimum eſſe, aliunde etiam conſtat; legendaque, quae praeter alios hac de re habet ATHENAEVS, *deipnoſoph. lib. X. cap. XV.* & quae ad *b. l.* notauit ISAACVS CASAVBONVS *p. m. 746.* itemque GEORGIVS PASCHIVS, de *variis modis moralia tradendi, cap. IV. §. XXVII. ſeqq. p. 439. ſeqq.* vt & vir clariſſimus, DE LARREI, in *hiſtoria ſeptem ſapientum*, gallicana lingua, ſed erudite & eleganter, ſcripta, *p. 87. & 79.* it. *186. 187.* alibique. Ad Simſonis quod attinet aenigma, vt antitheſis eo rectius ſibi conſtet, obſeruandum, vocem עז non tantum de fortitudine, ſed crudelitate etiam & immanitate, quae haud raro cum fortitudine coniuncta eſſe ſolet, & in leonibus quoque coniuncta eſt, capi poſſe. Non male antitheſin aenigmatis iſtius ita exprimit IO. BRENTIVS ad *b. l.* *Qui omnia alia deuorat, is praebuit ex ſe cibum, quem* alii

alii deuorent; & qui in omnes eſt trux, crudelis, immanis, is exhibuit de ſe id, quod valde iucundum, ſuaue & delectabile. Ita enim, vt idem porro obſeruat, inter ſe opponuntur, *deuorans cibum*, & *praebens cibum*, item *crudele & iucundum.* Certe haec mens Simſonis fuiſſe videtur; qui an leges aenigmatis adcurate obſeruauerit, dubitari poſſet. Per aenigma enim oratio obſcura rem notam ſignificans intelligi ſolet; Simſon vero e Philiſtaeis talia quaeſiuit, quae illi nulla ratione ſcire poterant. Reſpondent nonnulli, etſi Philiſtaei ipſum Simſonis factum ſcire non potuerint, coniicere tamen potuiſſe, inter animantia fortiſſimum eſſe leonem, mel autem inter omnia ciborum genera dulciſſimum, caſuque fieri poſſe, vt apes fauos in cadauere leonis ponant. Atque id ad ſoluendum aenigma ſatis futurum fuiſſe, etſi interfectum a Simſone leonem, fauosque ab apibus in eius cadauere poſitos ignorauerint. Quae reſponſio an ſufficiat, alii dubitant. Vid. GEORGIVS PASCHIVS, *loc. cit. p. 445.* Alii putant, Simſonem data opera eiusmodi aenigma proponendo, occaſionem male mulctandi Philiſtaeos quaeſiuiſſe. At nec hoc temere dixerim, cum ex textu colligi nequeat. Occaſione potius oblata vti voluiſſe videtur Simſon; cum in memoria recenti adhuc eſſent, quae cum leone a ſe interfecto contigerant. Legesque aenigmatis olim tam adcurate ſemper obſeruatas, non exiſtimo. Quidquid huius ſit; cum vxor, quam duxerat, precibus lacrymisque tandem, vt, quid aenigma illud ſignificaret, ſibi diceret, impetraſſet, perque eam hoc reſciuiſſent Philiſtaei; non tantum, vt promiſſis ſtaret, veſtes triginta Askalonitis a ſe interfectis detractas, illis, qui aenigmatis interpretationem indicauerant, dedit, ſed relicta vxore in domum patris ſui rediit. Diuino inſtinctu concitatus cum Askalonitas illos, ex gente Philiſtaea, quae tyrannidem in Israëlitas exercebat, interfecerit, nihil, quod reprehendi debeat, fecit. Aliter ſi res ſe habuiſſet, non potuiſſet hocce laudari facinus. Videtur etiam nonnullis ideo reprehendendus, quod vxorem, quam duxerat, ſecum non adſumſerit, ſed inter Philiſtaeos reliquerit. At non puto, animum Simſoni fuiſſe, vxorem plane deſerere, ceteroquin enim ad eam non fuiſſet reuerſus: ſed prae indignatione ad certum tempus ab illa diſceſſit. Indignationis autem cauſſam non iniuſtam habebat, ſiquidem illa animum propenſiorem erga populares, quam erga maritum demonſtrauerat. Socer vero eius grauiſſima illum iniuria adfecit, vxorem eius vni ex amicis eius, ſeu paranymphis, ex illorum numero, qui nuptiis interfuerunt, iungendo. Nec enim Simſon libellum repudii vxori miſerat: patrisque fuiſſet, eius prius explorare ſententiam, an retinere vxorem vellet. Licet autem pater iuxta morem apud Philiſtaeos, aliosque orientis populos, receptum, alteram filiam priori formoſiorem illi offerret; eam tamen noluit, iraque concitatus opportunam hancce

occa-

occaſionem, vindictam erga Philiſtaeos exercendi, arripuit. *Purus ſum*, inquiebat, *hac vice a Philiſtaeis, quando fecero cum illis malum.* Agnouit nimirum, non ſine ſingulari Numinis prouidentia occaſionem, Philiſtaeos, grauiſſimos populi israëlitici hoſtes, male mulctandi, ſibi oblatam. Idque praecipue ſpectaſſe Simſonem, exiſtimo, etſi vindictae quaedam cupiditas accedere potuerit. Quodſi haec ſola Simſonem agitaſſet, in ſocerum potius, & eius familiam, iram omnem effudiſſet. Philiſtaeis generatim dum iſta comminatur, aliud quid ſubſuiſſe, intelligitur. Et niſi diuinam iſtam directionem ſpectaſſet Simſon, non potuiſſet ob ſoceri ſui delictum omnibus Philiſtaeis bellum inferre.

Vt itaque Philiſtaeis damnum inferret, captum iuit trecentas vulpes, binasque caudis colligauit, interpoſita face, eaque incenſa in Philiſtaeorum maturas ſegetes immiſit. Per שועלים *vulpes* intelligi, magno conſenſu hactenus crediderunt viri eruditi, donec non nemo ante aliquot annos exiſteret, qui eas in *manipulos ſtramineos* transmutaret; vid. *obſeruat. Hallenſ. tom. VIII. obſeruat. XIV. p. 383.* Quod vt obtineat, pro שׁוּעָל mutatis punctis legendum contendit שֹׁעַל, qua voce licet ceteroquin *pugillus* ſignificetur, ille tamen ea *faſciculum ſtramineum* vult denotari: hinc & verbo שׁעל *colligendi* notionem tribuit, non alio fundamento nixus, quam quod ex deriuato שׁועל id poſſit comprobari. Praeterea verbum לכד illi non eſt *capere*, ſed *adſumere*, & vox זנב non *caudam*, ſed quamuis extremitatem ei denotat, quemadmodum verbum שלח de *proiectione* potius, quam emiſſione, uſurpari credit: vnde tandem hunc ſenſum elicit, Simſonem faſciculos ſtramineos trecentos accepiſſe, vnius extremitate erga alteram conuerſa, faceque ardente inter extremitates iſtas poſita, faſciculos iſtos ſegetibus Philiſtaeorum immiſiſſe, quae hac ratione igne concepto conflagrauerint. At cum nulla idonea ratione auctor euicerit, שׁועל *faſciculum ſtramineum* ſignificare, & in reliquarum vocum ſignificationibus immutandis plus, quam decebat, ingenio ſuo indulſerit; pauciſſimos haud dubie eruditorum in ſuam pertrahet ſententiam, quam & ex inſtituto refellit SAL. DEYLINGIVS, *obſeruation. ſacrar. part. I. obſeruat. XIV. p. 61. ſeqq.* Nec video, quae nos cogat neceſſitas, vt a recepta diſcedamus ſententia Si enim quaeras, vnde tanta Simſoni tam breui tempore vulpium copia? reſpondeo, eas in Palaeſtina & locis vicinis longe frequentiores fuiſſe, quam apud nos, vt vel ex *Pſalm. LXIII. 11. Cant. II. 15. Thren. V. 18.* aliisque ſcripturae locis colligitur. Immo nonnulla Palaeſtinae loca a vulpibus nomen accepiſſe videntur, vt *terra Sual, I. Sam. XIII. 17. Hatſerſual, Ioſ. XV. 28.* & alia. Nec contemnenda coniectura SAM. BOCHARTI, ſub vulpium nomine etiam *thoës* contineri, qui איים Ebraeis dicuntur, atque gregatim eunt,

vt interdum ducenti vna inueniantur; *hieroz. part. I. lib. III. cap. XIII. ſ. 855.* Praeterea, cum nihil obſtet, quo minus dies plurimos capiendis vulpibus impenderit Simſon, aliorum etiam opera vti potuerit; nihil profecto, quod hac in re fidem ſuperet, video. Si porro quaeras, cur vulpes potius, quam alia animalia, adhibuerit Simſon? ſciendum, de aliis animalibus, ſi ea adhibuiſſet, idem quaeri potuiſſe. Iudaeorum quidem doctores rationem ſibi inueniſſe viſi ſunt, dum adſerunt, vulpium hanc eſſe naturam, vt, quando faces vel titiones caudis illarum adligantur, non in anteriora procurrant, ſed retrocedant. Collegiſſe itaque inde Simſonem, quod faces non eſſent excuſſurae. Vid. R. DAVID KIMCHI ad *h. l.* Sed commentis eiusmodi opus non eſt. Animantia haec huic inſtituto aptiſſima iudicauit Simſon, tum, quod illorum inſignis copia facili negotio haberi poſſet, tum, quod in agris ac vineis commorari ſolerent, ſegetemque adeo & arbores frugiferas igni committere quam certiſſime poſſent. Confirmari hoc poteſt ex illis, quae OVIDIVS, *faſtor. lib. IV. verſ. 681. ſeqq.* refert, quaeue paſſim recitari ſolent. Romae enim dum cerealia celebrabantur, vulpes adligatis tergo taedis emittebantur. Cuius inſtituti originem poëta ab adoleſcente quodam Carſeolano repetit, qui cum vulpem captam viuam vrere vellet, inuolutam ſtipula & foeno, quibus ignem ſubiecerat, eam imprudens dimiſit, ingens incendium ſegetum longe lateque excitaturam. SAM. BOCHARTVS ipſam hancce Simſonis hiſtoriam in hocce inſtituto ſibi deprehendiſſe viſus eſt, cuius memoria hac ratione per Phoenices ad Romanos facile propagari potuerit. Quod etſi mihi non adeo vero ſimile videatur; merito tamen, quod OVIDIVS refert, efficit, vt eo facilius iis, quae de Simſone, Philiſtaeorum ſegetibus, per vulpes, incendium longe lateque circumferentes, damnum inferente, narrantur, fidem adhibeamus. Ceterum, quod geminas vulpes, interpoſita face, caudis colligauerit Simſon, haud dubie ideo factum, ne tam cito in cauernas ſuas, vna alteram morante, ſe recipere poſſent, neue faces tam celeriter exſtinguerentur, ſed vt in campis cum facibus diſcurrentes incendium eo latius propagarent. Idque tam feliciter Simſoni conſilium ceſſit, vt non agris modo, ſed vineis etiam ac oliuetis Philiſtaeorum maximum damnum inferret. Hi vero cum intellexiſſent, a quonam iſtud profectum, & quamnam ob cauſſam illis iratus eſſet Simſon, ſingulari crudelitatis exemplo ſocerum eius cum muliere, quae Simſoni nupſerat, combuſſerunt. Quo animo hoc fecerint, num, vt placarent Simſonem, an potius, vt, quacunque poterant ratione, ſe vlciſcerentur, non ſatis equidem liquet: priori tamen modo hoc accepiſſe videtur Simſon, quandoquidem ad Philiſtaeos dixit, vel potius, vt ab aliis illis diceretur, curauit; אם תעשון כזאת. *num ſi faceretis ſicut hoc? atque vbi vltionem ſumſero de vobis, demum*

demum ceſſabo. Priora verba, vtpote conciſa valde & obſcuriora, multum negotii interpretibus faceſſunt, aliterque ea explicat R. SALOM. IARCHI, aliter R. LEVI BEN GERSON, alii aliter. Mihi res ipſa docere videtur, aliquid ſubaudiendum eſſe, vt ſenſus ſit: *Num, ſi feceritis, ſicut hoc*, mihi abunde ſatisfactum exiſtimatis? Immo *a vobis* ipſis, qui animum hoſtilem ſatis erga me demonſtratis, *vltionem ſumam, & poſtea ceſſabo.* Eumdem ſenſum expreſſit vulgatus: *licet haec feceritis, tamen adhuc ex vobis expetam vltionem.* Conuenit & verſio germanica B. LVTHERI Quid porro contigerit, his verbis ſcriptor ſacer exponit: ויך אותם שוק על־ירך מכה גדולה *& percuſſit eos femor ſuper crure, ſtrage magna.* Chaldaeus prouerbialiter hoc dictum exiſtimauit, adeoque vertit: *& percuſſit eos* פרשין עם גלאין *equites cum peditibus.* Sic & SAL. IARCHI, qui & rationem reddit, quia eques nititur femore: quod tamen R. LEVI BEN GERSON inuertit. IM TREMELLIVS & cum illo alii vertunt: *percuſſitque eos crure vibrato, in femora eorum*, h. e. *ſine armis, ſuis tantum vſus cruribus:* quod non ſine ratione reiicit SEB. SCHMIDIVS ad *h. l.* apud quem & aliorum explicationes legi poſſunt. Singularis plane eſt ſententia doctiſſimi viri IOANNIS CLERICI, exiſtimantis, *apud Philiſtaeos ludos gymnicos fuiſſe, ad quos, quicumque luctari vellent, inuitabantur ex vicinia, atque ad eos iniſſe Samſonem, luctatoresque omnes Philiſtaeos, qui forte magno numero erant, & gloriam ſibi eo exercitationis genere parauerant, proſtrauiſſe, eorumque femora ſolo ictu genuum aut tibiarum confregiſſe. Igitur*, inquit porro, *crus femori impingere fuit in lucta Philiſtaeorum cum Samſone, ſimile quiddam ei, quod Graeci σκελίζειν & ὑποσκελίζειν dicunt, hoc eſt, impacto cruri crure, luctatorem deiicere.* Verum, ſi vel maxime concedamus, ludos gymnicos apud orientales populos in vſu fuiſſe, quod nondum ſatis probatum exiſtimo; apud Philiſtaeos eo tempore tales ludos celebratos, ne minimo quidem indicio conſtat. Nec probabile, Simſonem, iuratum Philiſtaeorum hoſtem, ad illos ludos inuitatum. Immo, cum antea, ſe vltionem a Philiſtaeis ſumturum, profeſſus ſit; non eſt credibile, eum exſpectaſſe, donec a Philiſtaeis ad ludos inuitaretur. Praeferenda itaque mihi illorum ſententia videtur, qui loquutionem prouerbialem in hiſce verbis agnoſcunt, cuius ſenſus ſit, eum, cum ex improuiſo terram Philiſtaeorum ingreſſus eſſet, omnes, quos offendit, ſine diſcrimine, nulla ſtatus aut dignitatis habita ratione, interfeciſſe, & ita *magnum* illis *inflixiſſe vulnus*, ſeu clade inſigni eos adfeciſſe.

Hoc cum peregiſſet, in verticem rupis Hetami ſe recepit, vt a Philiſtaeorum inſidiis tutus eſſet. Hi vero coactis copiis, a tribu Iudae eum ſibi tradi, poſtularunt: a qua & tria virorum millia ad rupem miſſa, quibus ea lege ſe Simſon dedidit, vt vinctum Philiſtaeis traderent, neutiquam autem ſe interficerent. Ad Lechin itaque vsque

 cum

cum perueniſſent, triumphantibus Philiſtaeis, quod eum iam in ſua poteſtate fore exiſtimarent, diuino iterum concitatus ſpiritu, non tantum vincula manibus iniecta faciliimo negotio rupit, ſed arrepta, quae caſu ſe ei offerebat, aſini maxilla recenti, Philiſtaeos aggreſſus, mille occidit, in fugam datis ceteris. Ita namque ſacri ſcriptoris verba intelligenda ſunt, & ita plerique interpretum hactenus intellexerunt. Noſtra aetate equidem & hic nonnemo longe aliud quid ſibi inueniſſe viſus eſt, auctor ſcilicet *obſeruationis ſeptimae*, quae exſtat *tom. II. obſeruation. Hallenſ.* lingua germanica editarum, *p. 134. ſeqq.* Vocem enim לחי cum & *humerum* ſignificare obſeruaſſet, eam de *vi, robore* & *potentia* interpretatur: per חמור autem *turmam* ſeu *cohortem* militum intelligit: & vocem טריה hic idem ac *recentem* ſignificare, contendit. Hinc tandem concludit, ſenſum eſſe, Simſonem adſumta recenti eaque valida militum turma, Philiſtaeos fudiſſe, & mille ex iis occidiſſe. Sed non ſunt haec ita comparata, vt eruditorum hominum calculum ferre queant. Equidem ad vocem טריה quod attinet, eam rectius hic per *recentem*, quam *putridam*, verti, facile concedo, rationibusque haud contemnendis id iam probarunt alii; conf. SAMVEL BOCHARTVS, *hieroz. part. I. lib. II. cap. XV.* Vocem autem חמור hic *turmam militum* potius, quam *aſinum*, denotare, nullo idoneo argumento demonſtrauit. Ea quidem hoc ipſo in loco *verſ. 16. aceruum* ſignificat. Sed aceruus a *turma* ſeu *cohorte militum*, multum differt. Nec rectius ſe habent, quae de voce לחי docuit, quae ſi cum voce חמור coniungatur, & vtraqua in propria accipiatur ſignificatione, non poteſt aliud quid, quam aſini maxillam denotare. Nec magni momenti ſunt, quae pro ſua ſententia confirmanda porro in medium adfert. Atheis, inquit, occaſio ridendi ea, quae ceteroquin ſcriptor ſacer referre videtur, adimitur. Sed cum non ἀδύνατον ſit, vt recenti maxilla aſini Simſon ſingulari & inuſitato prorſus corporis robore praeditus, tot Philiſtaeos percuſſerit; athei iuſtam ridendi, ſcriptoremque ſacrum ſubſannandi, cauſſam non habent. Nec in atheorum gratiam aut neganda miracula, aut a vero ac genuino verborum ſenſu diſcedendum. Vt cum LYRANO, aſinos maiores eſſe in terra iudaica, & habere maiora oſſa, adferamus, neceſſe non eſt; cum & maxilla ex aſino vſitatae magnitudinis, ſi Simſonis vires ſpectemus, ad Philiſtaeos clade iſta adficiendos, ſuffecerit. Verba denique, quae ſequuntur *verſ. 16.* noſtrae adeo non obſtant ſententiae, vt eamdem potius confirment. Cum enim videret, quantam Philiſtaeorum ſtragem non gladio, aut alio inſtrumento bellico, ſed aſini maxilla, dediſſet: in magnam admirationem ipſemet coniectus, nec ſine miraculo hoc factum, ſecum reputans, Deumque ideo laudaturus, exclamauit: בלחן החמור חמר חמלתים בלחי החמור הכיתי אלף איש *maxilla aſini aceruus aceruorum, maxilla aſini*

aſini percuſſi mille viros. Cum vox חמור & *aſinum* & *aceruum* ſignificet, vocibus iſtis eleganter ludit. Ad voces חמור חמר תים quod attinet; perinde eſt, ſiue ea vertas: *aceruum, immo aceruos duos*, ſiue *aceruorum duorum*, item, ſiue dicas, duos Philiſtaeorum occiſorum fuiſſe aceruos, ſiue, quod alias non inſolens, dualem numerum pro plurali poſitum: ſenſus enim eodem redit, qui hic eſt: *maxilla aſini* (feci) *hosce aceruos, maxilla aſini, mille viros occidi.* Quod vero IOANNES CLERICVS, vt in hisce verbis Simſonis verſus ὁμοιοτελέυτους inueniat, pro איש legendum putat פלשתים, nimis temerarium mihi videtur. His ita geſtis, Simſon maxillam manu proiecit, indeque locus *Ramath-lechi* dictus eſt. Cum autem, vt credere par eſt, mille virorum caede admodum fatigatus eſſet, aeſtusque diei acceſſiſſet, & in loco, in quo nullae aquae erant, verſaretur; ingens eum inuaſit ſitis. Quod enim FLAV. IOSEPHVS, & cum illo alii exiſtimant, a Deo illi poenae loco hanc ſitim immiſſam, eo quod victoria iſta ſe extuliſſet, omni deſtituitur fundamento. Dum itaque cum precatus eſſet Simſon, ne ſiti exſtingueretur, & ita in manus incircumciſorum caderet, non ſine ingenti miraculo ex cauitate quadam, quae erat in loco iſto Lechi dicto, aqua ſubito erupit, qua refocillatus eſt Simſonis animus, atque recreatus. Sunt equidem nonnulli, qui verba את־המכתש אשר־בלחי de *dente molari*, vel eius potius cauitate, in maxilla aſini a Simſone proiecta intelligunt; vt R. SAL. IARCHI inter Ebraeos, aliique plurimi. Eamdemque, quod mireris, ſententiam tuetur SAMVEL BOCHARTVS, in *hieroz. part. I. lib. II. cap. XV.* quam & B. LVTHERVS noſter in verſione germanica expreſſit. Verum, cum diſerte dicatur, fontem iſtum ibi permanſiſſe, & ſequenti adhuc fuiſſe aetate; de cauitate dentis molaris haec verba accipi nequeunt. Vox etiam מכתש de dente molari nuspiam in ſcriptura accipitur, ſed alias *mortarium* ſignificat, & hinc de quauis cauitate in terra aut rupe accipi poteſt. Praeter LXX interpretes eodem modo hæc verba intellexit FLAV. IOSEPHVS: πρὸς ἃν τὰς ἱκεσίας ἐπικλασθεὶς ὁ Θεὸς πηγὴν κατά τινος πέτρας ἀνίησιν ἡδεῖαν καὶ πολλήν. *Supplicationibus Deus permotus fontem ſub quodam lapide emittit dulcem & copioſum.* Nec alia mens chaldaeo interpreti fuit: ובזע יי ית כיפא *& fidit Iehouah ſaxum, quod erat in maxilla* (ſeu loco a Samſone ita dicto) *& effuſa eſt ex eo aqua.* Etſi enim in quibusdam codicibus pro כיפא legatur ככא, quae vox *dentem molarem* ſignificat; prior tamen lectio praeferenda videtur. Ex recentioribus, quorum plurimi eamdem nobiscum ſententiam tuentur, conferendi SEBAST. SCHMIDIVS atque IOANNES CLERICVS, ad *h. l.*

** Difficilius ſaepe eſſe, ſe ipſum, quam hoſtes potentiſſimos vincere, ſuo exemplo Simſon demonſtrauit. Qui enim hactenus tot miranda geſſerat, & longe plura ad liberandum a Philiſtaeorum iugo populum ebraeum gere-

re

re potuiſſet, libidine amoribusque impuris vltimam ſibi ipſi perniciem attraxit. Et primo quidem, Gazam cum curioſitatis forte cauſſa veniſſet, mulieremque meretricem ibi vidiſſet; amore eius captus, ad eam ingreſſus eſt. Cum mulier ea זונה dicatur, non meretricem, ſed cauponariam fuiſſe, qui Simſonem excuſare volunt, contendunt, quod nonnulli ex Ebraeorum magiſtris faciunt; quemadmodum & chaldaeus eam vocem per פונדקיתא *hoſpitam* vertit. Sed etſi vox זונה alias & *cauponariam* denotet; hic tamen pro *meretrice*, aut pro cauponaria, quae ſimul meretrix fuit, eam ſumi, palam eſt. Nec enim ſine ratione dicitur, quod *eam viderit;* cum hoc ipſo indicetur, forma eius Simſonem captum. Immo *ad eam ingreſſus* dicitur, quae formula copulam carnalem, iuxta ebraeam loquendi rationem, denotat. Philiſtaei, in quorum poteſtate vrbs Gaza erat, hac opportunitate vtendum, rati, ſtationibus ad portam collocatis, inſidias illi ſtruunt; quibus cognitis Simſon circa mediam noctem ſurgens, portae fores cum poſtibus & vectibus reuulſas impoſitasque humeris, in montem, qui ante Hebronem eſt, pertulit. Id eiusmodi fuiſſe, vt vires humanas ſuperaret, nemo temere dubitauerit. Mox, cum libidini ſemel frena laxaſſet, mulierem Philiſtaeam, quae in valle Soreh habitabat, deperire coepit, cui nomen erat Delilah. Eam Simſonis vxorem fuiſſe, SVLPITIVS SEVERVS, *hiſtor. ſacr. lib. I. cap. XXVIII. p. m. 88.* aliique patrum exiſtimant. Sed meretricem fuiſſe, res ipſa docet; conf. NATALIS ALEXANDER, *hiſtor. eccleſ. vet. teſtam. aet. mundi IV. diſſert. XX. p. 63.* Hanc magnis pollicitationibus inducunt Philiſtaeorum principes, vt cauſſam inuicti, quo pollebat, roboris ex eo expiſcaretur, vinctumque ſibi traderet. Blanditias cum calliditati iungeret Delilah; ille quidem tribus vicibus, artem arte deludens, inſultus eius repulit, eiusmodi vinculis ſe teneri poſſe, fingens, quae cum Philiſtaeos adeſſe iuſſit, facili negotio rupit. Stupidum plane aut amore dementem fuiſſe oportet Simſonem, ſi mulieris fraudes non intellexit, aut, ſi intellexit, excaecatum prorſus, quod vitam ſuam atque ſalutem eiusmodi illecebris poſtpoſuit. Valde itaque probabile, mulierem callidiſſimam omnem adhibuiſſe diligentiam, vt incautum falleret, animumque perfidum tegeret ac occultaret. Idque & FLAVIO IOSEPHO animaduerſum, dum hancce hiſtoriam ita exornat: ἡ δὲ παρὰ πότον καὶ τοιαύτην συνουσίαν θαυμάζουσα τὰς πράξεις αὐτοῦ ἐτεχνιτεύετο μαθεῖν τίνι τρόπῳ τοσοῦτον προύχει καὶ ἀρετὴν, *inter pocula & eiusmodi conſuetudinem admirata res eius geſtas, arte conabatur cognoſcere, qua ratione vsque adeo virtute excellebat.* Quae ingenio muliebri ſatis quidem ſunt conuenientia: an vero Simſon ſtatim ſui Naziraeatus ita fuerit immemor, vt potu inebriante vſus ſit, quod IOSEPHVS innuere videtur, merito dubito. Nec enim vllum huius rei in ſcriptura ſacra exſtat veſtigium. Quidquid huius ſit, Delilam

Digitized by Google

lam id, quod expiſcari a Simſone voluit, ita propoſuiſſe, ne fraudem ſtatim animaduerteret, dubio caret. Neque exiſtimandum, cum Philiſtaeos inſidiatores vocauit, eos ſtatim quoque adfuiſſe. Hoc enim ſi factum eſſet, prima ſtatim vice fraudem mulieris vel manibus palpare potuiſſet Simſon. Sed occulti haud dubie manſerunt, non prius in conſpectum Simſonis prodituri, quam certo ſciuiſſent, inuſitato iſto, quo pollebat, eum deſtitutum robore. In eam itaque Simſon ſe adduci facile paſſus eſt opinionem, adfectu impuro mentis inſuper oculos excaecante, non malo animo, ſed tantum curioſitatis gratia, Delilam roboris ipſius cauſſam explorare. Fatigatus itaque tandem mulieris, quam deperibat, precibus, veram cauſſam ei aperuit, idque ea ratione, vt mulier callidiſſima facile animaduerteret, hac quidem vice Simſonem non mentitum. Coma itaque, cum in gremio eius obdormiuiſſet, ſpoliatum, hinc & orbatum omni robore, vinctumque Philiſtaeis tradidit. Non abs re fuerit, hic obſeruare, non a crinibus, ſeu capillo, ſed a ſpiritu diuino, robur illud inuſitatum habuiſſe Simſonem; at ea tamen conditione, vt votum Naziraeatus obſeruaret, nec data id migraret opera. Id ipſe diſerte indicat, dum ad meretricem, *nouacula*, inquit, *capiti meo admota non eſt, quia Naziraeus ſum, ab vtero matris meae*. Idque cum illi ignotum non eſſet; nullam video rationem, cur ex ſingulari Numinis reuelatione hoc ei innotuiſſe dicendum ſit, ſi tonſus fuerit, robur illud ab eo receſſurum. Neque aut inſolens, aut ſanctitati Numinis aduerſum, dona quaedam miraculoſa & extraordinaria hominibus improbis quoque ſub certa conditione concedere. Hinc &, cum caeſaries ei iterum creuiſſet; robur quoque velut reſtaurato Naziraeatu, illi redditum eſt. Diiudicanda hinc, quae NICOLAVS SERARIVS, aliique interpretes ad *h. l.* hac de re diſputant.

Philiſtaei, vt vindictae cupiditatem omnem explerent, oculos ei effoderunt, Gazamque abductum catenis aeneis vinxerunt, vt in carcere moleret. Oculis orbatus eſt, ut intelligeret, his ſuam ſe merito imputare perniciem. Hanc enim euadere potuiſſet, ſi eos a mulierum forma contemplanda auertiſſet. In piſtrinum ſeruos improbos olim detruſos fuiſſe, ex Romanorum etiam moribus conſtat. In carcere itaque haud dubie piſtrinum publicum fuit, ſeu mola truſatilis, brachiorum viribus circumagenda, in qua corporis vires exerceret Simſon. Iudaeorum enim commenta, in ſignificatione obſcoena, qua vox טחן *Iob. XXXI. 10.* occurrit, eam & hic accipientium, ipſe R. DAV. KIMCHI ad *h. l.* procul faceſſere iubet; vid. THEOD. HACKSPANIVS, *not. bibl. p. 630.* AVGVSTVS PFEIFFERVS, *dub. vexat. centur. II. loc. LXI. p. 357.* Tandem vt ſollemnem velut triumphum de Simſone agerent, ad ſacra Dagoni deo ſuo (de quo deinceps) facienda conuenerunt Philiſtaei. Huic enim, ſtulta & abſurda perſuaſione ducti, tribuebant, quod in ma-

nus ſuas veniſſet Simſon. Ne itaque ad laetitiam eius diei quidquam deeſſet, accerſiuerunt e carcere Simſonem, *vt luderet coram illis*, ſiue facere aliquid coëgerunt, quod riſum ſibi moueret, ſiue, quae aliorum eſt ſententia, vt fidibus caneret, aut alio quodam inſtrumento muſico, ipſi autem ſaltarent. Luſus enim eiusmodi ac ſaltationes cum cultu idololatrico ſubinde coniunctae eſſe ſolebant. Nec abſonum, vt dicamus, Simſonem, virum bellicum, muſicae artis peritum fuiſſe, cum de Dauide aliisque idem conſtet. Statuerant autem eum medium inter duas columnas, quibus tectum domus innitebatur, vt ab omnibus conſpici poſſet, ad quas cum ſe a puero, qui eum ducebat, adplicari petiiſſet, quaſi innixurus ob defatigationem, fuſis ad Deum precibus, vt vltima hacce vice vltionem a Philiſtaeis ſibi ſumere liceret, columnas illas manibus tanta vi impulit, vt detractae vniuerſam domum praecipitem dederint; qua ruina vna cum ipſo Simſone tria millia Philiſtaeorum, interque eos quinque ſatrapae interierunt. Domum iſtam, in qua tot homines congregati fuerunt, templum Dagonis fuiſſe, nonnulli exiſtimant: at IOANNES CLERICVS, tumultuarium aedificium, columnis ligneis ſuſtentatum, inſtar theatri aut amphitheatri fuiſſe, veroſimilius iudicat. Nec incredibile, tot millia hominum aedificii iſtius ruina oppreſſos, cum multo plures oppreſſi ſint Fidenis, ruina amphitheatri lignei, cuius meminit CORNELIVS TACITVS, *annal. lib. VI. cap. LXII.* vt idem vir doctus obſeruat.

Rectene autem fecerit Simſon, eiusmodi quid faciendo, quo ſibi ipſi mortem attrahere videbatur? quaeri ſolet. Nonnulli Ebraeorum de lege ſe non interficiendi vnam cauſſam excipiunt, tamquam εὔλογον ἐξαγωγὴν, *ſi quis videat, ſe deinceps victurum in probrum ipſius Dei.* Atque huc inter alia exemplum Simſonis referunt, quem adeo, etſi αὐτόχειρ fuerit, peccaſſe tamen negant. Nec procul ab hac ſententia abeſſe videtur HVGO GROTIVS, de *iure belli & pacis, lib. II. cap. XIX. §. V. num. IV.* Verum alii, Simſonem αὐτοχειρίαν commiſiſſe, negant; quia, quod columnarum impulſu domum iſtam proſtrauit, diuini ſpiritus opus fuerit, quippe quod longiſſime vires humanas ſuperauerit. Non itaque aliter hic Simſonem, quam inſtrumentum, quo Deus ad puniendos Philiſtaeos vſus ſit, ſpectandum, quod & ipſemet precibus ſuis a Deo impetrauerit. *Non ipſe occidit*, inquit AVGVSTINVS, *qui miniſterium debet iubenti, ſicut adminiculum gladius eſt vtenti; de ciuit. Dei lib. I. cap. XXI.* Praeterea certum eſt, hoc non intendiſſe, ſaltem directe Simſonem, vt ſe ipſum occideret, & licet vix aliter fieri poterat, quam vt eadem ruina inuolueretur, non tamen ἀδύνατον erat, vt Deus, ſi ita illi viſum fuiſſet, illum ſeruaret. Haec & alia pro Simſone paſſim diſputari ſolent, de quibus praeter alios vid. ABR. CALOVIVS, ad *Iud. XVI. 30.* IO. ADAMVS OSIANDER, ad GROTII *loc. cit.*

cit. aliique. Cum vero & probabile admodum ſit, egiſſe Simſonem poenitentiam; de eius ſalute non videtur dubitandum, quae & plerorumque ex noſtratibus eſt ſententia, cui & nonnulli ex veteribus ſuffragantur. Vid. NATALIS ALEXANDER, *hiſtor. eccleſ. vet. teſt. aetate mundi IV, diſſert. XX. p. 63.* Mortuum autem fratres & cognati in ſepulcrum paternum intulerunt. Et hicce tanti herois finis fuit, qui per annos viginti populum iſraëliticum iudicaſſe dicitur, *Iud. XV. 20. & XVI. 31.* Nimirum, qui a Deo excitati populum iſraëliticum a poteſtate & oppreſſione hoſtium liberabant, iudices dicebantur. Licet autem Simſonis tempore Iſraëlitae Philiſtaeorum imperium non penitus excuſſerint; nullum tamen eſt dubium, quin hi illos, ne Simſonem, quem metuebant, irritarent, mitius habuerint. Et hac ratione iudicaſſe populum iſraëliticum dicitur.

*** De computo annorum, quibus iudices hactenus memorati populo ebraeo praefuerunt, adeo viri eruditi inter ſe non conueniunt, vt maximopere diſſentiant. Non errabimus autem, ſi ſcripturam ipſam ducem ſequamur, quae *I. Reg. VI. 1.* aperte docet, ab exitu filiorum Iſraël ex Aegypto vsque ad annum quartum Salomonis, quo templum aedificari coeptum eſt, effluxiſſe annos CCCCLXXX. Quacumque itaque ratione calculus in annis iudicum numerandis ponatur, hoc certum firmumque eſſe debet, eum clariſſimo huic ſpiritus ſancti effato repugnare non debere. Duplici autem ratione hocce temporis interuallum computari poteſt, primo per annos Ioſuae reſiduos atque iudicum, deinde, partim per interualla quietis terrae, partim per praefecturae iudicum ſpatia. Si prior modus placeat, res ita procedet: Othoniel XL annis praefuit, *Iud. III. verſ. 11.* Ehud ſiue Aod LXXX, *Iud. III. 30.* Samgar paucis menſibus. Barak cum Deborah, XL annis, *Iud. V. 31.* Gedeon itidem XL, *Iud. VIII. 28.* Abimelech III, *Iud. IX. 22.* Thola XXIII, *Iud. X. 2.* Iair XXII, *Iud. X. 3.* Iephta VI, *Iud. XII. 7.* Ebzon XII, *Iud. XII. 9.* Elon X, *Iud. XII. 11.* Abdon VIII, *Iud. XII. 14.* Simſon XX, *Iud. XV. 20.* Efficitur hinc ſumma annorum CCXCIX, quibus ſi addantur anni XL Eli, & XL Samuelis atque Saulis, itemque XL anni Dauidis, & tres integri anni vsque ad initium templi Salomonei, tandem & XL anni ab egreſſu gentis iſraëliticae ex Aegypto vsque ad principatum Ioſuae, oritur inde ſumma CCCCLXII annorum, quibus ſi porro anni XVII regiminis Ioſuae, iuxta ea, quae ſupra ad §. VI. obſeruauimus, addantur, efficitur inde ea ſumma, quae *I. Reg. VI. 1.* indicatur, ſcilicet annorum CCCCLXXX. Quodſi methodus poſterior, per interualla quietis terrae ſupputandi placeat, ita procedendum: a quiete prima, quae *Ioſ. XI. 23.* item *cap. XIV. 15.* memoratur, vsque ad quietem ſecundam, quae ſub Othoniele coepit, effluxerunt XL anni; a quiete ſecunda, ſcilicet ſub Othoniele, quae *Iud. III. 11.* commemoratur, vsque ad quietem per Ehudem redditam, effluxere LXXX anni *Iud.* *III.*

III. 30. a quiete terrae tertia, ſcilicet ſub Ehud vsque ad liberationem & quietem per Deboram redditam, effluxere XL anni, *Iud. V. 31.* a quiete quarta, per Deboram ſcilicet parta, vsque ad liberationem Gideonis, itidem effluxere XL anni, *Iud. VIII. 28.* Hinc itaque efficitur ſumma CC annorum, qui a quiete prima ſub Ioſua, usque ad pacem per Gideonem redditam, elapſi ſunt. A morte autem Ioſuae vsque ad quietem per Gideonem partam, CXC anni effluxerunt. His ſi addas annos ceterorum iudicum, qui vsque ad Eli populo israëlitico praefuerunt, ſcilicet III Abimelechi, XXIII Tolae, XXII Iairi, VI Iephtae, VII Ebzonis, X Elonis, VIII Abdonis, XX Simſonis, & X qui a quiete per Gideonem reddita, vsque ad regnum Abimelechi effluxere, rurſus inde emergit ſumma CCXCIX annorum, qui cum ceteris epochae huius ad initium templi Salomonei annis antea iam indicatis, itemque cum annis XL ab egreſſu populi israëlitici ex Aegypto, & XVII principatus Ioſuae, ſummam efficiunt CCCC LXXX annorum.

Sunt equidem nonnulli, qui cum FLAVIO IOSEPHO annos ſeruitutum ab annis, quibus iudices praefuerunt, diſtinguunt, & vtrosque ſeorſim numerant; & quamquam hi ipſi quoque inter ſe non in omnibus conſentiant; longe maior tamen inde exſurgit annorum numerus, quam ſecundum noſtram computandi rationem; cum iuxta nonnullos a morte Ioſuae ad exceſſum Simſonis elapſi ſint CCCCX, iuxta alios CCCCXXIX, & rurſus iuxta alios CCCCXXXI anni. Fauent huic ſententiae, annos ſcilicet ſeruitutum, & annos, quibus iudices populo israëlitico praefuerunt, ſeorſim numerandos, HIERONYMVS, *ep. CXXXII.* aliique veterum; quam & ex recentioribus defendunt DIONYSIVS PETAVIVS, in *doctrina temporum, lib. IX. cap. XXXII.* MELCHIOR CANVS, *locor. theol. lib. XI. cap. V.* NIC. ABRAMVS, in *Pharo veter. teſtam. lib. X. cap. V.* aliique. Et hi quidem id praecipue vrgent, quod abſonum ſit, ſub eo tempore, quo terra quieuiſſe dicitur, etiam tempus belli & ſeruitutis comprehendere. Cum enim Israëlitae aut bella geſſerunt cum hoſtibus, aut dura ſeruitute oppreſſi ſint; non poteſt dici, quod terra quieuerit. Sed reſpondent, qui priorem ſententiam defendunt, tempus belli & ſeruitutis a tempore pacis & quietis equidem diſtinguendum eſſe, ſed annorum notatione quieti terrae appoſita, quietis illius initium, non autem eius durationem denotari, vt adeo *quieuit*, idem ſit, ac *quieſcere coepit;* quemadmodum *Gen. V. 32. genuit* idem eſt, ac *gignere coepit.* Sic, cum de quiete ſub Othoniele *Iud. III. 11.* dicitur, *& quieuit terra annis quadraginta*, non id innuitur, quod ſub Othoniele terra quadraginta annis quieuerit, ſed ſenſus eſt, quod a prima quiete, quae *Ioſ. XI. 23* & *XIV. 15.* memoratur, vsque ad quietem per Othonielem redditam, effluxerint quadraginta anni, vel, quod perinde eſt, quod anno poſt quietem ſub Ioſua conceſſam quadrageſimo, iterum ſuperatis Meſopota-

menſi-

Digitized by Google

menſibus, ſub Othoniele Israëlitis quies reddita fuerit. ' Hinc &, cum additur: *& mortuus eſt Othoniel Kenaei filius;* non ita hoc eſt intelligendum, quod eodem anno quadrageſimo mortuus ſit, vel, quod mortuus ſit, cum Israëlitae ſub eo quadraginta annis quietem habuiſſent, ſed, cum anno a prima quiete quadrageſimo quies per Othonielem Israëlitis reddita fuiſſet, eo poſt aliquod temporis interuallum deinde mortuo, Israëlitas iterum a Deo defeciſſe, & hinc Egloni Moabitarum regi traditos fuiſſe. Sic & de tertia quiete dicitur: *& terra quieuit octoginta annis, Iud. III. 30.* non profecto, quod Ehud per totidem annos Israëlitis praefuerit, id enim ab omni ſpecie veri abhorret, ſed quod tertia vice terra quieſcere inceperit, cum a quiete per Othonielem reddita, vsque ad hanc per Ehudem partam, anni octoginta exfluxiſſent. Eadem ratione intelligendum, quod *Iud. V. 31.* dicitur: *& quieuit terra quadraginta annis.* Senſus namque eſt, victo per Deboram & Barakum Iabino Canaanaeorum rege, redditam Israëlitis iterum quietem, ſeu terram denuo quieſcere coepiſſe, idque anno quadrageſimo, ſeu cum anni quadraginta, a quiete per Ehudum parta, vsque ad hanc, elapſi eſſent. Nec aliter ſe res habet, cum *Iud. VIII. 29.* dicitur: *& quieuit terra in diebus Gideonis annis quadraginta.* Iterum enim ſenſus eſt: & quieſcere coepit terra, cum anni quadraginta a quiete per Deboram & Barakum parta, vsque ad quietem redditam per Gideonem effluxiſſent. Conf. IAC. VSSERIVS, in *chronologia ſacra, cap. XII. & XIII. p. 65. ſeqq.* vbi & annos octodecim, quibus Israëlitae a Philiſtaeis & Ammonitis oppreſſi fuiſſe dicuntur *Iud. X. 8.* ad Iairi tempora, non autem ad ſequentia referenda eſſe, cenſet. Sed, quae noſtra hac de re ſit ſententia, conſtat ex iis, quae ſupra ad *§. X.* diximus.

Reliqua, quae ſententiae hactenus expoſitae, qua ſeruitutis & quietis interualla coniunguntur, obiici ſolent, ita comparata ſunt, vt haud difficulter ad ea reſpondere liceat. Primo namque vrgent, quod Iephta Ammonitis obiecerit, Israëlitas vrbes & agros, quos illi repetebant, iam per annos CCC poſſediſſe; cum tamen ſecundum noſtrum calculum a tempore, quo Israëlitae terram iſtam occuparunt, vsque ad eam aetatem tantum effluxerint anni CCLXIV. Sed quid reſpondendum ſit, patet ex iis, quae hac de re itidem ad *§. X.* diximus. PAVLVS PEZRONIVS porro obiicit, multas anarchias ſeu interregna praeceſſiſſe ſeruitutes Israëlitarum, quarum ſi habeatur ratio, maiorem inde oriturum annorum numerum; *antiqu. temp. reſtituta. cap. VIII.* Reſpondemus, anarchias quasdam interceſſiſſe, non diffitemur, ſed nihil obſtat, quo minus ſub illo temporis interuallo, quod terrae quieti, aut iudicum praefecturae tribuitur, comprehendantur. Praecipuum vero inter ea, quae obiiciunt, momentum trahit locus *Act. XIII. 20.* vbi Paulus cum ingreſſus Israëlitarum in terram Canaan meminiſſet,

niſſet, *καὶ μετὰ ταῦτα*, inquit, *ὡς ἔτεσι τετρακοσίοις καὶ πεντήκοντα ἔδωκε κριτὰς ἕως Σαμουὴλ τοῦ προφήτου*. Quadringentos ſcilicet & quinquaginta annos a diſtributione terrae ad Samuelem vsque effluxiſſe, Paulus adſerere videtur, vnde longe maior, quam ſecundum noſtram ſententiam hactenus propoſitam, annorum exſurgit numerus. Tantique nonnullis hocce dubium viſum, vt pro *τετρακοσίοις*, *τριακοσίοις* legendum exiſtimauerint. Alii praeeunte IAC. VSSERIO *loc. cit.* obſeruarunt, in codice antiquo Alexandrino, qui in Anglia exſtat, ita legi: *κατεκληρονόμησεν, αὐτοῖς τὴν γῆν αὐτῶν ὡς ἔτεσι τετρακοσίοις, καὶ πεντήκοντα, καὶ μετὰ ταῦτα ἔδωκε κριτάς*. Quam lectionem eo magis nonnulli amplectuntur, quod non tantum hac ratione omnis difficultas ceſſet, ſed quod eadem lectio etiam reperiatur inter diuerſas lectiones, quas nouo teſtamento Pariſiis anno MDLXVIII graece a ſe excuſo ROBERTVS STEPHANVS ſubiiciendas curauit, conſentiente quoque praeter verſionem vulgatam, codice quodam graeco alio Pariſiis itidem edito, & a THEOD. BEZA, ad *h. l.* laudato, nec non manuſcripto altero noui collegii apud Oxonienſes, vt auctor eſt VSSERIVS, *l. c.* Verum ſi vel maxime recepta lectio retineatur; ſalua tamen res erit, ſi modo ad voces *ταῦτα* & *πεντήκοντα*, *ὑποστιγμὴ* adhibeatur. Nulla enim tum opus erit transpoſitione, ſed ſenſus hic erit: *Poſthaec, quae ſpatio quadringentorum & quinquaginta plus minus annorum geſta ſunt, dedit iudices.* Ad praecedentia itaque, quae *verſ. 17. ſeqq.* Paulus dixerat, illud *μετὰ ταῦτα* referendum erit, vt adeo iſto numero illud temporis interuallum, quod a nato Iſaaco ad occupationem & diſtributionem terrae Canaan effluxit, comprehendatur. Ita temporum rationes ſibi conſtant. A nato namque Iſaaco ad Iacobum, anni effluxerunt LX; a Iacobo nato ad introitum in Aegyptum CXXX; commorationis Ebraeorum in Aegypto anni numerantur CCX; ab exitu vero eorum ex Aegypto vsque ad diſtributionem terrae Canaan XLVII. Quibus annis in ſummam redactis, prodeunt anni CCCCXLVII, h. e. circiter CCCCL, quia tres tantum ad numerum rotundum deſunt. Conf. IOAN. MILLIVS ad *Actor. XIII. 20.* Plura autem hac de re praeter VSSERIVM, *loc. cit.* dabunt ABR. CALOVIVS, in *praeloquio ad libr. iudicum, p. 696.* & NATALIS ALEXANDER, *hiſtor. eccleſ. vet. teſtam. aetat. mundi IV. diſſert. XVII. p. 52. ſeqq.*

§. XII.

Simſone, eo, quo diximus, modo, e medio ſublato, Eli, primus ex Ithamaris ſtirpe ſummus ſacerdos, iudicis quoque munere functus eſt. Quo ſummam rerum tenente, haud exiguum eccleſia pariter ac reſpublica Ebraeorum damnum paſſa eſt. Praeſertim poſtquam ſenior factus, ſacrorum miniſterium in filios transtulit; qui omnia

omnia pro lubitu deſignando, aequitatis iuſtitiaeque nullam habebant rationem, immo ipſum Numinis cultum flagitiis nefandis conſpurcabant, conniuente ad haec Eli, per nimiam indulgentiam ac lenitatem, & delictorum, quae filii commiſerant, poenam in ſe quoque deriuante. Numinis ideo iram Iſraëlitae experti ſunt, inſigni clade a Philiſtaeis adfecti, capta quoque arca federis. *

* Eli, qui ſummi ſacerdotis pariter ac iudicis munere functus eſt, ex familia Ithamaris erat, filii Aaronis. Id conſtat ex *I. Paral. XXIV. 3.* vbi Abimelechus Achitobi filius & pronepos Eli, ex poſteris Ithamaris fuiſſe dicitur. Confirmat idem FLAV. IOSEPHVS, *antiquit. iud. lib. V. cap. XII. p. m. 166.* vbi auctor eſt, poſt Phineaſum, Eleazaris filium, Aaronis nepotem, Abiezerum, Phineaſi filium, ſummi ſacerdotis munere functum, quem in eadem dignitate exceperit Boceias, filius eius, a quo eamdem Ozis, Boceiae filius, acceperit. Tum vero a ſtirpe Eleazaris haecce dignitas ad ſtirpem Ithamaris tranſiit, dum Eli ad eamdem peruenit. Qua id factum ratione, cum plurimi adhuc ex ſtirpe Eleaſaris ſuperfuerint, non conſtat. Eo magis autem id mirandum, quod Deus Phineaſo, Eleazaris filio, perpetuum ſacerdotium promiſerat, *Num. XXV. 13.* Probabile autem, non ſine nutu & auctoritate diuina hoc factum; forte, quod poſteri Eleazaris idololatria, aut aliis criminibus ſe indignos iſto munere reddiderunt. Nec obſtabat promiſſio diuina, ea quippe lege intelligenda, ſi modo Phineaſi poſteri ita ſe geſturi eſſent, vt ſeruare Deus hocce promiſſum poſſet. Quare cum & Eli eiusque filii ſe indignos tam ſublimi faſtigio reddidiſſent, eodem itidem exciderunt, per Zadokum, quem Salomoh ſummum ſacerdotem conſtituit, iterum ad Eleazaris ſtirpem dignitate hacce translata; conf. quae ſupra ad *§. XXIV. ſectionis praecedentis* dicta ſunt. Qui, Eli per vim ſummum ſacerdotium inuaſiſſe, adſerunt, audiendi non ſunt; cum & nullo idoneo hoc euincere argumento queant, & ex iis etiam, quae mox dicenda ſunt, refellantur. Quacumque itaque demum ratione ad ſummum ſacerdotium Eli peruenerit, quacumque etiam ratione factum, vt idem iudicis quoque munere fungeretur, (namque nec hoc liquet) improbitate filiorum eius, & ipſius conniuentia nimia ac indulgentia factum, vt ipſe pariter ac filii & omnes poſteri eius, vltionem diuinam, exemplo in omne aeuum memorando, experirentur.

Improbitas filiorum Eli deſcribitur *I. Sam. II. 12. ſeqq.* Per ſummam enim impudentiam cum ſacrificia offerebantur, ea non tam vindicabant ſibi, quam rapiebant, quae illis non debebantur, non tantum auaritiam & intemperantiam, ſed apertum Numinis contemtum hoc ipſo demonſtrantes. Inde vero etiam contingebat, vt Iſraëlitae a ſacris Deo faciendis abſterrerentur,

tota

totaque religio in contemtum adduceretur. Idque ſcriptor ſacer innuit, cum *verſ. 17. peccatum adoleſcentum,* inquit, *magnum fuit coram Domino, quia faſtidiebant homines, munus* (offerre) *Domino.* Neque hic ſubſiſtebat iſtorum hominum petulantia. Sed mulieres etiam religionis cauſſa ad tabernaculum confluentes conſtuprabant, omnem hac ratione Numinis cultum profanantes, omniumque ludibrio exponentes. Auctor eſt R. DAVID KIMCHI, ad *h. l.* nonnullos Ebraeorum, quod de filiorum Eli cum mulieribus iſtis concubitu dicitur, ἀλληγορικῶς capere; quibus vero ipſe non ſuffragatur. Et rectiſſime quidem. Iſta filiorum ſuorum facinora cum Eli, admodum iam ſenex, audiret; eos equidem increpuit, ſed, cum grauiori acriorique animaduerſione in eos vti debuiſſet, quippe qui iam ad extremum impietatis gradum progreſſi erant, intempeſtiua iſta lenitate ipſemet Numinis iram in ſe prouocauit. In ſermone, quo illos increpuit, id praetermittendum non eſt, quod dicit: *ſi quis in alium peccauit,* פללו אלהים *iudicabit eum Deus;* vel, vt alii volunt, *magiſtratus, ſed, ſi quis deliquerit in Iehouam, quis pro illo orabit?* Vocem אלהים in priori membro chaldaeus interpres de iudice accipit, quem & plerique Ebraeorum ſequuntur, quibus etiam verſio germanica B. LVTHERI ſuffragatur. At alii de Deo ipſo eam vocem intelligunt, vt LXX interpretes, qui & reliqua prioris membri verba ita reddunt, vt a textu ebraeo prorſus diſcedant: *ἐὰν ἁμαρτάνων ἁμάρτῃ ἀνὴρ εἰς ἄνδρα, καὶ προσεύξονται ὑπὲρ αὐτοῦ πρὸς κύριον.* Nec multo melius vulgatus: *ſi peccauerit vir in virum, placari ei poteſt Deus.* Sed vt hac ratione vox אלהים recte quidem per *Deus* vertitur, ita, quo pacto reliqua cum textu ebraeo conciliari queant, non video. Vox enim ebraea פלל nec *intercedere*, nec *placare* ſignificat, ſed *iudicare*, ſaltem hoc loco nihil aliud ſignificare poteſt. SEBAST. SCHMIDIVS, adcuratius textui ebraeo inſiſtens, nihilo ſecius illis accedit, qui hic per אלהים *Deum* intelligunt, ſenſumque horum verborum hunc eſſe exiſtimat: *ſi quando peccat viro vir, tamen iudicat* (punit) *eum Deus: ergo, ſi Iehouae peccauerit vir, quis intercedet pro eo?* At mihi cuncta planius rectiusque procedere videntur, ſi vocem אלהים de iudice ſeu magiſtratu capiamus. Tum enim ſenſus eſt: ſi quis alium hominem laeſit, & propterea in ius vocetur, auctoritate & ſententia iudicis litem finiri, in qua & laeſo adquieſcendum ſit; at aliter rem ſe habere, ſi quis Deum immortalem & praepotentem laeſerit, cuius iram, ſi is, qui eum laeſit, non reſipuerit, nemo ſiſtere queat. Conf. IO. CLERICVS, ad *h. l.* Filii autem Eli patris admonitionem inſuper habentes, in ſua ſtrenue pergebant improbitate. Quare ſcriptor ſacer addit: *Nec tamen auſcultarunt voci patris ſui* כי חפץ יהוה להמיתם quae verba vulgatus transfert: *quia voluit Dominus occidere eos;* quemadmodum & LXX interpretes particulam כי per

ὅτι

ὅτι vertunt. Amplectuntur hanc interpretationem ambabus, quod aiunt, manibus reformatae ecclesiae doctores, qui inde concludunt, quod filii Eli patri non obediuerint, nec vitam moresque mutauerint, id a decreto diuino, ſecundum quod illis pereundum fuerit, prouenire. Id vero cum non tantum durum admodum ſit, ſed aliis etiam ſcripturae locis, quae omnem peccati culpam a Deo remouent, aperte repugnet; haud ſine ratione alii haec verba paullo aliter explicanda cenſuerunt. IO. TARNOVIUS, in *exercitationibus biblicis*, ad *h. l.* particulam כי vertit per *quamuis*, vt ſenſus ſit: *non obediuerunt voci parentis, quamuis Dominus eos vellet interficere.* SEBAST. SCHMIDIVS particulam כי equidem, per *quod* vertit: ſed vt ſenſus ſit: *at non auſcultauerunt voci patris ſui,* (ſeu non crediderunt patri ſuo, iis dicenti) *quod Deus illos velit interficere.* Quae explicatio vt facile admitti poteſt, & ingenii laude ſe commendat; quemadmodum nec prior illa IOAN. TARNOVII eſt prorſus contemnenda; ita planius tamen & hic mihi rem expedire videntur, qui particulam כי conſequutiue ſeu illatiue accipiunt, & per *propterea* aut *ideo*, aut ſimili ratione vertunt. Ita omnis difficultas tollitur. Hanc etiam particulae iſtius ſignificationem non infrequentem eſſe conſtat. Conf. ABR. CALOVIVS, ad *h. l.* WOLFGANGIVS FRANZIVS, de *interpret. ſacr. ſcript. orac. XV.* AVGVST. PFEIFFERVS, in *dub. vex. cent. I. loc. LXVI. p. 363.* IO. CLERICVS, ad *h. l.* qui & ad argumenta THEOD. HACKSPANII, pro ſententia contraria militantis, reſpondet.

Nulla itaque cumupereſſet ſpes, fore, vt filii Eli mores mutarent; prophetam Deus ad Eli miſit, qui poenam, quae ipſum eiusque filios maneret, poſterorumque ſimul eius fata, illi indicaret. Per איש אלהים *virum Dei* enim vt prophetam intelligamus, par eſt. Hominem, non angelum fuiſſe recte iam obſeruatum AVGVSTINO, de *ciuitat. Dei, lib. XVII. cap. V.* Elkanam, Samuelis patrem, huncce prophetam fuiſſe, Ebraeorum quorumdam, ſpeciatim R. SAL. IARCHI eſt ſententia; quemadmodum alii, Phineaſum fuiſſe, contendunt, quod non adeo abſonum eſſe putat R. LEVI BEN GERSON. Sed, quam haec ſine omni fundamento dicantur, per ſe patet. Et ſi Phineas adhuc vixit, cur Eli fuit ſummus ſacerdos? Quis vero credat, eo tempore Phineam adhuc in viuis fuiſſe? Liceat nobis ignorare, quis ille propheta fuerit, cum ſacro ſcriptori viſum fuerit, nomen eius non prodere. Per huncce prophetam Deus initio commemorat, qua ratione gentem Aaronis ex omnibus Iſraëlitis elegerit, vt ſacerdotio fungeretur, quo tamen Eli eiusque filii tam improbe ſe gerendo, ſe indignos reddiderint. Exprobrat tum ei nimiam erga filios indulgentiam, & ſacerdotium, quod Ithamaris poſteris promiſiſſet, ab iis iterum auferendum comminatur. Quando hoc factum, vt Ithamaris poſteris ſacerdotium Deus promiſerit, non conſtat; etſi facile intelligatur, tum illud haud

haud dubie contigiſſe, cum Eleazaris poſteri magnis peccatis ea dignitate ſe indignos reddidiſſent. Interim recte hinc colligitur, nutu & auctoritate diuina ſacerdotium transiiſſe ad Ithamaridas, nec Eli vi illud ad ſe rapuiſſe, vt antea obſeruauimus. Fore itaque, porro dicit, vt *exſcindat brachium eius, & brachium domus patris eius.* Qua voce robur familiae, quod in iuuenibus ſitum erat, intelligitur. Vnde ſine ratione nonnulli pro זרוע *brachium*, זרע *ſemen* legunt; etſi eadem ratione legiſſe videantur LXX interpretes, hanc vocem reddentes per σπέρμα. Explicat enim hoc ipſe propheta, dum fore dicit, vt omnes poſteri Eli in aetate virili moriantur, nec quisquam ad ſenectutem perueniat: ſacerdotium autem ſummum ad alios transferendum iterum diſerte innuit, quod tempore Salomonis in Zodoco factum, itidem antea iam obſeruauimus. Signum denique, vnde certo haec euentura cognoſcere poſſet, hoc ei conſtituit, quod ambo eius filii Hophni & Phineas vno die morituri ſint. Similia Deus & per Samuelem puerum, qui miniſtri vicibus in tabernaculo ſancto fungebatur, Eli eiusque filiis praedixit; *I. Sam. III. 10. ſequ.*

Mox etiam euentus hisce praedictionibus reſpondit. Exorto enim inter Philiſtaeos & Israëlitas bello, ex praelio, quod committebatur, hi inferiores diſceſſerunt, quatuor millibus virorum amiſſis. Cauſſa & occaſio belli non memoratur. At vix dubitandum videtur, quin Philiſtaei inſolentia ſua & tyrannide Israëlitis neceſſitatem arma capiendi impoſuerint. Clade accepta, cum in caſtra ſe recepiſſent; ſeniores, *cur vos*, inquiunt, *hodie Dominus percuſſit coram Palaeſtinis?* Quibus verbis non tantum innuere videntur, ſe hactenus feliciter contra Philiſtaeos rem geſſiſſe, ita, vt hi Israëlitas non multum laceſſere auſi ſint, ſed & cum Deo velut expoſtulant, nullam in ſe cauſſam eſſe exiſtimantes, cur Deus permiſerit, vt ab hoſtibus caederentur. Quo ipſo vt recte quidem agnoſcunt, diuinitus id ſibi contigiſſe: ita ſtultam arrogantiam & hypocriſin produnt. Si enim peccata varia ab Israëlitis commiſſa, ſi ſacerdotum, ſpeciatim filiorum Eli nequitiam & improbitatem expendere voluiſſent, cauſſam inflicti a Deo vulneris facile inuenire potuisſent. Magna itaque fiducia Siluntem mittunt, arcam federis inde arceſſentes, ac ſi ii eſſent, in quorum gratiam Deus ſtatim miracula edere deberet. Eos & hac in re peccaſſe, nec rectius egiſſe Eli, dum conſenſit, vt arcam in caſtra transferrent, dubitandum non eſt. Hoc enim ſine expreſſo Numinis mandato fieri non debuiſſet: quod ſemper acceſſit, quoties arcae huius aliquis in bello vſus fuit. Fueritne ipſa arca federis, an alia quaedam, in qua fragmenta tabularum legis conſeruabantur, quae Ebraeorum quorumdam eſt ſententia, deinceps ad *§. XIV.* expediemus. Magno quidem gaudio & ingenti clamore arca in caſtris Israëlitarum excepta: Philiſtaeis quoque hinc metus incuſſus eſt. At cum animis reſum-

reſumtis ad praelium redirent, in fugam conuerſi magnaque clade adfecti ſunt Ebraei; arca inſuper capta, filiisque Eli occiſis. Ea vero cum Eli nuntiarentur, ad cetera quidem immotus, cum arcam federis captam audiret, e ſella, in qua ſedebat, retrorſum cecidit, animamque exſpirauit, anno aetatis nonageſimo octauo, cum per annos quadraginta iudicis munere in populo ebraeo functus eſſet, *I. Sam. IV. 15. & 18.* Qui alias hic numerorum rationes ineunt, ſine ratione a texto ebraeo diſcedunt. Conf. CHRISTIANVS SCHOTANVS, *biblioth. hiſt. ſacr. vet. teſt. tom. II. p. 529.* Philiſtaei autem, ob arcam, quam ſecum habuerunt, federis, magnis a Deo adfecti ſunt calamitatibus, donec eam Iſraëlitis reſtituerent. Quod qua ratione factum ſit, ex *I. Sam. V.* conſtat; diceturque hac de re adhuc aliquid in ſequentibus.

§. XIII.

Nobilitarunt hocce temporis interuallum viri inſignes, maximisque virtutibus conſpicui, Ioſua, de quo antea dictum, * Calebus, Iephta, Simſon, ** quorum nonnulli Chriſti ſeruatoris typum exhibuerunt, *** ne quid nunc de Phinea, ceterisque ſummis ſacerdotibus dicamus. * Addenda his eſt femina, ſexus ſui ornamentum ſingulare, Rutha, quae ſuae virtutis vel hoc ipſo praemium ampliſſimum conſequuta eſt, quod peculiari libro memoria eius ad omnem poſteritatem eſt propagata. **

* §. *I.* ad *VI.*

** De hisce itidem, quae maxime memoratu digna ſunt, iam in antecedentibus attigimus. Reliqua ex libro Ioſuae & iudicum conſtant. In compendio qui vitam illorum legere cupit, *lexicon* noſtrum *hiſtoricum vniuerſale*, voc. *Caleb &c.* adeat.

*** Hoc paſſim theologi, & ſcripturae interpretes oſtendunt. Ioſuam pariter ac Simſonem Chriſti typum fuiſſe, adplicatione facta demonſtrat THOMAS TAILORIVS, in *Chriſto reuelato, cap. VIII. & IX. p. 57. ſeqq.*

* Nomina ſummorum ſacerdotum poſt Phineam ad Eli vsque ſibi inuicem ſuccedentium, iam ad §. *praecedentem* ex FLAV. IOSEPHO commemorauimus. Illud ſaltem addendum, nomina illorum a IOSEPHO minus adcurate exprimi, vt ex *I. Paral. VI. 51.* vbi Eleazaris poſteri commemorantur, conſtat. Qui enim IOSEPHO Abiezer audit, ibi Abiſhua vocatur, & pro Boceias, Bucci, pro Ozi, Vzzi vel Vſi ponitur. Immo, an omnino huic IOSEPHI relationi fides adhibenda? dubitari poſſet. Certe, etſi viri antea memorati *I. Par. VI. 51.* inter poſteros Eleazaris & Phineae numerentur, non tamen, eos pontificatu functos, dicitur. Suntque omnino, qui Phineae ſtatim Eli ſucceſſiſſe, autumant: quamquam & haec ſententia ſua difficultate non careat. Legendus hac de re IOAN. SELDENVS, *de ſucceſſ. in pontificat. Ebraeor. lib. I. cap. II. p. 108.*

** Tum

** Tum ob alias virtutes, tum maxime ob conſtantiam ſingularem fidemque erga ſocrum Naëmi demonſtratam, Rutha celebratur. Cumque illam poſt mariti & filiorum mortem, relictis patriis laribus, atque cognatis, in terram Canaan ſequuta eſſet, ſapienter cuncta diſpenſante Numine; factum eſt, vt Boas Salmonis filius illam in matrimonium duceret, vnde facta eſt mater Obedi, qui auus fuit Dauidis. Eſtque vero haud abſimile, libellum, cui nomen dedit, non tam, vt inſignis mulieris virtus poſteris commendaretur, quam vt familiae Dauidicae ſeries & ordo ſibi conſtaret, litteris mandatum. In hac ipſa vero genealogia haud leue inde oritur dubium, quod ſecundum libri huius auctorem a Salmone vsque ad Dauidis natiuitatem, computato Salmone, quatuor interceſſerint generationes, Salmonis, Boaſi, Obedi, & Iſai, qui fuit pater Dauidis, cum ab ingreſſu Iſraëlitarum in terram Canaan, quo tempore Salmon vixit, vsque ad natales Dauidis, effluxerint anni CCCLXVI. Videtur namque parum veroſimile, iſti temporis interuallo quatuor tantum reſpondere generationes. Vnde diuerſas iterum vias viri docti, vt hinc ſe expedirent, ingreſſi ſunt, vt videre licet apud IO. BENED. CARPZOVIVM, in *collegio rabbinico-bibl. in lib. Ruth, p. 242. ſeqq.* Nonnulli, vt ceteras ſententias taceam, temporum non conſtare ſibi rationes, arbitrati ſunt, niſi praetermiſſos nonnullos a ſcriptore ſacro inter Boazi progenitores ſtatuamus. Immo ſunt, qui tres eiusdem nominis Boazi ſtatuunt, quorum primus Salmonis filius, alter nepos, tertius pronepos, & Obedi pater fuerit. Verum ita dicendum fuerit, auctorem iſtius genealogiae parum ἀκριβῶς ea in re verſatum, aut temporum iniuria, aliisque de cauſſis, duo haecce nomina ex ſcriptura ſacra intercidiſſe. Quod eiusmodi eſt, vt neutrum temere ſit adſerendum. Rectius itaque mea opinione ſentiunt, qui Salmonem eiusque poſteros longaeuos admodum ſtatuunt, & vnumquemque illorum centeſimum iam aetatis annum ſupergreſſum, cum filium hic memoratum gigneret. Nimirum, ſi ponamus, Rachabam, annos circiter LX natam, quadrageſimo quidem ſecundo poſt ingreſſum Iſraëlitarum in terram *Canaan*, Salmoni peperiſſe Boazum, hunc vero anno aetatis ſuae centeſimo ſecundo genuiſſe ex Rutha Obedum, Obedum autem Iſai anno aetatis centeſimo vndecimo & hunc eodem aetatis anno Dauidem; reſultabit inde ille annorum numerus, qui ab ingreſſu in terram Canaan, vsque ad natiuitatem Dauidis, effluxerunt. Minus equidem frequens, fateor, haud dubie iam ea aetate fuit, vt vir centeſimum aetatis annum ſupergreſſus liberos gigneret, planeque ſingulare quid cenſeri debet, quod tres quatuorue iuſto ordine ſibi ſuccedentes idem fecerint; quemadmodum nec quotidianum profecto erat, vt mulier, ſexaginta iam annos nata, pareret; nihiloſecius eiusmodi hoc eſt, vt ſine miraculo etiam fieri potuerit, eoque minus,

Digitized by Google

minus, quin factum ſit, dubitandum, quia haud obſcure ſcriptura ſacra id innuit. Conf. IAC. VSSERIVS, *chronol. ſacr. part. I. cap. XII.* MARTINVS CHEMNITIVS, *harm. euangel. lib. I. cap. III.* ABR. CALOVIVS, ad *Ruth. IV. 17.* Quo tempore, quae in libro, cui a Rutha nomen, narrantur, contigerint, non ſatis liquet. Scriptor enim ſacer generatim ſaltem dicit בימי שפט השפטים *in diebus iudicare iudices*, hoc eſt, eo tempore, quo iudices ius dicebant. Ebraeorum quidam doctores hoc ita capiunt, ac ſi tempus deſignetur, quo iudices ipſi vel a Deo, vel a populo iudicati ſint, eo quod nimirum ſuo officio non recte functi ſint. Quod ingenium plane rabbinicum ſapit. Conf. IOAN. BENED. CARPZOVIVS, in *colleg. rabbinico-bibl. in lib. Ruth*, ad *cap. I. verſ. 1. p. 52.* Perperam quoque vulgatus interpres haec verba reddit: *in diebus vnius iudicis*, vt iam ab aliis oſtenſum. FLAV. IOSEPHVS haec refert ad tempora Eli, *antiquit. iud. lib. V. cap. XI.* AVGVSTINVS, ad principium regum, *lib. II. de doctrina chriſtian. cap. VIII.* Alii aliter. Quodſi vero admittamus, quae antea de annis progenitorum Dauidis diximus, Boazum anno poſt ingreſſum in terram Canaan quadrageſimo ſecundo ex Rachaba genitum, eumdemque anno aetatis centeſimo ſecundo ex Rutha ſuſcepiſſe Obedum non multum a vero aberrabunt, qui, hoc circa tempus Ehudi aut Samgaris contigiſſe, arbitrantur; conf. IO. HENR. HEIDEGGERVS, in *enchirid. bibl. lib. I. cap. IX. p. 120.* De libro, qui a Rutha nomen habet, & quando ſcriptus ſit, deinceps dicemus.

§. XIV.

Religionis, doctrinaeque catholicae, non alia hoc tempore ratio fuit, quam ſub Moſe. * Idemque de cultu Numinis externo cenſendum. Tabernaculum, in quo ſacra publica peragebantur, quod initio circumferebatur, deinde certis locis, vt Gilgal ac Siloh, ad tempus adfixum fuit. Reliqua ex praeſcripto legum Moſaicarum peragebantur, a quibus ſi quis diſcedebat, hoc extra ordinem fieri cenſebatur. **

* Quaenam verae religionis ſub Moſe ratio fuerit, in compendio oſtenſum *ſect. praeced. §. XXXI.* Summa conſiſtit in fide in Meſſiam, quae, vt diuinitatem Meſſiae, ita & perſonarum in vna eſſentia diuina pluralitatem, ſupponit. Et huius quidem doctrinae in hocce quoque temporis interuallo documenta illuſtria exſtant, ex quibus praecipua paucis attingemus. Memorabilis eſt adparitio illa Ioſuae facta, cum ad vrbem Hierichuntem adpropinquaret, *Ioſ. V. 13. 14.* Per virum illum, quem coram ſe ſtantem, manuque ſtrictum tenentem gladium Ioſua vidit, angelum, at creatum, non tantum Ebraeorum doctores, ſed ex chriſtianis romanenſes, Socini quo-

que adſeclae, & alii, intelligunt; & nonnulli quidem Michaëlem, populi iudaici praefectum, ex *Dan. X. 21.* quibus & HVGO GROTIVS, ad *h. l.* ſuffragatur; conf. ANDREAS MASIVS, ad *h. l.* itemque LVDOVICVS DE DIEV, ad *h. l.* Cumque Ioſua quaeſiuerit: *an noſtras es, num hoſtium?* ideo id factum putant, quod dubitaret, eſſetne angelus tutelaris Iſraëlitarum, an Cananaeorum? At longe veroſimilius, initio neſciuiſſe Ioſuam, num angelus eſſet, quem videbat: cumque ſubito illi ſe offerret, dubitabat, eſſetne aliquis ex hoſtibus, an ex Iſraëlitis? Mox vero agnoſcebat, angelum eſſe, ſed increatum illum, qui ipſe Deus, ſeu filius Dei eſt. Et iſtum quidem, non creatum angelum hic intelligi, conſtat, quia *cap. VI. verſ. 1.* diſerte יהוה vocatur. Qui enim ibidem ad Ioſuam loquitur, eumdem adhuc angelum ſeu ducem exercitus Iehouae eſſe, iam ſupra ad *§. II. huius ſectionis* luculenter euicimus. Praeterea, dum vir ille, ſeu angelus, ſe ducem exercitus Iehouae vocat, illum ſe eſſe indicat, qui Iſraëlitis datus erat, vt eos in terram Canaan introduceret, *Exod. XXIII. 20. XXXIII. 2.* quem non alium, quam filium Dei eſſe, itidem ſupra iam euicimus. Accedit, quod Ioſua angelum iſtum adoraſſe dicatur, quemadmodum & mandatis eius obſequi ſe paratum oſtendebat, itemque quod calceos exuere iuſſus ſit, quod ob angeli iſtius praeſentiam locus ille ſanctus cenſeretur, *Ioſ. V. 13. 14.* Quae omnia profecto ita comparata ſunt, vt de cultu mere ciuili capi nequeant, adeoque nec angelo creato conueniunt; conf. ABR. CALOVIVS, ad *h. l.* AVGVST. PFEIFFERVS, *dub. vexat. cent. II. loc. XLVII. p. 328.* Nec minus memorabile eſt, quod Ioſua in ſollemni illa federis inter Deum & Iſraëlitas reſtauratione populum hunc in modum adloquatur: *non poteritis colere Iehouam, quia* אלהים קדשים הוא *Dii ſancti ille, cap. XXIV. 19.* Non ſine ratione fieri, vt vox אלהים in multitudinis numero de Deo vno adhibeatur, idque eo magis, quod numero ſingulari non careat, aliis iam obſeruatum. Cum vero inſuper & verba, & adiectiua pluralis numeri, cum eodem conſtruuntur, vt *h. l.* itemque *Deut. V. 26. Ierem. X. 10.* alibique; id profecto non aliam ob cauſſam, quam ad perſonarum in vna eſſentia pluralitatem demonſtrandam fieri, manifeſtum eſt; conf. IACOB. ALTINGIVS, *diſſert. IV. hept. VII. oper. tom. V. p. 208.* & SAL. DEVLINGIVS *obſeru. ſacr. part. II. obſeru. II. p. 12. 13.* Speciatim ex Ioſuae verbis idem demonſtrari poſſe, ABR. CALOVIVS ad *h. l.* euincit, vbi & ad rationes ſecus ſentientium reſpondet. In libro iudicum increati iſtius angeli, ſeu filii Dei, itidem paſſim iniicitur mentio. Sic angelus ille, qui Gilgale ad locum, qui deinceps Bochim dictus eſt, aſcendit, Iſraëlitas, quod mandatis diuinis morem non geſſiſſent, reprehenſurus, non alius, quam increatus ille, ſeu filius Dei, eſſe potuit, cum diſerte ſibi tribuat, quod populum ebraeum ex Aegypto eduxerit, & in terram Canaan introduxerit, immo, quod

quod maius adhuc eſt, quod fedus cum patribus illorum pepigerit, *Iud. II. 1.* Haec enim vero ſolius Dei eſſe, nemo non intelligit. Pari ratione, qui Gideoni adparuit, non alius, quam idem angelus increatus fuit; *Iud. VI. 13. ſeqq.* Namque, qui *verſ. 12.* angelus dicitur, diſerte *verſ. 14.* יהוה vocatur, idemque *verſ. 16.* Gideoni auxilium aduerſus hoſtes promittit, immo miraculo edito, ſe reuera Deum demonſtrauit, cui etiam ceu Deo Gideon ſacrificium obtulit, *verſ. 19. ſeqq.* Nec aliter de angelo, qui Simſonis parentibus adparuit, exiſtimandum, *Iud. XIII. 3. ſeqq.* Praeterquam enim, quod ipſe Manoach cum vxore diſerte profiteatur, ſe Deum vidiſſe, *verſ. 22.* ipſe angelus nomen ſuum mirabile eſſe, adſerit *verſ. 18.* indicans, ſe eum eſſe, qui mirabilia patrare queat, quod profecto ſolius Dei eſt. Conferenda, quae ſupra ad *§. XI. huius ſectionis*, hac de re dicta ſunt. Iam, ſi quaeramus, quem in finem toties filius Dei, ſeu angelus ille increatus, ſe manifeſtauerit; nihil aptius reſponderi poteſt, quam ideo hoc factum, vt omnes intelligerent, eum eſſe caput eccleſiae, perque eum omnibus hominibus viam ad ſalutem patere. Et ex hocce verae religionis capite ſummo reliqua facile deriuari poſſunt. Vnicum addo: cum Ioſua ad Achanem dixit: *fili, da gloriam Domino, Deo Israëlis, Ioſ. VII. verſ. 19.* non inepte hinc colligit HVGO GROTIVS, ſpem aliquam de animarum permanſione poſt mortem his verbis indicari. *Qua enim alia ſpe*, inquit, *adductus hic homo eſt, vt crimen capitale fateretur?* At quod idem ex mente Iudaeorum, non ſine adprobatione addit, *confeſſione & morte criminum talium veniam a Deo impetrari*, id admitti nequit. Solam enim poenitentiam, quae ſine fide in Meſſiam eſſe nequit, requiri, vt homo cum Deo reconcilietur, & aliunde conſtat, & variis exemplis ex hoc ipſo, in quo verſamur, temporis interuallo, probari poſſet, ſi his diutius immorari conſultum duceremus.

** Cum in cultu Numinis externo loci cumprimis haberi ratio ſoleat, de tabernaculo primo obſeruamus, illud ſub Ioſua Silunte conſtitutum fuiſſe, *Ioſ. XVIII. 1.* Haud dubie enim antea Gilgale fuit, cum Ioſua ibi caſtra haberet. Siluntem illud ob loci amoenitatem translatum, FLAV. IOSEPHVS exiſtimat; ἐπιτήδειον γὰρ ἐδόκει τὸ χωρίον, διὰ κάλλος, *idoneus enim videbatur locus, propter amoenitatem, donec templum aedificari, res Israëlitarum paterentur; antiquit. iud. lib. V. cap. V.* Quae ratio licet aliis accedere potuerit; mihi tamen ideo hoc praecipue factum videtur, quod Siloh vrbs fere in media Cananaea ſita eſſet, adeoque ſingulis tribubus commode adiri poſſet. Accedebat, quod ſita eſſet in tribu Ephraim, ex qua & Ioſua erat, qui haud dubie ſe nimis a tabernaculo diuelli noluit. Quod Silunte tabernaculum fuerit, etiam *Pſalm. LXXVIII. 60.* & *Ierem. VII. 14.* indicatur. Nonnulli & huc referunt feſtum, quod quotannis Silunte celebrari ſolitum fuerit, *Iud. XXI. 19.* atque feſtum taber-

tabernaculorum intelligunt. Sed cum in feſto eiusmodi totius populi iſraëlitici, magnus hominum ex omnibus tribubus haud dubie fuerit confluxus, raptus puellarum Siluntinarum a Beniaminitis commode peragi non potuiſſet. Probabilius itaque, feſtum ali quod Siluntinae vrbi proprium intelligi. Tabernaculum deinceps Nobi, quae vrbs fuit ſacerdotalis, *I. Sam. XXI. 1. ſeqq.* & tandem Gibeone fuiſſe, conſtat, donec templum a Salomone exſtructum eſſet; *II. Chron. I. 3. ſeqq.* Si Ebraeorum magiſtris credendum, Gilgale fuit annis XIV, Silunte CCCLXIX, Nobi XIII, & Gibeone tandem L. Vid. R. MOS. MAIMONIDES, *tract. de ſanctuar. cap. I. §. II.* R GEDALIAS, in *ſchalſchel. hackab. p. 25.* Arcam federis aliquando a tabernaculo abfuiſſe, cum a Philiſtaeis capta eſſet, iam ſupra ad *§. XII.* dictum. Nonnulli equidem ex Ebraeorum doctoribus non eam arcam, quae in ſancto ſanctorum fuit, ſed aliam quamdam a Philiſtaeis captam adferunt; ſed ſine ratione, vt ex eiusdem gentis doctoribus obſeruat R. DAVID KIMCHI, ad *I. Sam. IV.* add. SEBAST. SCHMIDIVS, ad eumdem locum, *quaeſt.* [illegible] *p. III. ſeqq.* Nec probari poteſt, quod nonnulli Ebraeorum magiſtri de duplici arca, altera in ſanctuario conſeruanda, altera in bellum deducenda, tradunt; conf. IOANNES BVXTORFIVS, de *arca federis, exercit. I. cap. III. p. 32. ſeqq.* Cum autem apud Philiſtaeos eſſet; non vno documento Deus, eam ſacram ſibique conſecratam eſſe, demonſtrauit. Dagonis enim idolum, in cuius aede eam collocauerant, primo collapſum in terra coram arca, deinde omnino capite manibusque truncatum, inuenerunt. Terram muribus adflixit Deus, hominesque haemorroidibus puniuit, *I. Sam. V. 6. ſeqq.* Vox עפלים equidem diuerſimode ab interpretibus redditur. HIERONYMVS namque reddit: *in ſecretiore parte natium,* cui & alii adſtipulantur. FLAV. IOSEPHVS habet: *τὸ τῆς δυσεντερίας πάθος*, ac ſi dyſenteria laborauerint; alii aliter. Sed praeferenda eſt illorum ſententia, qui per עפלים *mariscas*, ſeu *haemorroides* intellgunt. Vid. SAM. BOCHARTVS, *hieroz. part. I. lib. II. cap. XXXVI.* qui &, quantam mures agreſtes regionibus adferant calamitatem, oſtendit *lib. III. cap. XXXIV.* Ceterum, cum non tantum Asdodi, vbi primum arca fuit, ſed & Gathi atque Ekrone, per quas quidem vrbes arcam federis circumferre Philiſtaei conſultum duxerunt, eadem ratione vim ſuam demonſtraſſet Deus, adeo, vt plurimi Philiſtaeorum ex haemorroidibus perirent; ex conſilio ſacerdotum atque vatum eam tandem ad Iſraëlitas mittere decreuerunt. Iidemque ſacerdotes illis auctores fuerunt, vt donarium adderent, quinque ſcilicet mariscas aureas, totidemque aureos mures. In quam eos ſententiam non ſine Numinis quadam directione ingreſſos, exiſtimo. Qui enim, ex diaboli ſuggeſtione hocce conſilium profectum, exiſtimant, fidem non merentur. Quorſum donaria iſta venerint,

rint, non conſtat. Probabile autem, ea apud arcam fuiſſe ſeruata. Plauſtro deinceps arcam cum donariis capſae incluſis impoſuerunt, cui duas iuuencas lactantes, iugique hactenus expertes iunxerunt. Hae enim ſi recta via Bethſemeſum verſus ingrederentur, documentum inde capturi erant, a Deo ob arcam haſce plagas ſibi immiſſas. Id enim vix ſine miraculo fieri poterat. Interim cum ita res eueniſſet, nullus amplius Philiſtaeis de cauſſa ſuae adflictionis dubitandi ſupererat locus. Eo in loco, ubi ſubſtiterat arca, duae iſtae vaccae, conſciſſis hunc in finem plauſtri lignis, Deo in ſacrificium oblatae ſunt, a ſacerdotibus ſcilicet Bethſemeſenſibus, vt credibile eſt, non autem a Philiſtaeorum principibus, vt nonnulli apud R. DAVID KIMCHI, ad *h. l.* exiſtimant. Hoc vero ſacrificium cum extraordinarium fuerit; mirum non eſt, leges Moſaicas de ſacrificiis non adeo adcurate in eo fuiſſe obſeruatas. Bethſemeſitae autem, qui alia adhuc ſacrificia obtulerant, cum intempeſtiuae ſuae curioſitatis, parum reuerenter, parumque religioſe arcam intuentes, poenam grauiſſimam dediſſent; arca Kiriath-iearimum in domum Abinadabi translata eſt, vbi & ad Dauidis vsque tempora permanſit. Et iſta quidem de tabernaculo & arca federis hic obſeruanda fuerunt.

Cum vero deinde *ſynagogae* locis ſacris adnumeratae ſint; an iſtae iam hocce temporis interuallo fuerint? quaeri ſolet. Adfirmant illud, & ſynagogarum originem a tempore, quo Israëlitae rerum ſuarum ſedes in Cananaea fixerunt, repetendam, contendunt BONAVENTVRA CORNELIVS BERTRAMVS, de *republ. Ebr. cap. XV.* IO. LIGHTFOOTVS, *oper. tom. I. p. 473.* EDVARDVS STILLINGFLEET, *orig. ſacrar. lib. II. cap. IV. §. III.* aliique, cumprimis & vir clariſſimus MELCH. LEIDEKKERVS, qui variis rationibus pro hacce ſententia pugnat, de *republ. Ebraeor. tom. I. lib. VIII. cap. V. p. 127.* Negant contra, & ſynagogarum originem vel ad captiuitatem babylonicam, vel omnino ad reditum populi iudaici ex iſta captiuitate, referendam cenſent CAROLVS SIGONIVS, de *republ. Ebr. lib. II. cap. VIII.* CAMPEGIVS VITRINGA, de *ſynagoga veteri, lib. I. part. II. cap. II.* & alii. Id certum, diſerte ſynagogarum in hocce temporis interuallo nullam mentionem fieri. Sacerdotum equidem & Leuitarum officium fuit, erudire Israëlitas in iis, quae ad religionem ac cultum Numinis ſpectant. Eo vero, an iſta aetate ita, vt decet, functi ſint, non conſtat, immo ob inualeſcentem ſaepius idololatriam, morumque corruptionem maximam, fere dubites. Nec euictum, ſi eodem functi ſint, non alia ratione, quam in ſynagogis hoc fieri potuiſſe. Interim religio vtcumque conſeruari, & propagari potuit, etiamſi non fuerint ſynagogae. Dubium non eſt, quin patres quidam familias, qui pietate & virtute pollebant, & liberos, & reliquos ad familiam ſuam pertinentes diligenter erudiuerint, & rerum diuinarum cognitione impleuerint. Quae vir doctiſſi-

ctiſſimus, MELCH. LEIDEKKERVS, adſert, nondum, mea opinione, rem extra dubium ponunt. Sed liceat hic vnicuique, quam velit, eligere ſententiam.

Inter *actiones* ſacras, vt nunc reliqua perſequamur, quibus cultus externus Numinis peragebatur, eminent ſacrificia. De quibus hic ſaltem obſeruandum, quod ex lege Moſaica non alibi, quam in tabernaculo, offerri debuerint. Interim conſtat, iuſſu Numinis, aut ob cauſſas grauiſſimas, in hocce temporis interuallo ea & alibi oblata Ne quid enim de Bethſemeſitarum ſacrificio, cuius antea iniecta mentio, dicam, patet id exemplo ſacrificii a Gideone oblati; *Iud. VI. 19.* De ſacrificio enim non de epulo, quae ibi dicuntur, intelligenda eſſe, cum AVGVSTINO & THEODORETO recte plerique interpretes cenſent; etſi HVGO GROTIVS, ad *h. l.* ſecus ſentiat. De Manoah, Simſonis patre, quod eo in loco, vbi angelus Domini ei adparuit, ſacrificium obtulerit, res dubio caret, conſtatque ex *Iud. XIII. 19.* Haec praeter ordinem fiebant, nec, ob adlatas iam rationes, vituperanda erant. Interim inde conſtat, cultum externum tabernaculo non tam ſtricte adligatum fuiſſe, vt non aliquando alibi eumdem peragere fas fuerit. Denique quod ad *perſonas* ſacras attinet; de ſummis ſacerdotibus, eorumque in hocce temporis interuallo ſucceſſione, iam antea dictum. De reliquis nihil memoratu dignum occurrit. De Nethinaeis ſaltem obſeruandum, eorum hoc intuitu originem ex hoc temporis interuallo repeti poſſe, quod ex Gibeonitis fuerint, quos ad opera ſeruilia, eo quod ab iis deceptus eſſet, Ioſuam damnaſſe, ex ſupra dictis conſtat. Ita enim cum aliis & Ebraeorum magiſtri ſentiunt. Nec refragari hiſce, animus eſt, etſi non dubitem, quin & alii ex aliis nationibus ſerui deinceps acceſſerint. Nethinim autem dicti ſunt a נתן, quia dati & hoc ipſo deſtinati erant, ad miniſteria infima populi iſraëlitici & tabernaculi, *Ioſ. IX. 27.* Quamuis hocce nomen poſt hanc aetatem demum ortum ſit, cum hactenus Gibeonitae vocati ſint. Officium illorum erat, caedere ligna, & haurire ac adferre aquam, quod viliſſimi mortalium in gente ebraea praeſtare ſolebant. A Dauide & principibus populi ad *miniſterium Leuitarum* dati dicuntur, *Eſr. VIII. 20.* Tam abiecti autem erant apud Iſraëlitas, vt MOSES MAIMONIDES eos eodem cum ſpuriis loco habeat, &, Iſraëlitis matrimonium cum iis inire nefas fuiſſe, contendat; *tract. Iſchoth cap. I. num. VII.* conf. & MELCHIOR LEIDEKKERVS, de *republ. Ebr. tom. I. lib. X. cap. V. p. 595.* Romanenſes hic more ſuo lepidi ſunt. Vt enim in Nethinaeis *ſubdiaconos* (vid. CAROLVS SIGONIVS, de *republ. Ebraeor. lib. V. cap. VII.*) ita Kenaeis monachos ſibi inueniſſe viſi ſunt. Sed hac de re deinceps ad *ſ. XVI.* quaedam obſeruabimus.

ſ. XV.

§. XV.

Nec in matrimonio, ſtatuque domeſtico, ſi leges moresque receptos ſpectes, quidquam immutatum. * Ad regimen autem ciuile quod attinet, poſt Ioſuam, iudices magiſtratus ſupremi munere, ſalua theocratia, functos, ex hactenus dictis conſtat. Hic autem vt extraordinarius erat magiſtratus, nec perpetua ſucceſſione continuandus; ita a regia dignitate plane diuerſus. **

* Polygamiae, a Deo in gente iſraëlitica toleratae, exempla quaedam atque veſtigia in hocce quoque temporis interuallo occurrunt. Sic de Gideone, quod multas habuerit vxores, ex quibus LXX filios ſusceperat, diſerte dicitur, *Iud. VIII. 30.* Praeterea cum de Iairo dicitur, quod triginta habuerit filios, *Iud. X. 4.* & de Ebzone, quod itidem triginta filios totidemque filias habuerit, *Iud. XII. 9.* itemque de Abdone, quod quadraginta filiorum pater fuerit, *Iud. XII. 14.* probabile, hos omnes plures vna habuiſſe vxores. Nec defuiſſe eo tempore, qui פילגשים *concubinas*, ſeu vxores ſecundarias haberent, exemplo Leuitae iſtius patet, cuius concubina a Gibeenſibus conſtuprata, bello ciuili inter Israëlitas & Beniaminitas occaſionem praebuit, *Iud. XIX. 1. 2. ſeqq.* Singulare quid eſt, quod *Ruthae cap. IV. 7.* commemoratur. Cum enim Boaſus Rutham ducere vellet, vindicem eius ſeu proxime cognatum, in conſeſſu decem ſeniorum vrbis de redimendo Naëmi agro, ſollemniter compellauit, qui cum initio conſentiret, mox autem, audita conditione de Rutha inſuper in vxorem ducenda, renueret, Boaſo facultatem agrum iſtum redimendi, ſimulque ducendi Rutham conceſſit, idque calcei traditione, more eo tempore recepto, confirmauit. Non deſunt, qui legem ſacram de renuntiatione fratriae, ritumque illi addi ſolitum, qui *Deut. XXV. 9.* deſcribitur, hic exprimi exiſtimant. Ita FL. IOSEPHVS, *antiquitat. iudaic. lib. V. cap. XI.* qui & ritum exſpuendi in faciem, huic hiſtoriae adſperſit: quem & alii ſequuntur. Verum hosce falli, manifeſtum eſt. Lex enim illa, *Deut. XXV. 5.* vt ipſa eius verba docent, fratres tantum, non reliquos cognatos obligabat, adeoque hic locum habere non poterat. Praeterea hic praecipue de adquiſitione agri agebatur, cuius conſequens quoddam erat, matrimonium cum Rutha. Traditio calcei (pro quo chaldaeus habet: נרתיק יד ימיניה *chirothecam dextrae ſuae*) hic etiam non ſpectabat ad ignominiam eius, qui fratris defuncti vxorem ducere nolebat, ſed ad contractus confirmationem, vt *verſ. 7.* diſerte dicitur. Accedebat magna caerimoniarum in vtroque ritu diuerſitas, quam doctores ebraei pluribus ediſſerunt; conf. IOANNES SELDENVS, de *ſucceſſionib. in bona defunct. cap. XV.* it. *de iure nat. & gent. iuxta disciplin. Ebraeor. lib. VI. cap. V.* & IOAN. BE-

 NEDICT.

NEDICT. CARPZOVIVS, in *colleg. rabbinico-bibl. in lib. Ruth*, ad *cap. IV. v. 7. p. 191. ſeqq.*

* De ciuili regimine, quale poſt Moſis mortem ad reges vsque in gente ebraea fuerit, non idem viri docti ſentiunt. ADRIANVS HOVTVYNVS, quem aliquoties iam notauimus, ſub Ioſua quidem monarchicum regimen obtinuiſſe, non dubitat, tum vero interuallum, quod inter Ioſuam & Othonielem interceſſit, diſcernendum putat, a ſubſequentium iudicum temporibus; in priori, penes ſingulas tribus ſummum imperium fuiſſe, contendit, vt velut ſyſtema aliquod ciuitatis conſtituerint; in poſteriori iterum obtinuiſſe monarchiam; de *monarchia Ebraeor. cap. IV.* Sed eam ſententiam cum iam vir doctiſſimus, ADAMVS RECHENBERGIVS, in *peculiari diſſertatione*, HOVTVYNO oppoſita, itidemque ſupra iam laudata, *§. XXVIII. ſeqq.* profligauerit; nihil addimus. THOMAS HOBBESIVS, quia Iſraëlitarum regnum ſacerdotale dicitur, *Exod. XIX. v. 6.* ſummam rerum poſt Moſen penes Eleazarum, reliquosque ſacerdotes ſummos fuiſſe, contendit; de *ciuitat. Chriſti, cap. XL.* Sed, vt longe aliam ob cauſſam regnum ſacerdotale Iſraëlitis tribuitur; ita, quod iſta ſententia, vtpote omni fundamento deſtituta, admitti nequeat, ex inſtituto iam demonſtraui, in *ſpecim. prud. ciuil. rabbin.* ſeu *diſſertat. de principatu Abimelechi, cap. IV. §. XIV. p. 75. ſeqq.* add. IOAN. SPENCERVS, de *legib. Ebr. rit. lib. I. diſſertat. de theocrat. Iud. cap. II. & IV.* IOAN. STEPHANVS MENOCHIVS, iudicum tempore eiusmodi ſtatum populi iſraëlitici fuiſſe, putat, qui ex monarchia & ariſtocratia fuerit mixtus; de *republ. Ebr. lib. I. cap. I. §. V.* CAROLVS contra SIGONIVS, eum mere ariſtocraticum fuiſſe, exiſtimat, de *republ. Ebr. lib. I. cap. V.* quam ſententiam & alii calculo ſuo adprobant. Nos vero, vti ſupra iam demonſtrauimus, formam regiminis a Moſe inſtitutam recte theocraticam dici; ita eamdem ſub Ioſua atque iudicibus continuatam fuiſſe, plane perſuaſi ſumus. Et ad Ioſuam quidem quod attinet, licet ſolus, ceu ſupremus belli imperator populo ebraeo praeeſſet; eum tamen nihil propria auctoritate, ſed cuncta iuſſu atque nutu Numinis egiſſe, conſtat. Poſt eius obitum, cum ad Othonielem vsque deeſſet, qui loco Numinis magiſtratu ſupremo fungeretur, vnde hoc ſenſu admitti poteſt, quod dici ſolet, eo tempore fuiſſe ἀναρχίαν; Dei tamen ipſius regimen non deſiit, quod documentis potius luculentiſſimis agnoſcitur, quoties excitando iudices ſeu liberatores, ſaepius non ſine miraculo, populum iſraëliticum ab hoſtium ſuorum iugo liberauit. Idemque adeo de iſtis interuallis cenſendum, cum nullus iudex in Iſraële fuit: & ita quoque intelligendum, quod *Iud. XIX. v. 1.* alibique dicitur, eo tempore *nullum fuiſſe regem*, hoc eſt, magiſtratum ſuperiorem, Dei ceu regis vicarium, in Iſraële. Ad iudices autem quod attinet, qui non tantum שופטים, ſed & מושיעים *liberatores,*

tores, *ſeruatores* dicuntur, illi eum quidem in finem praecipue excitabantur, vt Iſraëlitas ab hoſtibus oppreſſos iterum in libertatem adſtererent, ſimul vero & ius illos dixiſſe, & lites auctoritate ſua diremiſſe, conſtat. Hinc & inter iudices referuntur, de quibus non legimus, quod Iſraëlitas a poteſtate hoſtium liberauerint, vti Eli & Samuel. Erant itaque magiſtratus extraordinarii, iidemque ſingulari ſpiritus ſancti adflatu atque impulſu excitati; adeoque ſucceſſio continua ac non interrupta inter illos locum non habebat; cum nec electione, nec populi ſuffragiis, nec alia quacumque ratione conſtituerentur; multo minus generationis iure hanc dignitatem ſibi vindicare poterant, ſed tantum diuinitus excitabantur. Quod Θεοκρατίας argumentum erat luculentiſſimum. Adparet itaque, inter reges atque iudices maximum interceſſiſſe diſcrimen, quod & pluribus exponit R. ISAAC. ABARBANEL, *praef. ad libr. Ioſuae*, vbi docet, in quo iudices & reges conuenerint, & in quo diſcrimen inter eos interceſſerit; quae in compendio exhibui in *ſpecimine prudent. ciuil. rabbin.* ſeu *diſſertat. de principatu Abimelechi cap. IV. §. XII. p. 73.* FLAV. IOSEPHVS iudices equidem μονάρχους adpellitat, *antiqu. iud. lib. IV. cap. II.* Sed cum ceteroquin Θεοκρατίαν in gente iſraëlitica agnoſcat; facile intelligitur, eum hac voce in propria & genuina ſignificatione vſum non eſſe. Patet vero etiam ex dictis, eos minus commode cum dictatoribus Romanorum comparari, quae eſt ſententia PETRI CVNAEI, de *republ. Ebr. lib. I. cap. XII.* praeſertim, ſi ponamus, dictatores reuera ſummum habuiſſe imperium; quod HVGO GROTIVS, ſed perperam mea opinione, adſerit; de *iure bell. & pac. lib. I. cap. III.* Nullus enim iudicum vlla ſummae poteſtatis iura propria auctoritate exercuit, ſed fuere non niſi magiſtratus Iſraëlitarum, ac miniſtri maximi monarchae, ipſiusmet Dei; vt recte pronuntiat HERMANNVS CONRINGIVS, de *republ. Ebr. XLVI.* vbi pluribus id demonſtrat. Minores magiſtratus eodem tempore, praeſertim in ſingulis vrbibus fuiſſe, non eſt, quod dubitemus. At ſynedrii magni nullum in hocce temporis interuallo veſtigium. Nec, ſi fuiſſet, dici potuiſſet: *Non erat rex in Iſraële, quisque faciebat, quod ſibi placeret, Iud. XXI. 25.*

§. XVI.

Litterarum ſtudia in gente ebraea pro temporis iſtius conditione continuata eſſe, non eſt, quod dubitemus; etſi, quae de ſcholis publicis in hocce temporis interuallo paſſim dicuntur, non aeque certa ſint. * De libris, qui hacce aetate compoſiti dicuntur, ſi ab iis, qui in ſacro codice exſtant, diſcedas, idem cenſendum. **

* Inter loca, in quibus hocce tempore litterarum floruerint ſtudia, aut omnino ſcholae publicae ac academiae fuerint, vel primo loco Kiriath-Sepher, quae poſtea Debir dicta, ex *Ioſ. XV. 15.* commemorari ſolet. Eſſe nonnullos, qui in hacce vrbe ab ipſo diluuio antiquitatis monumenta conſeruata eſſe exiſtiment, iam ſupra ad *per. I. ſect. II. §. VI.* obſeruauimus. Facere autem non poſſum, quin addam, quae NICOLAVS SERARIVS, ad *Ioſ. l. c.* in medium attulit. *Cur vero*, inquit, *litterarum aut librorum vrbs fuerit, fingunt, neſcio quid, Rabbini. Refelluntur autem a Lyrano & Abulenſi, qu. 5. in Ioſ. 15. quibus magis placet, inibi tamquam in celebri academia litteras egregie tractatas, vel forte inuentas fuiſſe, quod & Driedoni lib. 4. de dogmatibus variis p. 235. placet. Maſius in Ioſ. 15. ex chaldaeo vult, vrbem eſſe archaeorum, ſeu tabulariorum, quod ibi multa vetuſtatis monumenta poſt orbis diluuium repoſita fuerint, ibidemque vocat Arias bibliothecam publicam. Et ſic celeberrima Hiſpaniae regum hodierna ſedes arabico nomine adpellata eſt Madrid, id eſt, mater ſcientiae, quia Mauri illic ſcholas habuere, cum olim diceretur Mantua &c.* Expoſitis ita aliorum ſententiis, ſuam tandem ſubiungit: *Poſſet etiam vocari vrbs litteratorum vel ſapientum, cum fere in ſenioribus ſapientia eſſe dicatur; Iob. 12. & eandem ob cauſſam videtur poſtmodum vocata Dabir, id eſt oraculum, quod ex ſapientiae officina quaedam veluti oracula fundantur &c.* Cum vero eadem vrbs *Ioſ. XV. 49.* etiam vocetur Kiriath-Senna, hac de re SERARIVS ita porro diſſerit: *Tertium nomen, Kiriath-Senna ſcilicet, inuenitur Ioſ. XV. 49. quod recentiores quidam vrbem Sannae, ſed ſeptuaginta ſimiliter πόλιν γραμμάτων verterunt. Interpretantur autem Ebraei plerique vrbem rubi aut ſpinarum, quod Seneh in Ebraeo & Seneia in Thargum Exod. III. 2. ſit rubus, ſpina, & quod multae litterarum ſpinae ſeu moleſtiae ſint, quemadmodum earum radices amaras quidam dixit. Maſius vrbem litteratae diſputationis, narrationis & repetitionis, quia Deut. 6. 7. Schinnan eſt, vt vertunt ſeptuaginta, προβιβάζειν, vt noſter, narrare, & quidem non ſimpliciter, ſed ſaepe ac iterato, acute, ac diligenter, & quia, vbi doctrinarum ſtudia ſunt, ibi narrationes, explicationes, repetitiones quam creberrimas vigere oportet.* Patet hinc, quantopere viri eruditi deſudent, vt in Kiriath-Sepher ſcholam publicam, aut academiam, aut litteratorum ſedem inueniant. Sed ipſe illorum de vocis expoſitione diſſenſus teſtatur, quam incerta ſint omnia. SEBAST. SCHMIDIVS hanc vrbem ita dictam putat, quod in ea prae aliis viguerit ars faciendorum librorum, hoc eſt, membranarum, papyrorum, aut cuiuscumque tum vſitatae materiae, in quibus ſcribi, & ex quibus volumina librorum confici tum ſolita fuerint; ad *Iud. cap. I. quaeſt. VIII. p. 77.* Sed & hoc non certius eſt, quam priora; idque eo magis, quod ſupra *loco* antea *citato*, nobis obſeruatum ſit, vocem ספר non tantum *librum*, ſed & *recenſionem*, *nume-*

numerationem ſignificare poſſe. Nonnulli, interque eos HVGO GROTIVS exiſtimant, Kiriath-Sepher eam vrbem eſſe, quae XENOPHONTI vocatur *Phoenicum gymnaſium.* Verum recte HERMANNVS CONRINGIVS obſeruat, primo γυμνάσιον XENOPHONTIS non ſcholam litterariam ſignificaſſe, ſed locum exercitiis corporis deſtinatum: XENOPHONTIS praeterea aeuo non amplius in vſu fuiſſe adpellationem priſcam vrbis *Kiriath-Sepher*, ſed nomen recentius *Debir.* Vnde concludit: *Nihil proinde & de illa Cananaeorum ſchola dici poteſt; etſi indubio fuerit inſigni olim fama, vt, quae toti vrbi dederit a libris ſuam adpellationem;* in *antiquit. academ. ſupplem. III. p. 211.* Verum, nec id ſatis euictum eſſe, quod omnino ſchola ibi fuerit, aut quod a libris vrbs illa denominationem ſuam acceperit, ex hactenus dictis conſtat.

Nec certiora ſunt, quae de aliis vrbibus, in quibus eo tempore ſcholae fuerint, traduntur. Quod vt conſtet, recitabimus ſaltem, quae hac de re tradit IACOBVS ALTINGIVS. *Non recenſebo*, inquit, *quod nonnulli vrgent de* גבעת פינחס *colle Pineaſi, cuius in extrema Ioſuae commate mentio exſtat, &, vbi ſcholam fuiſſe arbitrantur, cui Phineas praefuerit; nec inſiſtam veſtigiis* גבעת המורה, *collis hammoreh, ſiue doctoris illius, emphatico articulo, vbi Midianitae caſtra ſua poſuerant, quamque excellentiſſimi illius temporis magiſtri ſcholam faciunt, neque commemorabo Iabbeſum, quem eundem cum Othoniele iudice, ac ſummum ſui ſaeculi doctorem, nonnulli praedicant, cui cognominis academia Kenaeos Iethronis poſteros, ab eruditione commendatos in ſcriptura, alumnos habuerit. Ad Samuelis aetatem veniam &c. heptad. oration. academic. diſſertationib.* eius *theolog.* & *philolog.* addita, *orat. I. p. 281.* Kenaeorum cum hic mentionem iniiciat ALTINGIVS, facere nequeo, quin de illis adhuc aliquid addam. Eos a quodam Kain, gentis principe, nomen, a Midianitis autem originem habere, probabile eſt. Erat enim ex Kenaeorum gente Iethro, Moſis ſocer, qui ideo *Iud. I. verſ. 16.* Kenaeus dicitur. Iethronem autem כהן ſacerdotem, ſeu principem Midianitarum, fuiſſe, conſtat ex *Exod. II. 16.* Porro cum Iethro vna cum familia ſua ſe Iſraëlitis ſociaſſet, laudatus ideo Bileamo, *Num. XXIV. 21.* factum inde, vt Kenaei, veri Dei cultores, inter Iſraëlitas habitauerint. Nonnullos ex iis ſpeciatim tribui Iudae adhaeſiſſe, ex *Iud. I. 16.* intelligitur, vbi ex ciuitate palmarum, h. e. Iericho, in deſertum Iudae adſcendiſſe dicuntur, vt iam ſupra obſeruauimus. Hi cum ad confinia Amalekitarum ſe extenderent; factum eſt, vt tempore Saulis nonnulli ex iis inter Amalekitas habitarent, quos inde diſcedere iuſſit, ne vna cum illis perirent; *I. Sam. XV. 16.* Alii autem Kenaeorum profecti ſunt Kedeſchum, in tribu Nephtali, in extremo ſeptemtrione, *Iud. IV. 11.* ex quibus Iaël fuit, *ibid. verſ. 17.* Qua de re itidem ſupra dictum. Inter iſtos itaque Kenaeos, ex quibus deinceps Rechabi-

chabitae, litterarum ſtudia vel maxime floruiſſe, viroſque inter eos eruditiſſimos exſtitiſſe, Ebraeorum magiſtri tradunt. Nonnullos ex iis Othonielis ſcholam frequentaſſe, auctor eſt R. SAL. IARCHI, ad *Iud. cap. I. verſ. 16.* Nec omni fundamento haec ſententia deſtituitur, cum *I. Chron. II. 55.* סופרים *ſcribae*, propter litterarum, vt videtur, peritiam, dicantur. At Romanenſes in Kenaeis monachos ſibi inueniſſe viſi ſunt. Ita NICOLAVS SERARIVS, ad *Iud. I. 16. Si animum tamen aduertere liceat, videbimus, eos hoc ipſo iam tempore vitam illam, quae veteris teſtamenti monaſtice quaedam & anachoretice fuit, quaeque Ierem. 35. valde Domino laudatur, & ſtabilitur, inchoaſſe: idcoque locis frequentioribus & mollioribus deſertis, ſolitudines, e quibus in vrbes, tanquam in carceres, vt ait ep. 8. D. Hieronymus ad Paullinum, interdum venire coacti ſunt, captaſſe; in ſolis tabernaculis habitaſſe; prout cap. 4. de Habero dicitur, verſ. 11.* Similia habet IACOBVS BOVLDVCIVS, qui omnem mouet lapidem, vt Kenaeos in monachos transmutet; *de eccleſia ante legem, lib. I. cap. XIII. p. 115. ſeqq.* Verum non poterant ſe traducere turpius, quam talia adſerendo, quae ne ſpeciem quidem veroſimilitudinis habent. Quod enim Kenaei relicta vrbe Iericho in deſertum Iudae ſe contulerunt, non ideo factum, vt SERARIVS putat, quod ſolitudines quaererent, ne in locis frequentioribus ac mollioribus iis viuendum eſſet, ſed quod vitae paſtoritiae dediti eſſent, nec certam hereditatem inter Iſraëlitas haberent. Hinc in agris, qui ſingulis Iſraëlitis adſignati erant, tentoria figere, ac paſcere pecora, illis non licebat, quod in locis deſertis, aut ad totum populum ſpectantibus non temere quisquam prohibebat, aut prohibere poterat. Et haec eſt ratio, cur relicta vrbe Iericho, in deſertum Iudae adſcenderint. BOVLDVCIVS autem omne cauſſae praeſidium in eo collocat, quod Kenaeorum nomen non fuerit nomen gentis aut familiae, ſed hominum hinc inde diſperſorum; cum in tribu Iudae, inter Amalekitas, alibique fuerint Kenaei. Sed, quid ad hoc reſpondendum ſit, iam ex dictis patet. De origine Kenaeorum conf. & HERM. WITSIVS, *diſſertat. de Rechabitis*, THOMAE GOODWINI *Moſi & Aaroni* praemiſſa *ſ. II. III. ſeqq.*

** De libro Ioſuae ſupra ad *ſ. VI. huius ſectionis*, dictum. Ad librum iudicum quod attinet, quis eius auctor ſit, incertum. Nonnulli Ezechiam, alii Esdram, alii quemdam ex prophetis auctorem eius faciunt. Plurimi eum Samueli tribuunt, vt talmudici doctores, in *tract. baba batra, cap. I.* & ISIDORVS, *origin. lib. VI. cap. II.* eidemque ſententiae adſtipulatur PETRVS DANIEL HVETIVS, *demonſtr. euangel. prop. IV. p. 283.* MICHAEL WALTHERVS, in *officina bibl. p. 403.* aliique. Quod ABEN ESRA adſerit, hunc librum eſſe *librum bellorum Dei*, in libro Numerorum laudatum, ab omni veri ſpecie prorſus abhorret. Nec certiora produnt, qui pleraſque res geſtas a iudicibus

Digitized by Google

cibus ipſis annalibus comprehenſas, & poſt a propheta θεοπνεύςῳ, quocumque illo, in ordinem & librum, qui nunc habetur, noua & methodica ſcriptione redactas, opinantur. His 10. HENRICVS HEIDEGGERVS ſuffragatur, in *enchiridio biblico lib. I. cap. VIII. §. III.* add. GEORGIVS SERPILIVS, in *perſonalibus*, quae vocat, *Samuelis, p. 3. ſeqq.* vbi aliorum ſententias diligenter recenſet, & nonnulla obſeruatu digna adfert. Auctorem eſſe θεόπνευςον, dubitare nefas: quis autem fuerit, ignorare liceat; cum nihil certi hac de re dici queat. Interim veriſimile, non diu admodum poſt ipſa iudicum tempora eum conſcriptum eſſe. Sunt equidem, qui, eum poſt abductionem decem tribuum Iſraëlis, aut omnino poſt captiuitatem babylonicam ſcriptum exiſtimant, idque ex hisce verbis, quae *cap. XVIII. 30.* exſtant, colligunt: *Poſueruntque ſibi ſculptile, & Ionathan filium Gerſon, filii Manaſſeh, ac filios eius ſacerdotes in tribu Dan, vsque ad diem captiuitatis ſuae.* Per captiuitatem enim Danitarum, non aliam, quam aut aſſyriacam, aut babylonicam, intelligi poſſe, putant. Verum cum *verſ. 31.* diſerte dicatur, idolum illud Michae, quod Danitae colebant, tamdiu Dane fuiſſe, quamdiu domus Dei ſeu tabernaculum Silunte fuit; poſtea autem haud dubie perierit, eoque adeo tempore ſacerdotes cum idolo ſublati ſint; manifeſtum eſt, nec aſſyriacam, nec babylonicam captiuitatem intelligi poſſe. Nihil itaque aliud ſupereſt, quam vt credamus, aut particularem aliquam Danitarum captiuitatem innui, cuius ſcriptura ceteroquin nullam mentionem fecit, aut cladem illam ſignificari, quam Iſraëlitae acceperant a Philiſtaeis, cum arca federis caperetur. Fieri enim potuit, vt plurimi ex Iſraëlitis, ſpeciatim Danitis, eo tempore a Philiſtaeis caperentur; vid. *I. Sam. IV. 10.* conf. LVD. ELLIES DV PIN, *Diſſertat. prelim. ſur la bible, lib. I. cap. III. §. III. p. 79. ſeqq.* Libellum, cui Rutha nomen dedit, nonnulli pro adpendice libri iudicum habent, vt ORIGENES apud EVSEBIVM, *hiſt. eccleſ. lib. VI. cap. XXV.* aliique; alii autem eum exordium dixerunt eſſe libri Samuelis; vt AVGVSTINVS, de *doctrina chriſtiana, lib. II. cap. VIII.* Quae facile inter ſe conciliari ſententiae poſſunt; vt oſtendit PETRVS DANIEL HVETIVS, *demonſtrat. euangel. prop. IV. p. 287.* Auctorem alii Ezechiam, alii Eli, alii Eſdram, plerique Ebraeorum pariter ac chriſtianorum, Samuelem eſſe ferunt. Vid. IOAN. BENED. CARPZOVIVS, in *collegio rabbinico-bibl. in libellum Ruth, p. 4.* it. GEORGIVS SERPILIVS, in *perſonalibus*, vt vocat, *Samuelis, cap. I. p. 6.* Sed meris nituntur coniecturis. Probabile, auctorem, quisquis ſit, certe virum θεόπνευςον, tempore Dauidis vixiſſe; cum non tantum Dauidis mentionem faciat, ſed ſcopus libri ſit, Dauidicae familiae originem pandere.

Ad apocrypha huius aetatis ſcripta pertinent, precatio עלינו, quam Iudaei, cum ſynagoga exire volunt, recitant,

tant, cuiusque auctorem Ioſuam ferunt; porro, *decem decreta Ioſuae, & ſynedrii eius*, tempore, quo terram ſanctam diuiſit, & deſcribi iuſſit, facta, quae ex talmude & MAIMONIDE exhibet IOAN. SELDENVS, *de iure nat. & gent. iuxta diſcipl. Ebraeorum. lib. VI. cap. II.* item, *liber Ioſuae*, quam iactant Samaritani; & denique, *Phineae explanatio nominum ſacrorum*; de quibus vid. IO. ALBERTVS FABRICIVS, in *codice pſeudepigrapho vet. teſtam. num. CLXVI. ſeqq. p. 871. ſeqq.* De vltimo & SCIPIO SGAMBATVS, *archiu. vet. teſtam. lib. II. p. 277.* Inter deperdita huius aetatis ſcripta referendus *liber recti* ſeu *liber iuſtorum*, cuius non tantum *Ioſuae X. 13.* vt ſupra iam ad *§. IV.* notauimus, ſed & *II. Sam. I. 18.* mentio iniicitur. Variae de eo exſtant doctorum virorum ſententiae. Nonnulli namque ex ebraeae gentis doctoribus aut pentateuchum, aut geneſin, intelligunt. ANDREAS MASIVS, librum *forenſium annalium*, in quo acta publica & res antiquitus geſtae conſignatae fuerint, fuiſſe putat; ad *Ioſ. loc. cit.* Idemque forte iam in mente habuit THEODORETVS, dum librum Ioſuae ex libro iuſtorum excerptum fuiſſe contendit; *quaeſt. XIV. in Ioſ.* conf. & PETRVS DANIEL HVETIVS, *demonſtrat. euangel. propoſ. II. p. m. 266.* Aliorum de hocce libro ſententias referunt MICHAEL WALTHERVS, *officina biblica, p. m. 513. 514.* & ABR. CALOVIVS, ad *Ioſ. X. 13.* item ad *II. Sam. I. 18.* Mihi omnium rectiſſime ſentire videntur, qui hoc nomine collectionem quamdam carminum ſeu cantionum intelligunt, quibus heroum virorumque illuſtrium laudes celebrabantur. Cuiusmodi collectio cum iam exſtaret, cum liber Ioſuae ſcribebatur; iſta haud dubie deinceps continuata fuit. Id patet, ſi loca, in quibus libri huius mentio iniicitur, diligenter inter ſe conferamus. Quemadmodum autem liber iſte dudum periit; ita canonicum eum vel θεόπνευϛον fuiſſe, nulla ratione probari poteſt, adeoque fruſtra a nonnullis adſeritur.

§. XVII.

Idololatria veraeque religionis corruptio non tantum apud reliquas gentes magis magisque inualuit, ſed ea ipſi etiam ſubinde infecti ſunt Ebraei. Hinc toties caſtigati ſunt, quod a vero Deo deſciuiſſent. Speciatim Baalim atque Aſtaroth colere inceperunt, quorum, vt & aliorum idolorum, in hocce temporis interuallo paſſim fit mentio. * Gideon quoque ex hoſtium ſpoliis Ephod in ſignum victoriae erigendo, foediſſimae ſuperſtitioni occaſionem praebuit. ** Sed & Micha, ſacerdotium & ſimulacra domi ſuae inſtituendo, Israëlitas, vt idololatria ſe obſtringerent, induxit. ***

* Iam ſub Ioſua fuiſſe inter Israëlitas, qui clam idololatriae dediti eſſent, & deos alienos colerent, ex *Ioſ. XXIV.* conſtat. Diſerte enim Ioſua

ad

ad populum verba faciens *verſ. 14. amouete deos*, inquit, *quos coluerunt maiores veſtri trans flumium* (Euphratem) *& in Aegypto ac Iehouam colite.* Et iterum *verſ. 23. Nunc ergo remouete deos alienigenarum, qui ſunt inter vos, & inclinate animum veſtrum ad Iehouam Deum Iſraëlis.* Admitti itaque nequit, quod AVGVSTINVS, *quaeſt. XXIV. in Ioſ.* cenſet, ac ſi populus iſraëliticus nulla idololatria hoc tempore commaculatus fuerit. Immo idem innui videtur *c. XXII. 17.* vbi legati Iſraëlitarum ad Rubenitas, Gaditas & dimidiam tribum Manaſſae miſſi, cumque iis ob exſtructum ad ripas Iordanis altare expoſtulaturi, *an res parua vobis,* inquiunt, *peccatum Pheoris, a quo nondum ad hunc vsque diem purgati ſumus, &* (propter quod) *plaga eſt inflicta coetui Iehouae?* Hoc enim ſibi velle videntur, nondum deeſſe, qui ab iſta idololatria prorſus abhorreant, ob quam tamen poena grauiſſima Iſraëlitae adfecti ſint; quamquam alii de ignominiae macula, Iſraëlitis ob iſtam idololatriam inuſta, hoc capere malint. Nec praetermittendum hic, quod de altari illo ibidem commemoratur. FLAVIVS IOSEPHVS enim auctor eſt, Iſraëlitas in ſuſpicionem adductos, altare illud a Rubenitis, Gaditis, & dimidia tribu Manaſſae ideo erectum, vt alienorum deorum cultum introducerent; *antiquit. iudaic. lib. V. cap. IV.* Sed fallitur. Nec enim eiusmodi quid ex ſcriptura colligas, ſed hoc ſaltem Iſraëlitas exiſtimaſſe, a trans-Iordanenſibus exſtructo altari tabernaculum & aram Dei, quae erant Silunte, relinqui, tamquam remota, nec ad ſe pertinentia, ob interiectum fluminis. Hinc illi motus, hinc illa expoſtulatio. Nec ſine ratione. Potuiſſet enim, ſi ea mens trans-Iordanenſium fuiſſet, grauiſſimum inde perniciosiſſimumque oriri ſchisma. Hinc &, cum Iſraëlitae percepiſſent, non ſacrorum cauſſa, aut vt a Deo vero diſcederent, ſed tantum memoriae & recordationis ergo, vt ſignum aliquod coniunctionis inter trans-Iordanenſes & reliquos Iſraëlitas exſtaret, ab illis altare hocce exſtructum, ſtatim adquieuerunt. Orationes ceteroquin, quas IOSEPHVS & legatis Iſraëlitarum, & trans-Iordanenſibus tribuit, a veroſimilitudine non prorſus abhorrent, lectuque dignae ſunt; conf. & CHR. SCHOTANVS, *bibliothec. hiſtor. vet. teſtam. tom. II. p. 411.* Deinceps, cum Ioſua & ſeniores iſtius aetatis mortui eſſent; magis ſuperſtitio & idololatria erupit, occaſionem praebente tolerantia gentium, quas ex Numinis praeſcripto exſtirpare debuiſſent.

Inter idola, quae tum Iſraëlitae coluerunt, commemorantur, Baalim & Aſtaroth. Et ad Baalim quidem quod attinet, nomen בעל generatim *dominum,* interdum & *maritum* ſignificat, eoque olim haud dubie verus Deus deſignatus fuit; etſi deinceps falſis diis ſeu idolis ſit tributum. Praeterea, cum non tantum varii fuerint dii falſi pro gentium diuerſitate, ſed & vna gens ſubinde plura idola coluerit; ratio patet, cur ſubinde multitudinis numero

בעלים memorentur. Hinc & haud raro addita alia voce, ſpeciatim, qualis Deus intelligatur, innuitur, vt, cum Baal-Peor, Baal-berith, Baalſebub, & alii eiusdem commatis gentium dii memorantur. Nomem autem Baal apud varias gentes fuit receptum, apud quas eius veſtigia occurrunt. Ebraeorum enim Baal reſpondebat Bel Babyloniorum, cuius *Eſa. XLVI. 1. Ierem. L. 2.* alibique mentio. Hinc & Daniel vocatus eſt *Belſazar Dan. IV. 5.* Sollemne enim erat, Dei aut deorum nomina nominibus propriis hominum inſerere, quod vel Ebraeorum exemplo conſtat. Apud Phoenices idem nomen in vſu fuiſſe, dubitari nequit. Izabelis namque pater, idemque rex Sidoniorum, vocabatur *Ethbaal*, quem Graeci *Ithobalum* dixerunt, *I. Reg. XVI. 31.* Rex ille, cui SANCHVNIATHON opus ſuum dedicauit, vocabatur *Abibalus.* A Phoenicibus ad Carthaginienſes idem nomen tranſiiſſe, nomina *Annibal*, *Asdrubal*, & *Adherbal* teſtantur. Immo & in *Beleno*, qui vnus ex veterum Gallorum diis praecipuis fuit, nonnulli eius veſtigia ſibi deprehendiſſe viſi ſunt. Pluribus haec ediſſerit IOAN. SELDENVS, de *diis ſyris*, *ſyntagm. II. cap. I.* add. GERH. IO. VOSSIVS, de *idololatria gentil. lib. II. cap. XVII.* Nec praetermittendum, quod LXX interpretes vocem Baal ſubinde in feminino genere exprimant, vt *I. Sam. VII. 4.* περιεῖλον τὰς Βααλίμ, alibique. Sic & Paulus *Rom. XI. 4.* οὐκ ἔκαμψαν γόνυ τῇ Βάαλ. Id vero non ſine ratione factum eſſe, nonnulli exiſtimant, cum indicare voluerint, nomine *Baal* non tantum deum, ſed & deam quamdam a veteribus deſignari. Quam & inde confirmari ſententiam putant, quod a SANCHVNIATHONE *Baaltis* dea, quae & Dione vocata fuerit, memoretur; apud EVSEBIVM, *praeparat. euangel. lib. I. cap. X. p. 38.* Putantque, *Baal* nomen fuiſſe ſolis, *Baaltis* autem lunae. Certe deos deasque apud gentiles cultos fuiſſe, immo non defuiſſe, qui deos hermaphroditos facerent, notum eſt. Sed, an LXX interpretes id ſibi voluerint, valde dubito. Ad textum enim ebraeum quod attinet, nihil obſtat, quo minus vox בעל ſemper in maſculino genere reddatur. Magis itaque arridet illorum ſententia, qui in iis locis, vbi LXX vocem בעל in feminino genere exprimunt, vocem εἰκὼν, aut ſimilem, ſubintelligi exiſtimant Septuaginta autem interpretes Paulus quoque apoſtolus imitatus eſt. Ceterum, licet vox Baal nomen generale eſſet, vt antea dictum, quod pluribus aut omnibus diis tribui poterat; interdum tamen ita ſumitur, vt Deus aliquis gentilium, a reliquis diuerſus, etiam ſignificetur, at alius rurſus apud hanc, alius apud aliam gentem. Baalem etiam ſpeciatim ita dictum, peculiari quadam ratione cultum, nonnulli obſeruant, primo quidem infantum immolatione, *Ierem. XIX. 5.* deinde, circa altare eius ſaltando, *I. reg. XVIII. 26.* porro, cultris ſe incidendo, *ibid. verſ. 28.* & denique, ſtatuam aut imaginem eius oſculando, *I. reg. XIX. 18.* Verum, quod

Digitized by Google

quod ad primum attinet, per Baalem *Ier. l. c.* haud dubie Molochus intelligendus, de cuius cultu ſupra fuſe egimus. Saltationes non tantum in Baalis, ſpeciatim ita dicti, ſed & in aliorum idolorum cultu in vſu fuiſſe, vel ex *Exod. XXXII. 6.* intelligitur. Apud Romanos quoque Martis ſacerdotes Salios a *ſaltando* vel *ſaliendo* dictos eſſe, conſtat. Quod an inde ortum ſit, quia Mars idem eſſet, ac Baal, quae quorumdam eſt ſententia, mox diſquiremus. Saltationes iſtas ita comparatas fuiſſe, vt mox in hanc, mox in alteram partem ſe inclinarent, & ita velut claudicarent, nonnulli contendunt, idque ex hisce verbis Eliae: עד מתי אתם פסחים על שתי הסעפים *quousque claudicabitis in duas partes, I. Reg. XVIII. verſ. 21.* probare adnituntur. Verum, cum vox סעיף etiam *cogitationem* ſignificet; nihil obſtat, quo minus de claudicatione mentis, ſeu vagis & ambiguis opinionibus, haec verba accipi queant. Vox פסח alias equidem *tranſire* ſignificat, & vulgatus interpres *verſ. 26.* habet: *tranſiliebant altare:* ſed, quin hic de ſaltatione quadam capienda ſit, vix videtur dubitari poſſe. Quod de ſaltatione diximus, idem de carnis inciſione conſtat, eam antiquiſſimis temporibus non in Baalis tantum, ſed aliorum quoque deorum cultu vſitatam fuiſſe. In Iſidis namque magnae matris deorum, & Bellonae ſacris idem receptum fuit, & ex oriente ad Graecos ac Latinos transiiſſe, notum eſt. Qua de re SENECAE locus exſtat, lectu dignus, in libro, de *ſuperſtitione*, apud AVGVSTINVM, de *ciuit. Dei, lib. VI. cap. X.* Denique & imaginum ac ſtatuarum, quae deos referebant, oſculatio, generatim in aliorum quoque deorum cultu vſitata fuit. Hinc & vitulos, quos Ierobeamus conſtituerat, qui colere volebant, oſculabantur, *Hoſ. XIII. 2.* Atque ex hactenus dictis diiudicare licet, quae PETRVS IVRIEV de *Baalis cultu* differit, *hiſtor. crit. dogm. &c. part. IV. tract. III. cap. IV. p. 599. ſeqq.* Iam vero, quis demum Baal iſte fuerit, quaeritur. Belum Babyloniorum eumdem fuiſſe, ac Martem Romanorum, quorumdam eſt ſententia. Id in *chronico Alexandrino*, & apud CEDRENVM diſertis verbis legitur, quae adfert IO. SELDENVS, *de diis ſyris, ſyntagm. II. cap. I. p. 195.* Neque adeo abſonum hoc videri poterat, ſi nonnullis credimus; cum Belus Babyloniorum ipſe Nimrodus eſſe videatur, qui *venator fortis coram Domino* vocatur, *Geneſ. X. 9.* Nihilofecius alii probabilius putant, ipſum Iouem Beli nomine apud Babylonios fuiſſe ſignificatum; eo quod graecis atque latinis ſcriptoribus ſemper Iupiter Belus memoretur. Immo ipſe hoc confirmat SANCHVNIATHON, dum Saturno tres in Peraea liberos natos refert, Saturnum eiusdem cum patre nominis, IOVEM BELVM, & Apollinem; apud EVSEBIVM, *praeparat. euangel. lib. I. cap. X. p. m. 37. 38.* De Tyriorum ac Sydoniorum Baal, quod Graecorum Ζεὺς, & Latinorum Iupiter fuerit, extra dubium poſitum putant. Certe rerum Phoeniciarum ſcri-

ſcriptor antiquiſſimus SANCHVNIATHON hoc teſtatur diſerte. Cum enim de Phoeniciis dixiſſet, eos, cum vehementior aeſtus vrgeret, in caelum manus ad ſolem ſuſtuliſſe; addit: τοῦτον γὰρ θεὸν ἐνόμιζον μόνον οὐρανοῦ κύριον, Βεελσάμην καλοῦντες, ὅ ἐστι παρὰ Φοίνιξι κύριος οὐρανοῦ, Ζεὺς δὲ παρ' Ἕλλησι. *Quippe Deum hunc, vnum caeli moderatorem eſſe credebant, eumque propterea Baal-Samen, id eſt, Phoenicum lingua, caeli Dominum, graeca vero Δία, hoc eſt Iovem, nominabant;* apud EVSEBIVM, *loc. cit. lib. I. cap. X. p. 34.* At, ſi dicendum, quod res eſt, vltima verba non SANCHVNIATHONIS, ſed PHILONIS potius Byblii, qui eius commentarios in linguam graecam transtulit, eſſe videntur, cuius auctoritas an ad hoc euincendum ſufficiat, non ſine ratione dubitaueris. Interim nonnulli, ſpeciatim vir doctiſſimus PETRVS IVRIEV, haec ceu extra dubitationem poſita adſumens, inde porro concludit, ſi deos, quos vocant, naturales ſpectes, Baalem non alium, quam ſolem eſſe, qui Graecis Ζεύς, ſeu Iupiter, Tyriis autem Hercules dictus ſit. Idque porro inde probat, quod ſubinde in ſcriptura ſacra Baal cum Aſtaroth ſeu Aſtoreth, item cum toto caeli exercitu, coniungantur, *Ind. II. 13. X. 6. II. Reg. XXIII. 4.* itemque ex teſtimonio SERVII, ad *lib. I. aeneid.* dum *lingua*, inquit, *punica Deus dicitur Bal, apud Aſſyrios autem Bel dicitur, quadam ſacrorum ratione & Saturnus & Sol.* Idem praeterea patere putat, ex variis nominibus, quibus in Syria idem deus inſignitus fuerit. Palmyrenis enim eum vocari *Aglibelum*, quod idem eſt, ac *Deus reuelans*, eo, quod ſol radiis ſuis cuncta illuſtrat atque detegit; itemque *Malachelum*, quae vox ex בעל & מלך *rex*, compoſita ſit, quia ſol rex ſit inter aſtra, & quae alia ſunt eiusdem generis. Cumprimis MACROBII teſtimonium vrget: *Accipe, quid Aſſyrii de ſolis potentia opinentur. Deo enim, quem ſummum maximumque venerantur, Adod nomen dederunt. Eius nominis interpretatio ſignificat, vnus; Saturnal. lib. I. cap. XXIII.* Iuxta ſcripturae enim teſtimonium maximum hunc ſummumque deum, quem Aſſyrii venerati ſint, eſſe Baal: hunc ergo non alium quam ſolem eſſe inde concludit. Cum vero idem nomen & aſtris & hominibus tribui ſoleat; idem vir doctus porro contendit, Babyloniorum Belum non alium eſſe, quam Nimrodum, Baalem autem Phoenicum, ipſum eſſe Chamum, Nochi filium. Atque haec omnia pluribus ediſſerit, *hiſtor. crit. dogm. part. IV. tract. III. cap. V. & VI. p. 606. ſeqq.* Qua de re ſi & mihi, quid ſentiam, dicere liceat, illis quidem, quae de ſole dicuntur, eum praecipua quadam ratione ſub Baalis nomine cultum, non refragatus fuero. Quis autem inter homines hocce nomine inſignitus fuerit, non aeque expeditum eſſe exiſtimo. Quae enim de Nimrodo dicuntur, eo maxime nituntur fundamento, quod idem ſit, ac Belus, quo nomine aſſyriaci regni fundator apud ſcriptores

res profanos venit. At vero regnum aſſyriacum a Nimrodo non fundatum, adeoque eum Belum non eſſe, aut, ſi Belus dicendus ſit, babylonium Belum a celebri illo Aſſyriorum diſtinguendum eſſe, ſupra ad *per. I. ſect. II. §. X.* demonſtrauimus. Phoenicum autem Baalem eumdem eſſe, ac Chamum, itidem incertum, meraeque coniecturae ſunt, quidquid pro hac ſententia adfertur. Eo minus autem, quae vir doctus pro eadem diſſerit, admittenda, quod ſimul ponat, Chamum eumdem eſſe, ac Melchiſedecum, de qua eius ſententia quid cenſendum ſit, iam ſupra expoſui. Sed de Baalim praeter auctores hactenus laudatos, plura dabunt GERHARD. IOAN. VOSSIVS, de *idololatria gentil. lib. I. cap. XVI. & XXIV.* NIC. FVLLERVS, *miscell. lib. II. cap. VII. & lib. III. cap. XVII.* IOAN. CONRADVS DIETERICVS, *antiquitat. biblic. p. 375.*

Iam quod ad vocem *Aſtaroth* attinet, quae cum Baalim ſaepiſſime coniungitur, vt *Iud. II. 13. X. 6.* alibique, primo id conſtat, & extra dubium poſitum, ea deam, non deum, ſignificari. Praeterea, licet vox haecce numero multitudinis efferatur; inde tamen non ſequitur, eam aeque late patere, ac nomen Baalim, ſeu nomen generale eſſe, quo omnia idola feminini ſexus deſignentur, ſed conſtat potius, & ex dicendis patebit, vnam quamdam diuinitatem hac voce denotari, etſi eadem a diuerſis gentibus ſub diuerſis nominibus fuerit culta. Speciatim dea Sidoniorum Aſtoreth dicta fuit *I. Reg. XI. 5. 33. II. Reg. XXIII. 14.* Dubium quoque non eſt, quin Aſtarte, qua voce profani auctores vtuntur, eadem ſit, ac Aſtaroth, ſeu Aſtoreth. De vocis autem iſtius origine, & quid ea ſignificetur, variae ſunt eruditorum ſententiae. Qui Aſtoreth ſeu Aſtarte ab aſtris dictam putant, vt SVIDAS in *lexico hac voce*, vel hoc nomine falluntur, quod vocem illam pro graeca habeant. Alii, ab vrbe Aſtarath deam hanc nomen ſortitam, putant: a qua ſententia haud adeo alienus videtur IOANNES SELDENVS, de *diis ſyris, ſyntagm. II. cap. II.* Cum vero עשתרות ceteroquin *greges* ſignificet; Aſtartem deam, ſeu Aſtoreth, nomen inde accepiſſe, alii putant, quod Venus, quae ſub hoc nomine lateat, generationi rerum omnium, ſpeciatim animalium, ex mente gentilium praefuerit, iuxta illud LVCRETII:

- - per te genus omne animantum
concipitur, viſitque exortum lumina ſolis.

Ita SAM. BOCHARDVS, *hieroz. part. I. lib. II. cap. XLIII.* At aliam rationem commenti ſunt Ebraeorum quidam doctores. Cum enim vox עשתרות ſpeciatim de *gregibus ouium* adhibeatur; Aſtarten ideo inde dictam autumant, quod ſtatuae ſeu imagines deae iſtius ouem exhiberent. Quod cum vel hoc nomine non prorſus contemnendum cenſeri queat, quod Baalem ſeu Iouem quandoque ſub arietis forma cultum conſtet; ab aliis tamen ideo reiicitur, quod nullo idoneo argumento probari poſſit, Aſtartem ſub ouis imagine cultam fuiſſe. PETRVS IVRIEV aliorum refutatis ſententiis, ipſe tandem

dem

dem Aſtaroth a vocibus ebraeis עשתה ארורת *fecit lumina*, dictam exiſtimat, quod & quam optime in lunam quadrare contendit, quae iſto nomine Aſtaroth, ſiue Aſtoreth, fuerit indigitata. Mihi planior adhuc, adeoque praeferenda reliquis videtur ſententia viri doctiſſimi, quae exhibetur *dans l' hiſtoire critique de la republique des lettres, tom. IV. artic. I. p. 24.* Obſeruat enim, ſolem apud Chaldaeos dictum אסתהר, qua voce paraphraſtes chaldaeus vtatur *Iob. XXXI. 26.* Hinc vero in feminino genere luna אסתהרת vel עשתהרת dici potuit. Litteras enim א & ע itemque ש & ס facile inter ſe permutari poſſunt. Ex עשתהרת autem Aſtaroth factum, nemo non intelligit. In quibusdam ſcripturae locis occurrit vox אשרת, quam itidem de Aſtaroth ſeu Aſtarte nonnulli capiunt. Sic *Iud. III. 7.* dicitur: *coluerunt* את הבעלים ואת האשרות; quod vulgo equidem vertunt, *Baalim & lucos*, quemadmodum & LXX interpretes reddiderunt: ἐλάτρευσαν τῇ Βάαλ καὶ τοῖς ἄλσεσι. At alii ita haec reddunt: *& coluerunt Baalim & Aſcheroth.* Praeter alios in hanc ſententiam ingreſſus eſt HVGO GROTIVS, ad *Iud. I. 13. Aſtaroth* & *Aſcheroth* vnius eiusdemque idoli eſſe nomina, aut vnum potius nomen, diuerſa ratione pronuntiatum. Immo inde porro concludit, Aſtaroth non ab ouibus, ſed a ſiluis potius, ſeu lucis nomen accepiſſe. IOANNES SELDENVS ſimulacra lignea Aſtartes, *Aſcheroth* dicta, exiſtimat. *Simulacra*, inquit, *lignea Aſtarte, ſeu τῇ Aſtoreth dicata Asherim & Asheroth, ſeu lucos, dicta, ſentio, vt & ad nomen ſimul adluderetur, & tam impari diuinitati materia, contumelia ipſo vocabulo exprobraretur; l. c. ſyntagm. II. cap. II.* Nimirum ab Ebraeis per contumeliam hoc nomen ſtatuis Aſtarte datum putat, quaſi dicas *deos ligneos.* Ab vtroque, tum HVG. GROTIO, tum IO. SELDENO, diſſentit PETRVS IVRIEV, quod equidem concedat, *Aschera* & *Aſtoreth* vnam eamdemque diuinitatem denotare, ſed nomina eſſe diuerſa, vt apud Latinos *luna* atque *Diana.* Nimirum a luminibus, quae orbi impertit, lunam *Aſtaroth* dictam, at *Aſcherah* ſeu *Aſcheroth* a ſiluis & lucis, cum Diana ſeu luna etiam ſiluarum dea fuerit, iuxta illud VIRGILII:

Suſpiciens altam lunam ſic voce precatur:
Tu dea, tu praeſens noſtro ſuccurre labori,
Aſtrorum decus, & nemorum tutoria cuſtos.

aeneid. lib. IX. verſ. 403. Quidquid huius ſit, Aſtaroth etiam Aſchera ſeu Aſcheroth dictam, vel inde patet, quod ſubinde Aſcheroth cum Baalim aeque ac Aſtaroth coniungatur, idque ea ratione, vt τῇ Aſcherah ſeu Aſcheroth ſeruire dicantur, quod de ſiluis ac lucis commode dici nequit. Loca etiam, in quibus τῆς Aſcherah mentio, hanc explicationem non tantum admittunt, ſed quaedam eamdem prorſus ſuadent, conf. *I. Reg. XVI. 31. 32. I. Reg. XXI. 3. 7.*

Iam,

Iam, quod ad rem ipſam attinet, plerique eruditorum in eo conueniunt, Aſtarten ſeu Aſtaroth eſſe lunam. Teſtis huius rei praeter alios eſt LVCIANVS: ἔνι δὲ καὶ ἄλλο ἱερὸν ἐν Φοινίκῃ μέγα, τὸ Σιδώνιοι ἔχουσι· ὡς μὲν αὐτοὶ λέγουσι Αστάρτης ἐστί· Αστάρτην δ' ἐγὼ δοκέω σεληναίην ἔμμεναι· *Eſt & aliud templum in Phoenicia, quod Sidonii tenent, Aſtartae, vt ipſi quidem dicunt; Aſtarten autem lunam eſſe puto; de ſyria dea, tom. II. oper. p. m. 657.* Idem confirmat HERODIANVS: Λίβυες μὲν οὖν αὐτὴν Οὐρανίαν καλοῦσι, Φοίνικες δὲ Αστροάρχην ὀνομάζουσι, σελήνην εἶναι θέλοντες· *banc Afri Vraniam vocant, Phoenices Aſtroarchen, lunam eſſe adfirmantes; biſtor. lib. V. cap. VI.* At in eo fallitur, quod apud Afros lunam Vraniam dictam putat; cum apud eos itidem nomen Aſtarte in vſu fuerit, ſi AVGVSTINO credimus, *lib. VII. quaeſtion. in lib. Iud. cap. XVI.* Deinde pro Aſtarte perperam dixit Αστροάρχην, nomen phoenicium in graecum mutans. Lunae, quae Graecis Vrania, cultum orientis gentibus receptum fuiſſe, teſtatur HERODOTVS, hanc, de qua agimus, ſententiam confirmans: ἐπιμεμαθήκασι δὲ καὶ τῇ Οὐρανίῃ θύειν, παρά τε Ασσυρίων μαθόντες, καὶ Αραβίων· καλέουσι δὲ Ασσύριοι τὴν Αφροδίτην Μύλιττα, Αράβιοι δὲ Αλίττα, Πέρσαι δὲ Μίτραν. *Didicerunt quoque Vraniae ſacra facere,* (Perſae) *nimirum ab Aſſyriis & Arabibus edocti. Aſſyrii enim vocant Venerem Mylittam, Arabes vero Alittam, Perſae autem Mitram, lib. I. cap. CXXX.* Conueniunt praeter nominis rationem & reliqua, quae de Aſtarte in ſcriptura ſacra dicuntur. Nec dubinm, qvin & *Ierem. LXIV. 17.* per מלכת השמים ſeu *reginam caeli* intelligatur, cui vox graeca ἀστροάρχη, qua HERODIANVS vſus eſt, adcurate reſpondet. Quaeri etiam ſolet, quo nomine apud Graecos atque Latinos Aſtarte venerit, num Veneris, an Iunonis, an Cybeles? Sed cum ſaepiſſime haecce nomina inter ſe confundi ſoleant; ſuperuacaneum fere, qui in hiſce inueſtigandis ponitur, laborem eſſe, exiſtimo. Singularis plane eſt ſententia PETRI DANIELIS HVETII, Aſtartem eſſe Zipporam, Moſis vxorem, *demonſtrat. euangel. p. 211.* Plura de Aſtaroth atque Aſtarte praeter iam laudatos, dabunt GERHARDVS IOANNES VOSSIVS, de *idololatria gentil. lib. I. cap. XXI.* CLAVDIVS SALMASIVS, *exercitat. ad Solinum, p. 574.* IO. CONR. DIETERICVS, in *antiqu. bibl. p. 265.* & alibi; & in compendio AVGVST. PFEIFFERVS, *dub. vexat. cent. II. loc. LV. p. 339. ſeqq.*

Vt reliqua perſequamur, inter idola, quorum in libro iudicum mentio iniicitur, eſt quoque *Baal-Berit.* Conf. *Iud. VIII. 33. & IX. 4.* Cumque ברית *fedus* ſignificet; nonnulli deum, federum atque pactorum praeſidem, intelligunt. Ipſe chaldaeus paraphraſtes vertit: בעל קים *Deus iuramenti, aut federis.* Septuaginta equidem interpretes verba ebraea ita reddiderunt: ἔθηκαν ἑαυτοῖς τῷ Βάαλ διαθήκην τοῦ εἶναι αὐτοῖς αὐτὸν εἰς θεόν. Pari ratione & vulgatus: *percuſſe-*

(*Buddei Hiſt. Eccleſiaſt. Tom. I.*)

cuſſerunt cum Baal fedus, vt eſſet eis in Deum. Nec abludit R. IESAIAS, ad *h. l.* ſenſum horum verborum eſſe, tradens, quod ſacerdotes excelſorum fedus cum idolo ſeu Baal fecerint. At, cum ſermonis ſtructura huncce ſenſum non admittat; idolum aliquod ſpeciatim ita dictum deſignari, longe rectius iudicarunt alii, interque Ebraeos R. LEVI BEN GERSON, & R. SAL. IARCHI, ad *Iud. loc. cit.* Sed de ratione, cur Baal Berith dictum ſit, inter ſe non conueniunt. SAMVEL BOCHARTVS, *Canaan. lib. II. cap. XVII. p. m. 859.* ab vrbe Berythus nomen hocce deriuat, non eo quidem ſenſu, quod ab vrbe iſta nomen acceperit, ſed quod vrbi potius, in qua idolum iſtud colebatur, nomen dederit, quod non aliud fuerit, quam Beroë Veneris ac Adonidis filia, de qua multa NONNVS *Dionyſiacor. lib. XLI. XLII. & XLIII.* Ab vrbe Berytho autem facile, vt videtur, idoli huius cultum accipere potuerunt Sichemitae, forte per ipſum SANCHVNIATHONEM, ſi Ierombaal, quocum illi commercia interceſſerunt, idem ſtatuatur, ac Ierubbaal, ſeu Gideon, qua de re deinceps dicemus. Plane ſingulare quid hic ſibi inueniſſe viſus eſt PETRVS IVRIEV. SANCHVNIATHON, in ſuis commentariis, inter alia & haec litteris conſignata reliquit: *Eorumdem aetate natus eſt Elium quidam nomine altiſſimus, itemque femina Beruth adpellata. Hi loca Byblo vicina tenuere, ac terreſtrem quemdam ſiue indigenam* (αὐτόχθονα) *caelum poſtea nuncupatum genuere, a quo etiam illud ſublime elementum, quod ſupra nos voluitur, propter eximiam pulchritudinis ac formae ſpeciem caelum vocarunt. Is ſororem habuit iisdem parentibus natam, cui nomen terra, quod propter ſingularem eius corporis dignitatem, cum ea, quam terram vocarunt, poſtea communicarunt;* apud EVSEBIVM, *praeparat. euangel. lib. I. cap. X. p. 36.* Sub iſtis commentorum inuolucris aliquid veri latitare, non dubitat IVRIEVS. Per Eliun, quod ex ebraeo עליון, quin Deus ipſe intelligatur, nullum eſt dubium. Per *Beruthам* vero virtutem Dei creatricem, per quam omnia producit, intelligi, contendit, cum ברא ſit *creare*, vnde in lingua chaldaea & ſyriaca בריתא *creatio.* Eam vero virtutem creatricem nihil aliud eſſe, quam verbum Dei, iuxta illud *Moſis: & dixit Deus, fiat lux, & facta eſt lux.* Eadem ratione & reliqua explicat. Deam Berythi itaque (feminini enim ſexus hoc fuiſſe idolum, cum SAM. BOCHARTO ſupponit) ſecundum antiquam Phoenicum theologiam, ipſam vim creatricem Numinis ſignificaſſe: deinde autem ſacerdotes ac myſtagogos, cum in iſta arcana non penetrarent, hac voce nihil aliud, quam ipſam terram, intellexiſſe, aut vim terrae generatricem; hinc in NONNI *Dionyſiacis* Beroën, quae eadem cum Berytha, Adonidis, hoc eſt, ſolis & Veneris, qua voce generatim vis generatiua indicetur, filiam ferri; *loc. cit. tract. IV. cap. II. p. 620.* Quae quidem ingenioſe excogitata eſſe, non diffiteor. Mihi autem prima ſententia, ceu

Digitized by Google

ceu planior, praeferenda videtur, quae per Baal-Berith Deum federum ac iuramentorum praeſidem, intelligit. Ita enim nullis ambagibus opus eſt. Accedit, quod apud ethnicos non inſolens fuerit, vt reliquis rebus & actionibus, ita & federibus ac iuramentis Deum praeficere, vnde Ζεὺς ἐνόρκιος apud Graecos, cuius diſerte mentionem facit PAVSANIAS, in *Eliacis*, qualis apud Romanos *Iuppiter lapis*, ſeu *lapideus* erat; vnde formula: *per Iouem lapidem iurare* Vid. HENRICVS KIPPINGIVS, *antiquitat. Rom. lib. I. cap. VI. p. 118.*

Supereſt, ex Cananaeorum idolis, quorum in hocce temporis interuallo mentio fit, *Dagon.* Aſdodaeorum id fuit idolum, in cuius honorem Philiſtaei ſollemne feſtum ob captum Simſonem celebrarunt; vt ſupra ex *Iud. XVI. 23.* obſeruatum. In eiusdem Dagonis aedem arcam federis intulerunt, idolo iſto, primo coram arca proſtrato, mox omnino mutilato, aliisque plagis diuinitus immiſſis condocendi, cum idolis vero Deo plane non conuenire; vt itidem ſupra dictum; conf. *I. Sam. V. 4. 5. ſeqq.* Fit & Dagonis mentio *I. Chron. X. 10.* A frumento id nomen ſortitum, quorumdam eſt ſententia; cum דגן apud Ebraeos *frumentum* ſignificet Idque ipſe confirmare videtur SANCHVNIATHON; cuius, vtpote ſcriptoris phoenicii longe vetuſtiſſimi, minime hic contemnenda videtur auctoritas. Caelum enim ex terra ſorore quatuor liberos ſuſcepiſſe, autumat, *Ilum, qui Saturnus dictus eſt, Betylum, Dagonem,* ὅς ἐςι Σίτων, *qui Sito, hoc eſt, frumenti praeſes nominatur, & Atlantem;* apud EVSEBIVM, *praeparat. euang. lib. I. cap. X. p. 36.* Et quibusdam interiectis: ὁ δὲ Δαγὼν, ἐπειδὴ εὗρε σῖτον καὶ ἄροτρον, ἐκλήθη Ζεὺς Ἀρότριος, *Dagon autem, quod frumentum & aratrum inueniſſet, Aratrius Iuppiter nuncupatus eſt; p. 37.* conf. EDMVNDVS DICKINSON, in *Delph. Phoeniz. cap. VI. p. 63.* IOANNES DRVSIVS, *quaeſt. ebr. lib. I. quaeſt. LXXXII.* Mihi vero illorum potiores eſſe rationes videntur, qui vocem Dagon a דג *piſcis* deriuant, & Deum marium, piſcationi ac nauigationi praefectum, intelligunt: quam ſententiam plerique Ebraeorum calculo ſuo adprobant. Praeterquam enim, quod origo vocis ita ſibi conſtet, Phoenices, ceu maris accolas, piſcationi & nauigationi admodum deditos fuiſſe, notum eſt; cuiusmodi gentes numina marina vel maxime honore ſingulari proſequi ſolebant. Accedit, quod veteres teſtentur, Phoenices pisces pro numinibus coluiſſe. *Piſcem Syri venerantur*, inquit CICERO, de *natura deor. lib. III.* Et CLEMENS Alexandrinus, de *Syro-Phoenicibus:* οἱ δὲ τοὺς ἰχθῦς οὕτω σέβουσι περιττῶς, ὡς Ηλεῖοι τὸν Δία. *alii vero pisces tam impenſe colunt, quam Elei Iouem;* in *protrept.* ſeu *admonit. ad gentes p. m. 35.* Nec SANCHVNIATHONIS hic nobis multum negotii faceſſet auctoritas, ſi quidem admodum probabile, verba, ὅς ἐςι Σίτων, ac reliqua, quibus docetur, Dagonem eumdem eſſe, ac *Iouem aratrium*, non a

SANCHVNIATHONE, ſed PHILONE Byblio, profecta, qui non tam SANCHVNIATHONEM interpretatus eſt, quam paraphraſi quandoque illuſtrauit, adeoque multa de ſuo addidit, vt ſupra iam nobis obſeruatum, & pluribus exemplis oſtendit PETRVS IVRIEV, *hiſtor. crit. dogm. &c. part. IV. cap. V. p. 641. ſeqq.* Ad figuram idoli quod attinet; non contemnenda illorum eſt coniectura, qui ſuperne humanam fuiſſe putant, quae infra vmbilicum in piſcem deſierit; vt praeter alios R. DAVID KIMCHI cenſet, ad *I. Sam. V. 2.* Quo minus enim tantum piſcis habuiſſe figuram dici queat, quae eſt R. SAL. IARCHI ſententia, obſtat, quod capite manibusque amputatis, ſolus Dagon relictus dicatur. Immo, cum id, quod capite manibusque amputatis ſupererat, Dagon dicatur; haud ſine ratione inde colligitur, infimam corporis partem figuram habuiſſe piſcis. Eadem fuit figura Decertonis deae, quam impenſe Aſcalonitae coluerunt, vt ex DIODORO Siculo conſtat, *lib. II. p. 92.* Vnde, quod de Dagonis figura diximus, confirmatur. Licet enim Decerto diuerſa fuerit a Dagone, vt nonnulli contendunt; cum illa feminini ſexus fuerit, hic maſculini; id tamen inde conſtat, eiusmodi idolorum figuras, quae partim hominem, partim piſcem referrent, apud Phoenices non fuiſſe inuſitatas. Ex dictis facile coniicias, Dagonem in idololatrarum theologia eumdem eſſe ac Neptunum, maris rerumque huc pertinentium praeſidem: ſub iſta autem imagine ipſum mare, &, quae quorumdam eſt ſententia, ſpiritum, a quo aquae & maria motum habent, latitare. Inter homines Iaphetum, Noachi filium, cuius poſteris inſulae, peninſulae, & loca maritima ceſſerunt, ſub Neptuni, adeoque Dagonis, latitare nomine, viri docti exiſtimant; qua de re, quia omnia ad meras coniecturas redeunt, nunc non diſceptabimus. Plura de Dagone dabunt IO. SELDENVS, de *diis ſyris. ſyntagm. II. cap. III.* GERH. IO. VOSSIVS, de *idololatr. gentil. lib. II. cap. LXXVI.* IOAN. CONR. DIETERICVS, *antiquitat. bibl. p. 343. ſeqq.* De Chamos, Moabitarum atque Ammonitarum idolo, cuius *Iud. XI. 24.* mentio iniicitur, iam ſupra dictum ad *ſect. praeced. §. XXXVI.*

** Memoriae hoc proditum legimus *Iud. VIII. 27.* Ex inauribus enim Midianitarum & reliqua praeda, quae ei ceſſerat, Ephodum feciſſe dicitur, atque in vrbe ſua Ophra erexiſſe; additurque: *ſcortati autem ſunt omnes Iſraëlitae poſt illud* (Ephod) *fuitque Gideoni & eius familiae laquei inſtar.* Vbi, quid per Ephod intelligatur, quaeri ſolet. R. IESHAIAH idolum aliquod intelligit, quod oracula ediderit, eum in modum, quo vrim & thummim in pectorali ſummi ſacerdotis, reſponſa dabant. Non procul hinc diſcedit IO. SPENCERVS, qui, cum Gideon Ephod feciſſe dicitur, hoc ita intelligit, eum non tantum ſacerdotium nouum inſtituiſſe, veſtesque ac inſtrumenta ſacerdotalia, ſed etiam ſtatuas, quae teraphim vocantur in hiſtoria Michae, con-

conflaſſe, quas inſereret pectorali, eo modo, quo Moſes ſimiles ſtatuas ſub nomine vrim & thummim, pectorali ſummi ſacerdotis inſeri iuſſerit; *de legib. Ebraeor. ritualib. lib. III. cap. III. diſſertat. VII.* Quae vt omni fundamento deſtituitur ſententia; ita recte refellitur a IO. CLERICO, ad *Iud. VIII. v. 27.* Et ipſe quidem CLERICVS, cum obſeruaſſet, Ephod fuiſſe pallium ſacerdotale, cui adnexum erat pectorale gemmis diſtinctum, adſerit, *facere Ephod*, perinde eſſe, ac inſtituere ſacerdotium. Hoc igitur a ſcriptore ſacro indicari, putat, Gideonem in vrbe Ophra inſtituiſſe ſacerdotium a Leuitico diſtinctum. Iam olim eadem ſententia ſe probauit AVGVSTINO, *quaeſtion. lib. VII. quaeſt. XLI.* cui etiam alii, & quidem ex noſtratibus quoque, ſuffragantur. Verum plurima, ni fallor, obſtant. Ephod generatim veſtimentum aliquod ſacerdotale, non tantum, quod ſummo ſacerdoti proprium erat, ſignificat: quo quidem veſtimenti genere interdum & alii vtebantur, vt de Samuele puero atque Dauide conſtat. Praeterea dubito, an vllo exemplo comprobari poſſit, *facere Ephod*, idem eſſe, ac inſtituere ſacerdotium. Nec credibile. hoc feciſſe Gideonem, virum pietate & prudentia conſpicuum, cui ignotum eſſe non poterat, id ſine crimine fieri non poſſe, cum Deus in tabernaculo, eum in finem a ſe conſtituto, ſacra ſibi fieri iuſſerit. Ebraeorum doctores, R. SALOM IARCHI, R. LEVI BEN GERSON, & R. DAVID KIMCHI, ad *Iud. loc. cit.* in eo conſentiunt, monumentum aliquod victoriae a Gideone erectum, vnde deinceps Israëlitis, praeter intentionem Gideonis, idololatriae occaſio. Vlterius progreditur PETRVS IVRIEV, atque Ephod Gideonis veſtimentum aliquod fuiſſe, contendit, quod inſtar vexilli ſeu ſigni militaris crexerit Gideon, idque vt confirmet, tum de antiquiſſimo vexillorum vſu, tum de eorum forma, nonnulla in medium adfert; *hiſtor. critic. dogmat. &c. part. IV. tract. VIII. cap. I. p. 731. ſeqq.* SEB. SCHMIDIVS in eo itidem conſentit, quod victoriae, quam a Midianitis retulerat Gideon, fuerit monumentum, ſed paullo aliter illud explicat. Angelum illum increatum, ſeu filium Dei, a quo vocatus eſt Gideon, ad libertatem populo ebraeo reddendam, Ephodo indutum ei adparuiſſe, cenſet, ſicut alias etiam angeli in veſtibus albis adparuerunt; forte & Ephodum angeli iſtius aureo ſplendore in ſignum diuinae maieſtatis coruſcaſſe. In huius adparitionis memoriam pretioſiſſimum eum ex auro feciſſe Ephodum, ſi non totum, magna tamen ex parte aureum, auro intertexto, vt ſemper in memoriam ſibi aliisque reuocaret eum, qui eiusmodi Ephodo ipſi adparuerat. Illud monumentum cum publice in vrbe Ophra conſtituiſſet; in ſacrario forte aut domuncula eum in finem exſtructa, idololatriae occaſionem Israëlitis praebuit; *comment.* ad *Iud. VIII. verſ. 27.* Vtique eiusmodi quid fuiſſe videtur; ſaltem hoc admodum probabile eſſe, puto, quod victoriae a Midianitis reportatae fuerit

 monu-

monumentum, qualecumque demum fuerit. Licet autem conſilio non malo illud Gideon erexerit; peccati tamen immunis cenſeri nequit; ſiquidem per imprudentiam Iſraëlitis peccandi, & cultu illicito ſe contaminandi, occaſionem praebuit. Forte & ipſe, animo licet non malo, ad hocce monumentum ſacra faciendo, Iſraëlitis, vt ſimile quid facerent, exemplum praeiuit. Saltem eo adhuc viuo peruerſum iſtum cultum initium cepiſſe, nonnulli inde colligunt, quod dicatur, *ſuitque Gideoni & domui eius in laqueum.* At nihil obſtat, quo minus de filiis Gideonis tantum hoc capiamus, qui, dum iram Numinis experti ſunt, de ipſo quoque Gideone recte hoc intelligitur, cuius memoria ob deletam miſere poſteritatem merito parum felix reputabatur. Nec leue quid cenſeri debet, quod ab illo admiſſum, etſi ex imprudentia & bona intentione profectum. Dicitur enim: *& ſcortati ſunt omnes Iſraëlitae poſt illud.* Qua loquendi ratione quod idololatria ſignificetur, notum eſt. Nimirum, etſi vero Deo in hocce loco ſacra facerent, preces ad eum fundentes, aut forte ſacrificia offerentes; nihiloſecius idololatria cenſebatur, quia iſtud praeter voluntatem iuſſumque Numinis faciebant. Vnde, quantopere omnis ἐθελοθρησκεία Deo displiceat, condiſcere licet. Quamquam & ſucceſſu temporis fieri potuerit, vt ipſum illud monumentum ceu idolum aliquod adorarent. Vid. PETRVS IVRIEV, *loc. cit. c. II. p. 736. ſeqq.* Gideonem *Ebr. XI. 33.* ſanctis adnumerari, qui ſingulari ratione fidem ſuam demonſtrauerint, nemo mirabitur, qui ſecum cogitauerit, in eodem catalogo & alios, qui aliquando grauiter lapſi ſunt, comparere. Fueritne ante vocationem ad liberandam gentem iſraëliticam, vna cum patre Ioaſo idololatra, diſceptari ſolet. Quod adfirmandum videtur. Legendus ea de re SEB. SCHMIDIVS, ad *Iud. cap. VI. qu. V. p. 638.*

*** De tempore, quando hoc contigerit, quod *Iud. cap. XVII. & XVIII.* de Micha narratur, iam ſupra ad *§. VII. huius ſectionis* dictum. Res ita ſe habet. Micha, ex tribu Ephraim, pecuniam, quam matri abſtulerat, cum illa furem, quem filium eſſe ignorabat, diris deuouiſſet, ſe redditurum ſignificauit: mater vero, eam Domino ſe conſecraſſe, ad ſculptile ac fuſile faciendum, profeſſa, eam filio relinquere voluit. Hic nihiloſecius matri eam reſtituit, quae cum ſculptile & fuſile faciendum curaſſet, Micha, exſtructa aede ſacra, Ephodum confecit, vnumque ex filiis ſacerdotem conſtituit. Ebraeae voces פסל ומסכה *ſculptile* & *fuſile*, duas indicare videntur ſtatuas, quarum altera forte lapidea, aut lignea, altera argentea fuerit. Non me fugit, eſſe nonnullos, qui, ſculptile & fuſile inter ſe coniuncta fuiſſe, ſtatuunt, adeo, vt *ſculptile* ipſa imago ſeu effigies fuerit, *fuſile* autem baſis, ſeu ſedes, cui fuerit impoſita. Sed prior mihi praeferenda videtur ſententia; cum non ſine ratione haec tam adcurate diſtinguantur. Vocantur etiam haec Mi-

chae

chae idola teraphim; de quibus, cum ſupra iam copioſe & ex inſtituto dictum ſit, nihil nunc addimus. Per Ephod, cuius hic mentio, veſtimentum ſacerdotale intelligitur; reliqua ſummi ſacerdotis ornamenta ſimul eadem voce denotari, a vero abhorret. Quis enim iſta omnia in Michae gratiam confeciſſet? Ex variis locis haud difficulter colligas, Israëlitas, cultum Numinis pro arbitrio ſuo inſtituentes, exiſtimaſſe, veſtimentum aliquod ſacerdotale, ſeu Ephodum, ad hoc ſufficere. Accidebat autem, vt Leuita apud Micham diuerteret, quem certa mercede conduxit, vt ſacra apud ſe curaret. Eaque in re mirifice Micha ſibi placuit, iam non aliter fieri poſſe, ſibi perſuadens, quam vt ſibi rebusque ſuis benedicat Deus, ſiquidem Leuita ſacerdotis munere fungeretur. Ignorantiam hominis cum ſuperſtitione coniunctam hinc intelligere licet. Sed id quoque hinc patet, conſtitutum Michae fuiſſe, non idolum aliquod, ſed verum Deum colere, quod & matris conſilium fuiſſe, ex antea dictis liquet. Haud dubie enim ſimulacra iſta ſaltem pro ſignis ac ſymbolis veri Dei, per quae praeſentiam ſuam manifeſtaret, habuit. At, cum Deus hac ratione ſe coli nolit, nec hominum ſit, modum Numen colendi excogitare, ſed eum, quem Deus praeſcripſit, ſequi; idololatriae grauiſſimae reus fuit. Nec leuiori crimine ſe obſtrinxit Leuita, non tantum ſibi arrogando, quae ceteroquin ſacerdotum erant, ſed cultum iſtum idololatricum omnino promouendo. Eodem autem tempore contingebat, vt Danitae ad poſſeſſiones ſuas amplificandas vrbem Laiſum, quae deinceps Dan dicta eſt, expugnarent. Huc ergo iter facientes idola iſta cum Leuita, quae apud Micham eſſe, indicio exploratorum, antea a ſe miſſorum, didicerant, fruſtra ea repetente Micha, ſecum auferunt, eaque Dane ſacri cultus cauſſa conſtituunt, ſeceſſionem hoc ipſo a ſacris veri Dei & tabernaculo, quod Silunte erat, facientes. Quo ipſo patuit, quam facile per vnius hominis facinus prauum corrumpi plurimi queant, & quanta vis ſit ſuperſtitionis in animis mortalium. Quo pacto intelligendum ſit, quod *cap. XVIII.* dicitur, Ionathanem, filium Gerſomi, filii Manaſſes, eiusque poſteros, ſacerdotum munere apud Danitas functos, donec hi in captiuitatem deducerentur, iam ſupra explicauimus.

§. XVIII.

Ceterum, vt Ioſuae apud ethnicos magna fuit fama atque celebritas; ita, quae ſub eo & iudicibus deinceps geſta ſunt, profanorum quoque ſcriptorum teſtimoniis quodammodo confirmari poſſunt. * Quod autem ad ethnicos ipſos attinet; Aſſyriorum res admodum adhuc hoc tempore erant obſcurae; etſi non deſint, qui Belum, Ninum, Semiramidem ad iudicum aetatem referunt. ** Apud Aegy-

Aegyptios Sethoſis, ſeu Seſoſtris, qui magnam Aſiae partem ſubegiſſe dicitur, ſi nonnullis credimus, itidem ad hocce temporis interuallum pertinet. *** Inter Phoenices Sanchuniathon floruiſſe creditur, cui plurima, quae hac de gente nobis innotuerunt, debemus. Sed Tyrus quoque hac circiter aetate condita fertur, emporium illud orientis longe celeberrimum, cuius frequens in ſcriptura ſacra mentio. * Cadmus, qui in Graecia omnis eruditionis auctor exſtitit, tempore Ioſuae eo veniſſe, litterasque ſecum attuliſſe perhibetur: immo & ſacra quaedam ibi inſtituiſſe, ** quod & de Orpheo conſtat, qui cum Lino & Muſaeo itidem ad hanc aetatem refertur. *** Hinc culturae pariter ac religionis, ac potius ſuperſtitionis in Graecia, in qua iam tum res publicae variae atque regna floruere, * ſi non initium, certe incrementum. Sed & Troianae vrbis excidium tot poëtarum, Homeri maxime, carminibus decantatum, eo tempore contigiſſe cenſetur, quo penes iudices ſumma rerum in gente ebraea fuit. ** Ne quid nunc de Argonautarum in Colchidem expeditione, aliisque memoratu dignis, quae ad hocce interuallum referri ſolent, dicam.

* Ad Ioſuam quod attinet, illuſtre cumprimis eſt teſtimonium, & multorum ſermonibus celebratum, quod apud PROCOPIVM legitur, in *Vandalicis, lib. II. cap. XX.* vbi, cum retuliſſet, Phoenices aduentu Ioſuae territos primum in Aegyptum, tum in Africam ſe recepiſſe, duas columnas, memorat, in Numidia Tingitana, in quibus litteris phoeniciis haec ſcripta legantur: *ἡμεῖς ἐσμὲν οἱ Φεύγοντες ἀπὸ προσώπου* Ιησοῦ τοῦ λῃστοῦ, υἱοῦ Ναυῆ. *Nos ſumus, qui fugimus a facie Ieſu latronis, filii Naue.* Diſcere hinc licet, Phoenicum quosdam tempore Ioſuae, patria relicta, in Africam traieciſſe, qui, cum ipſimet, ceu hoſtes, de victoriis Ioſuae teſtentur, eo minus hac de re dubitandum. Similia fere, ſed prioribus non prorſus conſentanea, habet SVIDAS, in voc. Χαναάν. Etenim, vt reliqua taceam, Phoenices, qui in Africam ſe receperunt, tabulis lapideis inſcripſiſſe cauſſam, ait, propter quam ex Chanaan transmigraſſent in Africam. *Et ſunt*, inquit, *ibi adhuc eiusmodi tabulae in Numidia, complectentes haec:* ἡμεῖς ἐσμὲν Χαναναῖοι, οὓς ἐδίωξεν Ιησοῦς ὁ λῃστής· *Nos ſumus Chananaei, quos expulit latro Ioſua.* PROCOPII hac de re teſtimonium etiam refert EVAGRIVS, *hiſtor. eccleſ. lib. IV. cap. XVIII.* & NICEPHORVS, *lib. XVII. cap. XII.* Nec prorſus hanc relationem reiiciendam cenſuerunt viri docti, qui eius paſſim meminerunt, vt SAMVEL BOCHARTVS, in *Canaan, lib. I. cap. XXIV.* PETRVS DANIEL HVETIVS, *demonſtrat. euangel. prop. IV. p. 281.* IO. SELDENVS, de *diis ſyris prolegom. p. 18.* aliique, laudati IO. ALBERTO FABRICIO, *cod. pſeudepigr. vet. teſtam. p. 892.*

p. 892. vbi integra PROCOPII & SVIDAE loca exhibet. Verum aliter viſum doctiſſimo viro ANTONIO VAN DALE, qui omnes ingenii vires intendit, vt, quid quid hac de re dicitur, ceu commentum meramque fabulam explodat, in *epiſtola ad Theodorum Ianſonium ab Almelouen,* quae ſubnexa eſt operi eius, de *origine & progreſſu idololatriae &c. p. 749. ſeqq.* Rationes eius praecipuae ſunt, quod in narratione PROCOPII nonnulla occurrunt, quae ſcripturae ſacrae, adeoque ipſi veritati, aperte repugnent. Huc inter alia referi, quod totam regionem mari vicinam, a Sidone vsque ad Aegyptum, Phoeniciam fuiſſe adpellatam, autumat, iſtique regioni vnicum ab antiquis temporibus imperaſſe regem; & quae alia ſunt eiusdem generis. Praeterea PROCOPIVM atque SVIDAM maximopere hic a ſe inuicem diſſentire. Longe aliis verbis conceptam inſcriptionem ab hoc referri, quam ab illo, & quidem tabellis lapideis, non columnis, inſcriptam. Multa alia his ſimilia addit, & inter reliqua haec quoque: *Verum ipſas illas columnas Procopianas paulo propius conſideremus. In agro Tingitano, ac prope vrbem Tingin ſeu Tingiſin (quam hodie Tanger adpellamus) eas erectas vult. Verum, vt Suidas de tabulis duabus lapideis loquitur, ſic Ibni Alriquich (tam a Leone Africano, quam a Bernardo Aldrete adductus) de vnico tantum lapide loquitur, ac de ſola Carthagine: ita, vt Procopius columnas ſuas erigat in Mauritania Tingitana, prope aut vltra columnas Herculeas: Suidas tabellas ſuas (ac longe alia cum inſcriptione) in Numidia; Ibni Alriquich vnicum tantum, verum magnum lapidem in prouincia Zeugitana, prope vrbem Carthaginem. Theophanes denique vult, haec verba inſcripta fuiſſe duobus titulis quidem, ſed concauis, in terra Hoen, in Lybia. Suidas vero tabulas ſuas ponit in Numidia.* (*Buddei Hiſt. Eccleſiaſt. Tom. I.*) Praeterea obſeruat, PROCOPIVM minime adfirmare, quod ipſe has columnas viderit, quod tamen & EVAGRIVS & NICEPHORVS illi tribuunt. Tandem, & vel hoc nomine PROCOPIVM non mereri fidem, autumat, quod alias quoque in rebus hiſtoricis *nugaciſſimus*, vt vir doctus loquitur, *nugator* ſit, id quod aliquot exemplis comprobat. Atque haec ita profecto comparata ſunt, vt narrationis iſtius veritatem admodum ſuſpectam reddant; an prorſus labefactent, adſerere nolim. Ex eo, quod falſa quaedam narrationi alicui admixta ſunt, nondum ſequitur, eam totam ceu falſam ac commentitiam reiiciendam eſſe. Quod SVIDAS a PROCOPIO in quibusdam diſſentiat, documento eſt, illum non ex PROCOPIO, ſed alio quodam ſcriptore ſua depromſiſſe, eamdemque adeo rem pluribus eſſe commemoratam. Atque vel hoc ipſum documento eſt, traditionem illam ſeu famam de eiusmodi inſcriptione, non omni prorſus deſtitui fundamento. Eſto, alias quoque PROCOPIO non multum tribuendum eſſe; inde reiicienda prorſus omnia eſſe, quae refert, nondum colligere licet. Sed aliis adcuratius haec diſcutienda relinquo.

 Cele-

Celebrem admodum Ioſuae apud ethnicos eſſe memoriam, inde quoque probari ſolet, quod ad illum pertineat, quidquid de Hercule eiusque facinoribus admirandis veteres tradidere. Idque, inſtituta inter Ioſuam & Herculem comparatione, demonſtrare viri quidam longe doctiſſimi adgreſſi ſunt, vt GERHARDVS IOANNES VOSSIVS, de *idololatria gentil. lib. I. cap. XXVI.* PETRVS DANIEL HVETIVS, *demonſtrat. euangel. prop. IV. p. 874. ſeqq.* EDMVNDVS DIKINSONIVS, in *Delphis Phoenicizantibus, cap. IV. p. m. 58. ſeqq.* quorum deinceps & alii ſequuti ſunt veſtigia. Nonnulli eo vsque progreſſi ſunt, vt, Herculem aliquem apud ethnicos vmquam exſtitiſſe, negauerint; vnde, quidquid de Hercule dicitur, tantum de Ioſua intelligunt. Atque hisce ipſe fauere videtur ERATOSTHENES, fabuloſam eſſe omnem Herculis hiſtoriam adferens, apud STRABONEM, *geogr. lib. XV. p. 756.* Sed CORNELIVS TACITVS quoque, an vnquam Hercules aliquis exſtiterit, quodammodo dubitare videtur. *Et ſupereſſe*, inquit, *adhuc Herculis columnas, fama vulgauit; ſiue adiit Hercules, ſeu, quidquid vbique magnificum eſt, in claritatem eius referre conſueuimus;* de *morib. Germanor. cap. XXXIV.* At alii rurſus, quidquid de Hercule dictum a veteribus, fabulis adnumerari, aegre ferentes, quae de Ioſua ſub Herculis imagine latitante vulgo adferuntur, non prorſus admittenda cenſent, comparationes, quae inter Herculem & Ioſuam a PETRO DANIELE HVETIO, aliisque, inſtituuntur, non alio loco habentes, quam cum theologi comparationem inter Chriſtum & Ioſuam inſtituunt. Ita IOAN. IVSTVS WINCKELMANNVS, in *ſolida relatione de origine & initio Thuringorum*, germanice ſcripta, & WILH. ERNESTO TENZELIO oppoſita, quocum ei hac ſuper re lis interceſſit, reſpondente iterum TENZELIO, & cauſſam ſuam defendente, in *colloquiis menſtruis, anno MDCXCIV. p. 472. & ſeqq.* Controuerſiae quoque huius ſummam in compendio exhibet GEORGIVS SERPILIVS, in *perſonalibus*, quae vocat, *Ioſuae, cap. VI. p. 53. ſeqq.* Mihi rectiſſime hic quoque incedere videntur, qui mediam viam eligunt. Nimirum Herculem aliquem a Ioſua diſtinctum, apud ethnicos exſtitiſſe, negare nolim. Idque vel inde liquet, quod omnia, quae ethnici de Hercule ſuo dicunt, de Ioſua, niſi per ſummam rerum & verborum detorſionem, intelligi nequeant. Vnde & omnia iſta, quae de Hercule ethnici tradiderunt, pro fabulis habere, nimis mihi durum videtur. Non ignoro, plures olim fuiſſe, quibus Herculis nomen datum; adeoque a quibusdam tres, ab aliis omnino duodecim Hercules numerari. Sed praeſtantiſſimorum auctorum teſtimoniis conſtat, tres fuiſſe praecipuos, quibus id nominis olim datum. Sic DIODORVS Siculus tres nominat Hercules, Aegyptium, Creticum & Thebanum, *lib. III. p. 145.* Tres itidem ARRIANVS, & quidem adhuc adcuratius, Aegyptium, Tyrium, ac Graecum, quibus Indicum poſtea addit, de *expedit.*

Ale-

Digitized by Google

Alexandri lib. II. p. m. 88. & *hiſt. Iud. p. 319.* Exiſtimauerim itaque, cum Graeci de aegyptio quodam, forte & de Tyrio Hercule, multa admiranda accepiſſent, idem nomen ex ſuis viro cuidam, fortitudinis rerumque praeclare geſtarum laude incluto, dediſſe; hinc vero morem obtinuiſſe, ut & aliis, qui egregia facinora perpetrauerant, imponeretur. Fieri autem ſimul potuit, vt, cum rerum a Ioſua geſtarum fama ad eos perueniret, illi itidem nomen Hercules darent, aut, quod probabilius, illis, qui apud ſe iam iſto nomine noti erant, deinceps talia tribuerent: quamquam nec illis adeo refragatus fuero, qui, Aegyptium Herculem eumdem cum Ioſua eſſe, putant, eo quod cum Moſe & populo israëlitico ex Aegypto egreſſus eſt. Plures itaque cum eſſent, quibus ob fortitudinis laudem Herculis nomen datum; factum porro eſt, vt non tantum vnius facta alteri, ſed aliquando omnium vni tribuerentur. Vnde vt maxima rerum confuſio, quae & errorum eſt genetrix, ita, ſi decipi nolimus, nihil aliud ſupereſt, quam vt rite diſtinguantur, quantum fieri poteſt, quae aut in hunc, aut in alium quadrant, nec vni tribuantur omnia. Quaedam itaque de Ioſua vt intelligamus, par eſt, quaedam & de Simſone, quem itidem hoc nomine apud ethnicos celebratum, nullum fere eſt dubium, ſaltem nonnulla longe facilius ad Simſonem, quam ad quemuis alium, adplicari poſſunt, reliqua de iis intelligantur, qui aut apud Graecos, aut alias gentes fortitudinis laude fuere celebres. Atque hinc, quo pacto in comparatione Herculis & Ioſuae procedendum ſit, facile intelligetur. Eam interdum ita inſtitui, vt co acta nimis videatur, negari nequit. Speciminis loco ſint, quae ſtatim ab initio hac de re poſt GERH. IOANNEM VOSSIVM, disſerit PETRVS DANIEL. HVETIVS: *Hercules Indos bello appetiiſſe dicitur, quod in Syria & Arabia bella geſſerit Ioſua, terrae enim omnes, vltra mare mediterraneum ſitae, Indiae nomine olim a Graecis adpellabantur. Hercules diis aduerſus Tiphaeum aliosque gigantes praeliantibus opem tulit: Ioſua bella Dei geſſit aduerſus Chananaeos, aliosque terrae promiſſae incolas, viros giganteae proceritatis. Fuit vnus ex illis Og, rex Baſan, cuius lectus ferreus nouem cubitos longus erat, latus quatuor: is eſt ipſe Tiphaeus, vt oſtendunt nominum ſignificationes; nam hoc a* τύφω, *illud a* עוג, *quorum vtrumque ſonat, vſſit, coxit.* Hinc cum ad dubium reſpondiſſet, quod inde oriri poterat, quod antea Typhonem Moſis ſimulacrum dixerat, pergit: *Herculem aduerſus gigantes ad ripam Rhodani pugnantem imbre lapideo a Ioue adiutum ferunt; Deus quinque regum contra Ioſuam praeliantium copias lapidibus grandinis oppreſſit. In Arimis Tiphaeus profligatus iacuit: in Aramacis, hoc eſt, Syriacis campis Og rex Baſan, Philiſtaei, Chananaei, aliique gigantes proſtrati ſunt. Herculis, non Thebani, ſed Aegyptii, aetas cum aetate Ioſuae conuenit, vt oſtendit chronicon Euſebii.* Haec cum ex VOSSIO attuliſſet

ſet HVETIVS, ſubiicit: *Haec Voſſius acute & erudite;* & alia deinceps, quibus idem confirmet, copioſe in medium adfert. At mihi profecto nonnulla nimis coacte hic ad Ioſuam trahi videntur; cuiusmodi longe plura in iis, quae HVETIVS ipſe excogitauit, occurrunt. Si ex India Syriam & Arabiam, ex Gallia Cananaeam facere liceat, haud difficile vtique fuerit, vbique inuenire Ioſuam. Mea opinione longe rectius faciunt, qui nonnulla, quae manifeſta ſunt, Ioſuae vindicant, reliqua de aliis, quorum itidem memoria celebris apud ethnicos fuit, intelligunt.

Sed, vt ad iudices progrediamur, Gideonis, vt viri docti cenſent, in SANCHVNIATHONIS hiſtoria occurrit mentio, cum plurima eorum, quae litteris conſignata reliquit, a Ierombalo accepiſſe dicatur. Ita PORPHYRIVS, apud EVSEBIVM, *lib. I. praeparat. euangel. cap. IX. Rerum,* inquit, *ad Iudaeos pertientium hiſtoriam Sanchuniatho Berytius ſumma fide conſcripſit, quippe quae cum eorum locis ac nominibus apprime conſentiat, cum praecipua rerum illarum capita ab Ierombalo quodam ſacerdote Dei Ieuo accepiſſet.* Hic per Ierombalum Gideonem viri docti intelligunt, quem etiam Ierubbaal dictum conſtat. Vid. *Iud. VI. verſ. 32. VII. 1. VIII. 35.* Per Deum *Ieuo* ſeu *Iauo* ipſum verum Deum intelligi, manifeſtum, alibique iam obſeruatum, vocem יהוה hac ratione apud ſcriptores profanos exprimi. Vel DIODORI Siculi hoc teſtimonio patet, qui auctor eſt, *Moſen apud Iudaeos finxiſſe, Deum illum, qui IAO cognominatur, leges ipſi tradidiſſe; lib. I. p. m. 48.* Licet autem Gideon ſacerdos non eſſet, facile tamen Sanchuniathonem in eam induci ſententiam potuiſſe, putant, cum videret, cum religioni ſuae addictiſſimum, immo verae religionis reſtauratorem, niſi potius ob Ephod in ciuitate Ophra erectum, in hanc ſententiam ingreſſus eſt. Hinc itaque Ierombalum SANCHVNIATHONIS eumdem eſſe, ac Gideonem, nonnullis extra dubium poſitum videtur: quod & pluribus confirmat PETRVS DANIEL HVETIVS, *demonſtrat. euangel. prop. IV. p. 74.* & SAM. BOCHARTVS, *Canaan, lib. II. cap. XVIII.* At aliter ſentit ANTONIVS VAN DALE, qui in *diſſertatione ſuper Sanchuniathone,* quae addita eſt eius *diſſertationi ſuper Ariſtea,* variis rationibus hanc ſententiam impugnat, de quibus deinceps deſpiciemus, cum de Sanchuniathone ex inſtituto erit dicendi locus. Ex hiſtoria Iephtae fabulam de Iphigenia, quam pater Agamemnon Dianae immolaſſe fertur, ortam, nonnulli putant, vnde Iphigeniam, quaſi Iephtigeniam dictam cenſent; idque ex inſtituto LVDOVICVS CAPPELLVS euincere adnititur, in *diatribe, de voto Iephtae.* At, cum alii ad hiſtoriam Abrahami, filium vnicum iuſſu Numinis immolaturi, hanc fabulam referant, de ea iam ſupra ad *per. I. ſect. III. §. XXIII.* quantum ſatis eſt, dictum. Simſonis denique facta in variis Herculis facinoribus itidem ſibi viri docti deprehendere

hendere

hendere videntur. Sic diſcerptum ab eo leonem, Nemaeus leo ab Hercule interfectus referre videtur; illicitos amores & commercia cum Gazaea meretrice & Delila, quibus ſeruitutem ſibi attraxit, cum prauarum cupiditatum antea ipſe ſeruus factus eſſet, Herculis apud Omphalem ſeruitus & effoeminatio, ſi nonnullis credimus, exprimit; vt claua Herculis, maxillam aſini, qua Simſon Philiſtaeos percuſſit; hydrae autem, centauri, ſtymphalides, aliaque id genus monſtra, Aſkalonitarum, Gazaeorum, & generatim Philiſtaeorum omnium in Simſonem impetus adumbrant. Herculis poſt libidines homicidiaque iterata per Theſtium & Eumolphum expiatione, Simſonis innui poenitentiam, putant; vt mors ſpontanea Herculis in Oeta monte, voluntarium Simſonis interitum ſignificet. Praeterea, caeſariem Simſonis, fabulis de fatali Niſi & Pterelai coma originem dediſſe, exiſtimant, moremque comam falſis numinibus conſecrandi apud ethnicos, ex naziraeatu Simſonis, & lege Moſaica de naziraeatu, ortum habere: ex vulpibus denique Simſonis vulpinalia apud Romanos celebrari ſolita originem trahere: quae omnia copioſius ediſſerit NATALIS ALEXANDER, *hiſt. eccleſ. vet. teſtam. aetat. mundi IV. artic. V. p. 348.* Quae noſtra de his omnibus ſit ſententia, ex antea dictis conſtat. Quaedam ex iis, quae de Hercule dicuntur, haud obſcure ad Simſonem pertinent, vnde & ſequitur, non poſſe omnia ad Ioſuam trahi; at pleraque prorſus incerta, nonnulla & valde coacta ſunt. Id quidem exempla iam adlata docent, ſed, quod ad vltimum attinet, duo adhuc adiicere liceat. Vt columnas Gaditanas, quae Herculi meta itinerum fuerunt, in hiſtoria Simſonis inueniant, columnas duas Gazaei Dagonis templi aduocant, per quas Simſon vitae terminum inuenit. At PETRVS DANIEL HVETIVS, qui pleraque Herculis ad Ioſuam refert, columnas illas celebres Herculis ex columna ignea, Ebraeorum exercitui praeeunte, originem habuiſſe, exiſtimat; *demonſtrat. euangel. prop. IV. p. 276.* Sed, ſi iſta procedant, quidlibet ex quolibet facere, haud difficile fuerit. Quid vero de duodecim laboribus Herculis fiet? *Sunt illa*, reſpondet NATALIS ALEXANDER, *duodecim ſigna zodiaci, quae ſol quotannis percurrit; Samſon ebraice paruum ſolem ſonat, vt obſeruant interpretes; loc. cit.* Quis non miretur acumen? Sed plura addere, ſuperuacaneum ducimus.

** Quae de antiquitate & amplitudine regni aſſyriaci vulgo ex CTESIAE auctoritate traduntur, falſa & fabuloſa eſſe, aliquoties iam monuimus, ſcilicet ad *period. I. ſect. II. §. X.* & *ſect. III. §. XXIV.* Nunc tamen nonnulla, ſpeciatim de Nino, quem nonnulli Beli filium vocant, eiusque vxore Semiramide, de qua tot miracula vulgo referunt, & ſub quibus hocce imperium ad maximum faſtigium peruenerit, addenda ſunt, eo quod ab adcuratioribus chronologicis ad iſtud temporis interuallum, quo res Israëlitarum per

iudices adminiſtratae ſunt, referantur. Inter Aſiae reges Ninum primum fuiſſe, cuius memoriam hiſtoriae propagarunt, DIODORVS Siculus auctor eſt, de quo & dicit, ὅτι μεγάλας πράξεις ἐπετελέσατο, *quod res magnas peregerit.* Cum enim bellicoſus eſſet, & ingentem exercitum ſibi comparaſſet, cum Ariaeo, rege Arabiae, ſtrenuis tum viris plenae, ſocietate inita, Babylonios inuaſiſſe, eosque ſibi ſubieciſſe. Babylonem vrbe meo tempore nondum fuiſſe conditam: κατ᾽ ἐκείνας δὲ τοὺς χρόνους ἡ μὲν νῦν οὖσα Βαβυλὼν οὐκ ἦν ἐκτισμένη, *Babylon autem, quae nunc eſt, eo tempore nondum erat condita;* interim alias vrbes non contemnendas in Babylonia fuiſſe. Barzane hinc, Armeniorum rege, tributario facto, Mediam a Nino ſubactam, reliquamque tandem Aſiam perdomitam, adeo vt XVII annorum ſpatio omnes Aſiae populos, praeter Indos & Bactrianos, poteſtati ſuae ſubiecerit. Reductis tum in Syriam copiis, Ninum vrbem ampliſſimam, dignam tanto imperio regum ſedem, exſtruxiſſe, quam & copioſius deſcribit *lib. II. p. 91.* De Semiramide hinc, quam deinceps Ninus in matrimonium duxit, verba faciens, eam deae cuiusdam filiam, quae Syris Derceto vocatur, & cuius apud Askalonitas templum celebre fuit, quae eam ex Syri cuiusdam, cuius amore capta erat, concubitu conceperit, habitam refert, hinc, quo pacto in tenera infantia a columbis nutrita, & a paſtoribus, qui eam inuenerunt, educata fuerit, exponit; ſed ipſemet tandem DIODORVS haec pro commentis habet: τὰ μὲν οὖν κατὰ τὴν γένεσιν τῆς Σεμιράμιδος μυθολογούμενα σχεδὸν ταῦτ᾽ ἐστίν· *Haec de Semiramidis ortu fabuloſe recitantur.* Interim, quod ὡς ἐν παρόδῳ notamus, haec fabula de matre Semiramidis apud alios etiam occurrit, vt apud LVCIANVM, de *dea ſyria, tom. II. p. 662.* itemque apud HYGINVM, *fab. CCXXIV.* aliosque. Eam, a columbis nutritam, indeque Semiramidis nomen ſortitam, itidem & alii veterum memorant; conf. CLEMENS Alexandrinus, in *protreptico* ſeu *admonit. ad gentes, p. m. 25.* Sed, vt ad DIODORVM redeamus, is porro auctor eſt, Menonem, magnae dignitatis virum, ſenatus regii principem, ac totius Syriae adminiſtratorem, cum Semiramidem apud paſtores conſpexiſſet, forma eius captum, eam in matrimonium duxiſſe, & duos ex ea filios procreaſſe, Hypaten & Hydaſpen. Interea Ninus expeditionem in Bactrianos moliebatur, quam & tandem coacto immenſo exercitu, ſuscepit: συναχθείσης δὲ τῆς στρατιᾶς πανταχόθεν, ἠριθμήθησαν, ὡς Κτησίας ἐν ταῖς ἱστορίαις ἀναγέγραφε, πεζῶν μὲν ἑπτακόσιαι μυριάδες, ἱππέων δὲ μιᾶς πλείους τῶν εἴκοσι μυριάδων, ἅρματα δὲ δρεπανηφόρα μικρὸν ἀπολείποντα τῶν μυρίων ἑξακοσίων· *Coacto igitur vndique exercitu, recenſita decies ſepties centena peditum, & ducenta ac decem equitum, decemque currnum falcatorum millia, cum paullo minus ſexcentis, Cteſias in hiſtoriis tradit.* Qui copiarum numerus, etſi ipſi DIODORO incredibilis videatur; nihiloſecius perſuadere lecto-

lectori adnititur, non fuiſſe *ἀδύνατον*, vt tantus exercitus cogeretur. Oxyartes, Bactrianorum rex, cum primum ſtratagemate Aſſyrios fudiſſet, mox fugatus ab iis ipſe eſt, vrbibus a Nino occupatis, excepta vrbe Bactra, quae cum munitiſſima eſſet, tam facili negotio expugnari non potuit. Dum ergo circa eam Ninus cum exercitu haeret, Menones, qui ibidem in caſtris erat, amoris impatiens, vxorem Semiramidem ad ſe arceſſit; quae & virili ſumto habitu venit, moxque conſilio & virtute ſua effecit, vt Bactra vrbs in Nini poteſtatem veniret. Hac occaſione Nino innotuit, qui ſorma eius captus, a Menone in vxorem eam ſibi concedi voluit, qui minis regis perterritus, amorisque impotentia in furorem actus, iniecto ſe laqueo ſuſpendit Ita Semiramis Nini vxor facta, qui cum Ninyam filium ex ea ſuſcepiſſet, fato ſuo functus eſt, ſucceſſionem in regno vxori relinquens. Hinc opera Semiramidis, vrbes, hortos, aedificia varia, eaque prorſus ſtupenda, hinc inde in Aſia exſtructa, DIODORVS memorat, inter quae Babylon vrbs eminet, quam a Semiramide conditam, auctor eſt, & inter alia ad operis ſtructuram, *ἀνδρῶν μυριάδας διακοσίας*, *vicies centena hominum millia*, eam coëgiſſe, refert. Tandem cum Indiae regi, Stabrobati, immenſo prius coacto exercitu, bellum intuliſſet, initio quidem proſpera fortuna vſa, mox autem clade inſigni adfecta, fuga ſaluti ſuae conſulere coacta eſt Tum regno Ninyae filio, a quo inſidias ſibi ſtrui intellexerat, tradito, *ταχέως ἠφάνισεν ἑαυτὴν, ὡς εἰς θεοὺς κατὰ τὸν χρησμὸν μεταστησομένη*, *confeſtim ex hominum conſpectu, vt ad deos iuxta oraculi fidem migratura ſe ſubduxit.* Indeque fabulam, de Semiramide in columbam conuerſa, ortam, autumat. Et haec quidem DIODORVS, CTESIAE, vt diſerte profitetur, ductum ſequutus. Hinc vero ſubiicit, quae ATHENAEVS, & alii quidam de ea referunt; Semiramidem meretricem fuiſſe elegantis formae, & ob pulcritudinem ab Aſſyriorum rege adamatam, mox etiam legitimae vxoris nomen conſequutam, perſuaſiſſe viro, vt per quinque dies regno ſibi cederet, eaque occaſione vſam, coniecto in carcerem viro, imperium occupaſſe, eoque ad ſenectutem vsque potitam, multorum, & magnorum operum effectis claruiſſe. Quae ex TROGO POMPEIO IVSTINVS refert, *hiſt. lib. I. cap. I. & II.* in nonnullis cum iis, quae ex CTESIA attulit DIODORVS Siculus, conueniunt, in quibusdam diſcrepant. Ad priorem claſſem pertinent, quae de antiquitate & amplitudine imperii aſſyriaci, deque rebus variis iisque admirandis, quas Semiramis geſſerit, memorat. Huc & illud pertinet, quod Babylonem ab ea conditam, auctor eſt.

Verum haec omnia, ſi paullo adcuratius ſub examen reuocentur, vana, falſa ac commentitia eſſe, deprehenduntur. Id quidem viris doctiſſimis noſtra aetate obſeruatum fuit, adeo, vt GERHARDVS IOANNES VOSSIVS, an vmquam Semiramis illa, quam CTESIAE ſecta-

Digitized by Google

ſectatores tantopore extollunt, fuerit? dubitet; de *idololatria gentil. lib. I. cap. XXXIII.* Poſſunt vtique non vno argumento erroris conuinci, quae auctores iſti tradunt. Primo enim ſi temporum rationes, quas iſti ſequuntur, conſideremus, non poſſunt non, quae de Nino & Semiramide narrant, in tempora diluuio proxima incidere, cum iuxta DIODORVM regnum aſſyriacum vltra annos MCCCC ſteterit, donec a Medis euerteretur; *lib. II. p. m. 115.* iuxta IVSTINVM autem MCCC; *lib. I.* Vnde & nonnulli, Belum, Nini patrem, ipſum Nimrodum eſſe ſtatuunt. Iam vero, ſi immenſos iſtos exercitus Nini & Semiramidis cogitemus, quos antea memorauimus, haec cum paucitate hominum, qui primo poſt diluuium aeuo vixerunt, conciliari non poſſe, nemo non videt. Vt reliqua, quae nullam ſpeciem veri habent, mittam, id aperte falſum eſt, quod auctores iſti tradunt, Babylonem a Semiramide conditam. Aliam enim eius eſſe originem, *ex Geneſ. X. & XI.* nouimus. Sed ex profanis quoque auctoribus haud pauci CTESIAM, & qui eum ſequuntur, hic erroris arguunt. BEROSVS ipſe chaldaeus *μέμφεται ἑλληνικοῖς συγγραφεῦσι*, *reprehendit graecos hiſtoricos*, quod crediderint, Babylonem a Semiramide Aſſyria conditam; apud FLAV. IOSEPHVM, *lib. I. contra Apion. p. 1045.* Immo nonnulli ex ipſis Graecis ad Belum potius vrbis originem retulerunt, non male prorſus, ſi per Belum babylonius ille, non aſſyriacus, ſeu Nimrod ipſe, intelligatur. Legenda excerpta ex variis auctoribus, apud EVSEBIVM, *praeparat. euangel. lib. IX. cap. XIV. XV. XVII. XVIII.* Idem quoque Q. CVRTIVS confirmat: *Semiramis eam condidit, vel, vt PLERIQVE credidere, Belus, cuius regia oſtenditur, lib. V. cap. I.* PHILO quoque Byblius, hanc vrbem *opus eſſe Babylonis*, tradidit, *viri ſapientis, qui filius fuerit ſapientiſſimi Medi*, (Beli, legendum alia cenſent,) *non vero, ſicut Herodotus, a Semiramide conditam, ea enim antiquiorem eſſe* (Babylonem) *duobus annorum millibus*, apud STEPHANVM voc. Βαβυλών. Hiſce IACOBVS PERIZONIVS, qui itidem, Babylonem a Semiramide conditam, negat, EVSTATHIVM addit, ad *Dionyſii periegeſin, v. 1005.* qui eadem, ac PHILO Byblius, refert, niſi quod vrbem Semiramide antiquiorem dicat, mille & octingentis annis; *orig. Babylon. cap. VII. p. 90.* add. CHRISTOPH. CELLARII *not. orb. antiqui lib. III. cap. XVI.* Nec eſt, quod de vrbis reſtauratione capias, quae de Semiramide, quod Babylonem condiderit, dicuntur. Namque nec hoc idoneis comprobari teſtimoniis poteſt; & quacumque demum aetate vixiſſe Semiramis ſtatuatur, eo tamen tempore, quo babylonicum imperium cum aſſyriaco coniunctum fuit, vixiſſe, dici neutiquam poteſt. Quod ſi omnino Semiramis aliqua, quae aſſyriaco imperio praefuerit, admittenda ſit; primo quidem, quae de potentia eius & amplitudine imperii, deque ſtupendis ab ea editis operibus, ex CTESIA narrantur, inter fabulas & com-

commenta referenda erunt. Deinde, quod ad aetatem attinet, ea in iſtud quam rectiſſime tempus refertur, quo apud Ebraeos, iudices rerum ſummam adminiſtrarunt. Ita rectius reſpondebit chronologia HERODOTI, qui, imperium aſſyriacum DXX annos duraſſe, auctor eſt; *lib. I. cap. XIV.* Verba iam ſupra ad *per. I. ſect. III. §. XXIV.* protulimus. Nimirum ita hoc capiendum, quod a regni iſtius reſtauratione & aliquali amplificatione, a Nino forte & Semiramide facta, vsque ad tempus, quo Medi defecerunt, totidem anni effluxerint. De prima enim origine hoc intelligi nequit, iuxta ea, quae *per. I. ſect. II.* ad *§. X.* diximus. Confirmat id EVSEBIVS, *praep. euangel. lib. I. cap. VI.* Cum enim Semiramidis Aſſyriorum reginae meminiſſet, ſubiungit: ἢ πρὸ τῶν Ἰλιακῶν, ἢ κατ' αὐτούς γε τοὺς χρόνους γενέσθαι ἀναγέγραπται, *quam Troianis temporibus, vel antiquiorem, vel aequalem fuiſſe, ſcripſerant.* Hinc & ex recentioribus viri doctiſſimi, interque eos IACOBVS VSSERIVS, in *annalib. vet. & noui teſtament. p. m. 25.* in eam ingreſſi ſunt ſententiam, ad iudicum tempora Semiramidem referendam eſſe; conf. & IOAN. MARSHAMVS, *can. chron. ſect. XVII. p. 522.* Quod vt a vero non abhorret; ita rurſus patet, quidquid de potentia & magnitudine imperii aſſyriaci ſub Nino & Semiramide dicitur, commentitium eſſe. Cum enim Iudaei eo tempore bella plurima cum gentibus vicinis, a quibus ſubinde opprimebantur, geſſerint, cum etiam nonullae ex iis gentibus reges potentia florentes habuerint, qui alterius imperio non fuerunt ſubiecti; aſſyriaci profecto imperii tam amplos, vt vulgo feruntur, eo tempore limites non fuiſſe, neceſſe eſt. Nec credibile, nudos iſtarum rerum ſpectatores fuiſſe reges aſſyriacos, ſi tanta eorum iam tum potentia fuit. Quae omnia inde confirmantur, quod regum aſſyriacorum nulla in libro iudicum, vbi tot israëlitarum cum vicinis bella narrantur, mentio. Cuncta denique, quae ſupra ex DIODORO de aſſyriaco imperio, de Nino & Semiramide retulimus, ad CTESIAE fidem & auctoritatem redeunt, quae quam exigua ſit in *prolegomenis,* ad *§. XIII.* iam demonſtratum eſt.

*** Inter Aegyptiorum reges, qui ad hocce temporis interuallum referri ſolent, celebris maxime eſt Buſiris, Graecorum fabulis decantatiſſimus, quem peregrinos omnes in Aegyptum venientes diis mactaſſe perhibent. Vnde illud VIRGILII:

- - - Quis aut Euriſthea durum
aut illaudati neſcit Buſiridis aras?

georg. lib. III. v. 5. ISOCRATES autem, ingenii vires periclitaturus, encomium Buſiridis ſcripſit, in qua illum a ξενοκτονίᾳ abſoluit. Alii omnino, Buſiridem vmquam fuiſſe, negant. STRABO: οὐδὲ βασιλέως, μὰ Δία, οὐδὲ τυράννου γενομένου τινὸς τοῦ Βουσίριδος, *cum medius fidius, nullus neque rex fuerit Buſiris, neque tyrannus; lib. XVII.* Sed & ipſe DIODORVS Siculus fatetur, *Bu-*

ſiridis nomen non regi alicui, ſed tumulo Oſiridis competere; ſimulque fabulae de Buſiride aduenas mactante hanc tradit originem, quod homines eiusdem coloris, quem habuit Typhon, a regibus antiquitus ad Oſiridis ſepulcrum mactati ſint: cum vero pauci Aegyptiorum inueniantur ruſi, ſed peregrinorum complures, inde apud Graecos inualuiſſe fabulam περὶ τῆς Βουσίριδος ξενοκτονίας *de Buſiridis aduenas obtruncantis ſaeuitia; bibliothec. lib. I. p. 56.* Quodſi nihiloſecius Buſiris aliquis in Aegypto regnaſſe credatur, eius aetatem in tempora, quae Ioſuae mortem proxime exceperunt, referendam eſſe, oſtendit IAC. PERIZONIVS, in *aegypt. orig. inueſtig. cap. XVI. p. 264.*

Reliquos Aegypti reges rerum geſtarum magnitudine atque celebritate longo poſt ſe interuallo reliquit Seſoſtris, quem adeo ſilentio praetermittere nefas fuerit. De eo cum fuſe agat DIODORVS Siculus, *lib. I. p. m. 48. ſeqq.* paucis, eundo per ſumma capita, quae memoriae prodidit, exhibebimus. De Myride namque cum verba feciſſet, *poſt aetates inde ſeptem*, inquit, *Seſoſtris, qui & Seſooſis & Seſonchis, rex fuit, qui maiores rebus geſtis omnes ſuperauit.* Cum vero non tantum graeci ſcriptores de eo inter ſe diſcrepent, ſed & ſacerdotes Aegypti, & qui carmine laudes eius celebrant, non conſentanea inter ſe narrent; veroſimillima & cum reſtantibus in Aegypto ſignis maxime congruentia, ſe memoraturum profitetur. Cum natus eſſet Seſoſtris, patrem eius omnes eodem die natos ex tota Aegypto congregaſſe, refert, eadem cum Seſoſtri ratione educandos, eademque diſciplina, & exercitationibus iisdem ad praeclara quaeuis ac egregia formandos. Hos enim ob familiaritatem, & eamdem educationem, amicos beneuolentiſſimos, & optimos commilitones, cuaſuros eſſe, ſibi perſuadebat. Ita ergo cum adoleuiſſet Seſoſtris, primum fortitudinis ſpecimen, ſubacta & perdomita cum ſuis commilitonibus Arabum gente ferociſſima, dedit. Tum Libyae maximam partem παντελῶς νέος ὢν τὴν ἡλικίαν, *admodum iuuenis*, imperio ſubiunxit. Defuncto patri cum ſucceſſiſſet, rerum antea geſtarum fiducia elatus, ſimulque aut a filia Athyrte, aut per ſomnium patri oblatum, quo orbis dominium ei promittebatur, incitatus, totum ſibi orbem ſubiiciendum propoſuit. Aegyptiorum itaque varia ratione ſibi conciliatis animis, exercitum, prout coeptorum magnitudine dignum erat, conſcripſit, ad ſexcenta ſcilicet millia peditum, & viginti quatuor millia equitum, currumque bellicorum XVII M, ordinum vero ſingulorum educatos ſecum ductores fecit, iampridem quippe in re bellica exercitatos. Iſto exercitu inſtructus, primum Aethiopas ſibi ſubiecit, & vectigal pendere coëgit: tum claſſem CCCC nauium in mare rubrum expediuit, inſulas, quae iſtic locorum ſunt, occupauit, &, quidquid continentis mare attingit, ditioni ſuae ad Indiam vsque adiunxit. Ipſe vero

cum

Digitized by Google

cum exercitu progreſſus, totam Aſiam ſubegit: οὐ μόνον γὰρ τὴν ὕστερον ἐπ' Ἀλεξάνδρου τοῦ Μακεδόνος καταχτηθεῖσαν χώραν ἐπῆλθεν, ἀλλὰ καί τινα τῶν ἐθνῶν, ὧν ἐκεῖνος οὐ παρέβαλεν εἰς τὴν χώραν. *Non enim prouincias ſolum ab Alexandro Macedone poſtmodum adquiſitas; verum etiam gentes, quarum terras ille non adgreſſus eſt, inuaſit. Nam & Gangem fluuium tranſiit*, ita pergit DIODORVS, *& Indiam ad oceanum totam permeauit. Tum & Scytharum gentem ſubiecit, ad Tanaim vsque fluuium, qui Europam ab Aſia diſpeſcit.* Eodem modo, quidquid Aſiae reliquum erat, vt & pleraſque Cycladum inſularum, eum in fidem ſuam adegiſſe, ait, transgreſſum vero in Europam, in amittendi exercitus periculum deueniſſe, ob annonae defectum & locorum difficultatem; idcirco terminis expeditionis in Thracia conſtitutis, cippos vbique terrarum bello adquiſitarum erexiſſe, ſacris Aegyptiorum litteris hoc verborum indicio inſcriptos: τὴν δὲ τὴν χώραν ὅπλοις κατεστρέψατο τοῖς ἑαυτοῦ βασιλεὺς βασιλέων καὶ δεσπότης δεσποτῶν Σεσόωσις. *Hanc prouinciam armis ſuis deuicit rex regum, & dominus dominorum Seſooſis.* His ita geſtis, cum captiuis ceteriſque ſpoliis, quorum vim immenſam collegerat, in Aegyptum remeauit, donariiſque eximiis & manubiis hoſtium, cuncta per Aegyptum templa exornauit, immo ipſe in omnibus Aegypti vrbibus templum deo, quem ſinguli maxime colerent, aedificauit, aliaque opera ſplendidiſſima perfecit, in quibus enarrandis copioſus eſt DIODORVS. Exactis autem in regno annis XXXIII, captus oculis, ſponte vita demigrauit: καὶ τοῦτο πράξας, οὐ μόνον παρὰ τοῖς ἱερεῦσιν, ἀλλὰ καὶ παρὰ τοῖς ἄλλοις αἰγυπτίοις ἐθαυμάσθη, δόξας τῇ μεγαλοψυχίᾳ τῶν πεπραγμένων ἀκόλουθον πεποιῆσθαι τὴν τοῦ βίου καταστροφήν. *eoque facto non modo ſacerdotum, ſed ceterorum quoque Aegyptiorum admirationem promeruit, quod magnitudine animi factis teſtata, dignum vita exitum ſibi feciſſet.* Ita quidem DIODORVS. Similia fere de Seſoſtri habet HERODOTVS, ſaltem in eo conſentit, quod peragrata victoriis ſuis Aſia, in Europam transgreſſus, Scythas atque Thraces ſubegerit, & in ſingulis regionibus cippos in rerum a ſe geſtarum memoriam erexerit, quorum nonnullos ipſemet HERODOTVS in Syria Palaeſtina viderit, etſi plerique non amplius incolumes exſtiterint; *lib. II. cap. II. ad VI.* Addit deinde *cap. X. ſolum hunc Aegyptium regem imperio Aethiopiae potitum.* Cumque tanta regis iſtius fuerit celebritas, hinc & alii auctores, ARISTOTELES, STRABO, AELIANVS, IVSTINVS, cui Vexoris vocatur, aliique, paſſim eius mentionem faciunt; FLAV. IOSEPHVS quoque ſub nomine Sethoſis, qui & Rameſſes fuerit dictus, res eius geſtas, praeſertim expeditionem in Aſiam, ex MANETHOE exponit; *lib. I. contra Apion. p. 1041.*

Quando vero Seſoſtris ille vixerit, de quo tot admiranda veteres nobis narrant, id quidem eſt, de quo viri docti

docti inter ſe non conſentiunt. IOAN. MARSHAMVS, Seſoſtrin hunc eumdem, ac Seſacum, eſſe, exiſtimat, de quo *I. Reg. XIV. 25.* dicitur, quod *anno quinto Rehaboami adſcenderit in Ieruſalem, & abſtulerit theſauros domus Dei, & theſauros domus regis, & omnia ſcuta aurea, quae fecerat Salomon;* in *canone chronico, ſaec. XIV. p. 376.* Immo huic praecipue fundamento hypotheſis eius chronologica, qua Menem Aegypti regem eumdem eſſe, ac Chamum, ſeu Misraimum, contendit, innititur, vt iam ſupra obſeruauimus, ad *period. I. ſect. III. §. XXIV.* Sed iam ante MARSHAMVM in eamdem ſententiam, Seſoſtrin eumdem cum Seſaco eſſe, ingreſſus eſt AVGVSTINVS TORNIELLVS, in *annalibus ſacris & profanis*, ad *annum MMM LXIV. tom. II. p. 36.* & HERMANNVS CONRINGIVS, in *aduerſariis chronologicis*, quae exſtant in IOAN. GEORGII GRAEVII *ſyntagmate variarum diſſertationum rariorum, cap. XVIII.* Immo ipſum iam IOSEPHVM in eadem fuiſſe ſententia, non tantum MARSHAMVS ſibi perſuadet, ſed & SAM. BOCHARTVS, in *Phaleg. lib. IV. cap. XXXI.* & EDVARDVS STILLINGFLEETVS, in *originibus ſacris, lib. I. cap. V.* Sed procul ab his omnibus diſcedit, qui contra MARSHAMVM ex inſtituto diſputat, vir clariſſimus, IAC. PERIZONIVS. Et primo quidem, quod ad Ioſephum attinet, cum neutiquam id dicere, quod illi vulgo tribuitur, ſed Seſoſtrin potius ac Seſacum pro diuerſis habuiſſe, luculenter euincit, in *aegypt. orig. inueſt. cap. VIII. p. 105. ſeqq.* Quo ipſo & praecipuum ſecus ſentientium fundamentum corruit. Deinde HERODOTVM, DIODORVM Siculum, ARISTOTELEM, STRABONEM, immo tantum non omnes ſcriptores graecos, Seſoſtrin bello Troiano antiquiorem facere, demonſtrat *cap. VIII. p. 120.* Bellum vero Troianum in illud tempus, quo iudices Ebraeis praefuerunt, cadere, conſtat, & in ſequentibus a nobis comprobabitur. Nec ipſe diffitetur MARSHAMVS, communi Graecorum conſenſu Seſoſtrin bello Troiano antiquiorem eſſe; etſi ſimul hosce ſcriptores omnes erroris arguere non dubitet. *Aetas Seſoſtris,* inquit, *Graecis omnino incognita, in ſacris Ebraeorum θεοφθέγκτοις conſeruatur; ſaec. I. p. 22.* Et *ſaec. IX. p. 132. Vulgaris eſt iſte Graecorum error, qui, Seſoſtrin bellum Troianum praeceſſiſſe, crediderunt.* Id vero durum admodum videtur IAC. PERIZONIO. *Durum enimuero*, inquit, *& proteruum, ita vno veluti halitu difflare in re antiqui temporis omnem antiquitatis conſenſum, tumquam leuiſſimi ponderis; loc. cit. cap. IX. p. 122.* Vbi & inter alia obſeruat, ſi poſt bellum Troianum vixiſſet Seſoſtris, fieri vix potuiſſe, vt non Homerus eius inieciſſet mentionem. Idem argumentum vir doctiſſimus *cap. XVII. p. 260. ſeqq.* proſequitur, ſpeciatim probans, aetatem Seſoſtris ad tempora iudicum Ebraeorum referendam eſſe. Nec contemnendae profecto ſunt rationes, quibus pugnat, immo rem plane mea opinione conficiunt. Illud ſaltem diſplicet, quod

I. Reg.

Digitized by Google

I. Reg. VI. 1. numeros corruptos eſſe, & pro annis CCCCLXXX ponendos DLXXX contendit. Nulla enim, vt ita ſentiamus, praegnans adeſt ratio, locusque, qui *Actor. XIII. 20.* exſtat, cum priori facili negotio conciliari poteſt, vt nec hunc, nec illum, pro corrupto habere, neceſſe ſit. Dictum hac de re ſupra ad §. *XI. huius ſectionis.* Praecipuum, quod illorum ſententiae, qui Seſoſtrin a Seſaco diſtinguunt, & illum ad iudicum tempora referunt, opponi poteſt, hoc eſt, quod nullius regis aegyptii, qui in Palaeſtinam mouerit, praeter Seſacum, & dein Nechon, in codice ſacro fiat mentio, neque veroſimile ſit, expeditionem iſtam abſque calamitate gentis ebraeae factam, eamque in ſacro codice ſilentio praeteritam. Hoc & HERMANNVS CONRINGIVS vrget, *loc. cit.* Sed reſpondet PERIZONIVS, Seſoſtris expeditionem forte tempore alicuius ſeruitutis iſraëliticae contigiſſe, quae multiplex & diutina ſaepe fuerit. Syriam autem Palaeſtinam ab HERODOTO dici a Seſoſtride ἀμαχητὶ ſubactam, hoc eſt, facile & vltro tributum pollicitam aegyptio regi, atque ita Iſraëlitas, ſine vllo maiore aut ſibi proprio motu, cum omnibus Palaeſtinis pariter ac cum ſuis dominis, tamquam adpendicem quamdam, ad comiter venerandam regis aegyptii, qui ad reliquos Aſiae populos properabat, maieſtatem, facile acceſſiſſe; *quod,* inquit, *ita ſi factum fuit, vt ſane videtur; tum nihil profecto mirum, ſi in libro iudicum nusquam id reperiatur adnotatum, quia ad gentem iſraëliticam proprie non pertinebat; loc. cit. cap. VIII. p. 117.* Eadem repetit *cap. XVI. p. 276.* Poteſt vtique hac ratione dubium illud quodammodo tolli, quod ceteroquin non leue eſt: eoque magis haec reſponſio locum inueniet, quod & ceteroquin ſcriptoribus ſacris haud inſolens ſit, ea, quae ad ſcopum ſuum non faciunt, praetermittere. Interim diffiteri nequeo, ipſum illud ſcripturae de Seſoſtri ſilentium aliquem in hancce cogitationem adducere poſſe, an omnino vera ſint, quae veteres de tot tantisque Seſoſtris victoriis tradiderunt? Certe ipſum HERMANNVM CONRINGIVM hac de re dubitaſſe, video. Verba eius ſunt: *Etenim SI QVID VERI SVBEST famoſae Seſoſtris expeditioni, neceſſe eſt, iſthoc nomine venire illum, qui in ſacra hiſtoria audit Seſac;* in *aduerſar. chronol. cap. XVIII. p. m. 192.* Et iterum: *Neque enim a Seſoſtri non paſſa eſt calamitatem terra illa, SI QVID VERI HABET HISTORIA, nec ſacri codices tantum damnum ſilentio praeteriiſſent.* Antea equidem iam obſeruauimus, teſtari HERODOTVM, ſe cippos a Seſoſtri in Syria Palaeſtina erectos vidiſſe: nec dubito, quin cippos viderit, quos nonnulli pro cippis a Seſoſtri erectis venditauerint: an vero iſtis ſatis tuto fidem adhibere potuerit, nondum extra omnem diſceptationem poſitum puto. Sed hoc aliis adcuratius diſcutiendum relinquimus. De reliquis Aegypti regibus, qui ad hocce temporis interuallum ſpectant, quod memoratu dignum ſit, non occurrit.

 * San-

Digitized by Google

* Sanchuniathonem ad iudicum tempora referendum eſſe, eruditiſſimorum virorum eſt ſententia; variisque rationibus id euincere adniſi ſunt PETRVS DANIEL HVETIVS, *demonſtr. euangel. prop. IV. p. 74.* & SAMVEL BOCHARTVS, in *Canaan, lib. II. cap. XVII.* Nec dubium hac de re. ſi Ierombalus, a quo multa eum accepiſſe, PORPHYRIVS auctor eſt, idem eſt, ac Ierubbaal, ſeu Gideon, quod veroſimile & nobis videri, iam ſupra profeſſi ſumus. At aliter ſentire ANTONIVM VAN DALE, in *diſſertatione ſuper Sanchuniathone*, quae addita eſt eius *diſſertationi ſuper Ariſtea*, itidem iam monuimus. Quo autem iure ab illo id fiat, id quidem paullo adcuratius expendere, huius loci erit. Quod vt eo rectius procedat, & cuncta in aprico ponantur; iuuat primum PORPHYRII pariter ac PHILONIS Byblii de Sanchuniathone teſtimonia, prout ea apud EVSEBIVM exſtant, *praep. euangel. lib. I. cap. IX. p. m. 30.* recitare. *Res autem iſtas* (Phoenicum) inquit EVSEBIVS, *Sanchuniatho quidam memoriae prodidit, vir antiquiſſimus, quemque ante Troiana tempora floruiſſe, ſummaque cum diligentiae, tum veritatis laude Phoenicum hiſtoriam ſcripſiſſe, teſtantur. Huius opera omnia Philo, non Ebraeus ille, ſed Byblius, ex Phoenicum idiomate graecam in linguam conuerſa vulgauit. Eiusdem quoque meminit is, qui noſtra memoria opus illud aduerſum nos mendaciis fraudibusque textum conſarcinauit, libro quarto ipſum huius teſtimonii ſui praedicatione commendat. Rerum* inquit (PORPHYRIVS) *ad Iudaeos pertinentium hiſtoriam Sanchuniatho Berytius ſumma fide conſcripſit, quippe quae cum eorum locis atque nominibus apprime conſentiat, cum praecipua rerum illarum capita ab Hierombalo quodam, Ieui Dei ſacerdote, accepiſſet. Hoc illius opus Abibalo regi Berytiorum dedicatum, non modo rex, ſed etiam ii, quorum apud ipſum erat, de ſcriptorum veritate cognoſcere, omnes comprobarunt. Atque iſtorum quidem aetas Troianis temporibus antiquior proxime ad Moſen ipſum accedit, vt ex Phoeniciae regum ſerie quiuis cognoſcere poteſt. Hic igitur Sanchuniatho, qui phoenicia lingua veterem hiſtoriam, partim ex ſingularum vrbium actis, partim ex templorum monumentis coagmentatam, ſingulari veritatis ſtudio perſcripſit, Semiramide, quam Iliacis temporibus vel antiquiorem vel aequalem fuiſſe, memorant, apud Aſſyrios regnante, vixit.* Idem PORPHYRII teſtimonium, & quidem paullo adhuc plenius, exhibet THEODORETVS, de *Graecor. affection. curat. ſerm. II. p. m. 493.* EVSEBIVS autem nonnullis interiectis, de quibus deinceps dicendi locus erit, etiam PHILONIS Byblii de Sanchuniathone teſtimonia adfert, ex quibus itidem quaedam hic repetere, e re noſtra fuerit. *Philo igitur*, inquit EVSEBIVS, *qui Sanchuniathonis opus vniuerſum nouem in libros diſtribuit, ipſo ſtatim primi libri prooemio haec ad verbum de eodem auctore praefatur: Haec cum ita ſe haberent, Sanchuniatho vir inprimis eruditus cum operam in rerum plurimarum ſtudio poſuiſſet, cum-*

Digitized by Google

cumque gentium omnium hiſtoriam iam vsque a prima vniuerſi molitione noſſe vehementer optaret, praecipuam quamdam in perueſtigandis Taauti rebus diligentiam adhibuit, quod ſatis intelligeret, omnium, qui lucem hanc adſpexerant, eum litteras principem inueniſſe, ac ſcribendorum commentariorum auctorem fuiſſe. Ab illo autem auſpicatum eſſe, quem ab Aegyptiis Thoyth, ab Alexandrinis Thoth nominatum, Graeci Ἑρμῆν, *hoc eſt, Mercurium, reddidere.* Adfert deinde EVSEBIVS & alia ex eiusdem PHILONIS prooemio, ſpeciatim, quod illos reprehenderit, qui, quae de diis vulgo ferebantur, ἀλληγορικῶς explicare conati ſint, de Sanchuniathone autem porro commemorauerit, eum in *arcana quaedam Ammonaeorum volumina* incidiſſe, quae *ex interioribus templorum penetralibus* educta, diligenter perſcrutatus fuerit, & ex quibus ea, quae in commentarios ſuos retulit, hauſerit. Et ex hisce quidem PORPHYRII & PHILONIS teſtimoniis viri docti, ſpeciatim HVETIVS & BOCHARTVS, comprobarunt, Sanchuniathonem Gideonis aetate vixiſſe; multa eum ex Moſis ſcriptis hauſiſſe, immo Taautum illum, cuius PHILO meminit, eumdem eſſe, ac Moſen. ANTONIVS autem VAN DALE, vt hancce labefactet, penitusque euertat, ſententiam, primo PORPHYRII fidem auctoritatemque eleuat, quippe qui ab ipſo EVSEBIO mendacii arguatur, ac hoſtis chriſtianorum infenſiſſimus audiat. Verum id quidem mea opinione parum ad rem facit, cum nulla adpareat cauſſa, cur hoc in odium chriſtianorum finxerint; &, ſi vel maxime alias mentitus eſt, eum etiam hac in re mentitum eſſe, nondum ſequitur, niſi euidentibus id probetur rationibus. Praecipuum autem momentum trahit argumentum, a temporum rationibus deſumtum, quo probare voluit, ἀσύστατα prorſus PORPHYRIVM pariter, ac eos, qui illum ſequuntur, tradere. Paucis rem omnem hisce complectitur verbis: *Semiramis vixit anno ab orbe condito 1996. Moſes mortuus eſt ann. 2492. Gideon mortuus fuit anno 2718. Troia capta fuit anno 2767. Tyrus condita fuit (namque & hoc conſiderandum veniet) an. 2695. Abibalus autem vixit tempore Sauli & Dauidis, quippe qui Hierami, qui cum Salomone vixit, pater fuit. Dauid vero in regem vnctus fuit anno 2882, & huic Abibalo Sanchuniathon, qui cum Gideone vixit, ab eoque ſua commentaria accepit, ſua ſcripta dedicauit, ſic vltra 200 annos vixiſſe debuerit. Et tamen etiam Semiramidis Aſſyriorum reginae tempore vixit, i. e. an. 1996. Atqui a Semiramide ad Abibalum ſpatium intercurrit 886 annorum.* Verum ad haec, quantumuis ſpecioſa videantur, reſpondere non adeo difficile fuerit. Ad Semiramidem enim quod attinet, eam ſi vmquam Aſſyriorum regnum tenuit, omnino ad iudicum tempora referendam eſſe, antea demonſtrauimus. Atque haec ipſa ſententia luculenter inde confirmatur, quod PORPHYRIVS adfirmet, Semiramidem circa Troiana tempora vixiſſe. Ad Abibalum quod attinet,

tinet, non neceſſe eſt, vt Hierami patrem, qui Saulis atque Dauidis temporibus vixit, intelligamus, quandoquidem etiam antea eiusdem nominis rex Tyri eſſe potuerit, vti iam SAM. BOCHARTO obſeruatum, *Canaan. lib. II. cap. XVII. p. m. 856.* Grauius equidem dubium, idemque iam a IOS. SCALIGERO motum, in *not. ad fragm. graeca*, libro de *emendat. temp.* ſubiecta, *p. 40.* inde exſurgit, quod Sanchuniathon meminerit temporis, quo Tyrus condita eſt, & quidem, vt rei antiquae, cum a Tyro condita vsque ad cladem Troianam breue ſit interuallum, nempe, vt ipſe SCALIGER ſupputat, LXV annorum. Verum & ad hoc iam reſpondit BOCHARTVS, plures vrbes nomine Tyri fuiſſe. docens, & Palaeo-Tyri iam *Ioſ. XIX. 29.* mentionem fieri; *loc. cit. p. 860.* Quod porro PORPHYRIVS dixerit, Sanchuniathonem ante Troiana vixiſſe tempora, recte ſe habet, cum & Gideon ante tempora Troiana vixerit. Bellum namque & excidium Troianum eo tempore, quo Iephtha Israëlitis praefuit, contigiſſe, EX VSSERIO conſtat, in *annalib. p. 26.* & deinceps a nobis comprobabitur. Denique, quod idem PORPHYRIVS adſeruit, *Sanchuniathonem parum infra Moſis tempora* vixiſſe, id quidem profecto minus adcurate ab eo dictum, at ita ſimul comparatum, vt iniquum foret, ideo cetera, quae recte ſe habent, in dubium vocare. Atque ita praecipuam difficultatem ſuperauimus. Reliqua, quae ANTONIVS VAN DALE adfert, minoris momenti ſunt, & HVETIVM praecipue feriunt, qui non tantum, Sanchuniathonem ex Moſis ſcriptis multa hauſiſſe, ſed Taautum etiam, cuius libros eum diligenter ſcrutatum PHILO dixit, eumdem cum Moſe eſſe, contendit. Prius quidem mea opinione dubio caret; cum nonnulla ex iis, quae ex Sanchuniathone EVSEBIVS, *loc. cit.* refert, aperte ſatis cum doctrina Moſaica conueniunt, cuiusmodi illud eſt, quod principium huius vniuerſitatis poſuerit ἀέρα ζοφώδη καὶ πνευματώδη, *aërem tenebroſum ac ſpiritu foetum, ſeu mauis, tenebroſi aëris flatum ac ſpiritum, chaosque turbidum altaque caligine circumfuſum.* Hoc enim ex *Geneſ. I. 2.* deſumtum eſſe, nemo non videt. Quod autem ad Taautum attinet, omnia argumenta, quibus HVETIVS probare voluit, eum eumdem eſſe, ac Moſen, non eiusdem eſſe ponderis, lubens fateor. Nec tamen ab omni prorſus veroſimilitudine abhorret, Tauti ſeu Mercurii nomen Moſi quoque dari potuiſſe. Sed id noſtra parum tandem refert. Aliud vero dubium, idque minime contemnendum, contra aetatem Sanchuniathonis mouet PETRVS IVRIEV, dum obſeruat, in excerptis, quae ex eius operibus reſtant, nonnulla occurrere, quae citra controuerſiam Gideonis aetate longe ſint recentiora: ſed idem quoque reſponſum ad hocce dubium ſuppeditat, dum monet, fieri potuiſſe, vt Sanchuniathonis opus corrumperetur, & nonnulla a manu recentiori eidem adderentur; *hiſt. crit. dogm. &c. part. III. cap. V. p. 432.*

p. 432. Sed alibi quoque idem vir doctiſſimus obſeruauit, ab interprete Sanchuniathonis, Philone Byblio, nonnulla hinc inde addita, quae probe diſcernenda ſint ab iis, quae ab ipſo Sanchuniathone ſunt profecta. Et ex hactenus dictis etiam diiudicanda, quae GERH. IOANNES VOSSIVS, & HERMANNVS CONRINGIVS, ille de *hiſtoric. graec. lib. I. cap. I.* hic de *Hermetica medicina, p. 5.* SCALIGERI dictum ſequuti, de Sanchuniathonis aetate differunt.

Vlterius adhuc progreſſus eſt HENRICVS DODWELLVS, cuncta omnino, quae de Sanchuniathone dicuntur, fabulis adnumerans, primumque a Philone confictum Sanchuniathonem, contendens, qui deinceps & alios in eumdem errorem pertraxerit. Duas namque epiſtolas anno MDCXCI DODWELLVS lingua anglicana edidit, in quarum altera hoc ex inſtituto agit, vt in *actis erudit. Lipſ.* videre licet, *ſupplement. tom. II. p. 512.* Sed iam ante DODWELLVM in eamdem ingreſſus eſt ſententiam IO. HENRICVS VRSINVS, de *Zoroaſtre*, *Hermete* & *Sanchuniathone, p. m. 184.* Eam vero & RICHARDVS SIMON amplexus eſt, circa tempora Porphyrii hiſtoriam Sanchuniathonis confictam ſuſpicans; *in bibl. crit. tom. I. c. IX.* refutatus ideo ab anonymo, cuius hac de re diſſertatio exſtat, *dans les mem. de Trevoux, menſ. Ian. MDCC XIV. p. m. 68.* & *dans le iournal des Scauans, menſ. Octobr. M DCC XIV. p. 453. ſeqq.* edit. Amſtelod. Immo & ipſe IO. ALBERT. FABRICIVS, vir longe doctiſſimus, non procul ab hac abeſſe opinione videtur, *biblioth. graec. lib. I. cap. XXVIII. §. III. p. 165.* Inter rationes, quae HENR. DODWELLVS adfert, praecipua haec eſt, quod veteres ſcriptores, ii praeſertim, qui hoc facere poterant, & debebant, nullam Sanchuniathonis mentionem fecerint. Quod cum varias ob cauſſas fieri potuerit; nondum firmiter inde colligi, puto, confictum a PHILONE eſſe, quidquid de Sanchuniathone dicitur. Ad ſcripta Sanchuniathonis quod attinet, non eodem modo a veteribus adlegantur. ATHENAEVS, eum *Φοινικικὰ* ſcripſiſſe, ait, *deipnoſ. lib. III. cap. XXXVII.* Hoc idem haud dubie eſt, ac quod PORPHYRIVS *Φοινικικὴν ἱστορίαν* vocat; *lib. II. de abſtinentia ab animant. p. 94.* Nec diuerſum, vt credo, opus *ἡ Φοινίκων θεολογία*, THEODORETO memorata, de *curat. graecar. affection. ſerm. II. p. m. 505.* SVIDAS, de *Hermetis phyſiologia*, itemque *theologiam aegyptiacam*, & alia quaedam eum ſcripſiſſe, auctor eſt, forte ex vno opere plura faciens. Quicumque autem operis titulus fuerit; ex fragmentis, quae ſuperſunt, & a PORPHYRIO, THEODORETO, ac EVSEBIO conſeruata ſunt, patet, eum origines, hiſtoriam, & religionem antiquiſſimorum Aegyptiorum pariter ac Phoenicum deſcripſiſſe, vt recte quoque IO. ALBERTVS FABRICIVS pronuntiat, qui & reliqua de Sanchuniathone ſcriptis, deque interprete eius, Philone Byblio, memoratu digna, in compendio exhibet, *loc. cit. p. 165.* Conf. & LVD. ELLIES DV PIN, *bibliotheca vniuerſali hiſtoricor. p. 24.* De fonti-

Digitized by Google

fontibus atque libris, ex quibus Sanchuniathon ſua hauſiſſe dicitur, vti ſunt ὑπεμνήματα vrbium, & ἀναγραφαὶ templorum, ſpeciatim *arcana quaedam Ammonaeorum volumina*, itemque ὑπεμνήματα ſeu commentaria, quae ab *Ierombalo, ſacerdote Dei Iao*, accepit; vid. SAM. BOCHARTVS, *Canaan. lib. II. cap. XVII. p. 558.*

Iam noſtri equidem inſtituti ratio poſtularet, ſpecimen aliquod theologiae phoeniciae ex Sanchuniathone exhibere, ex qua Graeci haud dubie plurima acceperunt: ſed cum in compendium, quae ex Sanchuniathone EVSEBIVS narrat, mitti nequeant, cuncta autem repetere, taedioſum nimis foret; iuuabit apud ipſum EVSEBIVM haec legere; ex quo & illa recitat PETRVS IVRIEV, *hiſt. crit. dog. &c. part. III. tract. I. cap. V. & VI. p. 430. ſeqq.* vbi & obſeruationibus nonnulla illuſtrat, & doctrinae Moſaicae veſtigia in iſta Phoenicum theologia demonſtrat. Quamquam & vir doctiſſimus talia ſubinde admiſceat, quae adcuratius examen promerentur, cuiusmodi illud eſt, quod *p. 433.* non improbabile iudicat, materiam, ex qua omnia creata, non intra ſextiduum creationis productam, ſed iam antea multis exſtitiſſe ſaeculis; angelorum etiam creationem, & quorumdam lapſum, longo admodum tempore ante mundi huius adſpectabilis productionem contigiſſe. Nos illud ſaltem obſeruamus, Sanchuniathonem nonnullis, quae a Moſe accepiſſe videtur fabulas ineptiſſimas & commenta plurima admiſcuiſſe, ſiue ipſe ea excogitauerit, ſiue ex commentariis vrbium & templorum, ad quae prouocat, didicerit. Atque hoc eſt, quod ipſe etiam EVSEBIVS obſeruauit: *Verum in operis ſuſcepti progreſſu non iam* τὸν ἐπὶ πάντων θεὸν, *Deum vniuerſi moderatorem, immo ne caeli quidem incolas, ſed viros quoſdam atque mulierculas, morti obnoxios, eosque non ea morum honeſtate, vt propter virtutem ſuſcipi ac probari mereantur, aut ea praeditos ſapientia, quae nos ad ipſorum aemulationem inuitet, ſed omnibus flagitiis ac ſceleribus coopertos, nobis pro diis obtrudit, ac ſimul, eos ipſos eſſe, confirmat, qui paſſim etiamnum in omnibus oppidis atque regionibus deorum loco celebrantur; loc. cit. p. 31.* Quia etiam Moſes primo opera creationis ordine expoſuit, tumque generationes patriarcharum, qui ante diluuium vixerunt, ſubiunxit, vnde & *Gen. V. 1.* dicitur: זה ספר תולדות אדם, *hic eſt liber generationum Adami*; procul omni dubio exemplum eius ſequuti alii itidem, praemiſſis de origine rerum cogitationibus ſuis, antiquiſſimorum hominum, qui ſibi maxime noti erant, genealogias litteris conſignarunt. Atque hinc iſtae genealogiae deorum ortae ſunt apud orientis gentes, quarum ſpecimen Sanchuniathon nobis reliquit, a quibus deinceps & Graeci ſuas acceperunt θεογονίας, vt tamen & ipſi his quaedam adderent. HERODOTVS equidem Homerum atque Heſiodum theogoniae, ante Graecis ignotae, inuentores facit: οὗτοι δέ εἰσι, inquit, οἱ ποιήσαντες θεογονίαν Ἕλλησι, *hi vero ſunt,*

Digitized by Google

ſunt, qui Graecis theogoniam fecerunt, diis cognominibus datis, diuiſisque honoribus & artibus inter illos, & deſcriptis illorum formis; lib. II. cap. LIII. Sed, cum HOMERVS ac HESIODVS illa quaſi iam nota deſcriberent, nec niſi circumſtantiis nonnullis ornarent; probabilius eſt, Graecos ab aliis ea accepiſſe, &, vt multa alia, ita haec quoque ab orientis populis. Praeter Sanchuniathonem alii adhuc Phoenicum celebrantur hiſtorici. Et TATIANVS quidem Theodotum, Hypſicratem & Mochum nominat: γεγόνασιν παρ᾽ αὐτοῖς τρεῖς ἄνδρες, Θεόδοτος, Ὑψικράτης, Μῶχος, τούτων τὰς βίβλους εἰς ἑλληνίδα κατέταξεν φωνὴν Χαῖτος· *Fuerunt apud eos* (Phoenices) *tres viri, Theodotus, Hypſicrates & Mochus; horum libros in graecam linguam tranſtulit Chaetus &c. orat. ad Graecos. p. m. 128.* Vbi quidem pro χαῖτος apud EVSEBIVM, *praep. euangel. lib. X. cap. XI. p. 493.* Λαῖτος, ex CLEMENTE Alexandrino viri docti pridem monuerunt; vid. THOMAE REINESII ἱστορούμενα de *lingua punica*, in IOAN. GEORGII GRAEVII *ſyntagmate var. diſſertat. rarior. cap. XII. p. 50.* Inter hosce hiſtoricos, TATIANO memoratos, celebrior eſt Mochus, cuius etiam ATHENAEVS meminit, *lib. III. cap. XXXVI.* & FL. IOSEPHVS, *antiquit. iud. lib. I. cap. IV.* STRABO equidem Moſchi cuiusdam Sidonii mentionem facit, *geograph. lib. XVI. p. 757.* qui ante belli Troiani tempus vixerit, & auctor ſit dogmatis de atomis: quem eumdem cum Mocho hiſtorico, ſed perperam, vt ego puto, & ſine ratione, nonnulli faciunt. PETRVS vero DANIEL HVETIVS, Moſchum hunc omnino eumdem cum Moſe eſſe, putat; *demonſtrat. euangel. prop. IV. p. m. 78.* ſed rationibus tam infirmis, vt paucos in iſtam ſententiam ſit pertracturus. Praeter hactenus laudatos & alii memorantur rerum phoeniciarum ſcriptores, vt Dius, Menander Epheſius, & alii; de quibus iam in *prolegomenis* dictum, ad *ſ. XIII.* Add. GERH. IOAN. VOSSIVS, de *hiſtor. graec. lib. III. p. 172. 170.* LVD. ELLIES DV PIN, *bibliothec. hiſtor. vniuerſ. lib. I. ſ. VII. p. 24.* SAM. BOCHARTVS, *Can. lib. I. cap. XVII.* & IO. ALBERTVS FABRICIVS, *biblioth. graec. lib. I. cap. XXVIII.*

Sed, vt reliqua ad phoeniciam hiſtoriam ſpectantia perſequamur; obſeruandum adhuc, Tyri vrbis longe nobiliſſimae, & cuius frequens in ſcriptura mentio, initium in hocce temporis interuallum, quo iudices populo israëlitico praefuerunt, cadere. Sidonis enim, vt vrbis longe antiquioris, iam in libris Moſis, Ioſuae & iudicum, at Tyri nulla ante tempora Dauidis, in ſcriptura ſacra fit mentio. Hinc & Sidon a poëtis vetuſtiſſimis celebratur, non autem Tyrus. HOMERVS Tyri non meminit, vt & STRABONI iam obſeruatum, *geogr. lib. XVI. p. 756.* cum Sidoniorum contra frequens apud eum mentio, eo quod Tyri eius tempore nondum magna eſſet celebritas. Suffragatur FLAV. IOSEPHVS, qui annis ducentis quadraginta, ante iacta templi Salomonaei fundamenta,

Digitized by Google

Tyrum conditam, auctor eſt; *antiquit. iud. lib. VIII. cap. II.* SANCHVNIATHON quidem tradidit τὸν Ὑψουράνιον οἰκῆσαι Τύρον, καλύβας τε ἐπινοῆσαι ἀπὸ καλάμων καὶ θρύων, καὶ παπύρων, *Hypſuranium habitaſſe Tyri, & fabricaſſe caſas ex calamis, iuncis & papyris;* apud EVSEBIVM, *praepar. euangel. lib. I. cap. X. p. 35.* Indeque ſacerdotes Tyrii numerabant annos MMCCC. Sed hoc de alia vrbe, cui itidem Tyri nomen fuerit, intelligendum, iam antea ex SAM. BOCHARTO monuimus. Ipſi quidem Tyrii maximam ſibi tribuebant antiquitatem, *Eſa. XXIII. 7.* ſed hoc ipſo ſuam ſimul prodebant vanitatem. Condita autem Tyrus fuit a Sidoniis, vnde *Eſa. loc. cit. verſ. 12. filia Zidonis*, vocatur. Confirmat id TROGI POMPEII epitomaſtes IVSTINVS: *Poſt multos deinde annos a rege Aſcaloniorum expugnati Sidonii, nauibus adpulſi, Tyrum vrbem ante annum* (hic videtur numerus deeſſe) *Troianae cladis condiderunt; lib. XVIII. cap. III.* Ad nomen quod attinet, Graeci quidem a conditore Tyro, aut, vt alii volunt, a Nympha Tyro, hanc vrbem adpellatam, perhibent; ſed, cum apud Ebraeos צור vocetur, rectius ſentiunt, qui inde nomen Tyri deriuant, צור autem cum alias & rupem ſignificet, eam ita dictam, conſtat, quod in rupe olim mari circumdata vrbs illa aedificata fuerit, donec aggere facto, eam cum continente coniungeret Alexander magnus. Hinc STRABO: Τύρος δ' ἐστὶν ὅλη νῆσος, *Tyrus tota inſula eſt; geograph. lib. XVI. p. 757.* Quod haud dubie de temporibus ante Alexandrum magnum intelligendum; vid. PLINIVS, *hiſt. nat. lib. V. cap. XIX.* & POMPONIVS MELA, de *ſitu orbis, lib. I. cap. XII.* Plura de Tyro praeter alios dabunt SAM. BOCHARTVS, in *Phaleg. lib. IV. cap. XXXV. p. 342. ſeqq.* & IO. MARSHAMVS, in *can. chron. ſaec. XI. p. 304.*

** Phoenices, de quibus antea dictum, plurimas hinc inde in Aſiam, Africam, Europam miſiſſe colonias, conſtat, idque ex inſtituto demonſtrat SAM. BOCHARTVS, in *Canaan*, ſeu *geographiae ſacrae parte poſteriori*, quae eſt de *coloniis* & *ſermone Phoenicum.* De Africa ſingulare exſtat teſtimonium AVGVSTINI, ex quo conſtat ipſius adhuc tempore cananaeae originis memoriam apud Poenos fuiſſe conſeruatam. *Interrogati*, inquit, *ruſtici noſtri, quid ſint, punice reſpondentes CHANAN, corrupta ſcilicet, ſicut in talibus ſolet, vna littera, quid aliud reſpondent, quam Chananaei;* in *expoſitione inchoata epiſtolae ad Romanos, tom. III. oper. part. II. p. m. 679.* Nec vllum dubium, quin nonnulli in Americam tranſierint: quod rationibus non contemnendis probari poſſet, ſi id huius loci eſſet. Varias equidem ob rationes fieri potuit, vt per varias terrae partes Phoenices diſpergerentur; idque eo facilius, quod artis nauigandi eſſent periti: nullum tamen videtur dubium, quin ob bella, tempore Ioſuae & iudicum cum Cananaeis geſta, plurimi relicta patria, alibi fortunarum ſuarum ſedes fixerint. Inter hos &

Cadmus

Cadmus ille eſt, qui in Graeciam coloniam deduxiſſe fertur, immo &, ſi nonnullis credimus, in Africam, de cuius tamen patria, fueritne Phoenicius, an Aegyptius, viri docti inter ſe diſſentiunt. Iam olim hac de re dubitatum fuiſſe, ex PAVSANIA conſtat, qui ſimul eorum partibus accedit, qui, Phoenicium, non Aegyptium, fuiſſe, perhibent: τοῖς ὖν νομίζυσιν εἰς γῆν ἀφικέϑαι Κάδμον τὴν Θεβαΐδα, Αἰγύπτιον, καὶ ὐ Φοίνικα ὄντα, ἔςιν ἐναντίον τῷ λόγῳ τῆς Ἀθηνᾶς ταύτης τὸ ὄνομα, ὅτι Σίγα κατὰ γλῶσσαν τὴν Φοινίκων καλεῖται, καὶ ὐ Σάϊς κατὰ τὴν Αἰγυπτίων Φωνήν. *Illis, qui Cadmum, qui in Thebanorum fines venit, Aegyptium, non Phoenicem, fuiſſe, arbitrantur, aduerſatur vel ipſum huius Mineruae nomen: Siga enim Phoenicum, non Sais Aegyptiorum lingua dicitur; in Boeoticis, ſiue lib. IX. p. m. 734.* Poteſtque haec ſententia, Phoenicium, non Aegyptium fuiſſe Cadmum, aliis quoque rationibus confirmari. Sane ipſe HERODOTVS non tantum auctor eſt, Phoenicies, qui cum Cadmo venerant, tum alias doctrinas, tum & litteras, quae antea apud Graecos non fuerant, in Graeciam introduxiſſe; ſed diſerte etiam dicit, eas litteras Φοινικήια γράμματα, *phoenicias litteras*, vocatas, quod Graeci eas a Phoeniciis accepiſſent; *lib. V. cap. LVIII.* Porro, cum plerique auctores in eo conſentiant, Graecos litteras a Phoeniciis accepiſſe, & in eo quoque, introductas eas fuiſſe a Cadmo; non poteſt non inde ſequi, Cadmum Phoenicium fuiſſe, non Aegyptium. Taceo ea, quae ad hanc ſententiam confirmandam iam obſeruauit SAM. BOCHARTVS, *Canaan. lib. I. cap. XVIII. & XIX.* Nihiloſecius, Aegyptum, non Phoenicium, fuiſſe Cadmum, variis conquiſitis rationibus euincere adlaborat IO. MARSHAMVS, in *can. chron. ſaec. IX. p. 122.* ſpeciemque prae ſe ferunt, quae hac de re adfert; vnde alii, vt hinc ſe expedirent, duos fuiſſe Cadmos, ſed ſine vllo fundamento, ſuſpicati ſunt; alii autem haec ita inter ſe conciliare adgreſſi ſunt, vt, Cadmum origine Aegyptium, ſed gente Phoenicium fuiſſe, contenderent, natum ſcilicet patre Agenore, qui frater fertur Beli Aegyptii: Agenorem namque cum filiis Cadmo & Thaſo, oram Phoeniciae maritimam occupaſſe, Sidonem ſcilicet, in quibus poſtea condita fuerit Tyrus. Atque huc referunt illud EVSEBII in *chronico, num. D LXII. Phoenix & Cadmus, de Thebis Aegyptiorum in Syriam profecti, apud Tyrum & Sidonem regnauerunt.* Mihi, quidquid de origine aegyptia Cadmi dicitur, admodum adhuc incertum videtur. Certe nomina *Phoenix*, *Cadmus*, *Belus*, rectius pro phoeniciis, quam aegyptiis, habentur. Illud certum, & extra dubitationem poſitum, Cadmum ex Phoenicia in Graeciam veniſſe. Hoc Graeci omnes vno ore fatentur. Sed & ex Latinis C. CORNEL TACITVS: *Fama eſt, Cadmum, claſſe Phoenicum vectum, rudibus adhuc Graecorum populis artis eius* (litteris animi ſenſa exprimendi

primendi) *auctorem fuiſſe; annal. lib. XI. cap. XIV.* Quae verba IO. MARSHAMVS ita equidem accipit, ac ſi ex TACITI mente Cadmus ex Aegypto oriundus, phoeniciis ratibus in Graeciam transuectus, litteras iſtas ſecum intulerit, quae vltra Troiani belli tempora obtinuerunt. Verum, etſi TACITVS antea dixerat, Phoenices litterarum vſum ab Aegyptiis accepiſſe; cum tamen ipſum Cadmum pro Aegyptio habuiſſe, ex verbis eius non colligas. De aetate Cadmi non minor eruditorum diſſenſio eſt, quam de patria & gente. Sunt enim, qui Cadmi profectionem ad tempus, quod exitum Iſraëlitarum ex Aegypto proxime anteceſſit, referunt; vt praeter alios IOAN. MARSHAMVS, *can. chron. loc. cit.* At probabilius, tempore Ioſuae profectionem iſtam contigiſſe, multis Phoenicum terrore ob feliciſſima Iſraëlitarum arma perculſis, & ad patrias ſedes relinquendas pronis. Vid FRID. SPANHEMIVS, *hiſtor. eccleſ. veter. teſtam. p. m. 340.* & NATAL. ALEXANDER, *hiſtor. eccleſ. veter. teſtam. aetat. mundi IV. cap. VIII. p. 352.* Eum Agenoris Phoenicum regis fuiſſe filium, Graeci, vt honori ſuo conſulant, ſcribunt; vid. APOLLODORVS, *lib. III. cap. I.* & DIODORVS Siculus, *biblioth. lib. IV. p. 210.* qui tamen antea, *lib. I. p. 20.* eum Thebis aegyptiis oriundum pronuntiauerat. Sed probabilius aliis videtur, quod ex mente Sidoniorum EVHEMERVS Cous apud ATHENAEVM refert *lib. XIV. cap. XXII. p. m. 658.* Cadmum, cum regis ſui eſſet *μάγειρος*, *coquus*, cum Harmonia tibicina, aufugiſſe. Quod tum demum concedi poſſe SAM. BOCHARTVS cenſet, ſi per coquum intelligatur, qui ebraice dicitur שר טבחים, quales fuere Potiphar, & Arioch, & Nebuſaradan, quo nomine nonnullos *magiſtrum militum* & *principem exercitus* intelligere, & nobis ſupra iam obſeruatum eſt. Interim idem BOCHARTVS familiam Cadmi ex nomine colligit, eum קדמוני hoc eſt, *Cadmonaeum*, fuiſſe, contendens, ex illis Cadmonaeis, de quibus Moſes agit *Gen. XV. 19.* quiue iidem fuerint cum Heuaeis. Neque obſcuram rationem eſſe, putat, cur Heuaei *Cadmonim*, id eſt, orientales, dicti ſint, cum *Ioſ. XI. 3.* & *Iud. III. 3.* legatur, eos occupaſſe montem *Hermonem*, quae pars erat terrae Canaan, maxime orientalis; hinc & pro oriente *Hermon*, & pro occaſu *Thabor*, poni, *Pſalm. LXXXIX. 13.* Concludit inde, *Cadmonaeum* idem eſſe, ac *Hermonaeum*, indeque factum, vt Cadmi vxor vocetur *Harmonia* vel *Hermione*, nempe a monte Hermone, ex quo erant oriundi; *Canaan. lib. I. cap. XIX. p. m. 487.* Haec vero, ſi dicendum, quod res eſt, paullo longius petita mihi videntur, nec conciliari temere cum eo poſſunt, quod DIODORVS Siculus, *loc. cit.* refert, Cadmum in Samothraciam adpuliſſe, *καὶ τῆς τελετῆς μεταςχόντα, γῆμαι τὴν ἀδελφὴν Ιασίωνος Αρμονίαν*, *& perceptis myſteriis vxorem duxiſſe Harmoniam, Iaſonis ſororem.* Interim eadem ratione ex lingua & hiſtoria Phoenicum, idem vir doctus & reliquas

quas de Cadmo fabulas, *loc. cit.* explicat: inter quae illud mihi ſatis concinne excogitatum videtur, quod fabulam, quae e ſerpentis dentibus a Cadmo diſſeminatis, milites magno numero orti perhibebantur, quibus in mutuam perniciem ruentibus, quinque ſuperſtites vniuerſam Boeotiam, imperio ſuo ſubiecerint, inde ortam exiſtimat, quod Graeci inuentionem aeris, & primum armorum vſum, Cadmo debeant, teſte HYGINO, *cap. CCLXXIV.* Cadmum a patre miſſum ad ſororem Europam, quae raptu abducta erat, inueſtigandam ac reducendam, auctores ſunt DIODORVS Siculus atque HERODOTVS, ille *lib. IV. p. m. 210.* hic *lib. IV. cap. CXLVI.* Quod de nouis in Europa ſedibus quaerendis nonnulli intelligunt. De Europa, Cadmi ſorore, addunt mythologi, eam a Ioue tauri forma induto raptam, & in Cretam inſulam transuectam, Iouemque ex ea tres procreaſſe filios, Minoën, Rhadamantum & Sarpedonem: hinc Aſterium inſulae dominum Europam vxorem duxiſſe, qui cum liberis careret, adoptatos Iouis filios in regno ſucceſſores reliquerit. Vid. DIODORVS Siculus, *lib. IV. p. 263.* Alii aliter: nec enim conſentanea inter ſe ſunt, quae veteres fabularum conditores commenti ſunt, etſi dubium non ſit, quin his omnibus aliquid veri ſubſit. Ad Cadmum vt redeamus; cum is in eo eſſet, vt ſororem Europam inueſtigaret, & tempeſtate iactatus vouiſſet, ſe templum Neptuno ſtructurum, illud etiam fecit, in inſula Rhodus, cum in ea ſeruatus eſſet, teſte iterum DIODORO, *lib. V. p. 329.* Tandem poſt longam per multas regiones errationem, cum nullibi amiſſam ſororem reperiret, ſpe reditus abiecta, in Boeotiam profectus, oraculi iuſſu Thebas condidit; eodem DIODORO auctore, *lib. V. p. 210.* ſeu potius Cadmeiam muniit, & regnum poſteris reliquit, qui Thebas Cadmeiae adiecerunt, teſte STRABONE, *lib. IX. p. 401.* Conf. & PAVSANIAS, in *Boeoticis*, ſiue *lib. IX. p. 719. & 734.*

Inter artes autem, quas Graecis Cadmus tradidit, ipſae litterae primum praecipuumque obtinent locum. Id vero praeſtantiſſimi Graecorum pariter ac Latinorum ſcriptores confirmant. HERODOTVS diſerte: ὁι δὲ Φόινικες ὗτοι, ὁι σὺν Κάδμῳ ἀπικύμενοι, τῶν ἔσαν ἐι Γεφυραῖοι, ἄλλάτε πολλὰ, οἰκήσαντες ταύτην τὴν χώρην, ἐσήγαγον διδασκάλια εἰς τὰς Ἕλληνας, καὶ δὴ καὶ γράμματα ὐκ ἐόντα πρὶν Ἕλλησι, ὡς ἐμοὶ δοκέει. *Phoenices iſti, qui cum Cadmo aduenerunt, quorum Gephyraei fuere, dum hanc regionem incolunt, cum alias multas doctrinas in Graeciam introduxere, tum vero litteras, quae apud Graecos, vt mihi videtur, antea non fuerant.* Addit porro: *Et primae quidem illae exſtiterunt, quibus omnes Phoenices vtuntur: progreſſu vero temporis vna cum ſono mutauerunt & modulum priſtinum. Et cum ea tempeſtate in plerisque circa locis eorum accolae Iones eſſent, qui litteras a Phoenicibus diſcendo acceperant, eas illi cum pauculis ſuis collocantes in vſu habue-*

habuerunt; & vtendo confeſſi ſunt, vt ratio ferebat, ἐσαγαγόντων Φοινίκων ἐς τὴν Ἑλλάδα, Φοινικήια κεκλῆσθαι, *vocari Phoenicias, quod eſſent a Phoenicibus in Graeciam illatae; lib. V. cap. LVIII.* Deinceps *cap. LIX.* idem teſtatur, ſe apud Thebas Boeotias in Iſmenii Apollinis templo καδμήια γράμματα, *Cadmeas litteras*, in tripodibus quibusdam inciſas vidiſſe. Pari ratione DIODORVS Siculus, ex DIONYSIO mythologo, ſcriptore antiquo, refert, *Cadmum litteras, e Phoenicia adlatas primum ad Graecorum enuntiationem transtuliſſe, ſuum cuique nomen attribuentem, & characterem effingentem:* κοινῇ μὲν οὖν τὰ γράμματα Φοινίκια κληθῆναι, διὰ τὸ παρὰ τοὺς Ἕλληνας ἐκ Φοινίκων μετενεχθῆναι· *hinc litteras vocabulo communi phoenicias (quod videlicet ex Phoenicia traductae eſſent) denominatas.* Addit, *eas deinceps Pelaſgicas dictas, quod primus translatarum vſus Pelaſgis innotuiſſet; lib. III. p. m. 200.* Ex Latinis C. CORNELIVS TACITVS hac de re ita differit, vt primam litterarum inuentionem Aegyptiis, ſaltem ex ipſorum mente tribuat, a quibus Phoenicii, vt ab his Graeci eas acceperint. *Primi,* inquit, *per figuras animalium Aegyptii ſenſus mentis effingebant, & antiquiſſima monimenta memoriae humanae impreſſa ſaxis cernuntur, & litterarum ſemet inuentores perhibent; inde Phoenicas, quia mari praepollebant, intuliſſe Graeciae, gloriamque adeptos, tamquam repererint, quae acceperant.* Hinc, cum de Cadmo ſubieciſſet, quae antea memorauimus, ita pergit: *Quidam Cecropem Athenienſem, vel Linum Thebanum, & temporibus Troianis Palamedem Argiuum memorant, ſexdecim litterarum formas, mox alios ac praecipuum Simonidem, ceteras repperiſſe; annalib. lib. XI. cap. XIV.* Sed pro Cadmo, ab eo Graecas litteras, ſaltem pleraſque, accepiſſe, plerique, iique praeſtantiores auctores militant, etſi negandum non ſit, Palamedem atque Simonidem, forte & alios, deinde quaſdam adieciſſe. Ita PLINIVS, cuius hac de re non contemnendum teſtimonium exiſtimo: *Litteras ſemper arbitror, aſſyrias fuiſſe, ſed alii apud Aegyptios a Mercurio, vt Gellius, alii apud Syros repertas volunt. Vtique in Graeciam intuliſſe e Phoenice Cadmum ſedecim numero. Quibus Troiano bello Palamedem adieciſſe quatuor hac figura* ΘΞΦΧ. *Totidem poſt eum Simonidem Melicum* ΖΗΨΩ; *hiſtor. natural. lib. VII. cap. LVI.* Ex dictis itaque conſtat, litteras in Graeciam ex Phoenicia translatas, quod & aliis inſuper argumentis confirmari poteſt. Siue enim figuram graecarum litterarum, quarum exempla profert IOS. SCALIGER, *loco* deinceps *citando*, ſiue earum nomina, quae barbara eſſe ipſimet Graeci olim faſſi ſunt, ſiue ordinem & poteſtatem ſpectes, in his omnibus cum litteris phoeniciis, ebraeis, ſyris, ſamaritanis, magna deprehenditur conuenientia. Accedit, quod plurima Graecorum nomina ex lingua ebraea, inter quam & phoeniciam magna haud dubie interceſſit cognatio,

com-

commode deriuari poſſint. Quod ad litterarum graecarum nomina attinet, ea ex nominibus litterarum ebraearum deriuari poſſe, iam EVSEBIO obſeruatum; *praeparat. euangel. lib. X. cap. V.* vbi ſimul recte obſeruat, etſi Graeci a Phoeniciis litteras acceperint, inde minime ſequi, hos primos eſſe litterarum inuentores. Cumque nonnulli adſerant, Phoenices ab Aſſyriis, ſeu Syris, litteras accepiſſe; EVSEBIVS quidem per Syros ipſos Ebraeos intelligit, a quibus adeo ad Phoenices, & hinc ad Graecos, litterae propagatae fuerint. Nec repugnauerim huic ſententiae; cum inſolens non ſit, vt Syrorum nomine Ebraei veniant. Apud Ebraeos etiam litteras ab antiquiſſimis temporibus vſitatas, dubio caret, etſi, a Moſe eas inuentas, quae quorumdam eſt ſententia, adſeri nequeat; qua de re dictum ad *period. I. ſect. I. ſ. XXXVII.* item ad *period. II. ſect. I. ſ. XI.* Patet etiam ex dictis, maximopere falli FLAVIVM IOSEPHVM, dum, litterarum vſum apud Graecos Cadmo multo recentiorem eſſe, pronuntiat; *contra Apion. lib. I. p. 1034.* Immo Graecos Troiani belli tempore adhuc ignoraſſe litteras, contendit, atque id eſſe in confeſſo, nullum apud eos exſtare ſcriptorem, Homero antiquiorem, immo non deeſſe, qui Homerum ipſum adſerant, poëmata ſua non ſcriptis, ſed recitantium memoriae commiſiſſe. Sed, quam haec ſine fundamento adſerantur, ex inſtituto iam oſtendit SAM. BOCHARTVS, *Canaan. lib. I. cap. XX. p. m. 489.* Certe, vt hoc vnicum attingam, quod adſerit, nullum apud Graecos exſtare ſcriptorem Homero antiquiorem, non temere ab omnibus admittetur. Etſi enim inter eos, qui ad nos peruenerunt, Homerus ſit antiquiſſimus; ante eum tamen fuiſſe quosdam apud Graecos, qui ſua litterarum monumentis conſignarent, paſſim traditur, eorumque nonnullos TATIANVS adfert, in *orat. ad Graecos, p. m. 137.* integrum vero ſcriptorum ante-Homericorum catalogum exhibet IOAN. ALBERTVS FABRICIVS, *bibl. graecae, lib. I. cap. I. & II.* qui tamen non omnes hanc antiquitatis notam ferunt, nec eiusdem ſunt generis, vt ab eodem viro eruditiſſimo recte obſeruatum. Sed de litterarum graecarum origine plura dabunt IOSEPH. SCALIGER, ad *Euſeb. num. MDCXVII.* SAM. BOCHARTVS in *Can. lib. I. cap. XX.* IVSTVS LIPSIVS, ad *Tacit. annalium lib. XI. cap. XIV.* aliique, laudati itidem IO. ALB. FABRICIO, *biblioth. graec. lib. I. cap. XXIII. p. 147.* quibus addendus BERNHARDVS DE MONTFAVCON, in *palaeographia graeca*, ſiue de *ortu & progreſſu litterar. graec. lib. II. cap. I. p. 115. ſeqq.*

Vt litterarum, ita & religionis, ſaltem ex parte, auctor apud Graecos Cadmus exſtitit, vel maxime nobis hoc nomine commemorandus; cum & ſuperſtitionis apud gentiles obſeruare incrementa, noſtri poſtulet inſtituti ratio. Diſcere etiam hinc licet, litterarum & religionis plerumque inter ſe fata coniuncta eſſe. Cumprimis Bacchi cultum primus in Graeciam attuliſſe dicitur, ideoque Graeci, Semelem,

Digitized by Google

Cadmi filiam, Bacchi matrem eſſe, tradunt, quamquam ſimul fateantur, Bacchum Cadmo longe eſſe antiquiorem. Quae quo pacto ſecum conſiſtere queant, mox DIODORVS Siculus nos condocebit. Id namque prius obſeruandum, de natalibus Bacchi iam olim diuerſas fuiſſe ſententias, aliis eum Tyrium ferentibus, qua tamen vrbe longe fuit antiquior, aliis ex India, ex Africa aliis, aliis aliunde eum deriuantibus. Hinc vero factum, vt plures Bacchi celebrarentur, quos inter Aegyptius, qui idem eſt cum Oſiride, & qui ad huius formam expreſſus eſt, Graecus, eminent. Et de Graeci huius origine audire iuuat DIODORVM Siculum, vt ſtultitia ſimul & vanitas idololatriae graecanicae intelligatur. *Cadmus*, inquit, *Thebis Aegyptiis oriundus, filiam habuit Semelem, quae vitiata poſt ſeptem menſes infantem peperit, ſpecie, quam Aegyptii tribuunt Oſiridi. Id genus vitale eſſe non ſolet, ſiue dii nolint, ſiue natura non permittat. Cadmus itaque, re comperta & oraculo monitus, vt patrum ſancita tueretur, infanti aurum obduxit, & digna ei ſacra inſtituit, quaſi hac ſpecie Oſiris denuo ſe mortalibus exhibuiſſet. Procreationem vero ad Iouem retulit, vt ſimul & Oſirim honeſtaret, & corruptam ab infamia eximeret. Quare apud Graecos etiam diuulgatum eſt, Semelem Cadmi Oſirim e Ioue ſuſcepiſſe. Inſequutis vero temporibus Orpheus, qui carminum modulatione, ſacrorumue rituum inſtitutis, & diuinarum rerum interpretatione magnam apud Graecos gloriam adeptus erat, a Cadmeis hoſpitio exceptus eximioque Thebis honore adfectus eſt. Qui, quod theologia ab Aegyptiis imbutus eſſet, priſci Oſiridis generationem in tempus minus vetuſtum tranſtulit, & Cadmeis gratificatus, nouos initiorum ritus inſtituit, vbi ad myſteria admiſſis e Ioue & Semele natum eſſe Dionyſum traderetur.* Sed obſeruatu quoque digna, probeque notanda ſunt, quae porro addit: *Homines igitur partim ab inſcitia, partim Orphei gloria & fidei opinione decepti, inprimis vero, quod gratum eis eſſet, deum iſtum pro Graeco haberi, ritibus illis, vt dictum eſt, vti coeperunt. Quibus fabulatores deinde, adſcita poëtarum gente, omnia theatra impleuerunt, firmaque poſteris fides, & immota huius rei facta; lib. I. p. m. 20.* Quae profecto modum rationemque, qua ſuperſtitio ac idololatria & introduci ſolet, & incrementa capit, eleganter admodum declarant. Bacchus ceteroquin & *Dionyſus* vocari ſolet, a patre ſcilicet, vt nonnulli volunt, qui erat ὁ διὸς, & a matre, quae erat ἡ νύσα; quamquam SAM. BOCHARTVS hoc nomen ex verbis ebraeis יהוה נסי *Dominus vexillum meum, Exod. XVII. v. 15.* deriuare malit; *Can. lib. I. cap. XVIII. p. 479.* Idem etiam *Liber pater* dictus eſt, quod nonnulli nomen Siculum eſſe volunt, τὸ λιβρὸν idem, ac σκοτεινὸν eſſe, contendentes, ſeu *filium noctis ac Erebi*, vt exponit DAN. HEINSIVS, in *Crepundiis Silianis, p. 4.* Sed BOCHARTVS rurſus Bacchum ebraea

ebraea phraſi *Liberum* dictum, putat, qua חורים vocantur principes, id eſt *liberi; loc. cit. p. 452.* qui & eadem ratione reliqua Bacchi cognomina ex lingua ebraea explicat. De Baccho porro tradebant Graeci, eum nauibus a patre acceptis, cum exercitu in Aegyptum ingreſſum, principem eius gentis ſe conſtituiſſe, bellisque hinc progreſſum, Aſiae & Africae partes aliquas domuiſſe, quae peculiari opere, Διονυσιακῶν, quod libris XLVIII. conſtat, proſequutus eſt NONNVS Panopolita. Sed haec aliaque, quae de Baccho vulgo feruntur, non de Cadmi illo ex Semele filio, ſed de alio quodam ſunt intelligenda. Plures enim Bacchi nomine inſignes fuiſſe, iam antea notauimus, idque ipſe pluribus confirmat DIODORVS Siculus, *lib. III. p. m. 196. ſeqq.* vbi tres, qui praecipui fuerint, enumerat, Indum, quem pro omnium vetuſtiſſimo habet, alterum, Iouis & Proſerpinae filium, tertium, ex Ioue & Semele, Cadmi filia, prognatum, de quo antea dictum. De primo inter alia refert, hunc illum perhiberi, qui arma per vniuerſum orbem circumtulerit, & vineas conſerendi, botrosque torcularibus exprimendi (vnde cognomen ei datum) rationem edocuerit, omnesque inuentorum a ſe participes fecerit. *Quibus beneficiis*, inquit, *adeo ſibi homines deuinxit, vt perſoluto naturae debito, diuinos honores conſequeretur.* Sed rectiſſime idem DIODORVS antea, cum de Baccho agere inciperet, pronuntiauit: τῶν δὲ παλαιῶν μυθογράφων καὶ ποιητῶν περὶ Διονύσου γεγραφότων ἀλλήλοις ἀσύμφωνα, καὶ πολλοὺς καὶ τερατώδεις λόγους καταβεβλημένων, δυσχερές ἐστι περὶ τῆς γενέσεως τοῦ θεοῦ τούτου καὶ τῶν πράξεων εἰπεῖν. *Cum priſci fabulatores & poëtae diſſentanea inter ſe de Baccho ſcripſerint, multa quaſi monſtra narrationum enixi, difficile ſane eſt, generationem eius ac geſta diſerte explicare.* Interim ſacra Bacchi apud Graecos pariter ac Romanos longe fuere celeberrima, meminitque eorum, ad Graecos quod attinet, ARISTOTELES, *lib. IV. metaphyſ. cap. XXI.* itemque THEOPHRASTVS, *characterib. mor. cap. IV.* Αἱ Διονυσίων ἑορταὶ memorantur, *II. Maccab. VI. 7.* Vt autem diuerſa erant iſta ſacra, ita diuerſo quoque tempore celebrabantur, qua de re legendus IO. PHILIPPVS PFEIFFERVS, *antiquitat. graecarum lib. I. cap. XLVIII. p. 120.* Latinis *Bacchanalia* nominabantur, a quibus nonnulli *Liberalia*, & *Orgia*, ſeu *Dionyſiaca*, diſtinguunt. Ita autem haecce feſta celebrabant, vt intemperantiae, libidini & petulantiae habenas prorſus laxarent, & talia deſignarent, quae in ſanae mentis homines non cadunt. Vnde factum, vt apud Latinos *Bacchus* idem eſſet, ac *furioſus*, & *bacchari* idem, ac *furere*, *inſanire.* TERTVLLIANVS adeo recte *Bacchanalium furias* dixit, *apolog. cap. XXXVII.* Immo eo vsque furor & laſciuia in hisce Bacchi ſacris proceſſit, vt nec ſapientiores ethnicorum id amplius ferendum exiſtimarent, conſtatque ſenatum Romanum publica

auctoritate nequiſſima haecce ſacra abrogaſſe. *Liberum patrem*, inquit rurſus TERTVLLIANVS, *cum myſteriis, conſules ſenatus auctoritate non modo vrbe, ſed vniuerſa Italia eliminauerunt; apolog. cap. VI.* conf. LIVIVS, *hiſtoriar. lib. XXXIX. cap. XVIII.* & AVGVSTINVS de *ciuitat. Dei, lib. XVIII. cap. XIII.* Atque hinc intelligitur, qualem deum ſub Bacchi nomine intellexerint gentiles, quod & Alexandri magni exemplo patet, dum Bacchi triumphum imitari voluit, quem cum deſcripſiſſet Q. CVRTIVS RVFVS, recte addit: *Hoc modo per dies ſeptem bacchabundum agmen inceſſit; parta praeda, ſi quid victis ſaltem aduerſus comeſſantes animi fuiſſet: mille hercule, viri modo & ſobrii, ſeptem dierum crapula graues in ſuo triumpho capere potuerunt; lib. IX. cap. X.*

Atque haec ideo obſeruauimus, vt pateret, quam callide infernalis genius initio ſub ſpecie non mala Bacchi cultum excogitando, tum per Cadmum eum in Graeciam introducendo, & hinc vlterius propagando, gentiles in turpia quaeuis, foeda, atque nefanda praecipites dederit. Etenim, ſi primam fabularum de Baccho originem ſpectes, nullum eſt dubium, quin vir quidam magnus, idemque inuentis egregiis praeclare de hominum genere meritus, ſub hocce nomine lateat. Sunt quidem nonnulli, qui ipſum Moſen hic ſibi inueniſſe viſi ſunt, vt GERHARDVS IOANNES VOSSIVS, de *idololatria gentil. lib. I. cap. XXX.* PETRVS DANIEL HVETIVS, *demonſtrat. euangel. prop. IV. p. 115. & ſeqq.* quamquam & *p. 220.* fateatur, Bacchum Noachi typum eſſe; HENRICVS KIPPINGIVS, *antiquit. Rom. lib. I. cap. II. p. 74.* Sed haec ſententia diſplicet SAM. BOCHARTO, *Canaan. lib. I. cap. XVIII. p. 485.* Nec enim veroſimile putat, Moſen tam multis nominibus Aegyptiis & Phoenicibus inuiſum, (harum autem gentium Bacchum praecipue intelligunt, qui illum eumdem cum Moſe faciunt) pro deo benefico ab illis coli potuiſſe. Ego ita exiſtimo, fabulam de Baccho praecipue ad Noachum referendam, quem vini culturam & vſum primum inueniſſe, conſtat, quemadmodum inter Bacchi inuenta itidem hoc primum praecipuumque locum tenet, adeo, vt nonnulli per Bacchum nihil aliud, quam ipſum vinum, intellexerint, teſte DIODORO Siculo, *lib. III. p. m. 149.* conf. & PETRVS IVRIEV, *hiſt. crit. dogm. & cult. part. IV. cap. III. p. 560.* Factum autem haud dubie, vt iſti de Noachio narrationi aliorum quorumdam virorum illuſtrium facta miſcerentur, forte & ipſius Moſis, vt mirum non ſit, quaedam, quae ad Noachum, alia, quae ad Moſen pertineant, in hacce fabula deprehendi. Saltem ex oriente eam, ſi primam originem ſpectes, deriuandam eſſe, dubio caret, ſatiſque euincit SAM. BOCHARTVS, *loc. cit.* Obſeruare etiam, priuſquam hinc diſcedamus, operae pretium fuerit, pleraſque Graecorum fabulas hoc circiter, in quo verſamur, temporis interuallo, ortas eſſe, varia quoque ſacra diis, quos ſibi fingebant

bant, falſis inſtituta. Id iam AVGVSTINVS vidit, recteque animaduertit. *Per haec tempora*, inquit, *id eſt, ab exitu Iſraël ex Aegypto vsque ad mortem Ieſu Naue, per quem populus idem terram repromiſſionis accepit, ſacra ſunt inſtituta diis falſis a regibus Graeciae, quae memoriam diluuii, & ab eo liberationis hominum, vitaeque tunc aerumnoſae modo ad alta, modo ad plana migrantium, ſollemni celebritate reuocarunt. Nam & Lupercorum per ſacram viam adſcenſum atque deſcenſum ſic interpretantur, vt ab iis ſignificari dicant homines, qui propter aquae inundationem ſumma montium petierunt & rurſus eadem reſidente ad ima redierunt. His temporibus Dionyſium, qui etiam Liber pater dictus eſt, & poſt mortem deus habitus, vitem ferunt oſtendiſſe in Attica terra hoſpiti ſuo. Tunc Apollini Delphico inſtituti ſunt ludi muſici, vt placaretur ira eius, qua putabant adflictas eſſe ſterilitate Graeciae regiones, quia non defenderint templum eius, quod rex Danaus, cum easdem terras bello inuaſiſſet, incendit. Hos autem ludos vt inſtituerent, oraculo ſunt eius admoniti. In Attica vero rex Erichthonius ei ludos primus inſtituit: nec ei tantum, ſed etiam Mineruae, vbi praemium victoribus oleum ponebatur, quod eius fructus inuentricem Mineruam, ſicut vini Liberum, tradunt. Per eos annos a rege Xantho Cretenſium, cuius apud alios aliud nomen inuenimus* (ab aliis Aſterius vocatur, vt ſupra obſeruauimus) *rapta perhibetur Europa, & inde geniti Rhadamanthus, Sarpedon & Minos, quos magis ex eadem muliere filios Iouis eſſe vulgatum eſt &c.* Huius generis cum & alia AVGVSTINVS adduxiſſet, *lib. XVIII.* de *ciuitat. Dei*, *cap. XII.* tum *cap. XIII.* etiam fabulas quasdam eo tempore, quo iudices rempublicam Ebraeorum adminiſtrarent, ortas recenſet. *His temporibus*, inquit, *fabulae fictae ſunt de Triptolemo, quod iubente Cerere anguibus portatus alitibus, indigentibus terris frumenta volando contulerit; de Minotauro, quod beſtia fuerit incluſa labyrintho, quo cum intraſſent homines, inextricabili errore inde exire non poterant; de centauris, quod equorum hominumque fuerit natura coniuncta; de Cerbero, quod ſit triceps inferorum canis; de Phryxo & Helle eius ſorore, quod vecti ariete volauerint; de Gorgone, quod fuerit crinita ſerpentibus, & adſpicientes conuertebat in lapides; de Bellerophonte, quod equo pennis volante ſit vectus, qui equus Pegaſus dictus eſt; de Amphione, quod citharae ſuauitate lapides mulſerit & attraxerit; de fabro Daedalo, & eius filio Icaro, quod ſibi coaptatis pennis volauerint; de Oedipo, quod monſtrum quoddam, quae ſphinga dicebatur, humana facie quadrupedem, ſoluta, quae ab illa proponi ſolebat, velut inſolubili quaeſtione, ſuo praecipitio perire compulerit; de Antaeo, quem necauit Hercules, quod filius ter-*

rae fuerit, propter quod cadens in terram fortior ſoleret adſurgere, etſi qua forte alia praetermiſi. Hae fabulae ad bellum vsque Troianum, vbi ſecundum librum Marcus Varro de populi Romani gente finiuit, ex occaſione hiſtoriarum, quae res veraciter geſtas continet, ita ſunt ingeniis hominum fictae, vt non ſint opprobriis numinum adfixae. Mitto reliqua, quae idem Hipponenſium praeſul eumdem in modum adfert, qui & recte obſeruat, *ex occaſione hiſtoriarum, quae res veraciter geſtas continet*, has fabulas ortas eſſe. Nimirum facta quaedam memorabilia virorum & feminarum inſignium in Graecia & vicinis regionibus commentis hisce & fabulis primam occaſionem dederunt, ſed ita, vt plurima iis, quae a Phoenicibus acceperant, & inter quae nonnulla Noachi, Abrahami, Moſis, aliorumque virorum, in gente ebraea illuſtrium, fata & facta referebant, admiſcerent. Cumque ſimul eodem tempore litterarum ſtudia, litteris per Cadmum in Graeciam illatis, apud Graecos excitarentur, ad quae illorum ingenia prae reliquis apta erant; mox poëtae acceſſerunt, ad augendas, exornandas, amplificandas & propagandas hasce fabulas proni & parati, vt iam antea ex DIODORI Siculi *lib. I. p. 20.* obſeruauimus. Idemque confirmat AVGVSTINVS, *loc. cit. cap. XIV. Per idem temporis interuallum exſtiterunt poëtae, qui etiam theologi dicerentur, quoniam de diis carmina faciebant &c.* Et hac ratione origo eorum, quae Graecorum theologi, aut fabulatores potius, de Saturno, Ioue non vno, Marte, Vulcano, Apolline, Mercurio, Sileno, Baccho, Pane, Hereule, aliisque, itemque de Minerua, Venere, Cerere, Proſerpina, Europa a Ioue rapta, Semele Bacchi matre, aliisque deabus tradiderunt, iisque theologiam ſuam inſtruxerunt, intelligi atque explicari poteſt. Qua de re qui plura deſiderat, is GERHARDVM IOANNEM VOSSIVM adeat, de *idololatria gentilium, lib. I. cap. IV. ſeqq.* itemque SAM. BOCHARTVM, in *Phaleg*, ſeu *geographiae ſacrae parte priori*, praeſertim *lib. I. cap. I. & II.* & PETRVM DANIELEM HVETIVM, in *demonſtrat. euangel. prop. IV. cap. VIII. p. 151. ſeqq.* qui pleraque ad Moſen, interdum non ſine violenta quadam detorſione, trahit. Lectu quoque digna ſunt, quae hac de re diſſerit EDVARDVS BARO HERBERTVS DE CHERBVRY, de *religione gentilium errorumque apud eos cauſſis, cap. XI. p. m. 134. ſeqq.* & PETRVS IVRIEV, *hiſtor. crit. dogm. & cult.* cumprimis *part. IV. tract. I. cap. VI. p. m. 581. 582.*

Cum ergo poſt Cadmi in Graeciam aduentum ſuperſtitio & idololatria magna incrementa caperet, mirum non eſt, eodem tempore oracula etiam in eadem gente multiplicata eſſe. Nonnulla quidem hac aetate longe antiquiora perhibentur, vt Ammonium & Dodonaeum, vt iam ſupra obſeruauimus, ad *per. II. ſect. I. §. XXXVI.* vbi & ex inſtituto de oraculis diximus, Delphicum non multum a Cadmi aetate remotum erit, ſi vera ſunt, quae

hac

hac de re tradit CLEMENS Alexandrinus, dum ferri a quibusdam ait, Φημονόην πρώτην χρησμωδῆσαι Ακρισίῳ, *Phoemonoën primam Acriſio reſponſa ceciniſſe*, *idque* ἔτεσιν εἴκοσι ἑπτὰ, *viginti ſeptem annis*, *antequam fuerunt Orpheus*, *&* *Muſaeus*, *&* *Linus*, *praeceptor Herculis*; *ſtrom. lib. I. p. 323.* add. IOANNES MARSHAMVS, in *canon. chronolog. ſaec. XI. p. 299.* Poſt Delphicum reliqua orta ſunt, Trophonium, Amphiarai, Branchidarum in Mileſia, Sabaeum in Phocide. Recte autem obſeruat CASPAR PEVCERVS, diabolum plurima in Graecia oracula exſtruxiſſe, *quod*, *eam gentem prae ceteris pronam in ſuperſtitiones ruere*, *auidiſſime arripere*, *admirari atque amplecti noua quaeuis motu leuiſſimo*, *&* *ſtolida garrulitate effutire ea*, *proclamare atque extollere*, *eoque nomine huic ſuo inſtituto aptiſſimam eſſe*, *norat.* Addit porro: *cum ad prima illa & vetera maiori numero ſciſcitatum confluerent*, *tamquam non ſufficeret expediendis omnibus vnus locus*, *noua oracula*, *quae adornabat alibi*, *inde renuntiabat*, *locisque demonſtratis & additis mandatis*, *vt illa percontarentur*, *declarataque reſponſorum veritate euentu ſemel atque iterum perficiebat*, *vt mox inclareſcerent*, *&* *conſulerentur atque amplificarentur donariis & opibus*; de *praecipuis generib. diuination. p. m. 93.* Quae quidem vt hactenus recte ſe habent, ita ſacerdotum calliditatem ad augenda & multiplicanda oracula multum etiam contuliſſe, negandum non erit. De Delphici ſeu Pythii oraculi origine legendus DIODORVS Siculus, *lib. XVI. p. 755.* add. GEORGIVS MOEBIVS, de *oraculor. ethnicor. origine*, *propagatione & duratione*, *cap. II. p. 56. ſeqq.* it. IO. PHILIPPVS PFEIFFERVS, *antiquit. Graec. lib. I. cap. LV. ſeqq.* De Cadmo plura adhuc dici poſſent; ſed, cum a noſtro inſtituto ſint remotiora, id vnicum addo, eum etiam in Africam veniſſe, &, ſi nonnullis credimus, centum ibi condidiſſe vrbes. Ita NONNVS, *Dionyſiacor. lib. XIII. verſ. 364.* Inter has & Carthago a nonnullis refertur: quo iure neſcio. Cum enim Carthago colonia feratur Tyriorum, quod ex iis, quae SAM. BOCHARTVS in medium adfert, *Canaan. lib. I. cap. XXIV. p. 509.* patet: Tyrus autem tempore iudicum in populo iſraëlitico condita ſit, cum Cadmus contra ad tempora Ioſuae referatur, haec ſane, quo pacto inter ſe conciliari queant, non video. Interim non nego, a Phoeniciis conditam Carthaginem, eamque Didone, a qua reſtaurata potius, quam condita eſt, longe eſſe antiquiorem. Sed de Cadmo haec ſufficiant.

*** Orphei vel maxime hic iniicienda mentio, quippe qui inter theologiae & religionis, ſeu ſuperſtitionis potius graecanicae, auctores vel primum locum obtinet; quiue, vt auctor eſt DIODORVS Siculus, μεγάλην δόξαν παρὰ τοῖς ἕλλησιν ἐπὶ μελῳδίᾳ καὶ τελεταῖς καὶ θεολογίαις, *magnam apud Graecos gloriam*, *carminum modulatione*, *ſacrorumque rituum inſtitutis*, *&* *diuinarum rerum interpretatione*, adeptus

ptus erat; *lib. I. p. 20.* Thrax is genere fuit, patre Oeagro natus, regis, vt ferunt, filius. Plures equidem a nonnullis ſtatuuntur, quibus Orphei nomen olim haeſit; idque inde ortum, quod omnibus, qui doctrinam Orphicam in lucem proferebant, idem nomen datum, vnde Orpheus Brontinus, Prodicus, Chius &c. commemorari ſolent: ſed Oeagri hicce filius, ſi modo alii eiusdem nominis exſtiterunt, idem ille eſt, qui tantam celebritatem adeptus eſt, & de quo veterum, quibus ornatur, intelligenda ſunt elogia. Eum ante bellum Troianum vixiſſe, communi conſenſu traditur, & quidem μιᾷ γενεᾷ, *vna generatione*, vt auctor eſt THEODORETVS, de *graecar. affect. curatione, ſerm. II. p. 494.* Ex DIODORO Siculo porro diſcimus, eum in Aegyptum profectum, *multa ibi didiciſſe, ita, vt tum initiationum & theologiae peritia, tum poëmatum & melodiarum artificio praeſtantiſſimus haberetur; lib. IV. p. 232.* Mirandum, fuiſſe nonnullos, qui omnino dubitauerint, an vnquam Orpheus aliquis exſtiterit? Hos inter & GERHARDVS IOANNES VOSSIVS eſt, qui de Orpheo, Muſaeo, atque Lino, ita verba facit: *Puto enim, triumuiros iſtos poëſeos, Orphaea, Muſaeum, Linum, non fuiſſe, ſed eſſe nomina, ab antiqua Phoenicum lingua, qua vſi Cadmus & aliquamdiu poſteri. Sane Λῖνος carmen, ſiue canticum, ac praecipue lugubre, vt ex Athenaeo, Euſtathio, Suida conſtat. Nomen, vt puto, non, quia Linum eo deplorarent, quod grammaticum eſt commentum; ſed ab ebraeo* הלך *murmurare, vnde* תלונה *querela, murmuratio, vt Linus nomen poëtae ſit, lugubria canentis. Muſaeus absque dubio a Muſa, ſiue* Μῶσα, *quod a* מוסר *ars, diſciplina. Orpheus itidem a ſcientia nomen habuerit: ſane arifa Arabibus eſt, ſcire, nouiſſe; vnde arif ſciens, eruditus, doctus;* de *art. poët. cap. XIII.* In eamdem ſententiam ingreſſus eſt PETRVS DANIEL HVETIVS, qui non tantum pleraque, quae de Orpheo dicuntur, ad Moſen refert, ſed & teſtimoniis aliquot veterum probare adnititur, nullum vmquam reuera Orpheum fuiſſe; *demonſt. euangel. prop. IV. p. 189.* HVETII veſtigia, vt alias, ita hic quoque legit NATALIS ALEXANDER, qui & iisdem argumentis pugnat, dum, *Orpheum fabuloſum eſſe nomen,* inquit, *ſcripſit Ariſtoteles,* teſte *Cicerone lib. I. de natura deorum &c. cum Ariſtotele ſenſit Dionyſius quidam, a Suida laudatus. Sed & Androtion apud Aelianum variar. hiſtoriar. lib. VIII. cap. VI. docet, nullam litterarum notitiam Thracas habuiſſe, immo vero litterarum vſum in rerum turpiſſimarum cenſu poſuiſſe; vnde colligit, perperam inter ſapientes Orpheum recenſeri, ipſique adſcripta carmina eſſe ſuppoſititia; aetat. mundi IV. cap. VIII. p. 357.* Verum, quod ad VOSSIVM attinet, eius ſententiam iam profligauit THOMAS BVRNETIVS, *archaeol. philoſ. lib. I. cap. IX.* Et ſane, ſi ideo, quod nomina propria ex incertis deriuationibus in appellatiua commutari poſſunt, hiſtoricam veritatem in dubium vocare fas

eſt,

eſt, nihil tam certum, tamque firmum erit, quod non eadem ratione euerti & labefactari queat. Quo pacto vero etiam ex patrum eccleſiae teſtimoniis demonſtrari poſſit, reuera Orpheum aliquem exſtitiſſe, iam indicaui in obſeruatione de *poëſi Orphica*, quae exſtat *obſeruationum ſelectarum*, quae Halae prodierunt, *tom. VI. obſeruat. XXIX. p. 307. & ſeqq. ſ. IV.* Quid ad HVETII rationes, quas repetit NATALIS ALEXANDER, reſpondendum ſit, ibidem docui *ſ. X. ſeqq.*

Plurima autem Orpheus inueniſſe dicitur, ob quae & maximam conſequutus eſt celebritatem, litteras, muſicam, hexametron carmen, medicinam, magiam ac diuinationem, aſtrologiam & alia, quae ordine recenſet IO. ALB. FABRICIVS, *biblioth. graec. lib. I. cap. XX. p. 129. ſeqq.* Horum tamen, ſi non omnia, certe pleraque haud dubie in Aegypto didicit, & apud Graecos ea deinceps propagauit. Sed inter reliqua eius inuenta ſeu inſtituta eminent τελεταὶ καὶ θεολογίαι, teſte DIODORO Siculo, *loco antea citato*. Sic & THEODORETVS EX PLVTARCHO docet, eum τῶν διονυσίων, καὶ τῶν παναθηναίων καὶ μέν τοι τῶν θεσμοφορίων καὶ ἐλευσινίων τὰς τελετὰς, *& dionyſia, & panathenaea, & theſmophoria, & eleuſinia ſacra*, Athenas detuliſſe; de *graecar. affection. curat. ſerm. II. p. 468.* Teletas autem iſtas Orphei, ſeu ritus & caerimonias ſacras, eo praecipue ſpectaſſe, manifeſtum eſt, vt arcana ſublimiorum ſcientiarum, quae non niſi hominibus pura mente praeditis patere debebant, quam ſolertiſſime ſanctiſſimeque occultarentur, nec quidquam eorum temere in profanum vulgus emanaret, idque pluribus ediſſerit ANDREAS CHRISTIANVS ESCHENBACHIVS, in *Epigene de poëſi Orphica, ſeu in priſcas Orphicorum carminum memorias commentario p. 1. ſeqq.* qui & Pythagorae, Platonis, aliorumque exemplis docet, morem, ſapientiae arcana occultandi, olim apud philoſophos fuiſſe vſitatiſſimum, quod & aliunde ſatis conſtat. Sed, cum, non eadem omnium de iſtis Orphei myſteriis ſit ſententia; non abs re, nec ab hocce loco alienum fuerit, rem omnem explicare paullo adcuratius. Vox τελετὴ, quam APVLEIVS latine *teleta* exſtulit, *aſ. aur. lib. XI. p. 741.* cum de ſacris ſermo eſt, plerumque de initiis, myſteriis, & ſollemnitatibus, quae coniungi ſolent, itemque de ſacrificiis adhibetur. Τελετάς τε, inquit ATHENAEVS, καλοῦμεν τὰς ἔτι μείζους, καὶ μετά τινος μυστικῆς παραδόσεως ἑορτὰς, τῶν εἰς αὐτὰς δαπανημάτων ἕνεκα· τελεῖν γὰρ τὸ δαπανᾶν· *Teletas vero etiamnum adpellamus feſtorum ſollemniorum celebritates cum arcanis & myſticis quibusdam ritibus traditas, ob illam, quae fit, impenſam; eſt enim* τὸ τελεῖν *ſumtum facere &c. deipnoſoph. lib. II. cap. III. p. 40.* Sed rectius ſentiunt, qui, τελετὰς a *perficiendo* dictas, contendunt, quod, qui hiſce ſacris initiabantur, τέλειοι *perfecti* reddi credebantur. Pro ritibus ipſis hanc vocem ſumit APVLEIVS, *quae forent ad vſum teletae neceſſaria*, ſibi comparanda, adferens,

loc. cit. Pro ipſis myſteriis eam accipit CLEMENS Alexandrinus: *Nec oſtenduntur* τελεταὶ *iis, qui temere & impudenter accedunt, ſed cum quibusdam expiationibus & praedictionibus; ſtrom. lib. V. p. 555.* At interdum μυστήρια & τελεταὶ a ſe inuicem diſtinguuntur, quod & in libro *ſapientiae* fit, *cap. XIV. 15.* ANDREAS CHRISTIANVS ESCHENBACHIVS doctrinam ipſam Orphei, quae variis rituum & caerimoniarum integumentis conſtabat, τελετὴν dictam, contendit, & hinc colligit, quodnam argumentum habuerint iſtae τελεταὶ, quae teſte SVIDA ab Orpheo conſcriptae, ab aliis vero Onomacrito adiudicatae, olim legebantur, nempe clariorem quamdam expoſitionem τῶν ἱερῶν λόγων, *arcanorum ſermonum*, tum forte etiam ordinem & adparatum, quo ſacra myſteria, initiationes &c. peragenda eſſent; *l. c. p. 9.* Ceterum ſacra haec, vt de re ipſa aliquid dicamus, non tantum pro deorum, in quorum honorem inſtituta erant, diuerſitate diuerſa erant, ſed & alia maiora erant, alia minora, quibus initiandi praeparabantur ad maiora. Ipſa ſacra μυστήρια dicta, operatio ſacrorum μύησις, & qui percipiebant iſta ſacra, μύησθαι, τελεῖσθαι, τελέσκεσθαι, aut τελειοῦσθαι. Nam ſcopum ſacrorum dicebant τέλος, *finem.* Finem autem interpretabantur, perductionem animae ad illum ſtatum, in quo erat, priusquam deſcenderet in corpus. Finem vero vltimum & fructum horum myſteriorum eſſe dicebant, quod initiati poſt mortem cum diis eſſent habitaturi, cum non initiati in coeno & luto ſe eſſent volutaturi: quamquam Platonici ſtatuebant, finem eſſe, vt homo quam ſimillimus Deo euadat, atque adeo Deus fiat. Haec omnia pluribus ediſſerit ISAACVS CASAVBONVS, *exercitationibus aduerſus Baronium, exercitat. XVI. p. 481.* vbi &, quinque horum ſacrorum fuiſſe gradus, ex OLYMPIODORO obſeruat, purgationes communes, purgationes reconditiores, συστάσεις, initiationes & epoptias. Ad celanda autem haecce arcana faciebant tot voces myſticae, tot arcana verba, nonniſi μυσταγωγοῖς aut ἱεροφάνταις & ſummis ſacerdotibus intellecta, in ipſa ſacrorum tractatione adhibita. Quare &, etſi diuerſi illorum gradus eſſent, qui ad haecce ſacra admittebantur, *initiati, miſtae epoptae, ſacrorum miniſtri, ſacerdotes;* ſolis tamen hierophantis, aut, ſi vel maxime fortaſſis aliis, non tamen, niſi ſacerdotibus, ſenſus arcanorum patebat.

Quodſi quaeras, quid itaque Orpheus ceterique myſteriorum auctores promotoresue, iſto rituum ac caerimoniarum adparatu ſibi voluerint? a vero illorum non videtur abhorrere ſententia, qui iſtos ſapientiae ſtudium, rerumque naturalium ſcrutinium hac ratione commendare, atque ad alios propagare voluiſſe, contendunt. Nimirum, ne rerum, quam ſibi vindicabant, ſcientia, quae ſuperſtitioni, qua plerique mortalium tum laborabant, vel maxime oppoſita erat, homines a deorum timore & obſequio ſuperiorum auerteret, aut etiam cum omnibus

bus

Digitized by Google

bus promiſcue communicata euileſceret, ſymbolis non tantum & aenigmatibus, ceu inuolucris quibusdam, doctrinam ſuam tegere, ſed & remotis, quos ea indignos putabant, ritibus & caerimoniis venerationem illi conciliare conſultum exiſtimabant. Sic populo pariter ac tironibus fucum faciebant, illum in ſuperſtitione continentes, hosce ad ſtudium myſteria iſta intimius cognoſcendi excitantes. Omnia tandem, ſi nonnullis credimus, eo redibant, vt illis, quos ad myſteria capienda & rite propaganda idoneos iudicabant, impium & monſtroſum dogma, naturam ipſam Deum eſſe, committerent. Quod ſi ita ſe habeat, vti profecto admodum eſt veroſimile, vna eademque methodo & atheismum & ſummam ſuperſtitionem propagabat infernalis genius, mirabili artificio res toto caelo a ſe inuicem diſtantes connectendo, & illo viros doctos & ſapientes, hoc plebem hominesque rudes, irretiendo. Quo nomine de τελεταῖς iſtis recte ſcripſit AVGVSTINVS: *Diabolum animas deceptas illuſasque praecipitaſſe, cum polliceretur purgationem animae per eos, quos τελετὰς adpellant, transfigurando ſe in angelum lucis per multiformem machinationem, in ſignis & prodigiis mendacii*; de trinitate lib. III. cap. X. Recte quoque ISAACVS CASAVBONVS: *Enimuero mirum dictu, & cogitatu horrendum, quantopere olim Satan per illa, quae dicebantur myſteria, hominibus illuſerit. Quoniam enim neſcio, quae veritatis ſcintilla inter foeda alioquin mendacia & denſiſſimas tenebras micabat, tanti haec ſacra facta ſunt, vt fidem omnem res ſuperet.* Id ſane certum, ad naturalem doctrinam totam Orphei philoſophiam, adeoque cuncta haecce myſteria ſpectaſſe. Eundo per ſcripta praecipua Orphei hoc demonſtrat vir clariſſimus, anteaque iam nobis laudatus, ANDREAS CHRISTIANVS ESCHENBACHIVS. Poſt τελετὰς enim, de quibus antea dictum, idem θρονισμοὺς καὶ Βακχικὰ commemorat, & ad θρονισμοὺς quidem μητρῴους quod attinet, totam fabulam de anima humana, quae Cereris ſacris tegebatur, eo ſpectaſſe, docet, vt homines *principia & initia vitae ſuae* cognoſcerent, tum etiam, vt *ex agreſti immanique vita excolerentur ad humanitatem, & mitigarentur, vt legum, manſuetudinis, humanitatis exempla inde haurirent, atque deducerent*; Βακχικὰ autem eo pertinuiſſe, vt totius huius vniuerſi conſtitutionem, vitam, vitaeque huius omnem dependentiam, proceſſum, ordinem & rationem innuerent; & ſic in reliquis procedit; in *Epigene de poëſi Orphica*, p. 10. ſeqq. Tetigeritne vbique vir doctiſſimus rem acu, non adſeuerauerim. Cuncta enim ad coniecturas redeunt. Ad naturae arcana tegenda Orphica iſta myſteria ſpectaſſe, PLVTARCHVS quoque confirmat, libro περὶ τῶν ἐν Πλαταιαῖς Δαιδάλων, quem locum etſi clariſſimus ESCHENBACHIVS iam produxerit, quia tamen admodum luculentus eſt, hic quoque ad id, quod diximus, confirmandum, exhibere, nos neutiquam pigebit: ὅτι μὲν οὖν ἡ παλαιὰ Φυσιο-

λογία, καὶ παρ᾽ ἕλλησι καὶ βαρβάροις λόγος ἦν φυσικὸς ἐγκεκαλυμμένος μύθοις, τὰ πολλὰ δι᾽ αἰνιγμάτων καὶ ὑπονοιῶν ἐπίκρυφος καὶ μυστηριώδης θεολογία τάτε λαλέμενα τῶν σιγωμένων σαφέστερα τοῖς πολλοῖς ἔχοντα. καὶ τὰ σιγώμενα τῶν λαλεμένων ὑποπτότερα· Δῆλ.όν ἐστι ἐν τοῖς Ορφικοῖς ἔπεσι καὶ τοῖς Αιγυπτιακοῖς καὶ Φρυγίοις λόγοις· μάλιστα δὲ οἱ περὶ τὰς τελετὰς ὀργιασμοὶ, καὶ τὰ δρώμενα συμβολικῶς ἐν ταῖς ἱερεργίαις, τὴν τῶν παλαιῶν ἐμφαίνει διάνοιαν· *antiquam tam Graecorum, quam barbarorum phyſiologiam nihil aliud fuiſſe, quam ſermonem de natura fabulis incluſum, maxima ſui parte aenigmatis & arcanis dictis obuolutum, latentemque adeo theologiam. Cuius quidem ea, quae proferebantur, vulgus facile capere poterat, quae vero occultabantur, & ſilebantur, ſuſpicioni & coniecturae magis relinquebantur. Hoc videre eſt in Orphicis carminibus, & Aegyptiis Phrygiisque ſermonibus. Maxime vero ſollemnes initiandi ritus, & quae in hierurgiis ſymbolice peraguntur, quae mens veterum, quique ſenſus fuerit, oſtendunt.* Quodſi vero quis porro conſideret, qualis veterum gentilium phyſiologia fuerit, haud difficulter in eam ingredietur ſententiam, ad opinionem de natura deo cuncta tandem rediiſſe. Et hinc ratio patet, cur iſta doctrina tot rituum ac caerimoniarum inuolucris tecta fuerit & occultata. Id fieri oportebat, niſi excuſſo ex hominum plebeiorum animis omni Numinis ſenſu, omnique religione euerſa, ſummam rerum omnium confuſionem inducere voluiſſent. Ea enim rerum naturalium ſcientia, quae Deo ea, quae illi debentur, tribuit, cum ad pietatem potius & religionem ducat, tantum abeſt, vt eam deſtruat aut euertat, adeo occultatione opus non habet, vt ſine periculo, immo maximo cum emolumento, omnibus inculcari queat. Eſt vero porro obſeruandum, iſtud doctrinae naturalis & rituum ſeu caerimoniarum connubium, non admodum fuiſſe diuturnum. Cum enim aut hierophantae, ſiue ex inuidia, ſiue aliis de cauſſis, naturalem cognitionem paucis traderent, aut tum ipſimet, tum ſacerdotes opibus iam abundantes, & hinc vitae huius vnice ſectantes commoda, naturae cognitionem parum curarent, caerimoniisque contenti eſſent, factum eſt, vt poëtae iſtud ſibi vindicarent, qui inde & theologi dicti, in quorum locum deinde ſucceſſerunt philoſophi, vtrique haud raro ad eamdem tandem impietatem progreſſi, vt naturam cum Deo confunderent, vel non alium, quam naturam, Deum agnoſcerent. Interim, qui ſacris iſtis praeerant, homines rudes, inepti, rerumque omnium expertes, cum non deſinerent, miram & incredibilem caerimoniarum iſtarum efficaciam praedicare, & felicitatem maximam, qui illis initiati eſſent, pollicerentur, haud raro ab ipſis philoſophis ludibrio ſunt habiti. Notum eſt, quod de Antiſthene memoriae prodidit DIOGENES LAERTIVS, eum, cum Orphicis myſteriis initiaretur, & ſacerdos diceret,

eius-

eiusmodi initiatos bonis plurimis apud inferos frui, reſpondiſſe, *cur igitur ipſe non moreris? lib. VI. ſegm. IV. p. 318.* Cuiusmodi quid & de Leotychida refert PLVTARCHVS, de *apophtegm. Lacon. p. 224.* Aliud exemplum exhibet DIOGENES LAERTIVS, *lib. VI. ſegm. XXX. p. 334.*

Praeter τελετὰς de quibus hactenus diximus, fuerunt & alia Orphei inuenta & dogmata, ad graecanicam theologiam ſpectantia, quae omnia enumerare prolixum nimis foret. Id vero non praetermittendum, eumdem doctrinae de inferis auctorem apud Graecos ferri. Auctor eius rei eſt DIODORVS Siculus. Cum enim de re funebri Aegyptiorum verba feciſſet, addit διὸ καὶ φασὶν Ὀρφέα τὸ παλαιὸν εἰς αἴγυπτον παραβαλόντα, καὶ θεασάμενον τοῦτο τὸ νόμιμον, μυθοποιῆσαι τὰ καθ᾽ ᾅδου, τὰ μὲν μιμησάμενον, τὰ δ᾽ αὐτὸν ἰδίᾳ πλασάμενον, *ideoque Orpheum, cum peregrinatus quondam in Aegyptum, hunc ritum vidiſſet, fabulam de inferis partim imitatum, partim ex ingenio ſuo commentum eſſe, perhibent; lib. I. p. 82. 83.* Quod & deinde *p. 86.* repetit. τὰς καὶ τῶν ἀσεβῶν ἐν ᾅδου τιμωρίας, καὶ τοὺς τῶν εὐσεβῶν λειμῶνας, καὶ τὰς παρὰ τοῖς πολλοῖς εἰδωλοποιΐας ἀναπεπλασμένας παρεισαγαγεῖν, μιμησάμενον τὰς περὶ τὰς ταφὰς τὰς κατ᾽ αἴγυπτον· *& dum poenas impiorum apud orcum, & piorum tempe, & peruulgata imaginum figmenta introducit, Aegyptiorum funerationes eum imitari, dicunt.* Hinc & inter ſcripta, quae olim ſub Orphei nomine extabant, commemoratur ἡ εἰς ᾅδου κατάβασις, in quo Orpheum omnem de inferis doctrinam tractaſſe, ſuſpicatur ESCHENBACHIVS, in *Epigene p. 178.* conf. & IO. MARSHAMVS, in *can. chron. ſaec. XI. p. 265. ſeqq.* Primus praeterea Orpheus fuiſſe dicitur, qui, lunam & reliquas ſtellas perinde, vt terram noſtram, incoli & habitari, docuit; certe in Orphicis hocce dogma olim lectum, teſtatur PLVTARCHVS, de *placitis phyſicis philoſophor. lib. II. cap. XIII.* & ex eo EVSEBIVS, *praeparat. euangel. lib. XV. cap. XXX.* Idque deinceps ex veteribus Anaximenes, Anaxagoras, Ariſtarchus, Democritus, & Epicurus cum ſuis ſectatoribus, ex recentioribus Nicolaus Cuſanus, Iordanus Brunus, Tycho Brahe, Thomas Campanella, cumprimis Renatus Carteſius, aliique quamplurimi, amplexi ſunt, quos omnes diligenter enumerat, de Orphicis inuentis diſſerens, vir doctiſſimus IOAN. ALB. FABRICIVS, *bibliothec. graec. lib. I. cap. XX. §. VIII. ſeqq. p. 131.* Idem quoque ſcripta Orphei, tum ea, quae adhuc hodie ſub nomine eius exſtant, tum quae perierunt, at ſub eodem nomine apud veteres adlegantur, quam adcuratiſſime, *loc. cit. cap. XVIII. & XIX.* recenſet. Inter illa eminent hymni LXXXVI, quibus praemittitur εὐχὴ πρὸς Μουσαῖον, & de quibus inter alia obſeruat, quod *veram ſatanae liturgiam iis contineri ſcripſerit Daniel Heinſius in Ariſtarcho, ſublimem ac reconditam theologiam in illis videre ſibi viſi ſint Ioannes Picus Mirandulae comes, in concluſionibus, &*

Kircherus tom. II. Oedipi, part. I. p. 151. ſeqq. qui & promiſerit, ſe alibi oſtenſurum eſſe, quod Sephiroticae ſeu Cabaliſticae veterum Ebraeorum & hieroglyphicae Aegyptiorum doctrinae maxime & clariſſime per omnia congruant. Sed & de Henrico Cornelio Agrippa addit, quod *lib. II. occultae philoſophiae c. LX.* ſcripſerit, *Orphicos hymnos qui intelligat, eum reuera magnam naturalis magiae intelligentiam conſequutum.* Vnde profecto diuerſas admodum hominum, de theologia ac philoſophia Orphei ſententias intelligere licet. Inter deperditos libros Orphei maxime notatu dignus ἱερὸς λόγος, qui libris conſtabat XXIV, & diuerſus erat a λόγῳ ἱερῷ, qui Pythagorae nomen praeferebat, item ἡ εἰς ᾅδου κατάβασις, de qua antea dictum; porro διαθῆκαι ad Muſaeum, ex quibus IVSTINVS martyr, CLEMENS Alexandrinus, EVSEBIVS, aliique verſus quosdam citant, praeterea θεογονία, ſiue *origines mundi & deorum, &c.* In hisce enim haud dubie totus theologiae Orphicae, ſaltem, quae pro tali olim habebatur, adeoque & graecanicae, ex illa quippe expreſſae, adparatus continebatur. Sed cum vir doctiſſimus, antea laudatus, abunde, de hisce & reliquis ſcriptis, quae ſub Orphei nomine olim circumferebantur, egerit, nihil addimus.

Praeter Orpheum inter graecanicae theologiae primos conditores referuntur Linus atque Muſaeus, quorum ille praeceptor, hic diſcipulus Orphei fuiſſe dicitur. DIODORVS Siculus ex DIONYSIO mythologo refert, πρῶτον εὑρετὴν γενέσθαι Λίνον ῥυθμῶν καὶ μέλους, *Linum primum omnium Graecorum rythmos & melodiam inueniſſe*, additque porro, eum poëſi & melodia excellentem, diſcipulos habuiſſe multos, inter quos maxime excelluerint Hercules, Thamyris, Orpheus; Herculem autem citharae ſtudium amplexum eſſe, quod ingenium eius tardius aliam diſciplinam non caperet, plagisque aliquando incuſſis, iratum, citharae inflictu magiſtrum interfeciſſe; *lib. III. p. m. 200. 201.* Quod de primo & antiquiſſimo illo Lino intelligendum, a quo nonnulli duos alios, eosque iuniores, diſtinguunt. Addit vero porro DIODORVS, Linum hunc litteris Pelasgicis res Bacchi, primi illius, deſcripſiſſe, aliasque in commentariis fabulas poſt ſe reliquiſſe. Vnde, quod inter theologos referendus ſit, patet. PAVSANIAS equidem, tum hunc, tum iuniorem illum Linum, *Ismenii* filium, quidquam ſcripſiſſe, negat, *p. 767.* at adfirmant alii, & inter eos DIOGENES LAERTIVS, qui in *prooemio, p. m. 4.* cum de mundi ortu, ſolis item & lunae curſu, de fructuum animaliumque generationibus ſcripſiſſe, teſtatur, atque hoc eum poëmatum ſuorum feciſſe exordium: ἦν ποτέ τοι χρόνος οὗτος ἐν ᾧ ἅμα πάντ' ἐπεφύκει, *fuit aliquando tempus illud, cum omnia ſimul orta ſunt.* EVSEBIVS quoque ex ARISTOBVLO hunc Lini verſum refert:

Ἑβδομάτῃ δὴ οἱ τετελεσμένα πάντα τέτυκται,
Septima iamque dies, qua cuncta exorta rubebant.

cui

cui & alios eiusdem ſenſus ſubiicit; *praeparat. euangel. lib. XIII. cap. XII. p. 668.* Sed hi an genuini ſint, a viris doctis dubitatur. Muſaeum Orphei diſcipulum fuiſſe, communi fere conſenſu tradunt, nec aliter forte intelligendi, qui, eum Orphei filium fuiſſe, perhibent. Non tantum muſices, lyricaeque poëſeos, ſtudium illi tribuitur, ſed & theogoniam pariter ac ſphaeram primus docuiſſe, &, *ex vno omnia eſſe, in idque reſolui*, dixiſſe, perhibetur; vt auctor eſt DIOGENES LAERTIVS, in *prooemio, p. 3.* Quo ipſo mentem praeceptoris, ſi haec ita ſe habeant, de natura deo, aperte ſatis prodidit. Scripta Muſaei apud veteres commemorantur χρησμοὶ, ſiue *oracula*, ὑποθῆκαι, ſiue *praecepta ad Eumolpum tertium filium ſuum*, θεογονία, & alia, de quibus conferendus, quem iam laudauimus, IOAN. ALBERTVS FABRICIVS, *biblioth. graec. lib. I. cap. XVI. p. 120. ſeqq.* qui & *loc. cit. cap. XIV.* plura de Lino ſuppeditabit. GERHARDI IOAN. VOSSII, & PETRI DANIELIS HVETII, Linum & Muſaeum quemdam aeque ac Orpheum vmquam exſtitiſſe, negantium, ſententiam, ſupra nobis iam commemoratam, merito viri docti, vtpote omni fundamento deſtitutam, exploſerunt.

* Quemadmodum praecipua, quae de litterarum & religionis, ſeu ſuperſtitionis potius, in Graecia origine, notatu digna ſunt, ex hactenus dictis fere conſtant: ita reliqua, quae ad noſtrum inſtitutum ſpectant, innoteſcent, ſi regna & reſpublicas, quae hocce temporis interuallo apud Graecos floruerunt, paucis perluſtrauerimus. Ab Argiuorum regno vt initium faciamus, de eius origine & primo conditore Inacho iam dictum ad *period. I. ſect. III. §. XXIV.* De inſigni mutatione, quam regnum iſtud ſubiit, cum, pulſo vltimo Inachidarum rege Gelanore, imperium Danao, qui ex Aegypto in Graeciam venerat, detulerunt, itidem dictum ad *per. II. ſect. I. §. XXXVII.* Ex Aegypto cum Danaus veniſſet, eum itidem ritus & inſtituta multa Aegyptiorum ſecum in Graeciam attuliſſe, non eſt, quod dubitemus. Inter ſucceſſores Danai cumprimis celebris fuit Acriſius, qui, ſi TATIANO credimus, eodem circiter tempore vixit, quo Orpheus & Muſaeus. Κατὰ τὸ Ἀκρίσιον, inquit, Πέλοπος ἀπὸ Φρυγίας διάβασις, καὶ Ἴωνος εἰς τὰς Ἀθήνας ἄφιξις, ὡς ὁ δεύτερος Κέκροψ, αἵτε Περσέως καὶ Διονύσου πράξεις, καὶ Ὀρφέως μαθητὴς Μουσαῖος· *Sub Acriſio Pelops ex Phrygia tranſiuit, Ion Athenas peruenit, Cecrops item ſecundus claruit, & Perſei Liberique patris geſta floruerunt, & Orphei diſcipulus Muſaeus; orat. ad Graecos, p. m. 134.* Eadem ex TATIANO repetit CLEMENS Alexandrinus, *lib. I. ſtrom. p. 321.* niſi quod pro Ὀρφέως μαθητὴς Μουσαῖος, ibi legatur: Ὀρφεύς τε καὶ Μουσαῖος. Sed temporum rationes hic valde impeditae ſunt; nec ſatis conſtat, quando Danai ex Aegypto in Graeciam tranſitus contigerit. Legenda, quae copioſe hac de re diſputat IAC. PERIZONIVS, *aegyptiar-*

ptiar. orig. inueſtigat. cap. XVI. p. 279. & ſeqq. Celebratur Acriſius Argiuorum rex inter alia hoc nomine, quod concilii Amphyctionici, apud Delphos inſtituti, auctor fuerit. Varia autem apud Graecos memorantur concilia Amphictyonica, inter quae Theſſalicum antiquiſſimum fertur, ideo inſtitutum, vt Graeci φίλοι μεν ἀλλήλοις, λυπηροὶ δὲ τοῖς βαρβάροις καὶ φοβεροὶ *ſibi inuicem amici, ſed barbaris graues & formidabiles eſſent*, vt loquitur DIONYSIVS Halicarnaſſenſis, *lib. IV. p. 299.* Gentes enumerantur duodecim, quae concilii huius participes erant: ſolebantque Amphictyones bis quotannis ad Thermophylas conuenire. Synodus illa πυλαῖα vocabatur, & adſeſſores πυλαγόραι. At ab hoc diuerſun fuit concilium Amphictyonicum, quod apud Delphos inſtitutum STRABO commemorat, περί τε τῶν κοινῶν βουλευσόμενον, καὶ τοῦ ἱεροῦ τὴν ἐπιμέλειαν ἔχον κοινοτέραν, *quod de publicis conſultaret rebus, & templi communem ſuſtineret procurationem:* rationem addit: *quum pecuniae grandes & donaria* (in templo) *depoſita, cuſtodia atque ſanctimonia indigerent, lib. IX. p. 420.* Ex quo patet, circa ſacra quoque concilium illud Amphictyonicum occupatum fuiſſe; ſimul vero intelligitur, quantas opes, quantasue diuitias hominum ſuperſtitio iam tum ſacerdotibus pepererit. Sed originem & rationem concilii huius STRABO ita porro exponit: *Antiquiora ſane ignorantur. Sed Acriſius primus memoratur, qui Amphictyonum ordinem inſtituerit, & vrbes definiuerit, quibus eo in conſeſſu locus eſſet: ſingulisque ſuffragii lationem tribuerit, aliis pro ſe, aliis cum vna aliqua aut pluribus aliis communicata ſententia: iudicia etiam ordinaſſe, quibus vrbium inter ſe lites diſceptarentur. Poſtea temporis plures ſunt factae conſtitutiones, donec illud quoque abolitum eſt collegium, itidem, vt Achaeorum. Principio conueniſſe dicuntur duodecim ciuitates, quarum quaeuis ſuum mitteret legatum, Pylagoram dictum; conueniebatur bis per annum, ſcilicet vere & autumno; poſtmodum plures etiam ciuitates ſe adiunxerunt.* Concilium hocce Amphictyonicum apud Delphos cum prorſus ad exemplar prioris compoſitum eſſet, & vtrobique eadem nomina occurrerent, factum, inde, vt a nonnullis confunderentur, aut pro vno eodemque haberentur. Nec ſane diſtinguit PAVSANIAS, in *Phocicis*, ſiue *lib. X. cap. VIII. p. 815.* vbi & docet, primum antiquiſſimi iſtius conſeſſus auctorem eſſe Amphictyonem, Deucalionis filium, vnde & Amphictyones vocati ſint, qui iſtius concilii erant membra aut adſeſſores. Alibi tamen ea diſtinguere videtur, ſcilicet in *Achaicis*, ſiue *lib. V. cap. XIV. p. 585.* Conuentum enim Achaeorum hac aetate celebratum dicit, καθότι ἐς Θερμοπύλας τε καὶ ἐς Δελφοὺς οἱ Ἀμφικτύονες, *vti ad Thermopylas & Delphos Amphictyonum.* Plura de conciliis Amphictyonicis dabit IOAN. MARSHAMVS, in *can. chron. ſaec. IX. p. 119. 120.* Acriſii ex Danaë nepos Perſeus fuit,

fuit, qui ob caedem aui, regnum cum Megapenthe, Praeti filio, commutauit & regnauit Mycenis, vnde Argis Megapenthes & alii Acriſio ſucceſſerunt, ad Eteoclum vsque, qui bello Troiano cecidit. Quamquam eo tempore regnum Argiuorum iterum in tres partes diuiſum ſit, vt auctor eſt PAVSANIAS in *Corinthiacis* ſiue *lib. II. p. 150. Et Argiuos quidem*, inquit, *ſolos ex omnibus Graecis in tria regna diuiſos noui. Quo enim tempore regnum tenuit Anaxagoras, Argei filius, Megapenthis nepos, is furor feminas inuaſit, vt, cum intra domeſticos parietes contineri non poſſent, per totum agrum palantes vagarentur; inuentus tandem eſt Melampus Amythaonis filius, a quo ſanatae ſunt. Ei Anaxagoras ita gratiam retulit, vt aequis cum eo fratreque eius Biante partibus regnum communicaret.* Qui Mycenis Perſeo ſucceſſerunt, inter Argiuorum reges referuntur ab EVSEBIO, in *chronico num. DCCIV.* & a TATIANO *orat. ad Graecos, p. 131.* quos inter vltimus eſt Agamemnon, celebris ille Graecorum imperator, cuius anno decimo octauo capta eſt Troia, vt idem TATIANVS *loc. cit.* auctor eſt. Ad Acriſii aetatem TATIANVS *loco* antea *citato* etiam Pelopis ex Phrygia in Graeciam tranſitum refert. Ab Ilo namque, Trois filio, a quo Troia Ilium dicta, eiectus, in Graeciam fugit. Tantali fertur filius, qui Ganimedem Trois filium rapuerat, abuſus ſua felicitate, & in Moeonibus, qui poſtea Lydi, imperitabat. Aduentu eius res Graecorum magnam ſubierunt mutationem. In Piſaeis namque & Olympiis regnauit, ac pleroſque eius peninſulae populos in ſuam poteſtatem redegit, vnde dicta *Peloponneſus*, poſtquam Hippodamiam, filiam Piſaeorum regis, accepiſſet vxorem. Vid THVCYDIDES, *lib. I. p. 6. 7.* PLVTARCHVS, in *Theſeo*, *p. 2.* DIODORVS Siculus, *lib. IV. p. 191.* add. IOAN. MARSHAMVS, in *can. chron. ſaec. XI. p. 300.*

Atheniensium res iam ante hocce aetatis interuallum initium cepiſſe, ſupra obſeruatum, ad *period. I. ſect. III. §. XXIV.* vbi & de Cecrope dictum, a quo Attica regio, quae antea Actaea vocabatur, Cecropia adpellata. Cranaum Cecropis ſucceſſorem, Amphictyon Deucalionis filius, regno exuiſſe perhibetur; is ipſe, qui primus Amphictyonicorum conciliorum auctor, a quo & nomen habent, vt antea ex PAVSANIA docuimus. Hunc Amphictyonem XXVII circiter annis ante exitum populi iſraëlitici ex Aegypto Athenis regnaſſe nonnulli contendunt. Eo autem pulſo, regnum occupauit Erichtonius, qui Vulcani fertur filius, ex terra natus, idque per annos L tenuit. Hunc Pandion eius nominis primus excepit, cui ſucceſſit Erechteus, ſub quo Ceres raptam a Plutone filiam Proſerpinam quaerens, in Atticam veniſſe, & a Celeo Eleuſine Atticae pago excepta fertur, quae ferendi artem Triptolemum docuerit. DIODORVS

quidem Siculus rem ita exponit: *Erechteum natione Aegyptium, Athenarum regem factum, his rationibus (Aegyptii) demonſtrant. Cum per totum fere orbem terrarum, Aegypto tantum, ob loci genium excepta, omnium confeſſione ingens ſiccitas, cum magna ſimul frugum hominumque pernicie orta eſſet, Erechteus ex Aegypto magnam frumenti copiam Athenas, quod cognati eſſent, adnexit. Pro hoc merito regnum beneficio adfecti ciues detulerunt. Quo accepto is Eleuſine Cereris initia docuit, & myſteria ritibus ex Aegypto traductis inſtituit.* Addit porro DIODORVS: *Nec a ratione diſſentire aiunt, quod deam illo tempore in Atticam veniſſe traditur, quo fruges eius nomine inſignes Athenis ſunt importatae, quarum ſemina Cereris beneficio quaſi denuo repertae videantur. Fateri etiam Athenienſes, regnante Erechteo, cum defectus pluuiarum fruges abſumſiſſet, Cererem illuc veniſſe, & donatione frumenti ipſos ſublenaſſe. Ritus inſuper initiorum & myſteria huius deae in Eleuſine coepta &c. lib. I. p. m. 25.* Hinc vero & Eleuſiniorum ſacrorum, quorum tanta apud Graecos fuit celebritas, originem intelligere licet: quam tamen ceteroquin aliter mythologi deſignant, Proſerpinae raptum, ab ipſo DIODORO fuſe *lib. V. p. m. 287. ſeqq.* deſcriptum, hisce ſacris occaſionem dediſſe, adſerentes. Veritatem hiſtoricam, ſub fabula de raptu Proſerpinae latitantem, ratione valde probabili exponit, IVLIVS FIRMICVS MATERNVS, de *errore profanarum religionum, cap. VII. in bibliotheca maxima patrum, tom. IV. p. 167.* Eaque ſi admittantur, an, quae DIODORVS de ſacrorum Eleuſiniorum origine aegyptiaca ſcripſit, ſatis firmo nitantur talo, dubitari poſſet. Sed nec de eo, qui Eleuſinia iſta ſacra primus inſtituerit, veteres inter ſe conſentiunt, aliis ipſum Erechteum, aliis Eumolpum, aliis alios eorum auctores celebrantibus. Quidquid huius ſit, inter ſacra Graecorum Eleuſinia vel primum obtinebant locum, & κατ᾽ ἐξοχὴν, μυςήρια adpellabantur. Hinc ARISTOTELES: τὰ γὰρ μυςήρια πασῶν τιμιωτάτη τελετὴ, *myſteria ſunt omnium honoratiſſima feſtiuitas; rhetor. lib. II. cap. XXIV.* Dicta ſunt Eleuſinia, ob rationem antea memoratam, ab Eleuſine, Atticae ſiue pago, ſiue oppido, itemque δημήτρια ſiue Cerealia, quia Ceres Graecis Δημήτηρ, praeterea θεσμοφόρια, quia, vt auctor eſt DIODORVS Siculus, Iſis apud Aegyptios *leges ſtatuiſſe dicebatur, ſecundum quas ius inter ſe homines communicarent, & ab exlege vi atque iniuria, poenae metu deſiſterent;* διὸ καὶ τὺς παλαιὺς ἕλληνας τὴν Δήμητραν θεσμοφόρον ὀνομάζει, ὡς τῶν νόμων πρῶτον ὑφ᾽ αὐτῆς τεθειμένων. *Ideoque Graecis veteribus Cererem theſmophoron, (id eſt, legiferam) vt quae princeps leges ſanciuerit, adpellari; lib I. p. 13. 14.* HERODOTVS auctor eſt, Danai filios initiationem Cereris, quam Graeci θε-

θεσμοφόρια vocant, ex Aegypto attuliſſe, & Pelasgicas feminas docuiſſe; poſtea vero Peloponneſo omni a Doribus ſedibus ſuis eiecta, abolitum eſſe iſtum initiandi ritum; Arcades vero, a Peloponnenſibus quippe non eiectos, eum conſeruaſſe; *lib. II. cap. CLXXI.* Eleuſinia ſacra etiam Orgia dicta ſunt, *ἀπὸ τῆς ὀργῆς*, *ab ira* Cereris in Iouem, vt nonnulli volunt; erantque vel maiora, vel minora; illa menſe antheſterione, haec boedromione tradebantur; illa Cereris fuere, haec Proſerpinae, & *προκάθαρσιν καὶ προάγνευσιν τῶν μεγάλων*, *purgationem quamdam, & velut ſanctificationem ad magna* continebant. Minora propter Herculem, quem ad maiora admittere noluerint, inſtituta ferunt, adeoque, ſi inſtitutionis tempus ſpectes, his fuere poſteriora. Minoribus qui praepurgabantur, *μύσται* dicebantur, vt *ἐπόπται*; quibus anno poſt maiora pandebantur, vnde & ipſa ſacra *epoptica* dicta. Quod vero haec ſacra *κατ' ἐξοχὴν μυστήρια* dicta, vt antea obſeruauimus, inde factum, quod ſummo ſtudio occultarentur. Auctorque eſt PAVSANIAS, horum ſacrorum adſpectu non tantum iis, qui initiati non fuiſſent, prorſus interdictum fuiſſe, verum etiam ne percontari quidem quidquam de iis, vel audire fas fuiſſe; in *Atticis*, ſiue *lib. I. p. m. 93.* Legi etiam merentur, quae hac de re obſeruant MACROBIVS, *lib. I. in ſomn. Scipion. cap. II.* & SVIDAS, in voc. *Diagoras.* Quod ſi quaeras, quid itaque demum fuerit, quod tam ſancte, tantoque ſilentio tegebatur? fabula de raptu Proſerpinae dramatice ad lucem facularum noctu repraeſentabatur. Hinc TATIANVS: *μαρτυρήσει μοι νῦν Ἐλευσις, καὶ δράκων ὁ μυστικὸς, καὶ Ὀρφεὺς, ὁ*

θύρας δ' ἐπίθεσθε βέβηλοι

λέγων· Ἀϊδωνεὺς ἁρπάζει τὴν Κόρην, καὶ αἱ πράξεις αὐτοῦ γεγόνασι μυστήρια. κλαίει Δημήτηρ τὴν θυγατέρα· Teſtimonium mihi adferent Eleuſis & draco myſticus, & Orpheus huius carminis auctor:

- - - vos turba profana

obturate fores.

Pluto rapit Proſerpinam, quod eius facinus myſteriis celebratur; Ceres filiam luget; orat. ad Graecos, p. m. 34. Vbi, quid *draco myſticus* ſibi velit, in notis ad *h. l.* ex editione WILHELMI WORTH, explicatur. Taceo CLEMENTEM, IVSTINVM, aliosque, qui idem confirmant. Addita deinceps alia fuerunt, aliorum deorum dearumque aut fata aut facinora exhibentia, turpia maxime & obſcoena; vnde non ſine ratione eccleſiae patribus Eleuſinia haecce ſacra peſſime audiunt; ſimulque, quid infernalis genius eorum inſtitutione ſibi voluerit, intelligitur. Pluribus cuncta exponit IOANNES MEVRSIVS, in *Eleuſiniis*, cumprimis *cap. II. & III.* & in compendio IOANNES PHILIPPVS PFEIFFERVS, *antiquitat. graecar. lib. I. cap. XLIII.*

XLIII. p. 99. ſeqq. Interim non deſunt, qui & Eleuſinia haec aeque ac Orphica ſacra, de quibus antea dictum, ad naturalem philoſophiam referunt. Id diſerte tradit CLEMENS Alexandrinus, *ſtromat. lib. V. p. 582.* Et SENECA: *Eleuſis ſeruat, quod oſtendat reuiſentibus: rerum natura, ſacra non ſimul tradit; natural. quaeſtion. lib. VII. quaeſt. XXXI.* Et alibi: *Haec eius initiamenta ſunt, per quae non municipale ſacrum, ſed ingens omnium deorum templum, mundus iſte reſeratur, cuius vera ſimulacra verasque facies cernendas mentibus protulit. Nam ad ſpectacula tam magna hebes viſus eſt; epiſt. XC.* Sed mitto reliqua, id modo ex hactenus dictis intelligi, monens, tempora Moſaicis proxima apud Graecos fuiſſe religioſiſſima, ſuperſtitionibus graecanicis paſſim magno numero & copia propullulantibus, quod & recte IO. MARSHAMO obſeruatum, *can. chron. ſaec. X. p. 259.* Nimirum, Dei ſimiam magno cum hominum malo hic ſe demonſtrauit infernalis genius, Graecorum ingeniis ad hancce impietatis ac ſuperſtitionis ſcenam inſtruendam longe aptiſſimis. Poſſem hoc & aliis exemplis confirmare, & de reliquis Graecorum ſacris, diebus praecipue feſtis, multa addere: ſed, cum forte taedioſum nimis hoc futurum eſſet, eum, qui plura deſiderat, IOAN. MEVRSIVM, in *Graecia feriata*, aut IO. PHILIPPVM PFEIFFERVM, in *antiquitat. Graecor. lib. I. cap. XLII. ſeqq.* adire iubeo. At, quin THEODORETI de hiſce Graecorum ſacris iudicium ſubnectam, facere prorſus nequeo. De flagitiis enim eorum, quos pro diis colebant Graeci, cum dixiſſet, haec ſubiungit: τύτοις καὶ ἑορτὰς καὶ πανηγύρεις καὶ δημοθοινίας ἐπιτελεῖν ὁ τῶν ἀνθρώπων ἀλάστωρ ἐνομοθέτησε· Πάνδια μὲν καὶ διάσια τῷ Διῒ, καὶ ἥραια τῇ Ἥρᾳ, καὶ τῇ Ἀθηνᾷ παναθήναια. καὶ Διονύσῳ διονύσια, καὶ ἐλευσίνια καὶ θεσμοφόρια τῇ Δηοῖ, καὶ δήλια καὶ πύθια τῷ Ἀπόλλωνι· καὶ τοῖς ἄλλοις δὲ ἅπασι· πολὺς γὰρ ὁ τύτων ὅμιλος. *His & festos dies & publicos conuentus, & conuiuia infeſtus daemon celebrari inſtituit, Ioui quidem pandia & diaſia, heraea vero Iunoni, & Mineruae panathenaea, & Baccho dionyſia, & Cereri eleuſinia & theſmophoria, Apollini delia & pythia, ceterisque omnibus, quorum ſane magna eſt turba &c.* Addit, quibusdam interiectis, porro: *In his autem conuenticulis omne flagitiorum genus intrepide patrabatur. Initia enim Cereris, & Liberi patris orgia, horum ſcelerum inuolucra praetendebant, Eleuſis quidem pectinem, veretrum autem phallogogia. Sed & citra aenigmatum inuolucra, ea, quae ab orgia celebrantibus fiebant, ad omne flagitiorum genus ſpectantes incitabant. Quis enim vel ſalaciſſimus homo intra cubiculi penetralia patrare vnquam talia eſt auſus, qualia ſatyrorum chorus publica in pompa flagitioſe exhibuit, cum Silenum, Panaque in medium acceptos, circumfer-*

ferrent, hunc quidem in Bacchas libidine irruentem, illum vero, quem effeminati adoleſcentis paedagogum ferunt, ebrietate nimia reſolutum? Hi centenas millenasque hoſtias ſacrificabant, & ouium greges, boumque armenta mactabant, & thus adolebant, & vinum libabant, & alia omnia, quae fieri deorum ſacerdotes iubebant; de graecar. adfection. curat. ſerm. VII. p. 581. Sed vt ad Athenienſium reges reuertamur, poſt Erechteum Cecrops II. eius ſiue filius, ſiue frater, tum Pandion II. & poſt hunc Aegeus, tandemque Theſeus Athenis regnarunt. Et Theſeus quidem longe fuit celeberrimus, tum ob res ad exemplum Herculis, quem imitandum ſibi propoſuit, praeclare fortiterque geſtas, tum ob ordinatam rite atque conſtitutam Athenienſium rempublicam. Sub eo enim πρυτάνεις inſtituti, qui regni ſocii eſſent, & conſiliarii, ciuesque in tres ordines diuiſi, patriciorum, agricolarum & opificum. Et εὐπατρίδας quidem, ſeu patricios, γινώσκειν τὰ θεῖα, *res diuinas cognoſcere, & magiſtratus gerere, & leges ac ſacra interpretari voluit,* vt auctor eſt PLVTARCHVS, in *Theſeo p. 11.* qui & reliqua de hocce Athenienſium rege dabit; cui iungendus THVCYDIDES, *lib. I. p. 110.* Vixiſſe atque regnaſſe Theſeum XXX annis ante bellum Troianum, nonnulli contendunt: ſed impeditas hic admodum temporum rationes eſſe, oſtendit IO. MARSHAMVS, in *cau. chron. ſaec. XI. p. 294. ſeqq.* De bello, quod cum Amazonibus Theſeus geſſiſſe dicitur, itidem PLVTARCHVS agit, in *Theſeo, p. 12.* vt de Amazonibus ipſis, de quibus, quae narrantur, in hocce itidem temporis interuallum praecipue cadunt, DIODORVS Siculus, *lib. III. p. 185. ſeqq.* Quaenum veris hiſtoriis, an fabulis adnumeranda ſint? diſputatum equidem fuit, prius non ſine ingenio & inſigni ſpecie adſerente PETRO PETITO, in *diſſertat. de Amazonibus*, qui cumprimis *cap. LXII. p. 343. ſeqq.* ea expedit, quae ad chronologiam hiſtoriae Amazonum pertinent. De Theſeo vero id adhuc obſeruandum, quod PLVTARCHVS auctor ſit, eum ludos, qui *Iſthmia* dicebantur, inſtituiſſe, idque ad imitationem Herculis, qui eodem circiter tempore Olympia inſtituiſſe perhibetur. Καὶ τὸν ἀγῶνα, inquit, πρῶτος ἔθηκε κατὰ ζῆλον Ἡρακλέους, ὡς δι᾽ ἐκεῖνον ὀλύμπια τῷ Διΐ, καὶ δι᾽ αὐτὸν ἴσθμια τῷ Ποσειδῶνι· φιλοτιμηθεὶς ἄγειν τοὺς ἕλληνας· *ac ludos Herculis imitatione primus ſtatuit, ambiens, vt, ſicut in illius memoriam Ioui olympia; ita Iſthmia Neptuno, Graeci in honorem ſuum agerent.* Addit porro: *Quod enim ludicrum in Melicertes honorem conceptum noctu illic peragebatur, initia potius, quam ſpectaculum, & celebritas publica cenſebatur. Sunt tamen, qui dicunt, Scironi Iſthmia dicata, quo ob propinquitatem expiaret illius caedem Theſeus. Scironem enim filium Canethi fuiſſe, & Henioches Pitthaei filiae. Alii Sinnin, non Scironem, atque huius gratia*

Digitized by Google

tia ludicram, non illius, a Theſeo ſtatutum &c. l. c. Praeter Olympia, & Iſthmia, Pythia atque Nemea ſollemnes erant Graecorum ludi, & ſimul partem ſacrorum conſtituebant. Ex quo iterum graecanicae religionis indolem intelligere liceat. Olympiorum reſtauratio epochae celeberrimae occaſionem dedit; quod tamen poſt hocce demum, in quo nunc verſamur, temporis interuallum contigit. Inter reliquos Athenienſium reges Melanthus adhuc memoratu dignus eſt, ob duellum cum Xantho Boeotorum duce. Ad pugnam enim cum deſcendiſſet, vt primum cominus ſtetit, *inique*, inquit, *Xanthe, & contra pactum facis, aduerſus ſolum enim cum altero proceſſiſti.* Cumque admiratus ille, quisnam comitaretur, reſpexiſſet, auerſum vno ictu confecit. Vnde Athenienſibus occaſio, *ἀπατήρια*, ſeu *feſtum deceptionis*, inſtituendi. Vid. FRONTINVS, *ſtratagem. lib. II. cap. V.* HERODOTVS, *lib. I. cap. CXLVII.* Atque hinc nouum de Graecorum ſacris documentum capere licet. Vltimus Athenienſium rex Codrus fuit,qui ſeptuaginta iam annos natus in bello Peloponeſiaco ſe pro patria deuouit, cum Pythias reſpondiſſet, fore ſuperiores, quorum dux in bello occideretur. Vid. STRABO, *lib. X. p. 393.* VELLEIVS PATERCVLVS, *lib. I.* Contigit hoc iuxta EVSEBIVM, in *chronico*, ſub extrema iudicum, aut circa initia Samuelis. Ex eo tempore Athenis penes archontes ſumma rerum fuit.

Praeter Athenienſium, & Cretenſium quoque res, de quarum origine ad *per. I. ſect. III. ſ. XXIV.* dictum, hocce tempore fuere florentiſſimae. Minos cumprimis celebratur, qui Theſeo aequalis fuit, quod de ſecundo huius nominis rege nonnulli intelligunt, quo alius eiusdem nominis longe antiquior fuerit. Et de primo quidem illo dubitant veteres, vtrum aduena, an indigena eſſet; poſterius tradente HOMERO, *Iliad. XIII. verſ. 450.* prius DIODORO Siculo, *lib. IV. p. 183.* Eum Iouis ex Europa, Cadmi ſorore, filium, ab Aſterio Cretae rege, qui deinceps Europam in matrimonium duxerit, adoptatum, finxerunt alii. Tres namque Iouis ex Europa ſtatuunt filios, Minoën, Rhadamanthum, & Sarpedonem, qua de re iam ſupra dictum. Alii vnum tantum Minoën ſtatuunt, res diuerſas inter ſe confundentes, quod & STRABONI contigit *lib. X. geographiae p. 477.* De primo ſeu antiquiori, intelligendum, quod leges inueniſſe perhibetur, easque Cretenſibus propoſuiſſe, non a ſe excogitatas, ſed a Ioue ipſo traditas, cum nono quolibet anno in antrum Ioui ſacrum ſecederet, illicque cum ipſo colloqueretur, eoque tamquam praeceptore vteretur. STRABO: *δι' ἐννέα ἐτῶν ὥς φησι Πλάτων, ἀναβαίνων ἐπὶ τὸ ἄντρον τοῦ Διὸς, καὶ παρ' ἐκείνου τὰ προστάγματα λαμβάνων, καὶ παρακομίζων εἰς τοὺς ἀνθρώπους· nono quoque anno (vt dicit Plato) in Iouis antrum deſcendit, & ab illo praecepta accepit, quae ad homi-*

homines afferret. Vnde HOMERO *ἐννέωρος διὸς μεγάλου ὀαριστής, nouennalis ſummi Iouis auditor* audit, *Odyſſ. T. v. 178.* Sic & VALERIVS MAXIMVS: *Minos Cretenſium rex vnoquoque* (ſeu potius: *nono quoque*) *anno, in quoddam praealtum ex vetuſta religione conſecratum ſpecus ſecedere ſolebat, & in eo moratus, tamquam a Ioue, quo ſe ortum ferebat, traditas ſibi leges perrogabat; lib. I. cap. II.* Cumque leges iſtae Minois ſeueriſſimae eſſent, poenaeque grauiſſimae in illarum violatores conſtitutae; nata inde eſt poëtarum fabula, Minoën, eiusque fratrem Rhadamanthum ius apud inferos dicere. De altero, ſeu ſecundo Minoë, intelligendum, quod THVCYDIDES refert, *lib. I. p. 4.* eum inſtructa claſſe, maris graeci imperio longe lateque potitum, inſulas cyclades ſub ditione tenuiſſe, & in pleraſque primum colonias deduxiſſe, expulſis quoque Caribus, ſuos filios in regimine conſtituiſſe; latrones denique e mari, quoad potuit, ſuſtuliſſe. Eiusdem Minois iuſſu Daedalum Athenienſem, labyrinthum in Creta exſtruxiſſe, ferunt, idque ad exemplar labyrinthi aegyptii, quem deſcribit HERODOTVS. *lib. II. cap. XLVIII.* vt auctor eſt DIODORVS Siculus atque PLINIVS, ille *lib. I.* hic *lib. XXXVI. cap. XIII.* Alii vero labyrinthum aegyptium aetate Minois non dum exſtructum fuiſſe, obſeruant, vt MARSHAMVS, in *can. chron. ſaec. XI. p. 291.* Rurſus alii negant, labyrinthum vmquam in Creta fuiſſe, ſed ingentes & tortuoſas ſecturas, quae ad radices Idae montis actae ſunt, cum ad Cnoſſon, aliasque vrbes condendas, lapides exſcinderentur, fabulae occaſionem dediſſe. Id pluribus confirmare adnititur PETRVS DANIEL HVETIVS, *demonſtr. euang. prop. IV. cap. VIII. p. 170.* qui & in eo totus eſt, vt, quidquid de Minoë dicitur, ad Moſen trahat, haud vbique aeque feliciter. De Ariadne Minois filia, nuptura Theſeo, quem a patre in cuſtodiam traditum, cui forte labyrinthi nomen, artificio quodam liberauerat, a Theſeo deinceps deſerenda; de Minotauro, (Tauri & Paſiphaës ex adulterio filio) quocum vt certaret, a Cretenſibus Theſeus inuitatus erat; de Daedalo, inſigni ſui temporis architecto & ſtatuario, eiusque ex Creta fuga, & quo pacto vela primus nauigiis adplicans, venti beneficio Minois remigium anteuerterit, & euaſerit, naue tamen Icari, Daedali filii, euerſa, deque adpulſu Daedali in Siciliam, vbi cum Minos infeliciter quaeſiuit, & reliquis, quae infinitis poëtarum fabulis occaſionem dederunt, legendi APOLLODORVS, *biblioth. lib. III. cap. I.* DIODORVS Siculus, *lib. IV. p. 192. ſeqq.* PLVTARCHVS, *in Theſeo, tom. I. oper. p. 7.* PAVSANIAS, in *Achaicis*, ſeu *lib. IX. p. 558.* Eleganter etiam de his omnibus non ita pridem diſſeruit, & a fabulis hiſtoricam veritatem diſcreuit DN. DE LARREI, in *hiſtoria ſeptem ſapientum, p. 346. ſeqq.* Monendum adhuc, priusquam hinc diſcedamus, quod Idae montis

montis ſiluis accenſis conflagratio, ad tempora haecce referatur, ſed ea quae ad minimum Minois II. aetatem anteceſſerunt. Immo iuxta nonnullos Ioſuae aetate contigit. Nonnulli de Phrygiae, at de Cretae monte alii, hoc intelligunt. Hac occaſione aes & ferrum, ſeu artem cudendi ignis ope, a viris ſapientibus, montis huius accolis, inuentam ferunt. Quod forte de ſingulari artificio, commodius iſta metalla tractandi, Graecis hactenus incognito, intelligendum. Ferri enim vſum antiquiorem eſſe dubitari nequit. Metalla in visceribus montium latentia, & vi ignis liquefacta, erumpentia, huic inuento occaſionem praebuerunt. SENECA itaque negat, *ſapientes fuiſſe, qui aeris metalla atque ferri inuenerunt, cum incendio ſiluarum aduſta tellus in ſummo venas iacentes liquefacta fudiſſet; epiſt. XC.* Nihiloſecius pro ſapientibus habiti, qui hac occaſione artem metalla tractandi aut inueniſſe, aut amplificaſſe, credebantur; cumque inter eos quinque eſſent praecipui, a numero digitorum *dactyli Idaei*, dicti ſunt, de quibus DIODORVS Siculus, *lib. V. p. 230.* STRABO, *lib. X. p. 473.* PAVSANIAS, *lib. V. p. 299.* Idem nomen Iouis Cretenſis ſacerdotibus deinde datum, vt, quales in Phrygia Idaeae matris Corybantes, tales in Creta fuerint Idaei dactyli Iouis: vtrique in armis ſaltarunt, vtrique Curetes dicti ſunt. Vid. IO. MARSHAMVS, in *can. chron. ſaec. X. p. 256. 257.*

Vt reliqua ad res Graecorum ſpectantia vnico complectar faſce, Lacedaemonem vrbem eo tempore, quo Moſes cum Iſraëlitis in deſerto egit, conditam, iam obſeruauimus, ad *per. I. ſect. III. §. vlt.* Inter huius interualli reges notus maxime eſt Tyndarus, pater Caſtoris, Pollucis, Helenae & Clytemneſtrae, & poſt eum Menelaus, frater Agamemnonis, Mycenarum regis, de quo antea dictum. Menelai vxor Helena illa fuit, quam cum Paris, Priami Troiae regis filius rapuiſſet, ortum inde eſt bellum Troianum, de quo mox plura. Thebanorum regnum a Cadmo conditum, itidem iam antea memorauimus. Inter reges huius temporis Laius notatu dignus, Cadmi pronepos, Iocaſtae maritus, ex qua Oedipum ſuſcepit, quem recens natum pater expoſuit, quod ab Apolline Delphico reſponſum accepiſſet, a filio, ſi quis ei ex Iocaſta naſceretur, ipſum interfectum iri. Oedipus vero, cum adoleuiſſet, & patrem occidit, & matrem ipſam vxorem duxit. Inter Oedipi filios Polynicem & Eteoclem ortum bellum Thebanum, de ſucceſſione in regnum, in quo cum inferior fuiſſet Eteocles, mox in certamine ſingulari congredientes fratres, ambo, mutuis confecti vulneribus, ceciderunt, vt auctor eſt PAVSANIAS, in *Boeoticis*, ſiue *lib. IX. p. 722.* apud quem & reliqua legi poſſunt. Iam antea Hercules Thebanus, Amphitryonis & Alcmenae filius, celebratur ob res fortiter geſtas. Fuiſſe autem plurimos, quibus ob fortitudinis laudem Herculis nomen apud Grae-

Graecos datum, iam ex ſupra dictis conſtat. Inter eos autem, qui apud Graecos hoc nomine noti fuerunt, Thebanus ille eminet, de quo legenda quae ex veteribus diligenter collegit PETRVS BAILIVS, *diction. hiſtorico-crit.* voc. *Hercules.* Paulo ante bellum Thebanum, & Prytanes a Theſeo, conſtitutos, vel eo circiter tempore, Atreus & Thyeſtes in Peloponneſo facinoribus barbaris memoriam ſuam ad poſteros transmiſerunt. Cum enim hic illius vxorem ſtupri conſuetudine ſibi conciliaſſet; Atreus, nulla ratione, vt par pari referret, adduci potuit, ſed mactatos Theſei filios in epulis illi adpoſuit, vel, vt PAVSANIAS loquitur: τῶν Θυέϛȣ παίδων σφαγὰς καὶ τὰ ᾀδόμενα δεῖπνα ἐξειργάσατο, *liberorum illius caede, & decantatis* (in ſcena) *epulis, poenas a fratre expetiuit;* in *Corinthiacis*, ſiue *lib. II. cap. XVIII. p. 149.* Poſt bellum Troianum, de quo deinceps, Sicyoniorum regnum, quod, ſi nonnullis credimus, annis circiter mille durauerat, plane deſiit. At, quae de antiquitate huius regni vulgo dicuntur, commentitia eſſe, iam ad *per. I. ſect. III. ʃ. XXIV.* obſeruauimus. Eo circiter tempore, quo Simſon iudicis munere in gente iſraëlitica fungebatur, Heraclitarum in Peloponneſum reditus, apud veteres admodum decantatus, contigit. Ita autem Herculis ex Perſeo poſteri vocantur, quos inter praecipui fuere Temenus & Cresphontes, quibus Ariſtodemi, tertii eorum fratris filii acceſſerunt. Heraclidae autem cum iam centum ante annis fruſtra regionem iſtam inuadere tentaſſent, nunc quidem ex voto illis res ſucceſſit, totamque Peloponneſum, Corinthum, Argos, Lacedaemonem, Meſſenas occuparunt. Vid. PAVSANIAS, in *Corinthiacis*, ſiue *lib. II. cap. XVIII. p. 151.* Hinc Aeolica in Aſiam migratio, quam poſt aliquod temporis interuallum excepit Ionica. Vid. IO. MARSHAMVS, in *can. chron. ſaec. XIII. p. 359.*

** Troiani regni conditor vulgo Teucer celebratur, cui Dardanus ſucceſſit, qui Teucri filiam in matrimonium duxerat, quem Erichtonius, vt hunc Tros excepit, cuius filius Ilus fuit, a quo vrbs Ilium dicta, quae & Troiae nomine nota, & eo tempore condita perhibetur, quo Iſraëlitae dura ſeruitute a Iabino, Cananaeorum rege, premebantur. Ili ſucceſſor Laomedon fuit, quem religionis omnis atque iuſtitiae contemtorem ferunt: hunc vero Priamus tandem excepit, cuius filius Paris, qui & Alexander vocabatur, Spartam venit, hoſpitioque a Menelao exceptus, vxorem eius Helenam, ob formae praeſtantiam longe celeberrimam, ſecum abductam rapuit. Eius rei indignitate permoti Graeci, & a Menelao eiusque fratre Agamemnone, de quo ſupra dictum, concitati, bellum contra Priamum ſuſcipiunt, quod decem annos durauit, ipſa Troia vrbe anno expeditionis nono expugnata, ſoloque aequata. Graecorum copiis Agamemnon, Troianorum Hector, prae-

praefuit. Et iſtud quidem bellum non poëtarum modo, HOMERI apud Graecos, & VIRGILII apud Latinos, monumentis celebratum; ſed ita apud alios etiam ſcriptores decantatum, vt nullius fere rei ſaepius iniiciatur mentio, quam belli Troiani. Speciatim ex hiſtoricis graecis HERODOTVS, *lib. I. cap. III. ſeqq.* THVCYDIDES, *lib. I.* aliique, mentionem eius faciunt. Sed latini quoque ſcriptores ab excidio Troiae & aduentu Aeneae in Italiam, hiſtoriam Romanam auſpicantur. Sunt nihiloſecius, qui ea, quae hac de re narrantur, ſi non omnia, ſaltem pleraque, in dubium vocant, & ad poëtarum fabulas referunt. Primus, qui dubium hac ſuper re mouit, DIO CHRYSOSTOMVS fuit, in oratione ὑπὲρ τȣ̃ Ἴλίου μὴ ἁλῶναι, *quod Ilium non ſit captum.* Prouocauit ad ſacerdotem quemdam aegyptium, qui ex antiquis Aegyptiorum monumentis oſtenderit, Helenam, Tyndaraei regis Spartani filiam, a plurimis cum Aſiae, tum Graeciae proceribus, ad matrimonium expetitam, Alexandro, Priami regis Troiani filio, prae omnibus aliis legitimo coniugio nuptam, & hinc domum ab eo ductam eſſe, Graeciae autem principes, ab Atridis concitatos, ex mera erga Alexandrum inuidia, & creſcentis Troianorum potentiae metu, cum Helena repetita denegaretur, bellum Troianis feciſſe, infeliciter a Graecis, proſpere a Troianis geſtum, donec munimentis Graecorum perfractis, & nauibus pleriſque incenſis ab Hectore, Achilles etiam in defenſione caſtrorum ab eodem confoſſus, armisque ſpoliatus, occubuerit. Varia quoque idem DIO contra Homerum adfert, quibus fidem eius atque auctoritatem labefactet. Sed METRODORVS quoque quidam Lampſacenus Homerum ἀλληγορικῶς exponens, quae de bello Troiano narrantur, reuera contigiſſe, negauit. Teſtatur id TATIANVS. Cum enim dixiſſet: καὶ Μητρόδωρος δὲ ὁ λαμψακηνὸς ἐν τῷ περὶ Ὁμήρȣ λίαν εὐήθως διείλεκται, πάντα εἰς ἀλληγορίαν μετάγων, *certe Lampſacenus ille Metrodorus in libro de Homero prorſus ſtolide diſſeruit, nihil non ad allegoriam referens*, paucis interiectis addit: καὶ τὸν Ἕκτορα δὲ καὶ τὸν Ἀχιλλέα δηλαδὴ καὶ τὸν Ἀγαμέμνονα, καὶ πάντας ἁπαξαπλῶς Ἕλληνάς τε καὶ Βαρβάρȣς, σὺν τῇ Ἑλένῃ καὶ τῷ Πάριδι τῆς αὐτῆς φύσεως ὑπάρχοντας, χάριν οἰκονομίας ἐρεῖ τε παρεισῆχθαι, ȣ̉δενὸς ὄντος προειρημένων ἀνθρώπων· *quin imo Hectorem, Achillem, Agamemnonem, & omnes in vniuerſum, tum Graecos, tum barbaros, cum Helena & Paride, ad eamdem naturam referendos ait, & artificii tantum diſpoſitionisque gratia in poëſi introduci, cum nullus ex praedictis hominibus reuera exſtiterit; orat. ad Graecos, p. m. 80.* Fuerunt equidem & alii, qui Homerum ἀλληγορικῶς interpretati ſunt: at hosce ſimul negaſſe, vera eſſe, quae de bello & excidio Troiano narrantur, non adſeruerim. Inter recentiores PHILIPPVS CLVVERVS non quidem bellum & excidium Troianum,

ianum, ſed Aeneae in Italiam aduentum, qui Troianam cladem ſequutus eſt, prorſus reiecit; *Italiae antiquae lib. III. cap. II.* quod & deinceps SAMVEL BOCHARTVS fecit, in *epiſtola ad Dn. Segrais,* de *quaeſtione, an Aeneas vmquam fuerit in Italia,* refutatus ideo a THEODORO RYCQVIO, in *diſſertatione de primis Italiae colonis & Aeneae aduentu*, vt deinceps dicemus. At vlterius progreſſus eſt CHRISTIANVS ADAMVS RVPERTVS, Dionis Chryſoſtomi ſententiam prorſus ſuam faciens, & Aegyptiorum fidem Graecorum narrationibus multum praeferendam eſſe, contendens, in *obſeruationibus ad hiſtoriae vniuerſalis ſynopſin Beſoldianam, p. 75.* Huic iungendus GERHARDVS CROESIVS, qui, dum Ebraeorum hiſtoriam ab Homero deſcriptam euincere adnititur, non poteſt non negare, loqui poëtam de bello Troiano, quod eius maxime teſtimonio nititur, in libro, cui titulus: Ὁμηρος Ἑβραῖος, *ſiue hiſtoria Ebraeorum ab Homero, ebraeis nominibus ac ſententiis conſcripta, in Odyſſea ac Iliade;* quemadmodum & *part. I. cap. VII. p. 138. ſeqq.* Dictyn Cretenſem & Daretem Phrygium, ceu teſtes de bello Troiano minus idoneos, reiicit. Id quidem, quod de hiſtoria ebraea ab Homero deſcripta, adſerit, ita comparatum eſt, vt aut nemini mortalium, aut ſoli CROESIO in mentem venire potuiſſe, aliquis exiſtimare poſſet. Video tamen, fere ſimile quid in Homero deprehendiſſe ſibi viſum IACOBVM HVGONEM, canonicum Belgam, in *vera hiſtoria Romana, ſeu origine Latii, vel Italiae ac Romanae vrbis e tenebris longae vetuſtatis in lucem producta*, editaque Romae anno MDCLV. 4to. Inter reliqua enim παράδοξα & hoc adſerit, quae Homerus de Troiae euerſione cecinit, ad duplex Hieroſolymae vrbis excidium, ſub Nebucadnezare alterum, alterum ſub Tito, ſpectare. Qua de re legenda, quae vir clariſſimus, idemque academiae noſtrae profeſſor celeberrimus, BVRCARDVS GOTTHELF STRVVIVS, erudite diſſerit, *obſeruationum ſelectar. ad rem litterar. ſpectantium, tom. III. obſeruat. III. §. VII.* Idem vero vir doctiſſimus inter eos, qui, quidquid de bello excidioque Troiano vulgo dicitur, maximam partem inter fabulas & inania commenta referunt, vel primum ſuo merito tenet locum. Conſcripſit eum in finem obſeruationes tres, quae *obſeruationum ſelectarum* antea memoratarum, *tom. III. p. 1. & ſeqq.* exſtant, quarum prima de *excidii Troiani fabula & de eiusdem ſcriptoribus vsque ad Homerum*, altera, de *excidio Troiano, & eius ſcriptoribus poſt Homerum*, tertia denique, de *origine Romana & ſcriptoribus de eadem*, iudicium ſiſtit. Summa eo redit, ſcriptores, qui ante Homerum de bello & excidio Troiano egiſſe dicuntur, vt aut incertos, aut ſuppoſititios, aut parum idoneos teſtes, nullam hic promereri fidem. Qua occaſione de Siſypho, Corinna, Syagro, Darete Phrygio, Dicty Cretenſi, ceteriſque, ordine &

ne & adcurate diſſerit. Ad Homerum autem quod attinet, ad cuius auctoritatem res praecipue redit, illum non hiſtoricum, ſed poëtam eſſe, cui non conſtitutum fuerit, res deſcribere, prout geſtae ſunt, ſed quod poëtarum proprium, fingere ac mentiri, & fictionibus ſuis lectores partim delectare, partim inſtruere. Denique, quod ad ſcriptores attinet, qui Iliada poſt Homerum ſcripſerunt, eos itidem nullam & hic promereri fidem, eo quod partim & ipſi poëtae fuerint, partim ex Homero ſua acceperint, aut denique alias ob cauſſas ad teſtimonium hac in re dicendum, admitti nequeant. Et hac occaſione iterum de Cointho Smyrnaeo, Pindaro Thebano, Tryphiodoro, & Colutho, aliisque plurimis, qui belli Troiani hiſtoriam attigerunt, copioſe & erudite diſſerit. Suntque haec ita comparata, vt in pleriſque facile viros doctos ſibi ſit habiturus ſuffragantes. Rectiſſimeque idem monet, vera a falſis, quae iis intermixta ſunt, & a fabulis, quibus hiſtoria commaculata eſt, hiſtoriam ipſam caute eſſe diſcernendam. Hoc vero ſi obſeruemus, mihi de re ipſa, bellum aliquod inter Graecos & Troianos geſtum, a Graecis etiam captam fuiſſe Troiam, non videtur dubitandum, etſi forte, quae de occaſione & cauſſis, & aliis circumſtantiis traduntur, vtpote ab Homero fictis, recte fabulis adnumerentur. Certe, etſi Homerus poëta fuerit, etſi poëtarum proprium ſit, fingere, nihil tamen obſtat, quo minus vera quaedam hiſtoria fictionibus illorum occaſionem praebere queat. Eos, qui Homerum ἀλληγορικῶς interpretantur, plane non moror; cum valde dubium adhuc ſit, an ex mente ſententiaque poëtae hoc faciant, immo, non facere, rationibus variis comprobari poſſet. Accedit, quod nemo aut hiſtoricorum, aut philoſophorum, quantum conſtat, ante DIONEM CHRYSOSTOMVM hiſtoriam belli & excidii Troiani in dubium vocauerit. Immo nec DIO ipſe, aut aegyptius ille ſacerdos, bellum ipſum in dubium vocant, ſed euentum ſaltem aliter narrant, vti & circumſtantias. Quod nobis quidem perinde eſſe poteſt: etſi fateor, me nondum praegnantes adeo videre rationes, cur aegyptio iſti ſacerdoti hic magis fides habenda ſit, quam Graecorum ſcriptoribus. Vt enim hos ſtudium gentis ſuae gloriam augendi, ita Aegyptios ſtudium Graecos extenuandi, & maiorem antiquitatis peritiam vana quadam iactantia ſibi vindicandi, ad mentiendum inducere potuit. Quod diximus, vera a falſis, ab hiſtoria fabulas caute hic diſcernendas, pluribus etiam comprobat, & exemplis confirmat AEGIDIVS STRAVCHIVS, in *breuiario chronologico, part. ſpec. lib. IV. cap. XI. quaeſt. III. p. 393.* Quidquid huius ſit, epocha belli Troiani apud veteres longe fuit celeberrima. Vnde DIODORVS Siculus, ante bellum Troianum temporum rationes definiri non poſſe, diſerte profitetur: τῶν δὲ χρόνων τούτων περιειλημμένων

ἐν τάυ-

Digitized by Google

ἐν ταύτῃ τῇ πραγματείᾳ, τοὺς μὲν πρὸ τῶν Τρωϊκῶν ὡ διορίζόμεθα βεβαίως, διὰ τὸ μηδὲν παράπηγμα παρειληφέναι περὶ τούτων πιστευόμενον· *de temporibus hoc opere comprehenſis ea, quae bellum Troianum antecedunt, certo ſpatio non definimus, quia nullum certitudinis fulcrum, cui fidamus, ad nos peruenit; lib. I. p. 5.* Interim in tempore huius epochae determinando diuerſae exſtant tum veterum, tum recentiorum ſententiae; vid. IOANNES MARSHAMVS, in *can. chron. ſaec. XII. p. 328.* Et recentiorum quidem praecipuae, quae proxime ad veritatem accedere videntur, ad tres reuocari claſſes posſunt. Prima IOSEPHI SCALIGERI eſt, itemque SETHI CALVISII, & aliorum, qui eum ſequuntur, excidium Troianum incidere in annum periodi Iulianae MMMDXXXI. Altera HENRICI BVNTINGII eſt, qui excidium hocce refert ad annum periodi Iul. MMMDXXXII. Tertia denique DIONYSII PETAVII, IACOBI CAPPELLI, aliorumque, qui excidium hocce referunt ad annum periodi Iulianae MMMDXXX, & hanc iuxta principia & hypotheſes chronologicas luculenter confirmauit AEGIDIVS STRAVCHIVS, reiectis reliquis, in *breuiario chronolog. part. ſpec. lib. IV. cap. XI. p. 379. ſeqq.* vt merito praeferenda videatur. Reſpondet autem annus periodi Iulianae MMMDXXX. anno mundi MMDCCCXX, quo tempore Iephta apud Iſraëlitas iudicis munere fungebatur. Vid. IACOBVS VSSERIVS, in *annalib. p. 26.* Reliqua, quae de bello Troiano chronologi diſputare ſolent, AEGIDIVS STRAVCHIVS, *loc. cit.* in compendio exhibet. Ex variis antiquitatis monumentis, vt hoc ὡς ἐν παρόδῳ addamus, bellum Troianum illuſtrauit RAPHAEL FABRETTVS, in *tabula Iliaca*, & ex eo LAVRENTIVS BEGERVS, in *bello & excidio Troiano, ex antiquitatum reliquiis, tabula praeſertim, quam Raphael Fabrettus edidit, Iliaca, delineato, & adiecto in calce commentario illuſtrato*, Berolini, anno MDCXCIX. in 4to.

Cum Troianae vrbis excidio coniunctae quodammodo ſunt Romanarum rerum origines, ſaltem ſecundum ſententiam vulgo receptam. Floruit iampridem ante Aeneae in Italiam aduentum Latinorum regnum, cuius rex primus Ianus ad prima iudicum in gente iſraëlitica tempora refertur, vltimus Latinus, XXXV circiter annis ante Aeneae aduentum regnaſſe dicitur. Aeneas autem poſt Latinum, cuius filiam Lauiniam in matrimonium duxerat, a quo & in regni ſocietatem adſumtus, regnauit, filiumque Aſcanium ſucceſſorem habuit, a quo Alba longa regni ſedes exſtructa, & imperium ad Numitorem vsque propagatum. Huius filia, Rhea Syluia, virgo Veſtalis a Marte, vt aiunt, compreſſa, Romulum ac Remum peperit: qui Amulii (frater is erat Numitoris, & regnum ad ſe rapuiſſe perhibetur) iuſſu, in Tiberim proiecti, ſed mirifice ſeruati, Romanae vrbis deinceps exſtitere conditores. Haec vero omnia ita ſe habuiſſe,

buiſſe, hodie non omnes credunt. SAMVEL. BOCHARTI epiſtolam, qua Aeneae in Italiam aduentum in dubium vocat, iam commemorauimus, ſed & ſimul iam antea PHILIPPVM CLVVERVM in eamdem ingreſſum ſententiam, obſeruauimus. Illi etiam, qui bellum & excidium Troianum inter fabulas referunt, non quoque poſſunt non Aeneae in Italiam aduentum, & Troianam Romanorum originem vocare in dubium; quam etiam non ſtatim admittere tenentur, qui bellum excidiumque Troianum, vt vulgo narratur, admittunt. Homero certe aliisque veterum, Aeneae iter in Italiam non memoratur: ipſique ſcriptores latini de origine Romanorum non ſatis inter ſe conueniunt. Hisce aliisque eiusdem generis argumentis SAM. BOCHARTVS ſacrorum addit diuerſitatem, quod ea, quae apud Troianos olim fuerint vſitata, ab initio a Romanis recepta non fuerint; itemque, quod phrygiae linguae, qua Aeneas & ſocii eius vſi, nulla in Romana veſtigia occurrant. Ad ſingula reſpondet THEODORVS RYCQVIVS, in diſſertatione antea laudata, ſed ita, vt iudice BVRCARDO GOTTHELF STRVVIO, incerta per aeque incerta explicet. Namque is quoque iis adſtipulatur, qui, Aeneam in Italiam veniſſe, negant, etſi concedat, Troianos quosdam in Italiam aduentaſſe, ibique ſedem poſuiſſe, forſan & Romanis rebus dediſſe originem, qui, cum ignobiliores fuerint, deinceps talia excogitata, quibus ſplendor maiorque gloria rebus Romanorum conciliaretur; *obſeruat. ſelect. tom. III. obſeruat. III. ſ. X.* Mihi & hic vera a falſis, hiſtoria a commentis & fabulis, adcurate diſtinguenda videntur. Multa fabuloſa & commentitia narrationi de Aeneae aduentu in Italiam, deque poſteris eius admixta eſſe, lubens fateor. Ideo res ipſa non ſtatim reiicienda. Idque eo minus, quod, etſi non conſtans, recepta tamen veterum Romanorum haec fuerit ſententia, vt ipſi viri doctiſſimi, qui hic diſſentiunt, non diffitentur. De Romanae vrbis origine in ſequentibus ſuo loco dicetur.

*** Suſcepta eſt haec expeditio a Iaſone Aeſonis filio, & Peliae Theſſalorum regis ex fratre, nepote, non alia de cauſſa, quam vt fortitudinis laudem, & immortale nominis decus conſequeretur. Cum conſilium eius innotuiſſet, plures ſe itineris comites offerebant, ex quibus ſpectatiſſimum quemque delegit, numero LIV. inter quos clariſſimi erant Caſtor & Pollux, Hercules & Telamon, Orpheus & Atalanta Schoeneo nata. Cur nauis, qua vecti ſunt, Argo dicta ſit, vnde Argonautarum nomen, num ab Architecto, an a velocitate, veteres inter ſe non conſentiunt. SAMVEL BOCHARTVS ex lingua phoenicia hoc nomen explicat, eo nauem longam ſignificari contendens, qua ratione & alia in Argonautarum expeditione illuſtrat; *Canaan lib. II. cap. XI.* In Colchidem autem tendebant iſti Argonautae,

aureum

Digitized by Google

aureum vellus, quod quam diligentiſſime ibi cuſtodiebatur, inde ablaturi, quo & opera Medeae potiti ſunt. Aries nimirum, aureum vellus habens, vt mythologi perhibent, Phrixum Athamantis filium ante annos centum per Helleſpontum in Colchidem auexerat; ſiue quod naui, cuius inſigne erat aries, Colchidem Phrixus deuectus ſit, vt nonnulli volunt, ſiue Crios (quod nomem graece arietem ſignificat) quae aliorum eſt ſententia, Phrixi paedagogus, ab nouercae inſidiis ereptum, in Colchidem deduxiſſet. Quid autem per aureum vellus ſignificetur, prorſus inter ſe auctores non conueniunt. Nonnulli enim ingentem auri vim cum Phrixo in Colchidem auectam putant; alii autem mutandi metalla ignobiliora in aurum, membranis inſcriptam artem, hic ſibi inueniſſe videntur; alii reditus ex re pecuaria prouenientes, alii aliud quid intelligunt, quisque pro adfectu & cupiditate ſua, ſi forte denuo talis expeditio ſuscipienda, & ipſi locus inter Argonautas concederetur. Reliqua, quae in hacce Argonautarum expeditione memoratu digna contigerunt, legi poſſunt apud DIODORVM Siculum, *lib. IV. p. 244. ſeqq.* Sitne hiſtoria, an fabula, eruditi itidem inter ſe non conueniunt. Rectiſſime forte ſentiunt, qui hiſtoriam fabulis exornatam cenſent, vt pleraque mythologorum. Si Iaſon cum ſociis theſaurum quemdam hac ratione ex Colchide abſtulit, latrocinium hocce eiusmodi commentis tegere, Graecorum intererat. De tempore, quando haec expeditio contigerit, itidem disquiritur. Iuxta EVSEBIVM, in *chronico*, annis LXXIX. ante bellum Troianum expeditio haecce ſuſcepta fuit. Sed, ſi Caſtor & Pollux, Helenae fratres, huic expeditioni interfuerunt, quod vulgo traditur; non tam magno temporis ſpatio ante bellum Troianum contingere haec expeditio potuit. Sed in hisce certi quid definire, nimis eſt difficile. De APOLLONIO RHODIO, ceterisque argonauticorum ſcriptoribus, vid. IOAN. ALBERTVS FABRICIVS, *biblioth. graec. lib. III. cap. XXXI. p. 520.* Reliqua in hocce temporis interuallo memoratu digna, cum iam ex dictis fere conſtent, nihil amplius addimus.

ADDEN-

Digitized by Google

ADDENDA

ad

per. II. ſect. I. §. XXXV. p. 596.

AD ſcripta quod attinet, in hocce temporis interuallo edita, de pentateucho quidem, ſeu quinque libris Moſis, iam ſupra ad *ſectionis huius §. XI. p. 541. ſeqq.* dictum. Moſen quoque pſalmi nonageſimi auctorem eſſe, inſcriptio nos dubitare non ſinit. Quam nonnulli occaſionem, pſalmum hunc conficiendi, ferant, indicatum ad *ſectionis* huius *§. XXII. p. 631.* Sunt quidem, qui alium quemdam Moſen, Dauidis σύγχρονον intelligunt; ſed hos falli, inde conſtat, quod in eadem inſcriptione, Moſes, *vir Dei* audiat. De ſcriptis autem Moſi olim perperam tributis & ſuppoſititiis, vt *aſcenſione Moſis, apocalypſi Moſis, geneſi parua,* & reliquis, vid. PETRVS LAMBECIVS, *prodrom. hiſt. litterar. lib. II. cap. II. p. 147. ſeqq.* SCIPIO SGAMBATVS, *archiuor. vet. teſtament. lib. II. tit. VIII. p. 218. ſeqq.* & IO. ALBERTVS FABRICIVS, *cod. pſeudepigrapho vet. teſtament. p. 825. ſeqq.*

INDEX

Digitized by Google

INDEX CHRONOLOGICVS.

A.M.

1 Mundus a Deo creatus, anno ante diluuium M DC LVI.
Demonſtratur hoc & contra aliorum rationes vindicatur. *p. 67. ſeqq.*
Lapſus tempus incertum, vid. *p. 91. a. ſeqq.*

130 Cain videtur Abelem occidiſſe, vid. *p. 121. a. b.*
Sethus naſcitur, *Gen. V. 3.*

235 Enos naſcitur, Setho 105. annos nato, *Gen. V. 6.*

325 Cainan naſcitur, Enoſo nonagenario, *ib. v. 9.*

395 Mahalaleel naſcitur, patre ſeptuagenario, *ib. v. 12.*

460 Iared naſcitur, Mahalaleele 65. annos nato, *ib. v. 15.*

Digitized by Google

A M	
622	Henoch naſcitur, cum Iared 162. annos vixiſſet, *ib. v. 18.*
687	Mathuſalah naſcitur, cum Henoch 65. annos natus eſſet, *ibid. v. 21.*
874	Lamech naſcitur, patre 187. annos nato, *ibid. v. 25.*
930	Adamus moritur, *ibid. v. 3. 4.*
987	Henoch viuus in caelum transfertur, *ibid. v. 24.*
1042	Seth moritur, 912. annos natus, *ibid. v. 8.*
1056	Noachus naſcitur, cum Lamechus pater 182. annos vixiſſet, *ibid. v. 28.*
1140	Enos moritur, annos natus 905. *ibid. v. 11.*
1235	Cainan moritur vitae anno 910. *Ibid. v. 14.*

Maha-

A. M.

1290 Mahalaleel moritur, cum vixiſſet annis 895. *ibid. v. 17.*

1422 Iared moritur, cum vixiſſet annos 962. *ibid. v. 20.*

1536 Noachus ad poenitentiam vocare iubetur homines, 120. annis ante diluuium, *Gen. VI. 3.*

1558 Semus naſcitur. Nam biennio poſt diluuium centenarius fuiſſe dicitur, *Gen. XI. 10.*

1651 Lamech anno aetatis ſuae 777. moritur, *Gen. V. 31.*

1656 Mathuſalah annum aetatis 969. ingreſſus (vid. *p. 142. b.*) moritur. *ibid. v. 27.*

DILVVIVM incipit menſis ſecundi die 17. (i. e. die 7. Dec.) *Gen. VII. 11.*

Demonſtrationem vid. *p. 142. a. b.*

1657 Menſis ſecundi die 27. (die 18. Dec.) Noachus arca egreditur, *Gen. VIII. 14.*

vide *p. 142. a. ſeqq.*

Digitized by Google

A. M.

1658 Arphaxad naſcitur Semo centenario, biennio poſt diluuium finitum, *Gen. XI. 10.*

1693 Salah naſcitur, cum pater eius Arphaxad annos haberet 35. *ibid. v. 12.*

1723 Heberus naſcitur Salae tricenario, *ibid. v. 14.*

1737 Initium computi Calliſthenis, de quo *p. 72. a. ſeqq.*

1757 Phaleg naſcitur, cum pater Heberus 34. annos vixiſſet, *ibid. v. 16.*

Phaleg id nomen accepit a diuiſione terrae, *Geneſ. X. 25.* Sed ſtatim *verſ. 26. ſeqq.* recenſentur XIII filii Ioktanis, qui frater erat Phalegi, duces coloniarum poſt confuſionem babelicam in varias orbis partes ductarum, quos omnes poſt patruum ſuum Phalegum natos eſſe oportet. Heberus enim cum gigneret Phalegum, 34. tantum annos natus erat. Demus autem, Hebero vicenario natum fuiſſe Ioktanem, & Ioktani item vicenario, filium ſuum primogenitum; hic tamen ipſe primogenitus ſex demum poſt Phalegi natiuitatem annis natus eſſe debet. Adparet igitur, tredecim illos fratres, ſaltem minores natu, tum demum ad virilem aetatem perueniſſe, ducesque adeo coloniarum praebere ſe potuiſſe, cum Phaleg eorum patruus non in cunis eſſet, ſed iam aliquot annis ante Rehum ſuſcepiſſet. Aut igitur a diuiſione Noachica orbis inter poſteros nomen accepit Phaleg recens natus; aut iam prouectiori occaſione diuiſionis babelicae, nomen mutatum eſt.

Re-

Digitized by Google

A. M.

1787 Rehu naſcitur Phalego tricenario, *Gen. XI. 18.*

1819 Serug naſcitur, patre Rehu 32. annos nato, *ibid. v. 20.*
Ad hanc aetatem a nonnullis refertur initium idololatriae; qua de re dictum *p.* 194. *a. ſeqq.*

849 Huic tricenario naſcitur Nahor, *ibid. v. 22.*

1878 Naſcitur Thara, cum Nahor 29. annis vixiſſet, *ibid. v. 24.*

1915 Huc incerta fide referuntur initia regni Sicyonii, vid. *p. 380. a.*

1920 Huc ab VSSERIO refertur aduentus τῶν Hycſos in Aegyptum. Sed *p. 361. b. ſeqq.* demonſtratur, per hos paſtores potius Iſraëlitas intelligendos eſſe.

1948 Tharae ſeptuagenario naſcitur inter tres filios natu maximus Haran, *Gen. XI. 26.* qui ante patrem in Vr defunctus reliquit filiam Milcam, patrui Nahoris vxorem, *ibid. v. 28. 29.*

Digitized by Google

A. M.

1996 Phaleg moritur, 209. annis poſt natum Rehu, *ibid. v. 9.*

1997 Nahor moritur, 119. annis poſt natum Thara, *ibid. v. 25.*

2006 Noachus moritur, 350. annis poſt diluuium, *Gen. IX. 28.*

2008 Abram naſcitur. Nam 75. annorum erat, cum moreretur pater illius Thara aetatis anno 205; *Gen. XI. 32. & XII. 14. coll. Act. VII. 4.*
Ex inſtituto hoc demonſtratur *p. 302. a. ſeqq.*

2026 Rehu moritur, 207. annis poſt natum Serug, *Gen. XI. v. 27.*

2049 Serug moritur 200. annis poſt natum Nahor, *ibid. v. 23.*

2083 Vocatio vtraque Abrami ex Vr & ex Charan. vid. *p. 208. b. ſeqq.*
Ab hoc tempore computandi ſunt 430. anni peregrinationis Abrami, & poſterorum; *Exod. XII. 40. 41.* coll. *Gal. III. v. 17.* vid. *p. 364. a. ſeqq.*

Abram

Digitized by Google

A. M.

2084 Abram in Aegyptum deſcendit, Sarai vxorem pro ſorore venditat &c. ex hypotheſi Iac. Vſſerii.

2092 Idem putat contigiſſe, quae *Gen. XIV.* de bello regulorum & victoria Abrami narrantur.

2093 Poſt decem annos habitationis in Canaan Abramus de conſilio Sarae cum Hagarae concumbit, *Gen. XVI. 3.*

2094 Naſcitur Iſmaël Abrahamo 96. annos habenti. vid. *p. 217. ſeqq.*

2096 Arphaxad moritur, 403. annis poſt natum Salam, *Gen. XI. 13.*

2107 Abrahamus, federe cum Deo inito, ſe ipſum nouem & nonaginta, & Iſmaëlem tredecim annos natum, totamque familiam circumcidit, promiſſione accepta de filio poſt annum exactum ſibi naſcituro, *Gen. XVII. 21. 23. 24.*
In eumdem annum incidit Sodomae & vicinarum vrbium exitium.
Item habitatio Abrami apud Abimelechum Philiſtaeorum regem.

Abra-

A. M.

2108 Abrahamo centenario & Sarae nonagenariae naſcitur Iſaac, eodemque anno Ammon & Moab ex Lothi inceſtu.

2110 Hoc circiter tempore Iſaacus ablactatur, & Ismaël eiicitur. Conferenda, quae hac de re *p. 228. b. ſeqq.* dicta ſunt.

2126 Sala moritur, 403. annis poſt natum Heberum, *Geneſ. XI. 15.*

2133 Abrahamus videtur Iſaacum obtuliſſe. vid. *p. 229. b.*

2145 Sara, (10. annis Abrahamo minor) 127. annos nata moritur; *Gen. XXIII. 1.* vna femina, cuius integra aetas in ſcriptura commemoratur.

2148 Iſaacus quadragenarius Rebeccam ducit, *Gen. XXV. 20.* Ad haec tempora Argiuorum regni initium incerta fide refertur, *p. 379. a. ſeqq.*

Digitized by Google

A.M.

2158 Sem moritur 500. annis poſt natum Arphaxad, *Geneſ. XI. 11.*

2168 Iſaaco ſexagenario naſcuntur Eſau & Iacob, *Gen. XXV. 26.*
Viuente adhuc Abrahamo eos natos, demonſtratur, *p. 244. a. ſeqq.*

2183 Abrahamus 175. annos natus moritur, *Gen. XXV. 7.* vid. *p. 244. b.*

2187 Heberus moritur, 430. poſt natum Phaleg annis, *Gen. XI. 17.*
Omnium poſt diluuium natorum diutiſſime vixit.

2189 In hoc circiter tempus incidit diluuium, Ogygium, vid. *p. 147. b.*

2231 Ismaël 137. annos natus moritur, *Gen. XXV. 17.*

2245 Iacobus aſtu benedictionem interuertit Eſauo, iter in Meſopotamiam ad Labanem ſuſcipit, pro Rachelis nuptiis 7. annorum ſeruitutem pactus, Leam accipit. vid. ad *A. 2259.*

A M	
2246	Ruben naſcitur.
2247	Simeon naſcitur.
2248	Leui naſcitur.
2249	Iuda naſcitur.
2259	Naſcitur Ioſeph Iacobo, poſtquam 14. annos ſeruiiſſet ſocero; *Gen. XXX. 25.* Seruiit autem in vniuerſum annos 20. *cap. XXI. 41.* Fuiſſe vero Iacobum 91. annorum, cum ei naſceretur Ioſephus, adeoque 77. annorum, cum veniret ad Labanum, ita conficitur: Cum ſtaret ante Pharaonem, exactis 7. annis copiae, & duobus ſterilibus, 130. annos natus erat, *Geneſ. XLV. 6.* coll. *XLVII. 9.* Atque eodem tempore Ioſephus habuit annos 39 nam 30. annorum erat, cum ad Pharaonem vocaretur, immediate ante annos copiae, *Gen. XLI. 46.*

Iaco-

A. M.	
2265	Iacobus poſt 20. annorum ſeruitutem, *Gen. XXXI. 41.* relinquit Labanum, luctatur cum angelo, occurrit Eſauo, &c.
2276	Ioſephus 17. annorum iuuenis in Aegyptum abducitur, *Gen. XXXVII. 2.*
2287	Ioſephus biennio ante, quam arceſſeretur ad Pharaonem, ſomnia interpretatur duobus aulicis, *Gen. XL.* coll. *XLI. 1.*
2288	Iſaac 180. annos natus moritur, *Gen. XXXV. 28. 29.*
2289	Ioſephus tricenarius Pharaoni ſeptem fertiles annos, totidemque ſteriles praedicit, *Gen. XLI. 46.* Septem annis copiae currentibus, Ioſephus genuit Menaſſen & Ephraimum.

Iaco-

A.M

2298 Iacobus 130. annos natus, *Gen. XLVII. 9.* anno ſterilitatis ſecundo *cap. XLV. 6.* in Aegyptum cum tota familia deſcendit.

2315 Iacobus annos 147. natus, 17. annis in Aegypto exactis, moritur, *Gen. XLVII. 28.*

2369 Ioſephus 110. annos natus moritur, *Gen. L. 22.*

2385 Leui moritur 137. annos natus, *Exod. VI. 16.*
Circa haec tempora Iobus vixiſſe videtur. vid. *p. 271. b. ſeqq.*

2430 Aaron naſcitur, triennio ante Moſen, 83. annis ante exitum ex Aegypto, *Exod. VII. 7.*

2431 Pharao ſubmergi iubet infantes maſculos Ebraeorum, tempore, quod inter Aaronis & Moſis natiuitatem interceſſit.

2433 Moſes naſcitur, 80. annis ante exitum, *Exod. VII. 7.*
Circa hoc tempus Cecrops ex Aegypto in Atticam aduenisse videtur, vid. *p. 381. a. ſeqq.*

Moſes

A. M.

2473 Moſes quadragenarius Aegyptium occidit, & in Medianitidem terram aufugit, *Act. VII. 23.*

2474 Caleb naſcitur 40. annis, antequam a Moſe mitteretur ad explorandam terram Canaan, *Ioſ. XIV. 7.*

Qui his temporibus in Aegypto reges fuerint, incertum; vide *p. 634. a. ſeqq.*

2513 EXITVS ISRAELITARVM EX AEGYPTO, & quae circa illum contigere.

Demonſtrationem computationis. vide *p. 455. a. ſeqq.*

Eodem anno menſe tertio decalogus promulgatur.

Hoc anno tabernaculum cum toto ſacrorum adparatu perficitur, & reliqua omnia geruntur, quae in Exodo, Leuitico & Numeris narrantur, vsque ad reditum exploratorum a Moſe miſſorum.

Annis 38. qui hunc ſequuntur, Iſraëlitae, quotquot militari aetate eſſent, praeter Moſen, Ioſuam & Calebum, exſtincti, *Deut. II. 14.*

Danaei aetas dubia fide ad haec tempora refertur, vide *p. 636. a. ſeqq.* vbi de Lacedaemone rege ac vrbe idem iudicatur.

2552 Mors Miriam & quatuor menſibus poſt ſequuta Aaronis. Murmuratio ſecunda ob defectum aquae, ſerpentes ignei &c. vid. *p. 510. a. ſeqq.*

A. M.

2553 Victoria de Sihone Amoraeorum rege, & Ogo Baſanis.
Acta Bileami. Clades Midianitarum. Vltima Moſis. Ioſuae initia, introitus in terram Canaan, & magnae partis occupatio.

2554 Initium cultae ab Iſraëlitis terrae Cannaan, & annorum ſabbathicorum.
Anni ſequentes 6. continent bella aduerſus regulos. vide *2559.*

2559 Ioſua tribubus Iudae, Ephraim & dimidiae Manaſſis hereditates diſtribuit.
Quo tempore Caleb 45. annis poſt, quam ad explorandam terram a Moſe miſſus fuerat, Hebronem ſibi depoſcit, *Ioſ. XIV. 10.*
Hic annus etiam continet occupationem reliquae terrae.

2560 Primus annus ſabbathicus: ſeptimus nimirum a terra primum coli coepta, a quo etiam iubilaeorum epocha ducenda eſt.
Tabernaculum Silunte conſtituitur. Reliquis ſeptem tribubus terra ſua diſtribuitur. Factum hoc annis poſt electionem patrum, id eſt, natiuitatem Iſaaci, circiter 450. de quibus *Act. XIII. 20.*
vid. *p. 672. b. ſeqq. & p. 734. a. ſeqq.*

Leuitis vrbes ſuae adſignantur, & in his ſex aſyla. Rubenitae, Gaditae & dimidia tribus Manaſſis redeunt ad hereditatem ſuam.
In haec tempora incidere videtur migratio Cadmi e Phoenicia in Graeciam. vid. *p. 991.*

Ioſua

A. M.

2570 Ioſua moritur.

Demonſtrationem vide *p. 676. b.*

Poſt mortem Ioſuae, durante anarchia, facta ſunt, quae in fine libri iudicum, de Danitarum, Micha auctore, idololatria & bello Beniaminitico eiusque cauſſis narrantur. vid. *p. 684. a. ſeqq.*

2591 Hic incipiunt 8. anni, quos *Iud. III. 8.* Cuſchano ſeruiiſſe dicuntur Iſraëlitae.

vid. ad *A. 2599.*

2599 Othoniel libertatem & quietem Iſraëlitis reſtituit, quadrageſimo poſt quietem ſub Ioſua partam anno. *Iud. III. 9. 10. 11.*

Ceterum ita computandos eſſe annos quietis, vt ſemper indicetur interuallum inter vnam & alteram, probatur *p. 731. a. ſeq.*

2609 Iubilaeus primus in terra Canaan.

2658 Iubilaeus ſecundus.

2661 Hinc incipiunt anni 18. oppreſſionis ab Eglone factae, *Iud. III. 14.*

2679 Annus quietis per Ehudum partae; octogeſimus a quiete priori, *Iud. III. 30.*

Ad hoc circiter tempus pertinet hiſtoria Ruthae, vid. *p. 741. b.*

Hinc

A.M.	
2699	Hinc ducendi 20. anni, quibus ſeruierunt Israëlitae Iabino, *Iud. IV. 3.* Hoc circiter tempore Troia condita eſſe creditur, vid. *p. 1025.*
2707	Iubilaeus tertius.
2719	Quies per Deboram, anno 40. poſt ſuperiorem, reſtituitur, *Iud. V. 31.*
2752	Incipiunt 7. anni oppreſſionis Midianiticae, *Iud. VI. 1.*
2756	Iubilaeus quartus.
2760	Quies quadrageſimo anno poſt ſuperiorem, Gideonis opera, reſtituitur, *Iud. VIII. 28.* Ad haec circiter tempora referendus Sanchoniathon. v. *p. 982. ſeq.*
2770	Abimelech interfectis fratribus regnum occupat, & retinet tribus annis, *Iud. IX. 22.*
2773	Thola iudicat Iſraëlem annis 23. *Iud. X. 2.*
2796	Iair iudicat annis 22. *Iud. X. 3.*

In-

A. M.

2800 Incipiunt 18. anni, quibus oppreſſi ſunt Iſraëlitae a Philiſtaeis & Ammonitis, *Iud. X. 8.*

2805 Iubilaeus quintus.

2818 Iephtae victoria finem imponit 18. annis oppreſſionis. Iudicauit 6. annos. *Iud. XII. 7.*

2820 Troia videtur capta. vid. *p. 821. b.*

2824 Ebzan iudicat Iſraëlem annos 7. *Iud. XII. 9.*

2831 Elon iudicat annis 10. *Iud. XII. 11.*

Digitized by Google

A. M.	
2841	Abdon iudicat 8. annis, *Iud. XII. 14.*
2849	Simſon iudicat Iſraëlem 20. annis, *Iud. XV. 20.*
2870	Simſon moritur. Ad haec tempora Euſebio referendus videtur Codrus rex Athenienſium, poſt cuius fatum Archontes ſummae rerum praeeſſe coeperunt. vid. *p. 814. a. ſeqq.*
2910	Eli moritur. Fundamentum demonſtrationis circa annos iudicum & Eli, vid. *p. 731. a. ſeqq.*

INDEX GEOGRAPHICVS.

ABRONA ſtatio XXXI Iſraëlitarum in deſerto, p. 504. a.

ACHAD vna vrbium Nimrodi, *Geneſ. X. 10.* p. 183. b.

ACHSCHAPH, vrbs in finibus tribus Aſer, *Ioſ. XIX. 25.* cuius rex a Ioſua deuictus eſt, p. 666. a. b.

ADAM vrbs ad Iordanem ſita, e latere Zarethan. vid. p. 639. b. CELLARIVS, in *geograph. ant.* credit fuiſſe prope lacum Asphaltiten.

ADAMA, vna ex vrbibus, vna cum Sodoma igne diuino ſubuerſis. p. 233. b.

AEGYPTVS, in ſacris vocatur Mizraim a Chami filio cognomine, vid. p. 197. b. Sententiam hac de re noſtram late confirmat, & contra BOCHARTVM defendit vir doctiſſimus, HADR. RELANDVS, *Palaeſt. lib. I. cap. XI. p. 62. ſeqq.* qui idem *p. 58. ſeqq.* erudite diſputat, an contermina Palaeſtinae Aegyptus fuerit? tandemque concludit, deſertum interiacens ſaltem tempore Ioſuae ad neutram regionem pertinuiſſe: quamquam ſequiori tempore id mutatum eſſe, ipſe fatetur, *lib. I. cap. XLV. p. 286.* vbi explicat, quid *Ioſ. XV. 4.* & alibi per *flumen Aegypti* intelligatur: ſcilicet non Nilus, vt qui numquam terminum tribus Iudae conſtituit, ſed flumen aliquod *reſpiciens Aegyptum.* Sed vid. p. 219. a.

AFRICA, an ab Epher Abrahami ex Ketura filio, dicta ſit? vid. p. 241. b.

AI vel HAI, vrbs ſita prope Bethauen, *Ioſ. VII. 2.* p. 652.

ALMONDIBLATHAIM, quae & BETHDIBLATHAIM, ſtatio XL Iſraëlitarum, p. 516. a. Forte ita dicta, quod eſſet prope Diblathaim; RELANDVS, *lib. I. cap. XLV. p. 287.*

ALVS ſtatio decima Iſraëlitarum in deſerto, p. 470. a.

AMALEKITAE Eſaui poſteri, p. 378. b. Diuerſas diuerſis temporibus ſedes habuere, quas explicat RELANDVS, *lib. I. cap. XIV. p. 78. ſeqq.* Poſt occupatam ab Israëlitis Canaanem videntur ad fines eius auſtrales inprimis habitaſſe.

AMMONITAE Lothi ex filia poſteri, de regione illorum vid. p. 711. a. b. ſeqq. Regia illorum eſt RABBATH filiorum Ammon.

AMORAEI vel EMORAEI habitabant olim tempore Abrahami circa Chazezon Tamar, Hebronem, & Eſcol, *Gen. XIV. 7. 13.* vid. etiam p. 711. a. b. Tempore Moſis rex eorum erat Sihon, cuius poſſeſſio deſcribitur *Num. XXI. 24.* Ogus quoque fuit rex Amoraeorum, *Ioſ. IX. 1.*

ANAKAEI habitarunt inprimis in tractu montano Iudae, *Ioſ. XI. 21.* ex eodem tamen loco adparet, etiam per reliquam terram diſperſos fuiſſe, p. 668. b.

ANAMIM gens e Mizraimo propagata, de qua nihil certi conſtat, p. 180. a.

Digitized by Google

ASKALON, celebratiſſima vrbs Philiſtaeorum, vna ex quinque praecipuis, quae memorantur *Ioſ XIII. 3.* Sita fuit in regione tribus Iudae p. 681. a. Lacus fuit prope Askalonem, in quo, teſte DIODORO Siculo, *lib. I. cap. IV.* Derceto ſubmerſa, & in piſcem mutata eſſe dicitur; quam cauſſam putare licet, quod Syri piſcibus abſtinuerunt. Vide eleganter de his aliisque, quae huc pertinent, diſputantem HADR. RELANDVM, *lib. III. p. 590. ſeqq.*

AR, terminus Moabitarum, quam occupari ab Iſraëlitis noluit Deus; p. 516. a. Graecis vocatur Areopolis. Sita fuiſſe videtur ad latus auſtrale Arnonis, ad quem ſcilicet extendebant ſe fines Iſraëlitarum, Isbem autem Ar non attingebant.

ARABIA, latiſſime patet hoc nomen. Interdum enim, quidquid Iordani ad ortum adiacet, ita dicitur, quin etiam tractus inter fines auſtrales terrae Canaan & Aegyptum illo nomine venit, vid. RELANDVS, *lib. I. cap. XVI. p. 85. ſeqq.* Quas ARABIAE partes Iſmaëlitae habitauerint, vid. p. 376. b.

ARARAT, Armenia, in cuius montibus arca Noae ſubſtitit, vid. p. 149. a.

ARNON fluuius, qui Moſis tempore Moabitas & Emoraeos diſterminabat, p. 516. a. vt allueret latus auſtrale terrae Emoriticae & ſeptemtrionale Moabiticae. Flumen regionis trans Iordanem maximum.

ARRAPACHITIS pars Aſſyriae, quam nomen Arphaxado debere BOCHARTVS putat, vid. p. 181. a. ſeqq.

ASDOD, vna inter praecipuas Philiſtaeorum vrbes, quas in terra Canaan poſſederunt, p. 744.

ASEDOTH; HIERONYMVS putauit eſſe nomen ciuitatis, quod *Ioſ. X. 40.* eſt אשדורת. Sed pro adpellatiuo probabilius habetur. vid. p 665. b.

ASSYRIAE, ab Aſſuris poſteris inhabitatae ſitus ac termini deſcribuntur, p. 181. a.

ATTICA terra ab Actaeo rege Actaea, tum Cecropia a Cecrope, demum Attica adpellata eſt, p. 381. a. Hanc regionem, adeoque ipſam vrbem Athenas in medio orbis habitabilis ſitam fuiſſe, perhibet XENOPHON in *ποροις* p. 3:0. Simile quid de Hieroſolymis, vid. ſuo loco.

B

BAALGAD, ſita fuit in campo Libani, ad radicem montis Hermon. *Ioſ. XI. 17.* & *XIII. 5.* p. 668. a.

BABEL, initium regnorum Nimrodi, *Gen. X. 10.* p. 183. b. ſeqq. ſcilicet poſt diſperſionem gentium. Ante enim non potuit, ſiquidem ipſa eius aedificatio occaſionem diſperſioni dedit.

BEER, locus, in quo Iotham per triennium delituit, *Iud. IX. 21.* p. 706. a ſq. Nomen habet ab amoeniſſimo fonte, qui e radicibus vicini montis erumpit.

BEER-

BEERSCHEBA, vrbs inter illas, quae ex Iudae regione datae ſunt Simeoni, *Ioſ. XV. 28. XIX. 2.* p. 242. b. Eſt terminus terrae iſraëliticae auſtralis, vnde nihil frequentius, quam vt dicatur in ſcriptura *a Dan vsque ad Beerſcheba*. vid. GERAR.

BERYTHVS, antiquiſſima vrbs Phoeniciae, de qua ſingulari diſſertatione egit IO. STRAVCHIVS. An ei nomen dederit Baal Berith, diſputatur. p. 762. a. ſeqq

BETHBARA, locus ad Iordanem, p. 702. b. Forte ita dictus pro בית עברה *locus tranſitus*, in N T. Βηθαβαρά, quae RELANDI opinio eſt *lib. III.* p. 632.

BETHCHORON, duplex, inferior & ſuperior. vid p. 660. a. quam ſententiam confirmat RELANDVS, *lib. III.* p. 633.

BETHDIBLATHAIM, vide ALMONDIBLATHAIM.

BETHEL, olim LVS Interdum diſtingui videntur quaſi duo loca: conciliationem, vrbisque ipſius deſcriptionem habes, p. 256. b.

BETHLEHEM. Duae eius nominis vrbes erant; vna in tribu Zabulon, altera in tribu Iudae, quae & Ephrata, natalis Meſſiae; *Ioſ. XV.* poſt *verſum 59.* non eraſam eſſe a Iudaeis huius vrbis mentionem, probatum eſt p. 672. a. b. & confirmatur iſta ſententia ab eruditiſſimo RELANDO, *lib. III. p. 643. ſeqq.*

BETHSEMES, vrbs ſacerdotalis tribus Iudae, in quam allata eſt e Philiſtaeorum regione arca federis, p. 745. a. ſeqq. Eſt & alia hoc nomine in tribu Naphtali. In tribu Dan adhuc alia a quibusdam collocatur. Sed illa eſt IRSCHEMESCH quae poſt NICOPOLIS dicta eſt. RELAND. *loc. cit.* p. 522. b. ſeqq.

BNEIAAKAN, ſtatio XXVIII Iſraëlitarum in deſerto. p. 504. a

BOCHIM, locus prope Gilgalem, vbi congregati Iſraëlitae *flerunt* coram Domino. vid. p. 681. b.

C

CAMARINA, vrbs Babyloniae, quam EVSEBIVS eamdem vult cum VR, vid. p. 207. a.

CANAAN regio a poſteris Canaanis, Noachi ex Chamo nepotis, habitata. Non comprehendit hoc nomen terram omnem a XII tribubus habitatam, ſed illam tantum, quae ad latus occidentale Iordanis eſt, excluſa regione trans Iordanem a tribu Ruben, Gad, & dimidia Manaſſis occupata. Prolixe hoc probat RELANDVS *lib. I. cap. I. p. 3. ſeqq.* qui obſeruat etiam, quod hic p. 180. a. ſeqq. & 691. b. ſeqq. dictum eſt, nomen terrae Canaan ſpecialius interdum accipi, vt notet terram Philiſtaeorum, in qua Aſcalon, Gaza, Ekron & Gath: eo quod reliquias Cananaeorum contineret: qua eadem cauſſa Phoenices, Tyrii, Sidonii, aliique, Cananaei dicuntur, & mulier Cananaea, quae alias Syro-Phoenicia.

Digitized by Google

CAPHTORIM & CASLVCHIM, gentium a Mizraimo propagatarum nomina, de quibus, praeter coniecturas, nihil conſtat, p. 180. b. de CAPHTOR tamen vid. in PHILISTAEI.

CHALDAEAE nomen dupliciter accipi, ſtrictius vel latius, monetur p. 206. a. ſeqq.

CHALNE vna vrbium Nimrodi, p. 183. b.

CHARAD fons prope Ieſreel, de quo vid. p. 699. a.

CHAROSETH gentium, Siſerae habitatio, vid. p. 691. a.

CHARRAN, vrbis ſitus p. 206. a.

CHAZEROTH, ſtatio XIV Israëlitarum in deſerto, p. 499. a.

CHAZOR. Plurium vrbium nomen fuit. Primo ita dicta eſt regia Iabini, qua de vid. p. 666. a. Deinde in ſerie vrbium tribus Iudae auſtralium, *Ioſ. XV. 23. & 25.* tres eius nominis vrbes occurrunt. Denique *I. Reg. IX. v. 15.* a Salomone CHAZOR condita dicitur.

CHEBRON vid. HEBRON.

CHERMON vid. HERMON.

CHESBON, p. 516. b. Regia Sihonis Amoraeorum regis. Ex eo quod *Ier. XLVIII. 2.* Moabitis haec vrbs adſcribi videtur, RELANDVS *lib. III. p. 720.* concludit, vrbes ab Amoraeis ereptas Moabitis & deinde ab Israëlitis poſſeſſas, poſt captiuitatem aſſyriacam x tribuum ab antiquis dominis recuperatas. Ceterum data fuit Chesbon tribui Ruben, *Ioſ. XIII. 17.* & tamen dicitur Leuitis data e tribu Gad, *Ioſ. XXI. 39.* Rationem eius rei ex RELANDO, vid. infra in DIBON.

CHITTIM, Italiam eſſe putat BOCHARTVS. Veriorem autem ſententiam communiorem, quae Macedoniam intelligit, probat IOAN. CLERICVS; vid. p. 178. b.

CHORMA, vrbs in tribu Simeon, vnde nomen acceperit, vid. p. 681. a.

CHRYSORRHOAS Palaeſtinae fluuius male habetur pro Piſchone Paradiſi. vid. p. 89. b.

COBARIS fluuius in Paradiſo collocatur a TILLIO. p. 87. b.

D

DAN, vrbs in finibus borealibus terrae israëliticae, olim LAIS vel LESCHEM. A Dan vsque ad Beerſcheba eſt, ab vno extremo terrae israëliticae ad aliud. De DAN riuo, qui cum alio IOR, Iordanem conſtituat, vid. p. 210. b. Diſſentit vir doctiſſimus RELANDVS, *lib. I. cap. XLIII. p. 271.* vbi negat, ex duobus fontibus Iordanem oriri, aliamque etymologiam profert. IOANNES CLERICVS autem *dans la biblioth. anc. & mod. tom. II. part. II. p. 344. ſeqq.* ſententiam de duobus fontibus Iordanis confirmat, & p. 96. quae RELANDVS habet, de pronuntiatione vocis ירדן, refellit.

DEBIR, vrbs in tribu Iudae, p. 665. b. olim dicta KIRIATH SEPHER, quam vide.

DELA, flumen ex TILLII ſententia Paradiſi, p. 87. b.

DI-

DIBONGAD ſtatio XXXIX Iſraëlitarum, p. 516. a. poſt a tribu Gad inhabitata, quamquam a Moſe data eſt Rubenitis. Quod in pluribus vrbibus ita accidiſſe, monet RELANDVS, *lib. III. p. 735.* vid. CHESBON, & add. REL. *lib. III. p. 842.*

DOPHKA, ſtatio IX Iſraëlitarum, p. 684. a. ſeqq.

DVMA, gr. Δȣμαϑα, vrbs Arabiae, vid. p. 376. a

E

EBAL ſeu GEBAL, mons maledictionis, quam a GARIZIM, benedictionis monte, interiecta vallis, in qua erat Sichem, dirimebat, vid. p. 655. b. ſeqq. & conf. HAD. RELANDI pecuculiarem diſſertationem, de *monte Garizim*, quae habetur parte prima *Miſcellaneorum.*

EDEN regio Paradiſi, qua de p. 88. a. b.

EGLON, vrbs in tribu Iudae, quae tempore Ioſuae ſuum habebat regulum, p. 659. b.

EKRON, vna ex praecipuis Philiſtaeorum vrbibus, p 681. a.

ELAM, regio, quae tempore Abrahami regulum ſuum habuit, probabiliter eadem eſt, quae Elymais, p. 372. b.

ELATH, (apud recentiores AILA) vrbs Idumaeae, p. 513. a. ſed tamen mox ab Israëlitis, mox ab Idumaeis, poſſeſſa; portus maris rubri, vid. RELANDI *Pal. lib. III. p. 554. ſeqq.*

ELEVSIN, celeberrimus in terra Attica locus, ob ſacra Eleuſinia ibi celebrata, ab Ogyge conditus, p 380. b.

ELIM, ſtatio VI Iſraëlitarum in deſerto, p. 469 b.

ELIS, ab Eliſcha Iauanis filio an nomen habeat? p. 178. a.

ELLASAR, Babyloniae vicina regio, ſuum regulum habuit tempore Abrahami, p. 372. b.

EPHRATA, vid. BETHLEHEM.

ERECH, vna vrbium Nimrodi, p. 183. b.

ESCOL vallis, ob botrum inſignis magnitudinis inde petitum, celebris, p. 500. b.

ETHAM, tertia ſtatio Iſraëlitarum in deſerto: item ingens deſertum, vid. p. 468. a. ETHAM, vel HETAM, p. 752. b. rupes, in qua Simſon habitauit.

EVPHRATES, communi traditione inter fluuios Paradiſi refertur, p. 87. a. Quando in ſacris dicitur terminus terrae israëliticae, intelligendum id eſt de temporibus Dauidis & Salomonis, vid p 219 b.

EZEONGABER, vrbs Idumaeorum in litore maris Erythraei, vid p. 355. b.

G

GABEON, vel GIBEON, metropolis Gibeonitarum, ſita in tribu Beniamin, celebris federe cum Iſraëlitis fraudulenter inito, p. 657 b. ſeqq. & quod ſol ibi ſtare viſus eſt, p. 660. b. ſeqq. Diuerſa eſt haec vrbs a GABA, vel GIBEA, Saulis, qui eſt vicus prope Ramam, in quo Saul natus eſt.

GANGES, non eſt referendus inter fluuios Paradiſi, p. 87. a.

Digitized by Google

GARIZIM, vid. EBAL.

GATH, vna ex quinque vrbibus regiis Philiſtaeorum, patria Goliathi, p. 660. b. Rex eius alias quoque vrbes ſubiectas ſibi habebat, v. c. Ziklag, *I. Sam. XXVII. 5. 6.*

GAZA, itidem vna ex quinque Philiſtaeorum vrbibus, tribui Iudae adſignata, p. 666. a. *Act. VIII. 26.* vocatur haec vrbs ἔρημος, (cur enim via ita dicatur, nulla ratio ſubeſt) id eſt, vt explicat, & argumentis probat ANTON. GALLANDIVS apud RELANDVM *Palaeſt. lib. III. p. 788.* praeſidio non munita, neque eo indigens.

GAZER, vel GEZER, vrbs in tribu Ephraim inter Bethchoron & mare, *Ioſ. XVI. 3.* tempore Ioſuae proprium habuit regulum, p. 664. a. b.

GERAR, vrbs Philiſtaeorum, iam Abrahami tempore regum, qui Abimelech vocabantur, ſedes, p. 233. a. RELANDVS *Palaeſt. lib. III. p. 805.* obſeruat, a quibusdam haberi pro Beerſcheba, ab aliis pro Aſcalone.

GIBEON, vid. GABEON.

GICHON, Paradiſi fluuius, p. 90. a. b.

GILEAD, celeberrimus mons trans Iordanem, vnde nomen adeptus fuerit, vid. p. 257. b. Ab hoc monte tota regio a Rubenitis, Gaditis & parte Menaſſitarum habitata, GILEAD vocatur, *Ioſ. XXII. 9.* & terrae CANAAN, id eſt, quae ad latus occidentale Iordanis ab Iſraëlitis poſſidebatur, opponitur, *ibid. v. 32.* De alio monte GILEAD, cis Iordanem, vid. p. 690. b.

GILGAL, locus ad orientem Ierichuntis, *Ioſ. IV. 19.* Rationem adpellationis, vid. p. 644. a. Tabernaculum aliquamdiu in hac vrbe fuit, p. 743. b.

GIRGASITARVM a GIRGASI ortorum regio cis Iordanem fuit non procul a Ierícho, *Ioſ. XXIV. 11.* p. 180. b.

GOMORRHA, vrbs eodem cum Sodoma incendio euerſa, p. 233. b.

GOSEN, Aegypti regio, in qua Iſraëlitae habitarunt, de cuius ſitu, vid. p. 268. a. ſeqq. Eſt etiam vrbs GOSEN in tribu Iudae, verſus meridiem ſita, p. 666. a. b.

GRAECIAE populi antiquiſſimi, p. 378. b. ſeqq.

H

HAGARENI Iſmaëlitae, vid. p. 376. b. ſeqq.

HANAB, vrbs Philiſtaeorum a Ioſua deleta, p. 668. b.

HANOCHIA, vrbs Caini, a filio eius cognomine adpellata, p. 108. a.

HARAD, ſtatio Iſraëlitarum in deſerto XXI, p. 504. a.

HASMONA, ſtatio XXVI, *ibid.*

HAZEK, vrbs in tribu Iudae non procul a finibus meridianis tribus Beniamin, p. 660. a.

HEBRON, vrbs antiquiſſima, KIRIATH-ARBA olim dicta, *Gen. XXIII. 1.* Septem annis Zoane Aegypti vrbe antiquior, *Num. XIII. 23.* p. 240. a. Sita erat in tribu Iudae ac tempore Ioſuae ſuum habebat regulum. Poſt primam occupationem videtur a Cananaeis recepta, & tum demum a

Ca-

Calebo vindicata, vid. p. 665. b. De terebintho nata ex baculo angeli, qui Abrahamo adparuit, quam perpetuo manſiſſe plures tradiderunt, loca veterum collegit HADR. RELANDVS *Pal. lib. III. p. 712. ſeq.*

HERMON, mons celebratiſſimus in finibus ſeptemtrionalibus terrae israëliticae trans Iordanem ſitus: perpetua niue, etiam per aeſtatem, tectus. Pertinebat antiquitus ad ditionem Ogi Baſanis reguli, a Sidoniis SCHIRION vocabatur, & ab Amoraeis, SCHENIR, *Deut. III. 9.* BOCHARTI ſententiam, de qua p. 790. b. reiicit RELANDVS *Palaeſt. lib. I. cap. XLIX. p. 324.* dicitque, Tabor & Hermon rectius exprimere auſtrum & aquilonem, quam orientem & occidentem. Idem p. 335. ſeq. agit de loco difficili, *Pſ. CXXXIII. 4.* tandemque coniicit, intelligi Hermonem alium haud procul a monte Tabor, & per Zion ſubiectos colles minores.

HETAM, vid. ETHAM.

HEVITARVM (ab HEVI ortorum p. 180. b.) regio fuit in finibus ſeptemtrionalibus terrae Canaan, ad Hermonem montem, *Ioſ. XI. v. 3.*

HIDDEKEL, flumen Paradiſi, vid. p. 89. b.

HITTAEI, p. 240. b. videntur habitaſſe circa Hebronem, *Geneſ. XXI. 2. 3.* add. *Num. XIII. 30.* vbi in tractu montano habitaſſe dicuntur.

HOPHRA, vrbs in tribu Beniamin, *Ioſ. XVIII. 23.* Et tamen HOPHRA dicitur, *Iud. VI. 11.* & *VIII. 27.* vrbs Gideonis, qui erat de tribu Manaſſe, vid. p. 697. a. duas fuiſſe vrbes putat RELANDVS, *lib. III. p. 913.*

HOREB, mons, vid. SINAI

HORGIDGAD, ſtatio XXIX. Iſraëlitarum in deſerto, p. 504. a.

I

IABOK, flumen regionis trans Iordanem, quod non longe a mare Tiberiadis influit in Iordanem. Terminus ſeptemtrionalis fuit terrae Ammoniticae, quem tranſire vetiti ſunt Iſraëlitae, *Deut. II. v. 37.* p. 258. b. Quod tamen non abſolute intelligendum eſſe docet RELANDVS, *lib. I. cap. XXI. p. 194.* (cum niſi ſuperato Iaboko Baſanem occupare non potuerint Israëlitae) ſed reduplicatiue, in quantum is fluuius alluebat regionem Ammonitarum.

villae IAIR, quae fuerint, explicatur p. 708. b. ſeq.

IARMVTH, vrbs in tribu Iudae, tempore Ioſuae ſuum habuit regulum, p. 659. b.

IAZER, vrbs Amoraeorum, Sichoni regi illorum ab Iſraëlitis ademta, p, 517. a.

IDA, mons Phrygiae, & alius Cretae, vid. p. 816. a ſeq.

IDVMAEA diuerſos tempore diuerſo terminos habuit. Olim pertigiſſe dicitur vsque ad Ezeon-Gaber, vid. p. 355. b. IOSEPHVM ſaepe IDVMAEAE adpellatione complecti magnam partem terrae israëliticae, obſeruat RELANDVS, *Palaeſt. lib. I. cap. XII. p. 68. ſeq.* vide SEIR.

Digitized by Google

IEBVS, (quam tenebant IEBVSITAE) quae & SALEM, poſt IERVSALEM. Praeter ea, quae p. 659. b. dicta ſunt, ex RELANDO, qui *lib. III. Pal. p. 832. ſeqq.* fuſe de ea agit, quaedam adnotabimus Primo vir doctiſſimus dubitat, an eadem ſit, quae SALEM, regia Melechiſedeci, quam penitus periiſſe putat, *pſalmo* autem *LXXVII. 3.* poëtico nomine per aphaereſin SALEM vocari IERVSALEM, quemadmodum apud Latinos *Solyma* pro *Hieroſolymis* dicantur. Adpellatam, ait, a Dauide non ſine alluſione ad nomen Salomonis quaſi ירוש שלם *haereditariam poſſeſſionem pacis*. Terminatio *aim* non videtur ei dualis nota, vt neque in Ephraim aut Mizraim, quorum vtrumque Graeci per *e* in vltima ſyllaba efferunt, quemadmodum etiam ipſi Ebraei pro *Baith* dicunt *Beth*. Magnitudinem vrbis, cum fuit maxima, id eſt tempore excidii, definit ex Ioſepho ſtadiis XXXIII. Sita fuit vrbs in tractu montano Iudae & Beniamin, ita vt pars eius ad hanc, pars ad alteram tribum pertineret: ita tamen, vt maior pars ſita eſſet in regione tribus Beniamin; qua ratione conciliari poſſunt loca ſcripturae, quae mox huic, mox alteri, eam attribuunt. In medio orbis terrarum IERVSALEM, totamque adeo Palaeſtinam ſitam eſſe, crediderunt Iudaei quidam & chriſtiani, falſa interpretatione *Ezech. V. v. 5. XXXVIII. 12.* inducti, qua de re vid. RELANDVS *Palaeſt. lib. I. cap. X. p. 52. ſeqq.*

IEABARIM, Iſraëlitarum in deſerto ſtatio XXXVIII. p. 516. a.

IORDAN, fluuius totius Palaeſtinae maximus & celeberrimus. Nomen illius deducit HADR. RELANDVS, *lib. I. cap. LXIII. p. 271.* non a IEOR & DAN (vid. ſupra in DAN) ſed a rad. ירד *deſcendit*, vt denotet *fluuium* ſcil. κατ᾽ ἐξοχὴν. Oritur ex monte Libano, (ſequimur & hic RELANDVM, *loc. cit. p. 273.*) lacu Phiala & deinde 120. ſtadia ſub terra means & e Paneo erumpens ſecat lacum Samochonitin, & poſt alia 120. ſtadia lacum Genneſar. Denique poſt multam ſolitudinem in lacum Aſphaltiten exit. Tempore meſſis exundat Iordanes; contra naturam reliquorum fluminum, quae hyeme maxime aquis abundant. Aquas eius hoc ipſo tempore meſſis in gratiam Iſraëlitarum Deo iubente conſtitiſſe, e ſacris docemur. vid. p. 640. a. ſeq. Nullum ex profanis exemplum, qualia plura adferuntur, huic miraculo ſimile eſſe probat RELANDVS, *loc. cit. p. 175. ſeqq.*

IOTHBATHA, ſtatio XXX. Iſraëlitarum in deſerto. p. 504. a.

ISMAELITAE, vid ARABIA.

K

KADESCH oppidum in finibus Idumaeae, vid. p. 509. a. ſeq. vbi diſputatur, an eadem ſit haec vrbs, quae aliis KADESCHBARNEA. Accedit ſententiae noſtrae etiam RELANDVS *lib. I. Palaeſt. cap. XXV. p. 114. ſeqq.*

diuer-

diuerſasque eſſe adſerit, eo magis, quod KADESCHBARNEA non vrbis, ſed regionis aut deſerti, nomen ſit. Idem tamen fatetur, pro KADESCHBARNEA interdum abſolute KADESCH dici, qua ex re forte altera ſententia orta eſt.

KARKOR, locus clade Midianitarum nobilitatus, p. 703. a.

KEDAR, tribus nobiliſſima Arabum; interdum Arabia petraea vniuerſa, p. 375. b ſeq. KEDARENI, RELANDO *lib. I. cap. XVIII. p. 96.* iidem videntur eſſe, qui SCENITAE.

KEDEMOTH, ſtatio XLII. Iſraëlitarum in deſerto. p. 516. b.

KEHELATHA, ſtatio XIX. p. 504. a.

KIBROTH TAAVA, *ſepulcra concupiſcentiae,* locus Iſraëlitarum clade notatus, ſtatio erat XIII. p. 503 b.

KIRIATH ARBA, vid. HEBRON.

KIRIATH SEPHER, alias DEBIR, item KIRIATH SANNA, *Ioſ. XV. v. 49.* vrbs in montanis tribus Iudae. An olim ſchola aut academia fuerit, diſputatur p. 161. a & 750. a. ſeq. Conf. HADRIANI RELANDI *diſſertat. miſc. part. II.*

L

LACHIS, vrbs tribus Iudae, tempore Ioſuae regulum ſuum habuit, p. 659. b.

LEABIM, gens a Mizraimo propagata, qua de praeter nomen nihil hodie certi conſtat, p. 180. a. ſeq.

LECHI, locus (ibi circiter ſitus, vbi poſt fuit ELEVTHEROPOLIS, ſi fides GLYCAE apud RELANDVM, *lib. III. p. 872.)* clade Philiſtaeorum, maxilla aſini, vnde nomen, a Simſone patrata, nobilis, p. 725. b. ſeq.

LIBNA, ſtatio Iſraëlitarum in deſerto XVII. p. 504. a. Alia eſt vrbs LIBNA, ſita in tribu Iuda, p. 665. a.

LVDIM, Mizraimi poſteri de quibus nihil praeterea certi hodie conſtat, p. 180. a.

LVS, vid. BETHEL.

LYDII duplices, aſiatici & africani, vid. p. 181. b.

M

MACHPELA, nomen proprium loci, in quo ſpelunca, in qua ſepulta eſt Sara, vid. p. 240. a. ſeq.

MADON, incerti ſitus vrbs, cuius regulus Iabinum contra Iſraëlitas adiuuit, p. 666. a b.

MAKKEDA, vrbs in tribu Iudae, a finibus Beniamin meridianis non multum remota, p. 660. a.

MAKKELOTH, ſtatio XXII. Iſraëlitarum in deſerto, p. 504. a.

MARA, ſtatio V. Iſraëlitarum, aquis amaris nobilitata, p. 469 b.

MEROMI *aquae* ſeu ſuperiores, vocata olim palus *Samechonitis*, quam Iordanes tranſit, p. 667. a. Deſcribit eam HADR. RELANDVS, *lib. I. cap. XL. p. 262. ſeq.*

MESOPOTAMIA ſedes fuiſſe videtur eccleſiae ante diluuium p. 111. de duplici eius acceptione, ſtrictiori & latiori, vid. p. 206. a. A Dauide numquam ſub-

ſubactam eſſe adſerit RELANDVS, *lib. I. cap. I. p. 11.*
MIDIAN, regio ab Abrahami ex Kethura filio denominata, p. 241. a. ſeq. erat ad auſtrum & orientem terrae israëliticae. MIDIANITAE comprehenduntur ſub Ismaëlitis, p. 263. b. add. 517. a.
MITHKA, ſtatio XXV. Israëlitarum, p. 504. a.
MIZPA, vallis ſita fuit in finibus ſeptemtrionalibus terrae israëliticae ſub monte Libano, *Ioſ. XI. 8. coll. 17.* p. 667. a. Eſt etiam hoc nomen vrbis clariſſimae in tribu Beniamin *Ioſ. XVIII. 26.* vbi populus conuenire ſolebat, *Iud. XX. 1.* item alius in tribu Iudae, *Ioſ. XV. 38.* denique alia in tribu Gad trans Iordanem, *Iud. X. 17.* niſi alia eſt MIZPE Moabitarum, *I. Sam. XXII. verſ. 3.*
MIZRAIM, Chami filius, qui nomen Aegypto dedit, quo in ſacris perpetuo cenſetur, vid. p. 179 b. & add. RELAND. *Palaeſt. lib. I. c. XI. p. 62. ſeq.* vbi ſententiam noſtram contra BOCHARTVM defendit. vid. AEGYPTVS.
MOABITARVM regio AMORAEIS vicina fuit, a quibus Arnon fl. eos verſus ſeptemtrionem ſeparabat; vid. *Deut. II. 9. ſeq.* vbi prohibentur Israëlitae quidquam de terra Moabitarum occupare. Quoties igitur, ante transitum Iordanis, in deſertis MOAB, vel in terra MOAB caſtra metati eſſe dicuntur Israëlitae, intelligendum id eſt de terra, quam Moabitis Emoraei, & his Israëlitae eripuerunt, vid. p. 711. a. b. ſeq. Vrbes illorum, quas ſuo tempore haberent, Israëlitis bonam partem ereptas, recenſet Ieremias *cap. XLVIII.* add. p. 517. ſeq.
MORIA, *terra*, vbi Abraham Iſaacum immolare iuſſus eſt, & *mons*, in quo a Salomone templum exſtructum, p. 230. a.
MOSIROTH, ſtatio XXVII. Israëlitarum, p. 504. a. Ceterum et loci particularis, & tractus ingentis, nomen fuiſſe adſeritur, p. 511. b.

N

NABATHEA, Arabiae petraeae portio, a Nebaioth Ismaëlis filio nomen ſortita. p. 375. b.
NAPHTVHIM, gens a Mizraimo propagata, ignota de cetero, p. 180. b.
NILVS, male refertur inter fluuios paradiſiacos, p. 87. a. non ſemper eſt *flumen Aegypti;* vid. AEGYPTVS.
NINIVE, metropolis Aſſyriorum, vid. p. 181. a. & 186. a.

O

OBOTH, ſtatio XXXVII Israëlitarum, p. 516. a.
OPHRA, vid. HOPHRA.
ORCHOE, an VR? p. 206. b.

P

de PARADISI regione & ſitu diſputatur p. 84. a. ſeqq.
PATHRVSIM, Mizraimi poſteri, de quibus

bus hodie praeter nomen nihil ſupereſt. p. 180. b.

PELISCHTIM, vid. PHILISTAEI.

PENVEL, vrbs in tribu Gad, cuius incolas grauiter vltus eſt Gideon, p. 703. a. Conferri iubet RELANDVS PENIEL, de quo p. 260. a.

PEOR, nomen montis apud Moabitas, qui apud Graecos vocatur Phogor, vnde Baal-Peor vel Baal-Phogor, vid. p. 617. a.

PETHORA, *Num. XXII. 5.* eſt nomen proprium vrbis in Meſopotamia, vid. p. 599. a.

PETRA, Arabiae petraeae metropolis, p. 376. a. poſtea Palaeſtinae terrae metropolis conſtituta, quae cauſſa eſt, quod fuſe de illa agit HADR. RELANDVS, *lib. III. Palaeſt. p. 926. ſeqq.*

PHARAN, deſertum, per quod iter fecerunt Iſraëlitae ex Aegypto venientes, p 496. b.

PHILISTAEI, ſiue PELISCHTIM, Mizraimi progenies ex CAPHTOR profecti, *Amos IX. 7.* vide p. 180. b. quam regionem in ora Aegypti circa Peluſium quaerit RELANDVS, *lib. I. cap. XIII. p. 73.* qui idem *p. 75. ſeq.* probauit ἀλλοφύλους ipſos, & terram ipſorum γῆν ἀλλοφύλων adpellatam eſſe: & *p. 77.* ex *Exod. XIII. 17. 18.* regionem illorum, vt antiquitus erat, definiuit ora maritima inter Aegyptum & terram Canaan. In Canaan certe nihil eos tempore Ioſuae poſſediſſe certum eſt. Poſt autem occuparunt bonam eius partem, Gazam imprimis, Gath, Aſcalon, Asdod & Ekron. Quin ſunt, qui vniuerſam oram maritimam Canaanis a Gaza ad Carmel montem aliquando ab iis poſſeſſam adſerunt.

PI-HACHIROTH, ſtatio quarta Iſraëlitarum poſt exitum ex Aegypto, p. 469. b.

PISCHON, fluuius Paradiſi, vide p. 89. b. ſeqq.

PVNON, ſtatio Iſraëlitarum XXXVI. p. 516. a.

R.

RAEMSES, ſiue RAMESSES, nomen vrbis ab Iſraëlitis in ſeruitute aegyptiaca conditae, item nomen totius regionis Goſen, vel etiam partis eius, vide p. 269. a

REPHIDIM, vndecima ſtatio Iſraëlitarum in deſerto, vbi, murmurante populo, Moſes ex petra percuſſa aquam produxit, p. 470. a.

RHINOCOLVRA, vel RHINOCORVRA, vrbs in confiniis Palaeſtinae & ſolitudinis, quae inter hanc & Aegyptum interiacet. Alluit eam fluuius, qui in ſcriptura dicitur *fluuius Aegypti*, vide de hac vrbe RELANDVS, *lib. III. p. 969. ſeq.* de diuiſione orbis inter filios a Noacho, apud hanc vrbem facta, vide p. 168. a.

RIMMON PAREZ, ſexta decima ſtatio Iſraëlitarum, p. 504. a. Eſt etiam

RIMMON, vrbs in tribu Simeon, *Ioſ. XIX. 7.*

RISSA, XVIII. &

RITHMA, XV. ſtatio Iſraëlitarum in deſerto, p. 504. a.

S

SALEM, vide ſupra IERVSALEM. IACOB VSSERIVS, ad A. M. 2560. eamdem putat SALEM, quae SILOH, de qua ſuo loco, inductus forte verſione τῶν ό, qui *Ierem. XLI. 5.* pro SILOH, quod eſt in textu ebraico, transtulerunt Σάλημ· De recentioribus locis, quae hoc nomen habuere, agit RELANDVS, *lib. III. p. 976. ſeqq.*

SARAN, vid. ZORA.

SEHIR, tractus montanus Eſaui poſteris ad habitandum conceſſus, vid. p. 377. a. ſeqq.

SEHIRATH, locus, quo Ehud perpetrata caede Eglonis ſe recepit, alias ignotus, p. 69c. a.

SEPHER, ſiue SOPHER, mons, ſtatio XX Israëlitarum, p. 504. a.

SICHEM, celeberrima vrbs, ſita in montanis Ephraim, iure aſyli donata, *Ioſ. XX. 7.* Conuentus populi ibi habitus a Ioſua, *cap. XXIV. 1.* vid. p. 674. b. ſeqq. Dicta deinde NEAPOLIS. Fuſe de hac vrbe egit HADR. RELANDVS, *part. I. diſſertat. miſcell.*

SIDON, Phoenicum vrbs clariſſima, nomen habet a Zidone, p 180. b. Gentiles id deriuabant a צידא, quem Syri piſcatum vocant. Mater eſt vrbis Tyri, p. 788. a. Ob mercaturam celebris, p. 180. a.

SILOH, vrbs in montanis Ephraim, celebris ob tabernaculum, quod aliquamdiu ibi fuit. p. 673. a. vid. SALEM. Gentiles in nomine SILOH *Sileni* memoriam deprehendiſſe ſibi videbantur, quae res illos confirmabat, vt Bacchi cultum Iudaeis obiicerent, vid. REL. *lib. III. p. 1017.*

SIMRON, vrbs in tribu Zabulon, non confundenda cum SOMRON, ſeu SAMARIA, vid. p. 666. a. b.

SIN deſertum inter Elim & Sinai, quod octauam ſtationem Israëlitis praebuit, p. 470. a. Diuerſum ab hoc eſt aliud deſertum Sin, ſeu potius ZIN, (eſt enim in ebraeo צין, vt prius illud סין) in finibus auſtralibus Cananaeae. ipſam etiam Kadesbarneam complexum, vid. RELANDVS, *lib. I. cap. XXV. p. 117.*

SINA, vel SINAI, item HOREB, mons in deſerto Arabiae, legis promulgatione nobilitatus: deſcriptionem eius vid. p. 485. a

SODOMA, praecipua vrbium, quae igne diuinitus immiſſo euerſae ſunt, vid. p. 233. a. ſeqq. Creditur vulgo Asphaltiten lacum ex hac euerſione ortum, ſed refellit hanc ſententiam vir doctiſſimus HADRIANVS RELANDVS, *Palaeſt. lib. I. cap. XXXVIII. p. 254. ſeqq.*

SVCCOTH, ſtatio ſecunda Israëlitarum, cum egrederentur ex Aegypto, p. 469. a. Eſt etiam vrbs in tribu Gad, *Ioſ. XIII. 27.* Succothanos infortunio mactauit Gideon, p. 703. a.

SYRIA, proprie ea eſt, quae Ebr. ארם vocatur, cuius pars Tigri & Euphrate intercepta eſt MESOPOTAMIA, p. 599. b. De diuerſis nominis huius acceptionibus vid. RELANDVS, *lib. I cap. VIII. p. 42. ſeqq.*

TA-

Digitized by Google

T

TAMNATSARA, locus habitationis Ioſuae in tribu Ephraim, p. 674. b.

THABOR, mons, in confiniis tribuum Iiſſaſchar, Zabulon, & Naphtali, p. 693. b. Graecis etiam Ἀταβύριον vel Ἰταβύριον ὄρος dicitur, ſitus eſt in planitie, nec alium montem vicinum habet, plantiſque & floribus abundat. Vulgo in hoc monte creditur Chriſtus praeſentibus Petro, Iacobo & Ioanne glorificatus; ſed rationes hac de re dubitandi haud improbabiles adfert HADRIANVS RELANDVS, *lib. I. cap. LI. p. 334. ſeqq.*

THAHAT, ſtatio Iſraëlitarum in deſerto XXIII. p. 504. a.

THARA, ſtatio XXIV *ibid.*

THARSIS, quae regio ſit, diſputatur, p. 178. b.

THEMA, Arabiae deſertae vrbs, cui nomen dediſſe videtur THEMA, Abrahami ex Kethura filius, p. 375. b.

TIGRIS, inter Paradiſi fluuios refertur a IOSEPHO, p. 87. a.

TOBITIS, terra, in quam Iephta a fratribus expulſus ſe receperat, p 710. a b.

TROGLODYTICA regio, ab Abrahami ex Kethura filiis, ſi fides IOSEPHO, occupata, vid. p. 241. b.

TSALMONA, TSEPHATA, vide in Z.

TYRI, vrbis antiquitates quaſdam vide p. 788. a. Eruditiſſime de illa diſputat, ſed ex profanis maxime HADRIANVS RELANDVS, *Palaeſt. lib. III. p. 1046. ſeqq.* Illud noſtri inſtituti eſt, quod *p. 1047.* obſeruat, non poſſe TYRVM intelligi per מבצר צר *Ioſ. XIX. 29.* cum numquam illam occupaſſe Iſraëlitas certum ſit, nec tamen inter eas vrbes recenſeatur, ex quibus *Iud. I. 31.* Iſraëlitae dicuntur non potuiſſe expellere Cananaeos.

V

VAHEB, ſiue MATTHOR in SVPHA, vide p. 516. a.

de VR Chaldaeorum prolixe diſputatur, p. 205. b. ſeqq.

VTZ, terrae patriae Iobi ſitus, p. 295. b. In Idumaea non eſſe collocandam, quod ex *Thren. IV. 21.* & *Ier. XXV. v. 20.* colligi poſſe videtur, inde probat HADRIAN. RELANDVS, *Palaeſtin. lib. I. cap. XII. p. 72.* quod ita non potuiſſet accenſeri *Iobi I. 3.* filiis orientis, nec ita facile Chaldaeorum & Sabaeorum inuaſioni expoſitus fuiſſet.

Z

ZALMONA, ſtatio XXXV Iſraëlitarum in deſerto, plaga ſerpentum ignitorum, & *ſigno* aeneo, vnde forte nomen, notabilis, p. 513. a.

ZARETHAN, vrbs non procul a Iordane, vide p. 639. b.

ZEBOIM, vna vrbium, quae cum Sodoma periere, p. 233. b. item alia in tribu Beniamin, *Neh. XI. 34.* vallis ZEBOIM, *I. Sam. XIII. 8.*

ZEPHATA, vrbs tribus Simeon, CHORMA deinceps adpellata, p. 681. a ſeq.

ZERED,

Digitized by Google

ZERED, vallis vel torrens, in finibus Moabitarum, p. 516. a.

ZIDON, vide SIDON.

ZOAN, vrbs antiquiſſima Aegypti, p. 240. a. regia Pharaonum, p. 268. a.

ZORA, ZOREA, item SARAN, vrbs tribus Iudae, *Ioſ. XV. 33.* tributa Danitis, *Ioſ. XIX. 41.* vide in CHESBON & DIBON, patria Simſonis, p. 718. a. ſeqq.

INDEX LOCORVM SACRAE SCRIPTVRAE,

QVAE AVT EXPLICANTVR AVT ILLVSTRANTVR.

Gen. I 1.	p. 53. a ſeqq.	Gen. VI. 4.	138. a.
2.	54. b. ſeqq.	9.	133. a ſeqq.
3 ſeqq.	57. a. b.	14. ſeqq.	140. a.
14. ſeqq.	59. ſeqq.	VII. 11.	145. a.
20. ſeqq.	60. ſeqq.	VIII. 21.	155 b.
27.	75.	IX 4.	159. a.
31	66.	20. ſeqq.	163. a. ſeqq.
II. 3.	81. ſeqq.	25. ſeqq.	165. a. ſeqq.
7.	74.	26.	155. a.
8. ſeqq.	88 a. ſeqq.	X. integr.	174. b. ſeqq.
17.	96. b.	8.	182. a ſeqq.
19.	75. ſeqq.	11.	185. a. ſeqq.
III. integr.	96. ſeqq.	XI. 4.	170. b.
13.	94. a.	7.	154. a.
14. 15.	99. ſeqq.	26.	159. a.
IV. 1.	103. ſeqq.	XII 5.	207. b. & 331. b.
3. 4. 5.	177. b. ſeqq.	XIV. 13.	188. a.
6.	119. a. ſeqq.	14.	210. b. & 332. a.
7.	119. a. ſeqq.	15	215 b. ſeqq.
13.	121. ſeqq.	XV. 6.	218. a. ſeqq. 304. a. ſeqq.
15.	121. b. ſeqq.	18	219. b.
20. 21. 22.	123. ſeqq.	XVIII. integr.	300. a.
23. 24,	124.	XIX. 24	233. b.
26.	128. a ſeqq.		it. 302. a.
V. 24.	129. a. ſeqq.	25.	233. b.
29.	133. a. ſeqq.	26.	ibid.
VI. 2.	137. b. ſeqq.	XX integr.	227. b.
3.	139. a.	XXI. 14. ſeqq.	228. b.

Gen. XXIV. 53.	307. a. ſeqq.
XXV. 8.	244. b.
22. ſeqq.	248. a. ſeqq.
25.	245. a.
XXVII. integr.	249. a. ſeqq.
XXVIII. 12	253. a. ſeqq.
16. ſeqq.	255. b.
20.	308. a. ſeqq.
XXX. 27.	341. a. ſeqq.
37.	323. a.
XXXII. 24. ſeqq.	258. a. ſeqq.
XXXIII. 20.	261. a.
XXXV. 2.	336. a.
4.	262 a. ſeqq.
XXXVI. integr.	377. b. ſeqq.
24.	545. a.
XLI. 38.	264 b. ſeqq.
42. ſeqq.	265. a. ſeqq.
XLII. 16.	266. a. ſeqq.
XLIV. 5. 15.	ibid.
XLVI. 34.	370 a. ſeqq.
XLVII. 30.	270. a. ſeqq.
XLVIII. 15. ſeq.	272. b. ſeqq.
22.	272. b. ſeqq.
XLIX. 10.	273. a. ſeqq.
L. 19. 22.	286. a.
Exod. I. 19.	443 a.
II. 10.	391. b.
III. 2.	395 b.
13.	401. a.
14.	ibid.
IV. 24.	406 a.
VI. 3.	402. b.
VIII 26.	371. a.
XIII. 18.	455. a.
XV. 25.	469. ſeqq.
XVI. 13.	471. b. ſeqq.
XVII. 5.	477. a ſeq.
Exod. XVII. 16.	481. a.
XVIII. 2.	408. b.
14.	481. a.
XXIV. 1.	412. b.
20.	489. b.
25. ſeqq.	490. b.
32.	414 a.
XXXIII. 1. ſeqq.	415. a. ſeqq.
7.	416. b.
12.	ibid.
18. ſeqq.	417. b. ſeqq.
XXXIV. 29.	419. b. ſeqq.
Leuit. X. 1.	492. a.
9.	494. a.
Num. X. 31.	463. b.
XII. 1.	421. a. ſeqq.
XIII. 3.	500. a.
33.	501. a.
XIV. 14.	462. a. ſeqq.
XVI. integr.	508. a. ſeqq.
XX. 11. 12.	422 a.
14. 21.	511. a.
23.	ibid. ſeqq.
XXI. 6. ſeqq.	513. a.
18.	516. b.
XXIV. 17.	530. a.
XXV. 4.	518. b.
13.	735. a.
XXVI. 54.	673. a.
Deut. II. 29.	511. a.
IV. 7. 8.	533 b. & 535. a.
20.	440. a. ſeqq.
VIII. 4.	524. a. ſeqq.
X. 6.	512. b.
XVIII. 10. ſeqq.	618. a.
15.	528. b.
XXVII. 2. ſeqq.	655. b.

Deut. XXXII. 9. 673. b.
XXXIII. 5. 430. a.
Ioſ. III. 16. 638. a.
V. 2. 407 a.
13. 14. 741. b.
VI. 2. 649. a.
VII. 19. ſeq. 743. a.
XIIX 1. ſeq. 743. b.
XXI. 1. ſeq. 674. a. ſeq.
XXII. 17. 755. a.
XXIV. 1. it. 26. 6-5. a.
12. 676. a.
Iudic. II. 7. 8. ſeqq. 681. b.
6. ibid.
V. 8. 692. b.
20. 693. b.
25. 694. b.
28. 215. b.
VI. 22. ſeqq. 697. b.
X. 8. 708. b.
XVII. 4. ſeqq. 338. a.
XVIII 30. 753. a.
I. Sam. II. 12. ſeq. 735 a.
XV. 23. 887. b. ſeq.
XIX 13. 338. b. it. 341. b.
I. Reg. XV. 13. 616. b.
XVI. 31. 756. a. ſeqq.
XVIII. 21. 26. 757. a.
II. Reg. XX 11. 664. a.
Pſalm. XCIX. 6. 630. a.
Kohel. VII. 30. 92. b.
Iob. XIX. 25. ſeq. 297. b.
Ierem. IX. 25. 223 b.
XIX. 5. 756. b.
Ierem. XLIX. 31. 376. b.
Ezech. XX. 4. 7. 8. 534. b. 536. b.
Hoſ. IV. 13. 14. 616. b.
VI. 7. 78. a.
Amos V. 26. 548, a. ſeq. 612. a. ſeq.
Mich. V. 5. 186. b.
Zeph. I. 5. 608. b.
Matth. XVII. 3. 424. b.
Ioan. I. 51. 255. a.
III. 14. 515. a.
VIII. 44. 91. b.
Actor. VII. 2. 206. b.
14. 267. a.
16. 241 a.
22. 366 a.
43. 608 b 312. a.
51. 482. a.
XIII. 8. 533. b. ſeq.
20. 733. b.
XV. 29. 159 a.
Rom. IX. 10. ſeq. 248. b.
I. Cor. X. 4. 478 b.
Galat. III. 19. 483. b.
IV. 3. 535. b. & 538. a.
Epheſ. II. 14. ſeq. 539. a.
Colloſſ. III. 11. 193. b.
Ebr. II. 2. 483. b.
XI 21. 271 a.
XII. 16. 247. a. ſeq.
I Petr. I. 12. 554. a.
Ep. Iudae, v. 11. 125. a.
13. 425. a. ſeqq.

INDEX

INDEX RERVM MEMORABILIVM.

AARONIS peccatum circa μοσχολατρείαν Iſraëlitarum, p. 413.
R. *Iſaac* ABARBANELIS de ſerpente ſeductore ſententia, p. 97. b.
ABEL, vnde nomen acceperit, 115. a.
ABEN ESRAE locus de nomine Moſis, 392. a. an negauerit Moſen auctorem eſſe pentateuchi? 433. a ſeqq.
ABIMELECH, Geraris rex, 226. a. 242. a. Gideonis filius, 704. a. ſeqq.
ABRAHAM, an fuerit idololatra, 205. a. quoties vocatus a Deo, 206. a. ſeqq. an rex Damaſci, 208. b. ſeqq. 318. a. ſeqq. fedus cum Deo pangit, 218. a. ſeqq. eius decem tentationes, 226. a. ſeqq. latet ſub nomine Saturni, 231. b. eius & poſterorum doctrina, 300. a. ſeqq. an monarcha, 318. a. ſeqq. eius eruditio, 319. ſeqq. libri, qui ſub eius nomine feruntur, 325. a. ſeqq. hiſtoriae eius veſtigia apud gentiles, 354. a. ſeqq. ab Alexandro Seuero in larario cultus, ibid.
R. ABRAHAM, auctor libri Iuchaſin, 16. a.
R. ABRAHAM *ben Dauid*, auctor Sepher Hakkabala, 17. a.
ABRAHAM Echellenſis, 18. b.
ABVLPHARAIVS, hiſtoricus arabs, 18. b.
ABYDENVS, chaldaicarum rerum ſcriptor, 26. a.
in ACHAZI ſciaterico quale miraculum factum, 664. b. ſeqq.
ACRISIVS, 807. b. ſeqq.
ADAM, an ἀνδρόγυνος, 74. a. ſeqq. eius corpus, an διαφανὲς, 74. b. eruditio, 75. ſeqq. poſt lapſum, 119. a. an ſaluatus? 110. b. ſepultura, 111. a. ſeqq.
ADONIBEZEKI fatum, 679. b.
ADVLTERIVM, an ante legem non illicitum? 106. a. b.
AEGYPTIACARVM rerum ſcriptores, 21. a. ſeqq.
AEGYPTIAE gentis fabuloſa antiquitas, 68. b. ſeqq. vera origo a Mizraim, 180. b. res Aegyptiorum a diluuio vsque ad Moſen, 358. a. ſeqq. eruditio, 365. b. ſeqq. theologia, 367. b. ſeqq. ſuperſtitio & idololatria tempore Abrahami & poſterorum, 368. a. ſeqq. tempore Moſis, 605. ſeqq. an per aenigmaticam interpretationem excuſari queat? 369. a. ſeqq. magi aegyptii, 596. ſeqq. oracula, 626. b. ſeqq.
AEGYPTI mira fertilitas & incolarum multitudo, 459. a. ſeqq.
AENIGMATA in conuiuiis proponendi conſuetudo, 722. a. ſeqq.
AEQVIVOCATIONVM vanum praeſidium, 281. b. ſeqq.
AETHIOPES Chuſi poſteri, 179. a. ſeqq.
AI vrbis excidium, 652. ſeqq.
R. AKIBHA, num auctor libri Iezira, 325. b.
ALCINOI horti, paradiſi ſymbolum, 113. b.
Nat. ALEXANDRI de oblatione Melchiſedeci ſententia, 215. a. ſeqq. de Iacobo fratre circumueniente, 250. a.

Digitized by Google

ALEXANDER polyhiſtor, 19. a. 21. a. 23. a. de Babyloniorum chronologia, 71. b.
ALEXANDER Seuerus, imper. quos in lario coluerit. 355. b.
Leo ALLATIVS, Ioſepho iniquus, 8. b. ſeqq.
ALPHABETICVM Henochi, 131. a.
Iac. ALTINGII de ſcholarum antiquitate locus 330. b. ſeqq. 751. a.
AMALEKITAE, 378. b. exſtirpari iubentur a Deo, 480. b.
AMBROSII de adulterio ante legem haud illicito ſententia, 110. a. ſeqq.
AMENOPHIS, Aegypti rex, 637. a. ſeqq.
AMOSIS, Aegypti regis, aetas, 634. a. ſeqq.
AMPHYCTIONVM concilia, 808. b.
AMRAPHEL, rex Babyloniae, 372. b.
ANAKAEORVM fata, 668. b. ſeqq.
Ἄνακτες, cur reges & dii? 379. b.
ANAXIMANDRI de origine hominum ſententia, 64. a.
de ANGELIS patrum ſententia, 137. a. non deliberat cum illis Deus, 154. a. angelus Dei, filius Dei, 396. b. ſeqq. 415. b. add. 488. b. 742. a. ſeqq. angelorum quale fuerit miniſterium in promulgatione legis, 482. a. ſeqq.
ANIMA vitarum, 74. a. anima an gaudeat naturali vaticinandi facultate? 627. b. ſeqq.
ANIMALIVM in munda & immunda lege Moſis facta diſtinctio, 584. b. ſeqq. tempore Noachi, 142 a.
ANNACVS, an Henoch? 132. b.
ANNALIVM V. T. ſcriptores, 34. ſeqq.
ANNI Aegyptiorum num menſtrui, 169. b. patriarcharum, vnde coeperint, 142. a. ſeq. anni duplex, apud Ebraeos initium, 447. b.
ANNII Viterbienſis fraudes, 27.
ANTHROPOTHYSIA veterum, 230. b. add. 613.
ANTIQVITATES iudaicas, qui explicauerint, 37. a. ſeqq.
ANTON. IVLIANVS de Iudaeis ſcripſit, 19. a.
Απατήρια feſtum, 816.
APION de rebus iudaicis ſcripſit, 19. a. obiicit Iudaeis ὀνολατρείαν, 544. b. ſeqq. aegyptiacorum libros quinque ſcripſit, 23. a.
APIS, an Ioſephus, 356. bouis ſpecie cultus, 606. a. ſeqq. oracula edit, 627. b. ſeqq.
APOLLONIVS MOLO contra Iudaeos ſcripſit, 19. a. b.
APPIANVS, 29. a.
AQVAE ſubterraneae, 145. a.
ARABVM ſuſpecta in hiſtoricis fides, 16. b. pater Iaketan, 182. b. ſtatus antiquiſſimus, 375. b. ſeqq.
ARAM, Syrorum pater, 181. b. ſeqq.
ARBOR ſcientiae boni & mali, 79. ſeqq. vitae, 80. b. ſeqq.
ARCA Noae, 139. a. federis, 550. ſeqq. vna tantum fuit, 743. b.
ARGIVORVM antiquum regnum, 379. a. ſeqq. add. 654. 807.
ARISTAEAS de Iudaeis ſcripſit, 19. b. eius narratio de Iobo, 290. a.
ARISTOBVLI locus de Moſe aquis extracto, 629. b.
ARISTOTELIS de mundi origine ſententia, 51. a refutatur, 54. b. 55. b. an Lucanum Pythagoraeum exſcripſerit, 162. b. ſeqq. eius de hominum origine

cum

cum ſcriptura ſacra conciliari non poteſt, 63. a.
ARNOBII de Zoroaſtribus locus, 588.
ARTAPANVS ſcripſit Iudaica, 19. b. eius de tranſitu Iſraëlitarum per mare rubrum narratio, 464. b.
ARTES pleraeque a malis inuentae, 123. ſeqq.
R. ASARIAE ſententia de vrim & thummim, 560. a.
ASCANIA, Aſcanius lacus, 176. b.
ASCENASI poſteri, 126. b.
אשם & חטאת quomodo differant, 5 6. a. ſeq.
ASCHERA vel Aſcheroth, eadem quae Aſtaroth, 760. a,
ASCLEPIVS, Hermetis liber, 348. b.
ASINA Bileami, 518. a. ſeqq.
ASINVM accipere a ſubiectis, regii dominatus ſignum, 506. b.
ASINVS, an a Iudaeis cultus, 545. a. ſeqq.
ASSVR, *Gen. X. 11.* viri nomen, non loci, 83. b.
ASSYRII & Babylonii ſaepe confunduntur, 186. b.
ASSYRIACI regni ſubleſta antiquitas, 184. ſeqq. 773. b. ſeqq. 373. b.
ASTAROTH quale numen, 759. a. ſeqq.
ASTROLOGIAE iudiciariae antiquitas, 618. b. ſeqq.
ASTRORVM cultus antiquiſſimus, 135. a. ſeqq.
Georg. ATAIDES, 216. a. ſeqq.
ATHEISMVS, vitium antediluuianorum, 37. a. 125. b. ſeqq. 158. b. ſeqq.
ATHENIENSIVM origines, 380. a. ſeqq. add. 809 a. ſeqq.
ATHOTES, 347. b. 358. b.
ATTICA, 380. b.
ATTIS, 383. b.
AVGVRIA, 620. a. ſeqq.
AVGVSTINI de Iacobi fraude contra Eſauum ſententia, 249. b. de origine fabularum & ſuperſtitionis graecae, 796. a. ſeqq.
AVREVM ſaeculum ſtatus innocentiae ſymbolum, 114. a.
Αὐτοχειρία Simſonis, 730. b. ſeqq.
AZAZEL quid? 571. a. ſeqq.
AZYMORVM feſtum, 454. a. ſeqq.

B

BAAL & BAALIM generatim, 755. b.
BAAL BERITH, 761. b. ſeqq.
BAAL PEOR quale numen, 615. b. ſeqq.
BABELICAE confuſionis hiſtoria, 168. a. ſeqq.
BABYLON quando condita, 775. ſeqq.
BABYLONICI regni fabuloſa antiquitas & potentia reiicitur, veraque eius hiſtoria ſtabilitur, 186. a. ſeqq. 372. a. ſeqq. 773. b. ſeqq.
BABYLONII & Aſſyrii ſaepe confunduntur, 186. b. ſeqq.
BACHI cultus obiectus Iudaeis, 547. a. ſeqq. ipſis etiam ethnicis inuiſus, 544. a. ſeqq. 795. a ſeqq. Bachi hiſtoria, 793 a. ſeqq. Noachus ſub eo latet, 796. a. ſeqq.
BAELII dictionarium, 39. b.
Βαιτύλια, 256. a. ſeqq.
BALAKI character, 517. a. ſeqq.
ברא, quid ſignificet, 54. a.
BARAK, 692. b. ſeqq.
BARBARISMVS antediluuianorum, 193. a. ſeqq.
Caeſar BARONIVS Ioſepho iniquus, 8. b.

Caſp. BARTHII de Hegeſippo ſententia, 13. a.
Iac. BASNAGE *hiſtoire des Iuifs*, 12. b.
BATRICIDES hiſtoricus arabs, 18. a.
באק, quid ſignificet? 527. b. ſeqq.
Balth. BEBELII ſtudium antiquarium commendatur, 38. b. de ſacramentis poſt lapſum ante legem eius ſententia, 104. b. ſeqq.
Βέβηλος, cur dicatur Eſauus? 311. b. ſeqq.
BELVS, an Nimrod, 185. b. ſeqq. add. 775. b. ſeqq.
BENEDICTIONIS in lege Moſis ratio, 582. a. ſeqq.
Io. BENEDICTI de Iobo ſententia, 294. a. ſeqq.
BENIAMINITARVM ſcelus & ſtrages, 648. a. ſeqq.
Claud. BERIGARDVS aeternitatem mundi adſerit, 50. a.
Ed. BERNARDI de nomine Moſis ſententia, 392. a. ſeq.
BEROSVS, 25. b. ſeq. mendax, 70. b.
BILEAMI memorabilia, 599. a. ſeq.
Sam. BOCHARTI *Canaan* laudatur, 25. a. Phaleg, 174. b. ſeq. ſententia de paſtoribus, cur Aegyptii eos abominati fuerint, 370. b. de Phoenicum nomine & originibus, 374. a. de ſerpentibus ignitis, 511. b. ſeq.
BOEOTIORVM origines, 380. a. ſeq.
Iac. BONFRERIVS, de geographia ſacra bene meritus, 43. a.
Lud. BORGESII de Melchiſedeco ſententia, 210. a. ſeq.
Iac. BOVLDVCII quaedam commenta, 130. a. ſeq. de Kenaeis, 751. b. ſeq.
Io. Frid. BREITHAVPTIVS, Ioſephi Gorionidis editor, eiusque de hoc ſententia, 14. a. ſeq.
Petr. BRINCH *examen chronologiae & hiſtoriae Ioſephi*, 9. b.
Bar. BRISSONIVS, de *regio Perſarum principatu*, 28. b.
Thom. BROWNE hiſtoriam creationis allegorice explicari vult, 56. a.
BVRNETII geogonia refellitur, 59. a. ſeq. opinio de paradiſo, 84. b. ſeq. de diluuio, 137. a. ſeq. de iride, 153. a. ſeq.
BVSIRIS aegyptius, 759. b.

C

CABIRI, Cybeles ſacerdotes, 383. b.
CADMI hiſtoria & geſta, 788. b. ſeq.
Andr. CAESALPINVS aeternum fuiſſe mundum credidit, 50. a. de hominum origine abſurde ſentit, 71. b. ſeq.
CAIN, vnde nomen acceperit, 115. a. coll. 103. a. reliqua eius, 115. a. ſeq. Cainitae, 122. ſeqq. an haeretici? 125. a. ſeq.
CAINAN, quem οἱ ό textui intrudunt, 187. ſeq.
CALEB, 670. a. ſeq.
CALLIMACHI verſus de ſepulcro Iouis, 383. a.
CALLISTHENIS de Babyloniorum chronologia narratio, 72. a.
Abr. CALOVII *chronicon biblicum*, 41. a.
CANAAN Chami filius, 164. b. ſeq. 180. a. ſeq. terrae Canaan fertilitas, 599. a. ſeq.
CANANAEI, an omnes internecione deleri Deus voluerit? 656. ſeq.
CAPITA fluuiorum in paradiſo, 886. ſeq.

CAP-

CAPPADOCES, Thogarmae poſteri, 178. a. ſeq.
Hier. CARDANVS ex putredine naſci potuiſſe homines adſeruit, 65. b. ſeq.
CARIONIS chronicon, 34. a.
CARNIVM eſus, vide κρεοφαγία.
Iſ. CASAVBONI de Ioſepho iudicium, 10. b. it. de altero Ioſepho Gorionis, 15. a.
CASLVCHAEI, Colchi, 223. a. ſeq.
CATARACTAE caeli, 145. b.
CATHAN idem qui Iaketan, 182. a.
CECROPS, 381. a. it. 382. a.
Ge. CEDRENVS, 33. a.
CEILAN inſula, an ſedes paradiſi, 87. a.
Chriſt. CELLARIVS de principio regnorum & hiſtoriarum, 28. a. eius geographia antiqua laudatur, 42. b. hiſtoria antiqua, 44. a. eius ſententia de paradiſo, 87. b.
CELTAE Gomeris poſteri, 175. a. ſeq.
CENSORINI locus de origine hominum illuſtratus, 63. a. ſeqq.
CHAEREMON hiſtoriam aegyptiacam ſcripſit, 23. a.
CHALDAEA lingua non eſt primigenia, 188. a. ſeqq.
CHALDAEORVM philoſophia ante Moſen, quae fuerit, incertum, 353. a. ſeqq.
CHALDAICARVM rerum ſcriptores, 55. b. ſeqq.
CHAMI eruditio, ſcripta, it. an alchemiae inuentor? 162. a. an Melchiſedec? 163. a. ſeq. an inceſtum commiſerit? 164. b. idem, qui Iupiter Hammon, 163. b. Menes, ibid. add. 359. b. ſeq. Mercurius, 343. a. ſeq.
CHAMOSCH, Moabitarum idolum, 617. b.
CHAOS gentilium quomodo a Moſaico תהו ובהו differat, 54. b. ſeq. oui ſigni.ficatione continetur, 113. a.
CHARON Lampſacenus περσικὰ ſcripſit, 27. a
חרטומים, qui ſint? 597. a. ſeq.
CHEMIA, Aegyptus, 359. a. ſeq. chemicae artis apud Aegyptios origo, ibid. add. 367. a. ſeq. non rudis fuit Moſes, 489. b. ſeq.
Ed. Herb. de CHERBVRY de religione gentilium, 38. a.
CHERVBIM quid? 111. a. b. ſeq. add. 550. b. ſq.
CHINENSIVM chronologia, 73. a. ſeq.
CHIROTHESIAS antiquitas, 313. b. ſq.
CHOBAB Moſis ſocer, 394. b.
חוברים qui? 379. b.
CHRONICON Alexandrinum, ſeu paſchale, alias faſti Siculi, 31. b.
CHRONOLOGIAE ſacrae ſcriptores, 40. a. ſeqq. eorum duae quaſi ſectae, 41. a. ſeq.
CHRYSOSTOMI de origine legum caerimonialium ſententia, 532. b.
CHVS Midianitarum & Aethiopum pater, 179. a. ſeq.
CICERONIS locus de Babyloniorum chronologia, 71. a. quomodo Stoici fabulas de diis explicent, 198. a. ſeq. de Mercuriis, 343. b.
CIMBRI vel CIMMERII, Gomeris poſteri, 175. a. ſeq.
CIRCVMCISIONIS origo, 221. a. ſeq. aegyptiacae & iudaicae diſcrimen, 222. b. non fuit προφυλακτικὸν aduerſus daemonem malum, 405. a. ſeq. a Ioſua ſollemniter inſtaurata, 643. a. ſeqq.

CLE-

CLEMENTIS Alexandrini de paradiſo ſententia, 84. a.
CLEODEMVS Malchus, de Iudaeis, 19. b.
Ioan. CLERICI laus, 34. a. quae circa geographiam antiquam praeſtiterit, 43. a. ſeq. compendium hiſtoriae vniuerſalis, 44. a. frigide nuditatem protoplaſtorum explicat, 95. a. ſeq. de ſacrificio Abelis quid ſtatuat, 118. a. ſeq. de Iubale & Tubulcaino, 123. a. ſeq. de diluuii vniuerſalitate, 145. a. ſeq. de Babelis ortu, 169. b. ſeqq. de circumciſione, 222. a. ſeq. de excidio Sodomae, 234. a. ſeq. de ſtatua ſalis, 238. a. ſeq. de angelo, qui cum Iacobo luctatus eſt, 259. b. ſeq circa Iacobi vltima, 270. a. ſeq. de Schilo, 277. b. de fide Abrahami, 304. a. ſeqq. de nomine Moſis, 310. b. ſeqq. de nomine Dei, 401. a. ſeq. de angelo Dei, 396. b. ſeq. 415. a. ſeq. de auctore pentateuchi, 432. a, ſeqq. de maris Erythraei tranſitu, 465. b. ſeqq. de igne Iſraëlitis immiſſo, 497. b. ſeq. de ſtatione ſolis tempore Ioſuae, 661. a. ſeq.
COCCEIANORVM ratio partiendi tempora, 6. a. ſeq.
COELVM pro Deo ipſo, 541. b ſeq.
COELICOLAE, qui? 542. a. ſeq.
COLCHORVM quaedam antiquitates, 224. a. ſeq.
COLVMNAE Sethi, 137. b. Mercurii, 348. a. ſeq. columna ignis, 460. a. ſeq.
Bern. CONNOR laudatur, 411. a.
Herm. CONRINGII de Aegyptiorum chronologia iudicium, 70. a. ſeq. de Moſis prudentia politica liberior ſententia, 427. a. ſeq.
CORYBANTES, 382. b. ſeq.
COTVRNICIBVS ſaturantur Iſraëlitae, 471. b. ſeq.
Phil. COVPLET locus de chronologia Chinenſium, 73 a. ſeq.
de CREATIONE mundi nihil certi conſtat rationi, 48 ſeq. creationis hiſtoria varie a variis explicata, & hypotheſibus philoſophorum adcommodata, 151. a. ſeq. canones ad eam rite intelligendam, 151. b. ſeq. litteraliter eſt explicanda, 52. a. rudera eius apud gentiles, 113. a. ſeq.
CRETENSIVM res antiquiſſimae, 382. b. ſeqq.
CROTOPVS Argiuorum rex, 381. b.
CTESIAS Cnidius, 27. b. ſeq. eius fabuloſa de Nino & Semiramide narratio, 773. b. ſeq.
CVBITI menſura arcae Noachi qualis, 140. a. ſeqq.
CVLTRI petrini, qui? 643. a. ſeq.
Petr. CVNAEI de Melchiſedeco ſententia, 212. a. ſeq. de paſtoribus, quos Aegyptii abominati ſunt, 370. b. ſeq.
CVPRESSVS, materia arcae Noae, 139. a. ſeq.
Steph. CVRCELLAEI, de χρεοφαγίᾳ antediluuianorum ſententia, 150. a. ſeq.
CVRETES, 382. b. ſeq.
CYBELE apud Phrygas culta, 383. b.
CYPRIANI de lapſu angelorum opinio, 92. a.

D

DACTYLI Idaei, 818. a. ſeqq.
DAEDALVS, 199. b. ſeq.
DAEMONVM cultus, 199. a. ſeq.
DAGON idolum, 763. a. ſeq.

Ant. van DALE, de origine idololatriae, &c. 38. a. ſeq. 128. a. ſeq. de oraculis veterum ethnicorum, &c. 628. a. ſeq. de columnis Phoeniciorum in Numidia, 768 a. ſeq. de Sanchoniathone, 782. a. ſeq.
Io. DAMASCENI de paradiſo ſententia, 84. b.
Nic. DAMASCENI de Abrahamo locus, 208. b. ſeq.
DANAVS, Argiuorum rex, 636. b.
DEBORA, 692. b. ſeq.
DECALOGI promulgatio, 482. b. ſeq.
DECIMARVM antiquitas, 315. a. ſeq. quid in lege Moſaica ſuper illis cautum ſit, 579. a. ſeq.
DELILA, 728. a. ſeq.
DEMOCRITI *Abderitae* de origine hominum ſententia, 64. b. hiſtorici, de ὀνολατρεία Iudaeorum locus, 544. b. ſeq.
DERCETO, an Dagon? 769 b. ſeq.
DESERTVM, per quod iter fecerunt Iſraëlitae, quale fuerit, 524. a. ſeq.
DEVCALIONIS DILVVIVM, quando contigerit? 381. b.
Edm. DICKINSON de arca Noae commenta, 140. b. ſeq.
DILVVII cauſae, 137. a. ſeq. tempus, 142. a. ſeq. vniuerſalitas, 143. a. ſeq. cauſſae proximae, 145. a. ſeq. diluuia apud gentiles celebrata, 147. b. ſeq.
DINO, de rebus Perſicis, 27. a.
DIO *Chryſoſtomus* Ilium captum negat, 819. a. ſeq.
DIODOR. Siculus, 29. a. ſeq. de chronologia rerum aegyptiarum, 69. a. babylonicarum, ſiue chaldaearum, 71. b. de ſermonis & linguarum origine locus, 76 b. ſeq. de cultu ſolis apud Aegyptios, 196. a. ſeq. de XII. tribubus Iſraëlitarum, 285. a. ſeq. de Mercurio, 343. a. ſeq. de ſapientia Moſis, 630 a. ſeq. de eius legislatione, 631. a. ſeq. de Nino & Semiramide, 773. b. ſeq. de Buſiride, 777. b. ſeq. de Seſoſtri, 779. a. ſeq. de Baccho, 794. a. ſeq. de Orpheo, 799. b. ſeq. de Erechtheo, 809. b. ſeq.
DIVINATIONVM ſpecies tempore Moſis, 618. a. ſeq. cur prohibitae, 626. a ſeq.
DIVISIO terrae Canaan, 669. b. ſeq.
DIVS phoeniciae hiſtoriae vetuſtus auctor, 26. b.
DODANIM Iauanis filius, 178. b. ſeq.
DODONAEA quercus, ibid.
DVBITATIONES quaedam noxiae, 93. b.
DYNASTIARVM aegyptiarum chronologia apud Manethonem, 21. a. ſeq. 68. b. ſeq.

E

EBRAEAE linguae conuenientia cum Cananaeorum, 173. a. ſeq. de Punica, 174. a. ſeq. antiquitas & diuina origo, 188. a. ſeq.
de EBRAEORVM republica qui egerint, 73. b. Ebraeus Abraham, 188. a. ſeq.
EDRIS idem qui Henoch, 130. b. ſeq. inprimis 132. b. ſeq.
EGLON Moabitarum rex, 689. a. ſeq.
EHVD, 689 a. ſeqq.
ELAM, Elamitarum pater, 181. a. ſeq.
ELEMENTA pro diis culta, 197. b. ſeq.
ELEVSINIA ſacra, 811. b. ſeq.

ELI, ſacerdos, 735 b. ſeq.
ELIHV, an Bileam, 599. a. ſeq.
ELISCHA, Lauanis filius, 176. b ſeq.
Ελιῶν, idem qui עליון, 200. b. ſeq.
ELMACINVS, hiſtoricus arabs, 18. a.
EMPEDOCLIS περσικά, 26. b. eius de origine hominum ſententia, 64. b.
Ἐμπυρισμὸς ſacrificiorum, ſignum complacentiae Dei, 119. a. ſeq.
ENOSCH, cultus diuini reſtaurator, 128. a. ſeq.
EPHOD, veſtis genus, 557. b. ſeq. it. 765. a. ſeq.
EPICVRI de origine mundi ſententia, 55. a. de origine hominum, 63. b. 64. b.
EPIMETHEVS, 381. a. ſeq.
EPIPHANII de IV. religionibus inane commentum, 193. a. ſeq. de vrim & thummim, 558. a. ſeq.
ERATOSTHENES, Cyrenaeus, 22. a. 69. a.
ERECHTHEVS, 810. a. ſeq.
ERYTHRA, an Eſauus? 355. b. ſeqq.
ESAVI peccatum, 247. b. ſeq. an idem qui Erythra, 355. b. ſeq. eius poſteri 377. a ſeqq.
Andr. Chriſt. ESCHENBACHII de poëſi Orphica opinio, 801. b. ſeq.
ETEOCLES & Polynices, 816. b.
EVAE creatio, 82. cur prior lapſa? 93. a.
EVPOLEMVS de Iudaeis quaedam habet, 20. a. b. 21. a.
EVROPAE fabula, 791. a. ſeq.
EVSEBII chronicon, 30. a. ſeq. de locis ebraeis, 42. a. ſeq. de origine idololatriae ſententia, 194. a. ſeq. de Sanchoniathone locus, 782. a. ſeq.
EXPIATIONIS feſtum, 570. b. ſeq.
EXPLORATORES a Ioſua miſſi, 645 b. ſeq.
EXTISPICINAE antiquitas, 620. b. ſeq.
EZECHIEL, Iudaeus, poëta tragicus, 20. a.

F

Ta. FABRI de origine obiectae Iudaeis ὀνολατρείας ſententia, 544 a. ſeq.
FABVLAE gentilium caute ad hiſtorias ſacras adplicandae, 114. a. Stoici eas ἀλληγορικῶς interpretabantur, 197. b. ſeq. fabulae Graecorum quando ortae, 797. a. ſeq.
FACIES Dei, filius Dei 417. a. ſeq. a facie ad faciem loqui, quid? ibid.
FASTI Siculi ſiue chronicon Alexandrinum aut paſchale, 31. b.
FAVSTVS Manichaeus, Abrahamo iniquus, 220. a. ſeq.
FEDERIS pangendi ritus antiquiſſimi, 218. a. ſeq.
FEDERALIS theologiae origines, 78. a. ſeq.
FEDVS operum, 77. ſeq. gratiae, 102. ſeq. huius oeconomia ſub lege Moſaica, 539. b. ſeq.
FEDVS Iſraëlitarum cum Gibeonitis quale? 656. a. ſeq.
FERTA, quaenam & quotuplicia? 578. a. ſeq.
FESTA Ebraeorum, eaque celebrandi ratio, 599. b. ſeq.
FILII Dei, an angeli, 137. a.
FRIDERICVS II. imperator, impietatis iniuſte adcuſatus, 426. a. ſeq.
Nic. FVLLERI, de occaſione obiectae Iudaeis ὀνολατρείας ſententia, 545. a.

G

Iac. GAFFARELLI, de teraphim ſententia, 337. a.

Io.

Io. GAGNIERII, de Ioſepho, Gorionis filio, ſententia, 15. b.
Iac. GAILIARDI de Melchiſedeco ſententia, 212. a. ſeq.
GALATAE, an Gomeris poſteri, 168. a. ſeq.
R. Dauid GANZ, auctor τȣ̃ *Zemach Dauid*, 17. b.
גזרין vel גזריא quid? 620. a. ſeq.
R. GEDALIA, auctor libri *ſchalſcheleth hakkabbala*, 16. a. ſeq.
Gilb. GENEBRARDI *chronographia*, 41. a.
Γενεσιȣ̃ργὸς יהוה, 244. a. ſeq.
GENTILIVM cum narratione Moſaica de origine rerum conſenſus, 113. a. ſeq. in religionem Iudaeorum conuicia, 541. b. ſeq.
GEOGONIIS gentilium Moſis hiſtoria creationis oppoſita, 51. b.
GEOGRAPHIAE ſacrae ſcriptores, 42. b. ſeq.
GERMANICAE gentis origines, 177. a. ſeq.
GIDEONIS geſta, 696. a. ſeq. idem eſt, qui Ierombal, 772. a. ſeq.
Mich. GLYCAS, *33*. a.
GOMERIS poſteri, 174. b. ſeq.
Lignum GOPHER, *139*. a. ſeq.
Ioſ. GORIONIDES, quis? 13. b. ſeq.
Io. Ern. GRABII de teſtamento XII. patriarcharum ſententia, 329. a. ſeq.
GRAECI Aſiatici Europaeis antiquiores, 176. a. ſeq. eorum populi antiquiſſimi, *378*. b. ſeq. religio, *380*. b. ſeq.
GRAECIA deorum officina, *199*. a. ſeq.
H. GROTII de origine ſacrificiorum ſententia, 116. a. de illo Abelis, 119. b. ſeq.
Nic. GVRTLERI *origines mundi*, 44. b.
Iac. GVSSETII de ſchilo ſententia, 280. a. ſeq.

H

HAGARENI, *376*. b.
HAGARIS eiectio, 228. b.
Herm. von der HARDT, de peccato Chami ſententia, 264. b. de Babelis ortu, 170. a. de circumciſione, 222. a. de ſtatua ſalis, 238. a. de columna ignis, 462. a. ſeq.
Io. HARDVINVS Ioſephi fidem eleuare conatur, 19. a. eius chronologia V. T. ex nummis, 42. b. de loco *Gen. XLIX.* 10. ſententia, *277*. b. de aetate libri Iobi, *294*. a.
HECATAEVS *Abderita*, de Iudaeis ſcripſit, 20. a. it. de Aegyptiis, 22. b.
--- *Mileſius* de rebus Perſicis, *27*. a.
de HEGESIPPO, doctorum ſententiae, 12. ſeq.
HEIDEGGERI *hiſtoria patriarcharum*, 39. a. de ſabbatho ſententia, 81. a. ſeq. de κρεοφαγίᾳ patriarcharum, 152. a. ſeq.
HELLANICVS *Mitylenaeus*, *27*. a.
HENOCH pius, 129. a. ſeq. de eius eruditione, 131. a. ſeq.
HERACLIDAE, 817. a. ſeq.
d'HERBELOTH *bibliotheca orientalis* commendatur, 19. a. ſeq.
HERCVLES, an Ioſua? *770*. a. ſeq. idem an omnino exſtiterit? an Simſon? *773*. a. ſeq.
HERMES, vid. MERCVRIVS.
HERODOTVS, *27*. a. ſeq. eius de circumciſione Iudaeorum locus, 221. a. ſeq. de aſtrologia Aegyptiorum, 617. b. ſeq. de oraculis eorumdem, 627. a. ſeq. de origine litterarum graecarum Phoenicia, 791. b. ſeq.

Digitized by Google

HIERACIDAE haeretici, 211. a. ſeq.
HIERICHVNTIS excidium, 648. b. ſeq.
HIERONYMVS, aegyptius, de rebus Phoeniciis ſcripſit, 25. a.
HIERONYMVS *Stridonenſis* de locis ebraicis, 42. b. ſeq. de teraphim ſententia, 337. ſeq.
HISPANIA, an Tharſis? 178. b. ſeq.
HISTIAEVS *Mileſius*, 25. a.
HISTORIAE eccleſiaſticae ſumma, 4. 5. vtilitas, 6. diuiſiones variae, 6. ſeq. vet. teſt. fontes, 7. ſeq. compendia, 35. ſeq. adminicula, 40. ſeq.
HISTORIAE litterariae & philoſophiae antiquae vtilitas & ſcriptores, 44. ſeq.
Thom. HOBBESIVS negat pentateuchum a Moſe ſcriptum, 432. b. eius ſententia de forma imperii iſraëlitici ſub iudicibus, 748. a. ſeq.
HOLOCAVSTA, 574. b. ſeq.
de HOMINVM origine gentiles quid crediderint, 61. a. ſeq. conſenſio quorumdam cum Moſe, 113. a. ſeq.
Io. Henr. HOTTINGERI *ſmegma orientale* compendium exhibet hiſtoriae eccleſiaſticae V. T. iuxta ſententiam orientalium, 18. b.
Andr. HOVTVYN, de imperio patriarcharum ſententia, 318. a. de imperio Moſis, 748. a. ſeq. add. 430. a. ſeq. iudicum, 748. a.
Vlr. HVBERVS, de aetate Aſſyriorum Creſiam ſequitur, 28. a.
Pet. Dan. HVETII de nomine Moſis ſententia, 392. a. ſeq. fruſtra vbique Moſen quaerit, 633. b. ſeq.
Iac. HVGONIS de Homero commenta, 819. a. ſeq.
Henr. HVLSII, de Melchiſedeco ſententia, 214. a. ſeq.
HYC & HYCSOS, quid apud Aegyptios, 361. a. ſeq.
Thom. HYDE, de religione Perſarum veterum, 28. b.

I

IABAL, an Pales? 133. a.
IAHIN, 691. a. ſeq.
IACOBVS, Eſauo benedictionem patris intercipit, 249. a. ſeq. libri qui ab ipſo ſcripti feruntur, 326. a. ſeq. eius apud exteros memoria, 354. a. ſeq.
IAELIS, factum, 694. a. ſeq.
IAIR iudex, 708. a. ſeq.
IAKETAN, Arabiae felicis incolarum pater, 182. a. ſeq.
IANNES & IAMBRES, 598. a. ſeq.
IANVS, an Noachus? 167. a. ſeq.
IAPHET in poſteris dilatandus, 165. b. eſt primogenitus Noae, ibid. idem, qui Neptunus, 167. a. ſeq.
Iſ. IAQVELOTIVS aeternitatem mundi deſtruit, 50. b.
IAVAN, Ionum pater, 175. b. ſeq.
de IDOLOLATRIA antediluuianorum quid ſentiendum, 135. ſeq. 138. a. ſeq. vera eius origo, 193. a. ſeq. incrementa tempore Abrahami & poſterorum, 332. a. ſeq. Moſis, 605. b.
IDVMAEI, an circumciſi? 225. a. ſtatus eorum antiquiſſimus, 377. b.
IEROMBAL, Gideon, 772. a.
IEPHTHAE geſta, 710. a. ſeq. an filiam immolarit? 712. a.
IETHRO Moſis ſocer πολυώνυμος, 394. b. ſeq.
Ἰευὼ idem qui יהוה, 200. b. 772. a.

IEVS idem qui ZEVS, 382. a.
Liber IEZIRA, 3 5. b.
Ἴλος idem qui אל, 200. b.
IMAGINVM cultus quando exortus, 199. a. ſeq. 369. b. ſeq.
IMAGO Dei, 75. ſeq.
IMMORTALITAS protoplaſtorum qualis, 80. b. ſeq.
de tribus IMPOSTORIBVS impia ſententia, 426. b. ſeq. liber, ibid.
INACHVS, 379. b.
INCANTATIONIS antiquitas, 621. b.
IOANNES ANTIOCHENVS MALALA, 31. a. monachus, ibid. b.
IOBI res ac fata, 389. a. ſeq. eius hiſtoria an vera? ibid. quando vixerit, 291. b. ſeq. quis auctor libri, 292. a. ſeq. eius religio, 297. a. ſeq.
יובל arietem notat. 649. a.
IONES a Iauane orti, 175. b.
R. IOSE BEN CHILPETA auctor libri *ſeder olam*. 17. a.
IOSEPHI patriarchae hiſtoria, 263. a. ſeq. ſapientia, 223. a. ſeq. iuſtitia, 324. b. ſeq. memoria apud exteros, 372. b. ſeq. an Apis? ibid.
IOSEPHVS, de ipſius ſcriptis & fide iudicium, 8. ſeq. fontes illius errorum, 11. a. ſeq. eius narratio de columnis Seth, 127. a. ſeq. de eruditione Abrahami, 320. a. ſeq. de paſtoribus, qui Aegyptum occuparunt, 360. a. ſeq. de Moſis natiuitate commenta, 390. a. ſeq. de tranſitu per mare Erythraeum, 464. a. ſeq. de aqua Marae, 470. b. ſeq. μοσχολατρείας Iſraëlitarum mentionem non facit, 491. b. non adcurate refert fatum Nadabi & Abihu, 493. a. ſeq. locus illius de forma reipublicae Iſraëlitarum, p. 590. a. ſeqq. de tranſitu per Iordanem, 640. a. ſeqq. de ſomnio Midianitae, 701 a. ſeq. de natiuitate Simſonis, 718. a. ſeq.
IOSVAE nomen & res geſtae, 638. a. ſeq. liber Ioſuae, a quo ſcriptus, 676. b. ſeq. eius memoria apud gentiles, 768. a. ſeq. an Hercules? 770. a. ſeq.
IOTHANVS, 507. b. ſeq.
IPHIGENIAE fabula, 354. b. ſeq. 772. b.
IRIS, ſignum non venturi diluuii, 153. a. ſeq.
ISAACI res, 242, a. ſeq.
ISIS, vide OSIRIS.
ISMAELIS prima, 229. a. poſteri, 375. a. ſeq. Iſmaëlitae Arabes, ib. b.
ISRAEL vocis etymologia, 375. b. Iſraëlitae in Aegypto, an obbrutuerint? 286. b. ſeq.
ISTHMIA, 813. b.
Tho. ITTIGII de Ioſepho iudicium, 11. a.
IVBAL, 123. a. ſeq.
IVCHASIN libri auctor, 16. a.
de IVDAEORVM rebus ſcriptores graeci veteres, 19. a. ſeqq.
IVDAEORVM ſubleſta in hiſtoricis fides, 19. a. ſeq. de origine ſacrificiorum ſententia, 115. b. Iudaeos ab Aegyptiis ortos quidam exiſtimant, 436. a ſententia de eorum origine Iuſtini, 438. a. Taciti, 438. b.
IVDICES qualis magiſtratus inter Iſraëlitas, 748. a. libri iudicum quis auctor? 752. b.
IVLIVS AFRICANVS, 22. b. inprimis 30. a.
IVPITER aër, 197. b. ſeqq. varia eius nomina, 200. b.
Petr. IVRIEV *hiſtoria cultuum, &c.* 38. b.

Digitized by Google

putat Chamum eſſe Melchiſedecum, 163. a. & 213. a. de peccato vxoris Lothi, 236. b. de Eſauo, 245. ſeq. de Baal, 755. b. de Baalberith, 761. b. de ephod Gideonis, 765. b. ſeq.
IVRISIVRANDI religio apud patriarchas, 308. b. ſtricta interpretatio exploditur, 687. b.
IVS Israëlitarum in terram Canaan, 641. a.
IVSTIFICATIO Abrahami, 304. b. ſeq.
IVSTINVS, Trogi epitomaſtes, de Iudaeorum origine quid ſenſerit, 209. a. 318. a. 438. a. locus de Moſis ſapientia, 630. a. de ſabbatho, 632. b.
IVSTVS Tiberienſis de Iudaeis egit, 20. a.
IVVENALIS de ſuperſtitione Aegyptiorum locus, 468. b. de legislatione Moſis, 631. a. de ſabbatho, 632. a.

K

an KABBALISTA Abrahamus? 322. b.
KARRAEORVM de tempore paſchatis celebrandi ſententia, 453. b.
קס▭ & קוס▭ quid ſignificet? 617. b.
KENAEI, 751. b. ſeqq.
Athan. KIRCHERI de Mercurio ſententia, 345. b. ſeq.
Κλῆρος, quid? 673. b.
KORACH ſeditionis auctor, 504. b. ſeq. eius filii non vna periere, 506. b. ſeq.
Κράσπεδα, fimbriae, Zizis, 584. a.
Κρεοφαγία, an ante diluuium licita? 118. b. it. 149. ſeq.
Wilh. Chriſt. KRIEGSMANNVS, de germanicae gentis origine, 177. b. ſeq. item 344. a. ſeq.

L

LABYRINTHVS, 815. a.
LACEDAEMONIS origo, 636. b.
LACTANTII de paradiſo occluſo ſententia, 112. a. de idololatriae origine, 195. b. ſeq.
LACTIS in ſacrificiis vſus, 118. a. ſeq.
Petr. LAMBECII error in rebus vetuſtiſſimis recenſendis, 12. a. *prodromus hiſtoriae litterariae*, 45. a.
LAMECH, impius, 123. a. ſeq.
LANA in ſacrificiis adhibita, 118. a. ſeq.
LAPIDES vngendi & conſecrandi mos, 255. a. ſeq. 313. a.
LAPSVS angelorum, 91. b. ſeq.
LAPSVS protoplaſtorum, 90. ſeq. tempus illius incertum, ibid. cauſſa non eſt Deus, 91. b. ſeq. in quo conſtiterit, 94. a. 82. a. lapſus hiſtoria proprie intelligenda, 96. a. ſeq.
LARIVM apud Romanos origo num a teraphim? 339. a.
LEGISLATORES gentium Moſen imitantur, 413. a.
LEGVM caerimonialium ratio non ab Aegyptiorum aliorumque ritibus petenda, 532. b. ſeq. num ſcopus praecipuus fuerit Chriſtus, 537. b. ſeq. fines ſecundarii, 538. b. ſeq. ſpecialium recenſus, 547. a. ſeq. legum forenſium iudaicarum praeſtantia, 504. a.
Melch. LEIDEKKERI archaeologia ſacra, 56. a.
LEVIRATVS iam ante legem in populo Dei vſitatus, nec tamen ab Aegyptiis deriuandus, 315. b.
LEVITAE Ephraimitici pellex ſtuprorum violentia moritur, 684. b.

LEVITARVM munera, 565. a. ſeq.
LIBAMINA ſacrificiis addita, 578. a.
LIBER recti vel iuſtorum, 754. a. ſeq.
LINGVARVM origo, 170. a. ſeq. confuſio, ibid. quae primigenia, 188. a. ſeqq.
LINVS, Orphei magiſter, 806. a.
LITERARVM inuentio, 187. a. ſeq.
vocis Λόγος apud gentiles ſacrosque ſcriptores diuerſa acceptio, 193. a. ſeq.
LONGAEVITAS patriarcharum antediluuianorum, 134. a. ſeq.
LOTH, fatum vxoris, 236. b. eius infirmitates & peccata, 239. a. ſeq.
ab LVCANO Pythagoraeo, an ſententiam de origine generis humani ſuam hauſerit Ariſtoteles, 61. a.
LVCIANI de diluuii narratio, 310. a. ſeq.
LVCRETII de rerum origine locus, 41. a. de linguarum origine, 77. a. de diis naturalibus, 197. b.
LVD, Lydiorum pater, 181. a.
Iob. LVDOLFI, de loco *Gen. XLIX. 10.* ſententia, 276. b. de שלוים 471. ſeq.
LVGENDI ritus antiquiſſimi, 495. b.
LVSTRATIO, patriarcharum tempore incognita, 262. a
LVSTRATIONES & LOTIONES Ebraeorum, 587. a. ſeq.
LVX primigenia quae? 57. a. ſeq.
LYDII, Ludi progenies, 181. a.

M

MACEDONIA Chittim, 179. a.
MACHIAVELLI de Moſe impia ſententia, 427. a.
MADAI, Medorum pater, 175. a.
MAGI miracula patrare non poſſunt, 410. a. ſeq. qui Ieſum adorarunt, Bileami ſucceſſores non fuere, 531. a.
MAGOGI poſteri, 175. a.
Io. Henr. MAII, de arbore ſcientiae boni & mali ſententia, 80 a.
MAIMONIDIS locus de מעוננים, *618.* a. מנחשים, *619.* a. מקשפים, *621.* a חוברים, *621.* b. אוב, *623.* b. ſeq.
MALA naturalia, an repugnent bonitati diuinae, 66. a. ſeq.
MAN, vel MANNA, quid? 474. a ſeq.
MANETHOS, ſcriptor vetuſtiſſimus, 22. a. de eius fide, 70. b. ipſius locus de aduentu paſtorum in Aegyptum, 360. a. ſeq.
MANICHAEORVM obiectio contra hiſtoriam creationis, 66. a ſeq.
MAONITAE, qui? 709. b.
Io. MARSHAMI *canon chronicus*, 24. a. ſeq. ratio computandi dynaſtias Aegyptiorum, 69. b. nimis nouam facit Babylonem, 185. a. ſeq. de ἀνθρωποθυσίας antiquitate ſententia, 230. b. de leuiratus iure, 315. a. Aegyptiorum hiſtoriae compendium, 358. b. ſeq. de pyramidum aegyptiarum aetate ſententia, 440. a. ſeq. de ſerpentibus igneis, 514. a. ſeq. de Seſoſtri, 780. a. Cadmo, 789. a. ſeq.
MATERIAE aeternitatem gentilium philoſophi omnes ſtatuerunt, 54. b. ſeq.
MATRIMONII inſtitutio, 82. a. ſeq. quae lege Moſaica in eo mutata vel ſeruata ſint, 589. a. ſeq.
MAXILLA aſini Simſon mille Philiſtaeos occidit, 726 b.
מכשפים qui? 620. b. ſeq.
MEDI, a Madai oriundi, 175. a.

ME-

MELAMPVS ſanat feminas Argiuorum inſanientes, 809. a.
MELCHISEDEC non eſt Chamus, 213. a. & 163. a. neque ſpiritus ſanctus, 211. a. neque angelus, 211. b. neque filius Dei, ibid. neque Semus, 212. b. ſeq. neque Henochus, 214. a. quis? 215. a.
MELCHISEDECIANI, 211. a. ſeq.
MELECHETH caeli, 761.
מנחשים, qui? 619. b.
MENANDER *Epheſius* hiſtoriae Phoeniciae ſcriptor, 24. b.
MENASSEH *Ben Israël*, epiſtola ad Chriſtoph. Arnoldum, de Ioſepho Gorionide, 14. a.
MENES, an Cham? 167. a. add. 358. b. ſeq.
MENONES Semiramidis maritus, 774. b. ſeqq.
מעננים qui? 618. b.
MERCVRII aegyptii res, 343. a. ſeq. libri, 346. b. ſeq.
MERRIS vel Thermuthis, Pharaonis filia, 390 a.
MESCHECH, Moſchorum pater, 176. a. ſeq.
METALLA, quando creata? 59. a. fundendi ratio, quo modo inuenta, 816. a.
METRODORVS Iliada Homeri allegorice explicat, 818. b.
Io. MEVRSIVS laudatur, 29. b.
MICHAE idololatria, 766. b.
MINERVA, ab Athenienſibus culta, 382. a.
MINOS Cretenſis, 815. a. ſeq.
MIRACVLORVM Moſis veritas, 456. a. ſeq. ſpiritus creati facere miracula non poſſunt, 410. a. ſeq. non ſunt ἀδύνατα, 411. a.
MIZRAIM, Aegyptiorum pater, 179. b. an Zoroaſtres? 352. a. ſeq.
MOCHVS, vel MOSCHVS, Phoenicius, 787. b.
Pet. MOLINAEI, de Melchiſedeco ſententia, 212. a.
MOLOCHI idolum, 608. a. ſeq.
Fr. MONCEIVS, *Aaronis purgati* auctor, 488. a. add. 553. a.
MONIOS, an dictus Moſes? 392. a. ſeq.
MONTES ante diluuium num fuerint? 145. a. ſeq.
MORTIS nomen in federe paradiſiaco, quid ſignificet? 95. b.
MOSCHI a Meſchech oriundi, 176. ſeq.
Μοσχολατρεία Israëlitarum, 486. a. ſeq. ab Aegyptiis deriuanda, 606. a. ſeq.
MOSES, eius nomen vnde? 391. a. ſeq. natiuitas, conſeruatio, educatio, 389. a. ſeq. quo iure Aegyptium interfecerit? 398. a. ſeq. an nomen Dei ignorarit? 401. a. ſeq. non fuit Spinoziſta, 405. b. ſeq vera miracula edidit, 409. a ſeq. propter ea magiae apud gentiles incuſatur, 410. a. ſeq. 631. b. ſeq. quoties in montem Sinai adſcenderit, 411. b. ſeq. praeſens in monte fuit, cum decalogus promulgaretur, 412. a. ſeq. tabulas legis confringit, 413. a. ſeq cum Deo a facie ad faciem loquitur, 418. a. ſeq. facies illius coruſcans, 419. b. ſeq. eius peccatum, 421. a. ſeq. vltima, 423. a ſeq. ab impoſturae calumnia vindicatur, 426. a. ſeq. eruditio eius, 426. a. ſeq. an ſacerdos? 429. b. ſeq. qua ratione populo praefuerit? 430 a. ſeq. fuit propheta omnium maximus, ibid. an primus ſcri-

ſcriptor? 432. a. ſeq. auctor pentateuchi, 433. a. ſeq. eius memoria apud exteros, 629. a. ſeq. an Mercurius? 346. b. ſeq.
MOTVS, an ſoli an terrae adſcribendus? 663. a. ſeq.
MVNDI aeternitatem, qui ſtatuerint, 49. a. ſeq. de origine mundi philoſophorum ſententiae, 54. b. ſeq. qua tempeſtate anni mundus conditus ſit, 67. a.
Seb. MVNSTERI de Ioſepho Gorionide ſententia, 13. b.
MVSAEVS, Orphei diſcipulus, 807. a.
MYSTERIORVM apud Aegyptios ſenſus, 369. a. myſteriorum & teletarum Orphicarum ratio, 800. b. ſeq.

N

NADABI & ABIHV caſus, 493. a. ſeq.
NANNACVS, vel potius ANNACVS, an Henoch? 132. b.
Natalis ALEXANDRI *hiſtoria eccleſiaſtica*, 35. de luce primigenia ſententia, 57. a.
NAZIRAEI, 580. b.
NECROMANTIAE antiquitas, 625. a.
נפילים, qui fuerint? 138. a ſeq.
NEPTVNVS idem, qui Iaphet, 167. a. ſeq. aqua, 197. b. Dagon, 764. a.
נזמים, inaures, amuleta, 336. b.
NETHINAEI, 746. b.
EX NIHILO nihil fit, principium philoſophiae gentilis, 54. a. ſeq.
NIMRODI hiſtoria, 182 a. ſeq.
NINI fabuloſa hiſtoria, 773. b.
NOACHI nomen & pietas, 133. a. ſeq. ſcripta, 161. a. apud gentiles memoria, 167. a. an Bacchus? 796. a. ſeq. an Priapus? 617. a. ſeq.
NOACHIDARVM praecepta, 156. a.
per NOCTES tempora numerandi conſuetudo, 113. b.
NOMEN DEI, an ignorarit Moſes? 401. a. ſeq. Nomen יהוה, an ignotum fuerit patriarchis, 401. a. ſeq. ἀνεκφώνητον, 401. ſeq. non conuenit cum Spinoziſmo, 405. b. ſeq
NOVILVNIORVM celebratio neque gentilibus ignota, 573. a. ſeq.
NVBES Iſraëlitas obumbrans, num a columna nubis diuerſa, 460. a. ſeq.
NVMENII de miraculis Moſis teſtimonium, 409. a. ſeq.

O

אוב, quid? 623. a. ſeq.
OECONOMIAE foederis gratiae tres, 104. a.
OEDIPVS, 816. b.
OG, rex Baſan, an Typhon? 517. b.
OGYGIS aetas, 380. a.
Gottfr. OLEARIVS, doctiſſimus Stanleii interpres, 36. b.
ON, Pheleti filius, an cum Koracho perierit, 507. a.
ONIROCRITICA, an Abrahami inuentum? 321. b. vel Ioſephi? 323. b. tempore antiquiſſimo viguit, 625. a.
Ονολατρεία Iudaeis obiecta, 545. a. ſeq. & inde chriſtianis, ibidem.
ORACVLORVM origo, 626. b. ſeq. add. 798. a. ſeq.
ORIGIA, 811. a.
ORIGENIS, de paradiſo ſententia, 84. b. de neceſſitate circumciſionis mirabilis opinio, 407. a. de Baal Peor, 615. b.

ORPHEI hiſtoria, inuenta, ſcripta, 799. b.

ORPHICORVM fragmentum de Abrahamo, 354. a

OSCVLVM, religioſi cultus ſymbolum, 195. b.

OSIRIDIS & ISIDIS cultus apud Aegyptios, 368 1. 606. a ſeq.

OVI nomine ſignificabant veteres chaos, 113. a.

Io. OWENI Θεολογύμενα, 38. b.

P

PACIFICA ſacrificia, 577. a.

PALES, a quo Palilia, num Iabal? 123. a.

PANDORA poëtarum cum Eua comparatur, 114. a.

פרע, quid ſignificet, 495. a.

PARADISVS, 83. ſeq. quomodo abolitus, 111. a. eius veſtigia apud gentiles, 113. b.

PARMENIDIS de origine hominum ſententia, 64. b.

PASCHATIS origo & ritus, 447. a. ſeq.

PASTORES Aegyptum occupant, i. e. Iſraëlitae, 359. a 360. a. ſeq. cur Aegyptiis exoſi? 370. a. ſeq.

PASTORITIA vita patriarchis placuit, 117. a

PATRIARCHARVM in familias poteſtas, 108. a. non fuit regia, 318. a. ſeq patriarcharum XII teſtamentum, 327. a. ſeq.

PAVSANIAE de regno Argiuorum locus, 809. a.

de peccatis typicis, 163. ſeq.

PELOPS, 89. a.

PENTECOSTE, 484. b. 568. a.

Iac. PERIZONII *origines aegyptiacae*, 24. *a*. 69. *a*. ſeq. *babylonicae*, 26. *b*. de confuſione linguarum ſententia, 172. a. ſeq. pyramidas ab Iſraëlitis exſtructas adſerit, 440. b. ſeq. Amoſin tempore exodi in Aegypto regnaſſe putat, 634. a. ſeq. de Seſoſtri, 779. b. ſeq.

PERSICARVM rerum ſcriptores, 26. ſeq.

Dion. PETAVII *doctrina temporum*, 40. *b*. *rationarium*, 44. *a*.

Caſp. PEVCERI de oraculis Graecorum locus, 799. a.

Iſ. PEYRERIVS prae-Adamitarum conditor, 66. a. pentateuchum a Moſe ſcriptum, negat, 432. a. ſeq. miraculum de ſole ſtante eleuat, 660. b.

Pauli PEZRON *antiquitas temporum reſtituta*, 42. *a*. 68. *a*. Celtas a Gomeritis deriuat, 175. a.

PHARAONIS nomen, regibus Aegypti commune, 365. a.

PHARAO, an ius habuerit Iſraëlitas retinendi? 318. b.

PHILISTAEORVM origines, 180. a.

PHILO *Byblius*, quomodo Sanchoniathonem interpretatus ſit, 782 a ſeq.

PHILO poëta, de Iudaeis quaedam habet, 20. a. ſeq.

PHILONIS Iudaei, de rubo ardente commentum, 395. b. ſeq. de columna ignis, 460. a.

PHOENICVM origines, 374. a. coloniae, 788. b. ſeqq.

PHORBAS, Argiuorum rex, 381. a.

PHORONEVS, 379. b.

PHOTII locus de exorciſmo per Deum Ebraeorum, 622. a.

PHRYGES, an Gomeris poſteri, 174. b. 177. a. eorum antiquitates, 373. b. ſeq.

PHY-

PHYLACTERIA ſine mandato diuino geſtant Iudaei, 584. a. ſeq.

PIACVLARIA ſacrificia, 575. a. ſeq.

Lud. El. du PIN linguam chaldaeam habet pro primigenia, 190. b. ſeq.

PINEAE factum, 519. b. ſeq. an belli dux fuerit? 521. a.

PLAGAE X Aegypti, 443. b. ſeq.

PLATONIS de mundi origine ſententia, 54. a. de hominum origine, 62. a.

PLINII de Babyloniorum chronologia locus conſideratur, 72. b. alius de coturnicibus, 472. b. ſeq. de oraculo Apidis, 627. b.

PLVTARCHI locus, de Aegyptiorum theologia, 369. a. de Iudaeis Bacchum colentibus, 543. a. ſeq. de iisdem porcum venerantibus, 546. a. de origine litterarum graecarum, 792. b. de myſteriis Graecorum, 803. b.

PLVTO, an idem qui Semus? 167. a.

POIMANDER Mercurii vel Hermetis, 348.

Trebell. POLLIONIS locus de aetate Moſis, 633. a.

POLYBIVS, 29. b.

POLYGAMIA Lamechi, 124 patriarcharum, 315. a. Iſraëlitarum, 589. a.

POLYONYMIA deorum polytheismum promouet, 200. a.

PONTIFICORVM de origine ſacrificiorum ſententia, 115. b.

PORCORVM cultus Iudaeis obiectus, 541. b. cur eos auerſentur, 546. a. add. 585. a. ſeq.

POTHIPHAR, quod munus gesſerit? 263. b. ſeq.

PRAEADAMITAE, 66. a. ſeq. in hiſtoria Caini non habent praeſidium, 122. b.

PRECES patriarcharum, 307. a. a Moſe quid de illis cautum, 580. a. ſeq.

PRIAPVS, an Baal Peor, 626. a.

PRIMITIAE, 579. a.

PRIMOGENITVRAE ius ante diluuium, 107. a. tempore Eſaui, 246. b. an ſacerdotium continuerit, 311. a.

PRINCIPIVM, quid ſignificet in creationis hiſtoria, 53. a.

PROCOPII narratio de Phoeniciorum columnis in Numidia, 769. a.

PROMETHEI fabula, 63. a. add. 381. a.

PTOLOMAEVS *Mendeſius*; aegyptiacorum ſcriptor, 23. a.

POVT vel PHVT, Chami filius, 179. b.

PYRAMIDES aegyptiae, quando exſtructae, 440. b. ſeq.

PYTHAGORAS circumciditur, 224. b.

PYTHONES, 623. b.

R

RAHAB, cauponaria an meretrix? 646. b. num recte egerit, exploratores recipiendo, ibid.

Ραψωδομαντεία, 618. b.

רקיע, ſiue expanſum, quid? 57. a. ſeq.

Chriſtian. RAVII *chronologia biblica*, 41. *b.*

REBECCA, quomodo Deum conſuluerit, 243. a. ſeq. an Iacobo benedictionem patris impetrando peccarit, 249. a.

REGNVM Dei duplex, naturae & gratiae, 4. a. ſeqq.

REGVEL, an Moſis ſocer? 394. b.

Thom. REINESII ἰσοϱϱέμενα *linguae punicae*, 25. *b.*

Digitized by Google

Hadr. RELANDI ſententia laudata de differentia τῶ אשם & חטאת, 5;7. a. ſeq

RELIGIO protoplaſtorum ſub federis ſchemate concipienda, 77 a ſeqq. poſt lapſum, 103. a. ſeq Abrahami & poſterorum, 300. a. ſeq. Iſraëlitarum ſub Moſe, 528. a. ſeq. conuicia in illam gentilium, 541. b.

REMPHAN, vel REPHAN, quale numen, 613. a. ſeq.

RERVMPVBLICARVM ante diluuium origo, 108. a. ſeq.

L. Coel. RHODIGINI locus de oraculorum origine, 628. b.

RIPHATI poſteri, 178. a.

ROMANARVM rerum origines, 721. b.

RVBVS ardens, cuius rei ſymbolum fuerit? 396. a.

RVTHAE hiſtoria, 740. a. ſeq. libelli Ruth quis auctor? 753. a.

Cl. RVTILII de ſabbatho Iudaeorum locus, 632. b.

S

SABAEISMVS, 333. a. b. ſeq. 196. b. ſeq.

SABATHARII Iudaei, 632. b.

SABBATHI inſtitututio, 81. a. ſeq. num ſabbathum fuerit ſacramentum, 105. b. gentilium de ſabbatho Iudaeorum teſtimonia, 631. b. ſeq.

SACERDOS ſummus eiusque officia, veſtes, &c. 554. ſeq. reliqui ſacerdotes, 563. b. ſeq.

SACRAMENTA paradiſiaca, 81. a. ſeq. poſt lapſum ante legem, 104. b. ſeq.

SACRIFICIORVM origo non ex ratione, nec hominum ingenio, ſed ex inſtitutione diuina deriuanda, 115. a. ſeq. ſacrificiorum varietas tempore Abrahami, 306. a. ſacrificiorum a Moſe inſtitutorum breuiter explicata ratio, 574. ſacrificia extra tabernaculum interdum oblata, 746. a.

Caſp. SAGITTARII de Sulpicio Seuero iudicium, 32. a.

SAGMINIS in ſacrificiis vſus, 118. a.

Iac. SALIANVS, 34. a. ſeq.

SALIS vſus in ſacris, 578. b.

Claud. SALMASII *notae in chronicon Euſebii*, 30. *b.*

SANCHONIATHON, 782. a. ſeq. quomodo interpretatus eum ſit Philo Biblius, 758. a. ſeqq.

SANGVINIS eſus, an in totum illicitus? 159. a.

Nic. SANSONII *geographia ſacra*, 43. *b.*

de SAPIENTIA veterum non ex hodierno ſtatu iudicandum, 11. b. ſeq.

SARAE forma, 226. b.

SARACENORVM nomen, 376. b.

SARVS, quid? 72. a.

SATVRNVS idem qui Noachus, 167. a. Abrahamus, 231. b. qui Molech, 610. b. ſeq. Sol, 6II b.

SATYRI. שעירים, 199. a.

Ioſ. SCALIGERI de Ioſepho iudicium, 10. a. ſeq. item, de altero Ioſepho Gorionis, 15. a. de Manethone, 71. a. eiusdem *theſaurus temporum*, 30. b. de *emendatione temporum*, 40. a.

SCENITAE Arabes, 377. a

SCHALSCHELETH HAKKABBALA. liber celebris, 17. a.

שלוים, quid? 471. a. ſeq.

de SCHILOH, 278. b. ſeq.

Seb. SCHMIDII, de arbore ſcientiae boni & mali ſententia, 80. a. ſeq. de ephod Gideonis, 765. b.
SCHOLAE publicae num a patriarchis inſtitutae? 330. b. ſeq. ab Aegyptiis & Perſis? 332. b. in deſerto ab Iſraëlitis? 595. a. ſeq. ſub iudicibus? 750. a.
Chriſtiani SCHOTTANI *bibliotheca hiſtoriae ſacrae vet. teſt.* 32. b.
Io. Iac. SCHVDT *compendium hiſtoriae Iudaicae ex gentilium ſcriptoribus* laudatur, 21. b.
שׂרף, quid ſignificet? 101. b. ſeq.
Conr. Sam. SCHVRZFLEISCHIVS, de rebus perſicis, 28. a.
SCORTATIO ante legem Moſaicam illicita, 316. b.
SCRIPTVRAE SACRAE veritas quoad hiſtorica, 7. a. ſeq.
SCYTHAE, Magogi poſteri, 175. b.
SEDER OLAM rabba & ſuta, 17. b.
Io. SELDENVS, de *diis ſyris*, 38. a. de occaſione obiectae Iudaeis ὀνολατρείας ſententia, 545. b.
SEMIRAMIDIS fabuloſa hiſtoria, 773. b. ſeqq.
SEMO, quid Noah pater promiſerit? 165. b. non eſt primogenitus, 166. b. an idem qui Pluto, 167. b.
SENECAE locus de ſacris Eleuſiniis, 812. a.
SEPHER HAKKABBALA, 17. a.
SEPTENARIVS numerus ab antiquiſſimo tempore Deo ſacer, 602. a.
SEPTVAGINTA interpretum computatio ab illa codicis ebraei diuerſa, 67. b. ſeq.
SEPVLTVRAE antiquitas. 314. b.
SERAPIS, an Ioſephus? 356. b. recens in Aegyptum inuectus, 607. b.
Nic. SERARII locus de Kiriath Sepher 750. a. de Kenaeis, 752. a.
SERPENS protoplaſtorum ſeductor qualis, 96. a. ſeq. eius poena, 98. a. ſeq. ſerpentes ignei, 513. a. ſeq.
Ge. SERPILII *perſonalia Moſis &c.* 39. a.
SERVG, an primus idololatra? 194. a.
SERVITVTIS origo, 107. b.
SESOSTRIS, Aegypti rex, 779. b. ſeq.
de SETHO & SETHITIS, 127. a. ſeq.
SICYONIORVM regnum, 380. a.
SIDERVM creationis, cur meminerit Moſes? 59. a. influxus non negandus, ibid.
SIMONII *dictionarium biblicum*, 39. a. ſeq.
Richard. SIMONII de pentateuchi auctore ſententia, 433. a.
SIMO Tornacenſis, 426. b.
SIMSONIS natiuitas, 717. a. ſeq. geſta, 720. b. ſeq. an Hercules? 772. b. ſeq.
SISERAE fatum, 694. a. ſeq.
SOCINIANI, cur diuinam originem ſacrificiorum negent, 115. b.
SODOMITARVM ſcelera & poena, 233. b. ſeqq.
SOL & aſtra reliqua primum idololatriae obiectum, 195. a. ſeq.
SOLIS varia nomina, 200. a. ſeq. ſtat ad preces Ioſuae, 660. b. ſeq. retrogreditur ſub Hiskia, 664. a.
SOMNIORVM diſciplina, vid. ONIROCRITICA.
SOTA, mulier adulterii ſuſpecta, 589. a.
Frid. SPANHEMIVS laudatus, 35. a.
de *Io.* SPENCERO iudicium, 37. a. oeconomia operis eius, de *legibus Ebraeorum ritualibus*, 533. a. ſeq. confutatio, 534. b. de ingenio Iſraëlitarum in Aegypto, 286. de Zabiis, 333. a.

333. a. ſeq. de teraphim, 337. a. ſeq. de circumciſionis neceſſitate, 407. a. de ſponſo ſanguinum, 408. a. de agno paſchali, 448. a. ſeq. de tabernaculo, 547. a. ſeq. de arca federis, 550. a. ſeq. de vrim & thummim, 550. b. ſeq. de feſtis Ebraeorum, 557. b. ſeq. 567. b. ſeq. de nouiluniis, 573. b. de precibus, 580. a. ſeq. de veſtibus mixtis, 582. b. de animalibus mundis & immundis, 585. a. ſeq. de ephod Gideonis, 764. b.

SPINOZA negat, Moſen eſſe pentateuchi auctorem, 432. b.

SPINOZISMVS nihil habet praeſidii in voce יהוה, 405. b. ſeq.

SPIRITVS, aquis incubans, quis? 56. b.

Thom. STANLEII *hiſtoria philoſophica*, 36. b.

STELLIS animas incorruptibiles nonnulli veterum tribuerunt, 196. b.

Ed. STILLINGFLEETI de diluuii vniuerſalitate ſententia, 144. a.

STOICORVM de origine mundi ſententia, 54. a. de hominum origine, 65. a. ſeq. de fabulis poëtarum de diis, 198. a. ſeq.

STABONIS auctoritate contra ſcripturam ſacram nititur Tolandus, 398. b. 429. b. 436. a. eius narratio de cultu bouis apud Aegyptios, 606. a. ſeq. de Amphyctionibus, 808. a. ſeq.

Aegid. STRAVCHII *compendium chronologicum*, 41. a.

Burc. Goth. STRVVII, de Troiana hiſtoria ſententia, 819. b.

SVIDAE locus de Abrahamo litterarum ebraicarum inuentore, 322. a.

SVLPITIVS SEVERVS, 29. b. 32. a. ſeq. duplex eius error notatur, 684. b.

SYNAGOGARVM iudaicarum origo & antiquitas, 745. a.

Georg. SYNCELLI *chronicon antiquum aegyptiacum*, 22. b. 30. b. ſeq. 68. b. ſeq. de tempore exitus Iſraëlitarum ſententia, 634. b.

SYNEDRII iudaici ſubleſta antiquitas, 593. a.

SYRINGES, 348. a.

SYRORVM pater Aram, 181. b.

T

TAAVTVS, vid. THEVT.

TABERNACVLI Moſaici origo, 547. a. ſeq.

TABERNACVLORVM feſtum, 570. ſeq.

TABVLAE federis a Deo ſcribuntur, 484. a. ſeq. a Moſe confringuntur, 414. a.

Corn. TACITI de origine gentis iudaicae ſententia, 439. a. de legislatione Moſis, 631. b. de ſabbatho, 632. a. de origine litterarum graecarum, 792. a. ſeq.

TALISMAE, vel TILSEMAE Arabum, 342. b. ſeq.

TARTARI, Thubalis genus, 176. a.

TATIANI locus de Athenienſium antiquitatibus, 380. b. ſeq. de tempore exodi Iſraëlitarum, 634. a. ſeq. de myſteriis Eleuſiniis, 811. b. de Metrodoro, 818. b.

TELCHINES, 384. a.

TELETAE, quid? 801. b.

TEMPLA Deo non ſtatuerunt patriarchae, 309. b. ſeq. de eorum origine, 310. a.

TERAPHIM, quid? 337. a. ſeq. add. 560. a. ſeq.

TERRA, quibus nominibus pro dea culta, 197. a.

TERTVLLIANI de ſuperſtitione Aegyptiorum locus, 368. b.
TESTAMENTVM vetus, quid? 5. a. XII patriarcharum, 326. b. ſeq.
THARA, an primus imaginum fictor? 199. a.
THEOCRATIA Israëlitarum, 590. a. ſeq.
THEODORETI de ſacris Graecorum locus, 812. b. ſeq.
THEODOTVS, poëta Phoenicius, de Iudaeis aliqua habet, 20. b.
THEOPHANES, confeſſor, 33. a.
THESMOPHORIA, 810. b.
THESEVS, 813. a.
THERMVTHIS, Pharaonis filia, 390. b.
THEVT, vel THOT, Mercurius, 343. b. ſeq. 784. b.
THIRAS, Thracum pater, 176. b.
THOGARMA, Cappadocum pater, 178. a.
THOLA, iudex, 708. a.
THRACES Thirae progenies, 176. b.
THRONVS gratiae, 552. b.
THVBAL, Tartarorum pater, 176. a.
THVBALCAIN, 123. a. ſeq.
THVCYDIDES, 28 b.
THVRIS vſus in ſacris, 578. b. ſeq.
THYESTES, 81 . a.
Θυρσοφορία, ſiue ramorum geſtatio apud Iudaeos, 570. b ſeq. add. 543. a.
Sal. van TILL, de paradiſo ſententia, 8 . a
תהו ובהו, quid? 54. a. ſeq.
Io. TOLANDVS impie negat fertilitatem terrae Canaan, 398. b. auctorem pentateuchi putat facere cum Spinoza, 405 b add 542 a. Moſen cum aliis legislatoribus malitioſe confert, 428. b. Iudaeos ab Aegyptiis ortos ſcribit, 436. b.
Auguſtinus TORNIELLVS, 35. a.
TOSORTHVS Aeſculapius, 358. b.
TRIBVS XII Israëlitarum, 285. a.
S. TRINITATIS myſterium protoplaſtis notum, 77. ſeq. profitetur illud Iacobus, 271. b. ex Abrahami hiſtoria, 300. b. ſeq.
TRIOPAS, Argiuorum rex, 381. a.
TROIANA hiſtoria, 817. b. ſeq.
de TYPHO, vel TYPHONE, Philonis error, 608 a.

V

de VACCA rufa, 587. b.
Io. VAILLANT, merita in rem numariam, 42. a.
VENATORES male in ſcriptura audiunt, 245. a ſeq.
VESTES ſacerdotis ſummi, 556. a. mixtas geſtare vetantur Iudaei, 582. b. ſeq.
VESTIMENTA Israëlitarum in deſerto qualia? 524. a. ſeq.
de VETERVM rebus non ex noſtris moribus iudicandum, 11. b. ſeq.
VIGILIAS, quomodo computauerint Iudaei, 702. a. ſeq.
VINI vſus, an ab Noacho inuentus? 162. b.
VIR etiam ante lapſum muliere praeſtantior, 107. a.
VIRGILII de Ioue, aëre, locus, 197. b.
Campeg. VITRINGAE partitio temporis, 6. b. de confuſione babelica ſententia, 171. a. ſeq. de deſerto, per quod iter fecerunt Israëlitae, 526. b. de idolo Ρεμφὰν vel Ρηφὰν, 613. a. ſeq.
VITVLI cultus vid. μοσχολατρεία.

VOLA-

VOLATILIA ex aquane, an ex terra creata? 60. a. ſeq.

Ioan. VOLCKELIVS, Chriſtum demum precari nos docuiſſe adſerit, 381. a.

Guil. Henr. VORSTIVS, interpres libri *Zemach Dauid*, 17. b.

Ger. Ioan. VOSSII, de *theologia gentili* liber commendatur, 38. a. Orpheum in rerum natura fuiſſe, negat, 800. a. ſeq.

Iſ. VOSSII ineptum contra mundi aeternitatem argumentum, 51. a. de vera aetate mundi ſententia, 68. a. ſeq. de diluuii vniuerſalitate, 143. b.

VOTORVM ex lege Moſis ratio, 580. a. ſeq.

VRIM & THVMMIM, quid? 558. a. ſeq.

Ioan. Henrici VRSINI *Zoroaſtres*, 350. a.

Iac. VSSERIVS, *annalium vet. & noui teſt.* conditor, 35. a. de babelicae turris occaſione eius ſententia, 169. a.

VVLCANO quidam generis humani creationem tribuebant, 64. a. idem ac ignis, 197. a. ſeq.

VVLPES Simſonis, 723. a. ſeq.

W

Io. Chriſt. WAGENSEILII de *Gen. XLIX. verſ. 10.* ſententia, 275. b. 276. b. 282. a.

Matth. WASMVTHI *tabulae chronologicae*, 41. b.

Herman. WITSII *aegyptiaca* laudantur, 24. b.

X

XENOPHON, 28. b.

Z

ZABII, vid. SABAEISMVS.

ZEMACH Dauid, 17. b.

ZENO ἀλληγορικῶς interpretatur fabulas de diis, 198. a.

ZIPPORA, Moſis vxor, cur כושית vocetur? 499. a. ſeq.

ציצית, ſiue filamenta veſtium a Deo iuſſa, 584. a. ſeq.

Io. ZONARAS, 33. a.

ZOROASTRES ſex, 349. a ſeq forte vnus, 350. b. Bactrianus, 351. a. Chaldaeus, 351. b. ſeq.

צור, ſilicem acutum ſignificat, 407. b.

S. D. G.

Aol 1469380

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

C 27